SANCTITAS ECCLESIAE ROMANAE, IN S. ELIA PROPHETA...

Matthias : a Corona, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
14 C
11

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTITAS
ECCLESIÆ
ROMANÆ
TOMVS III.

SANCTITAS

ECCLESIÆ ROMANÆ

SEU

EXPOSITIO

LITTERALIS, MYSTICA ET MORALIS,

Sparſim Capitis 17. Lib. 3. Reg. & reliquorum uſque ad cap. 13. Lib. 4. Reg. incluſivè, hiſtoriam SS. Prophetarum Eliæ & Eliſei complectens, ac Romanæ Eccleſiæ ſanctimoniam duodecim tomis delineans.

SACRÆ SCRIPTVRÆ, HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, Conciliorum, Theologiæ, Controverſiarum, SS. Canonum, & Caſuum conſcientiæ Studioſis utiliſſima.

AUCTORE
R. P. MATTHIA A CORONA LEODIENSI
Carmelitâ, Sacræ Theol. Doctore Pariſienſi.

TOMVS TERTIVS.

ECCLESIA SANCTA A S. PETRI ET SVCCESSORUM Romanorum Pontificum poteſtate ſpirituali ac infallibili in rebus fidei, morum, &c.

LEODII,
Apud GUILIELMUM HENRICUM STREEL,
Sereniſſimæ Suæ Celſitudinis Typographum.
M. DC. LXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
MAXIMILIANO HENRICO,
DEI GRATIA
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,
SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM
ARCHICANCELLARIO,
ET PRINCIPI ELECTORI;
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO,
EPISCOPO ET PRINCIPI LEODIENSI,
ET HILDESHEYMENSI,
ADMINISTRATORI BERGTESGADENSI, ET STABULENSI,
LAND-GRAVIO LEUCHTENBERGENSI,
UTRIUSQUE BAVARIÆ, SUPERIORIS PALATINATUS,
WESPHALIÆ, ANGARIÆ, ET BULLONII DUCI,
COMITI PALATINO RHENI,
MARCHIONI FRANCHIMONTENSI, COMITI
LOSSENSI, LONGIENSI, HORNENSI, &c.

SERENISSIME PRINCEPS,

Mihi in hoc Opere, impugnandæ ac debellandæ ſunt tres hoſtium, ſcilicet Hæreticorum, Schiſmaticorum, & Politicorum phalanges, fortes non tam animi robore, quàm temeritate, qui ſanctam Eccleſiam caſtiſsimam Chriſti Sponſam, chariſsimam Legiæ ac omnium fidelium Matrem, & Sedem Apoſtolicam calumniis laceſſere, labefactare, nec non deprimere audent; plebeculámque

ſuis erroribus irretire contendunt. Hoc certamen inire non haſtilibus ſed ſcriptis, non Marte ſed arte, non ferro ſed ingenio, ſed ſtudio, ſed Scripturæ & Patrum teſtimonio, periculoſum eſt, niſi ſub alicujus Principis ac Ducis labaro & nomine, cujus auſpiciis & Auctoritate tutius ad prælium veniri, & victoria poſſit reportari. Hæc dum nunc erectus per ſpem, alliciente veritatis luce, nunc depreſſus per metum, deterrente adverſariorum pertinaciâ, tacitus meditarer, in Veſtram SER.^MAM^ CELSITVDINEM animi mei conatus dirigendos cogitavi. Quis non animetur ad pugnam? Quis victoriam non ſperet, dum ejus animi dotes ac vires revolvit, quarum tanta eſt copia, ut nec marmoribus, nec codicibus, nec ipſis mentibus noſtris totæ inſcribi, nec æternis monumentis poſſint commendari: imò nec natura Homerum effundere queat, quo V. C. ut alterum Achillem abſque adulationis fuco, & veritatis ſilentio exprimat. Nam ſevero ſanè ac invidente fato prodiit quaſi Phœbus clariſſimus, ut ab omnibus ſuſpiciatur & colatur, nullus verò eo quo par eſt ſtudio, ac ſtylo eas animi dotes delineet. Vtinam aliquando quis exoriatur, qui illarum ſeriem apud poſteros, eo quo par eſt verborum nitore, ſaltem obviarum conſignet. Quamvis enim illæ in aperto ſint, publicâ in luce verſentur, omnium oculos ſubeant, tamen ſolâ veritate ac facundiâ Oratores laborant. Vnde non

mirum

mirum ſi Sedes Apoſtolica Legati Nati à latere, inſtar Prædeceſſorum, ſi pallio ut ſigno avitæ fidelitatis inſignierit, & præter morem purpurâ ut ſymbolo conſtantiæ & charitatis ornarit; depræhendit in V. C. Sancti HENRICI Religioſiſsimi Cæſaris effigiem, non tam expreſſam, quàm magis nobilitatã. Ille licet à puero militiæ nomen dederit, ac inter medias Aulæ delicias verſatus fuerit, tamen futuræ ſanctimoniæ ſingulare ſpecimen dedit V. C. certiora virtutis inſtrumenta arripuit, dum auliciſmo Athenæum prætulit, pueritiámque optimis artibus & virtutibus excoluit, adeò ut verius effari liceat, quod Amalaſventa de Theodahado Principe aiebat: *Acceſsit his bonis deſiderabilis eruditio litterarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit: ibi prudens invenit ubi ſapientior fiat: indè Princeps accipit quemadmodum populos ſub æquitate componat. Nec enim aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quàm litterarum non augeat glorioſa doctrina.* Caſſiod. l. 10. var.

Auguſtiſsimi HENRICI Cæſaris gloria ſumma eſt, quod diademate ornatus, conjugio nobiliſsimo junctus, virginitatem illibatam ſervavit, auxit non aliter ac ſi intra clauſtri mœnia degiſſet. V. C. illo ſuperior extitit, dum ad efformandam intaminatæ mentis ac corporis pudicitiam, ſacræ Clericali militiæ adſcribi voluit, ut ſic: *Nihil de vagis cupiditatibus, nil de conceſsis ætati voluptatibus in hoc ſacrum pectus admitteret.* Gallicanus.
Sciebat ad Rempublicam Eccleſiaſticam ritè adminiſtrandam, hanc virtutem eſſe neceſſariam, ac de ſe

dictum

dictum: *Mirabili temperamento concordiæ, antequam poſſit populos regere, ſuis jam cœpit moribus imperare. Hoc eſt profectò difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in ſuis ſenſibus principatum rarum omninò bonum eſt, dominum triumphare de moribus, & hoc conſequi in floridâ ætate, ad quod vix credit cana modeſtia pervenire.* Si tanta fuit S. HENRICI ergà Sedem Apoſtolicam obſervantia, tam eximius propagandæ Religionis zelus, ut Sacri Romani Imperii diadema, non ab alio quàm à Summo Pontifice ſuſcipere voluerit. V. C. Regalis Sacerdotii charactere à FABIO CHISIO Nuncio & Legato Apoſtolico, poſt in Cathedrâ Petri collocato, inſigniri deſideravit. Si ille Leodio Bambergã contendit, quò Benedictum VIII. Pont. Max. invitaret ad ſacras Ædes (quas conſtruxerat) ritu ſolemni dicandas, cujus Principatum cum omni ſuo jure Sedi Apoſt. ac Eccleſię Rom. ſubjecit eique ut Dominæ cenſum annuum pollicitus eſt. V. C. communem Chriſtianæ Reipub. parentẽ; ſacrorum Antiſtitem eâ pietate venerata eſt, ut ejus decreta quaſi divina oracula fuerit cõplexa, eáque executioni indilatè mandaverit. Ille Eccleſiam Leodienſẽ ſummâ humanitate ac benevolentiâ dignatus eſt, omnes ejus fortunas, prædia, eximiáſque prærogativas olim à Regibus ac Principibus conceſſas Cæſareâ ſuâ Auctoritate rata habuit, datis, reſcriptíſq; firmavit, pluraqúe alia ac optima adjecit. Condidit Leodii Sanctæ Crucis Collegium Canonicorum. Aquiſgrani S. Adalberti Martyris. Florinis S. Joannis Baptiſtę

Caßiod. l.10.var.

Monaſterium

Monaſterium firmavit, privilegiiſq; adornavit. Leodienſe Cœnobium S. Jacobi illum primarium ſuum Auctorem aſtruit, ob datas ſibi Apoſtolicas S. Andrææ reliquias, cryptámque in ejus honorem extructam eique Monaſterio ſummam manum adhibitam. Ille Eccleſiæ Leodienſi dedit nobilem ſylvam, ſeu ratum habuit jus quoddam Regium in ſylvas, quas non procul Mechliniæ Epiſcopus Leodienſis poſſidebat. Dominium Franchimontanum eidem Eccleſiæ donatum Cæſareo diplomate roboravit. At à V.S.MA C. eidem Eccleſiæ Leodienſi collata beneficia teſtatur Herſtallum, ad Leodienſis clientelæ famulitium revocatum. Teſtatur Mauſolæum nuper in noſtrâ Æde ſacrâ ex voto erectum in honorem S. Alberti Carmelitæ Thaumaturgi, in memoriam Ser.mi ALBERTI utriuſq; Bavariæ Ducis, chariſsimi ac piiſsimi Parentis Veſtri. Teſtantur alia Dominia ditioni Leodienſi adjecta & comparata, teſtantur Ædes Cathedrales ſummo ac immenſo Altari exornatæ; teſtantur alia loca pia fornicibus, porticibus, clauſtris conſpicua, teſtantur veſtram munificentiam noſtra hæc ſanctitatis Eccleſię lineamenta. Vno verbo teſtantur Monaſteria, Xenodochia, pauperes, viduæ, pupilli, &c. Quæ univerſa ſileri quàm recenſiri mavult, unicum præterire nequeo, quod omnibus ſtuporē movet, perduelles excelſæ mentis, pietate ac ſapientiâ potius quàm armis

V.C. domuit, pacémq; toti provincię invexit, fluctuantes animos in Chriſtianę Religionis ac obedientię jugo firmavit, Eccleſiæ jura ab aliis remiſſa, ab aliis profligata, ac penè collapſa reſtituit. Quod maximi Principes totos centum annos ad extirpandos quoſdam abuſus conſumpſerunt, prudentiâ ſuâ nullis tacendâ ſæculis, paucorũ menſium intervallo perfecit, à vicinis jura ſibi antiqua reſtitui, inita fœdera ſervari compellens, Eccleſię libertatem, patrię vires, civibus quietem probis tranquillitatem reddens, improbis impunè peccandi licentiam comprimens: Adeò ut cuncti Leodienſes V.C. orbis retroacti prodigium, prĘſentis miraculum, futuri exemplum, imò Imperii Principes ac Senatores ſuſpiciant ac ubique celebrẽt. Quod enim Cæſares in Germaniâ, quod in Galliâ Caroli, eorumq; poſteri expedire non potuerunt, id à ſuâ ditione Leodienſi avertit. Legia Eccleſię Rom. Filia ſub tam pudenti ac indefeſsâ vigilantiâ funeſta metuere non debet, imperio majus, armis potentius veſtrę Pietatis, Religionis, ac Sapientiæ exemplũ eſt: Inſiſtat V.C. fortunatiſsimis cæptis, & dum Acatholici calumniarum ſtruem in Eccleſiam Rom. ejúsq; Sedem Apoſt. fabricare contendunt, eos coerceat, ut clariſsima veritas magis, magisqúe eniteat, mihíq; hanc veritatem in hiſce Operibus propugnanti, eorúmque caliginem propulſanti ſemper faveat.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ,

Humillimus ac Obſequentiſsimus Servus ac Cliens,
FR. MATTHIAS A CORONA.

LECTORI BENEVOLO.

PRimatum Eccleſiæ Romanæ Pontifici competere ſuperiori Tomo variis argumentis oſtendimus. Quia verò nonnulli illum bicipitem fingunt, alii impotentem ac inermem eſſe contendunt, ejuſque auctoritatem acriter impugnant, nonobſtante l. 2. C. *de crimine ſacrilegii*: alii in dubium revocant contra l. 2. C. *Sunt quidam*, 35. quæſt. 1. l. *A judice*, 5. C. *de judic.* Imò famoſis ac publicis ſcriptis, theſibus, libris, edictis, totis viribus, omniqúe animi contentione labefactant, ac errori obnoxiam prædicant, ejuſque ſanctiſsima decreta convellunt, explodunt, niſi prius ſuam cenſuram adjecerint. Alii illam auctoritatem ita coarctant, ut vix quidquam ab eâ præſtare queat quod ab inferioribus Præſulibus non efficiatur, vel ſi quis plus tentet id niſi dependenter à Concilio generali ullum effectum ſortietur: Deum ſolum ac Chriſtum Sedis Apoſtolicæ conditorem præ oculis habens, ac pro fide Ortohdoxâ militans, ejus auctoritatis ſpiritualis eminentiam quibuſdam reſolutionibus Scripturæ, Patrum, ac Doctorum, & caſibus nonnullis pro virili demonſtrare conabor. Vale, & ſi quid erratum deprehenderis, humiliter emenda.

FACVLTAS
R.MI PATRIS GENERALIS
TOTIUS ORDINIS CARMELITARUM.

FR. *MATTHÆVS ORLANDVS Magiſter ac humilis Prior Generalis Ordinis Beatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli antiquæ Obſervantiæ Regularis.*

Dilecto nobis in Chriſto Admodùm R. Patri Magiſtro MATHIÆ à CORONA Sacræ Theologiæ Doctori Pariſienſi, Provincię noſtrę Franciæ inſigni Alumno, Salutem in Domino: Auctoritate noſtrâ præſentium tenore non licentiam tibi facimus modò, ſed & præcepto adjicimus tuum typis mandandi Tomum tertiùm quem de Sanctitate Eccleſię Romanę in S. Eliâ Prophetâ Carmelitarum Protoparente figuratâ cõſcripſiſti, ſicut & cœteros quos de eodem argumento deinceps edere ſtatuiſti tomos ſequentes ad finem uſque, dum modò à duobus Religionis noſtrę ab A.R.P. Provinciali provinciæ Franciæ deputandis Theologis, reviſi & approbati, aliáque de jure novo ſacri Concilii Tridentini ſervata fuerint. In quorum fidem, &c. Datum Romę in Conventu noſtro S. Marię Tranſpontinę die 13. Auguſti 1667.

Fr. MATTHÆVS ORLANDVS
Carmelitarum Generalis.

Locus (✠) Sigilli.

FR. ÆMILIUS JACOMELLI *Provincialis Scotiæ & Secretarius Ordinis.*

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGORUM.

ECcleſiæ Romanæ in moribus SANCTITAS, in ceremoniis PIETAS, in regimine POTESTAS nullis unquam ſœculis abſcondi potuit. Civitas eſt quam JESUS-Chriſtus ſupra montem poſuit, ſupra ſeipſum & ſuæ infallibilis SANCTITATIS, PIETATIS, & POTESTATIS vicariam Petram fundavit, charitate ſtabilivit, coagulavit, & pretioſiſſimo Sanguine ſuo cæmentavit.

Eam tota quanta eſt exploravit, luſtravit & undequaq; inveſtigavit tanquam fidelis Terræ ſanctæ explorator *R. A. P. MATHIAS A CORONA Sacræ Theologiæ Doctor Pariſienſis*, in aliis quidem operibus Sanctitatem & Pietatem, in hoc verò ſpeciali providentiâ Poteſtatem in Petræ illius fundamentalis & angularis immobilitate fundatam (Petri, inquam, & ſucceſſorum ejus Romanorum Pontificum ad modernum uſque CLEMENTEM IX. cui æquè ac Petro dictum eſt: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. Et portæ inferi, &c.* in omnibus ad ejuſdem Civitatis politiam, regimen & monarchiam ſpectantibus, concuſſâ quidem maximè ab hujus ſœculi Novatoribus, ceu portis inferi infallibilitate, ſed nunquam excutiendâ quia illæ nunquam adverſus eam prævalebunt) tot tanque irrefragabilibus omnium ſæculorum actis, hiſtoriis, Conciliis, Patribus unanimi & uniformi omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, & perſonarum conſenſu, totque omnis generis argumentorum, jurium & rationum congerie toti Orbi fecit manifeſtam, ut verè adimpleſſe videatur quod Chriſtus ipſe mandavit, juſſit, & prophetavit Civitatem illam non eſſe abſcondendam.

Poteſtas igitur talis eſt in regimine infallibilis à Chriſto utique infallibili ſtabilita, & ſoli Petro & ſucceſſoribus promiſſa ab omnibus ſæculis, Conciliis, & gentibus recepta & recognita, ab hoc Auctore tam pio, tam docto ita ſolidè & accuratè toti Orbi manifeſtata, non alios cenſores habitura eſt, quàm quos ſol clarâ luce: lippientes ſcilicet oculos.

Ego hoc opus non uti Cenſor ex mandato Reverendiſſimi Generalis noſtri, ſed ut tanti Auctoris diſcipulus & Theodidactus libentiſſimè perlegi, cenſeoque ab omnibus, non tantùm hunc ſingularem Tomum, ſed totam eam Civitatem ab Auctore deſcriptam inoffenſo pede cum magnâ animi ſatisfactione poſſe percurri & inambulari. Ita ſalvo meliori judicio, in Carmelo noſtro Leodienſi hac 24. Februarii 1668.

Fr. ALBERTUS A S. GERMANO Prior
Carmeli Leodienſis in Inſulâ Sacræ Theol. Profeſſor.

NOva & vetera quæ legem veterem cum novâ, Synagogam cum Eccleſiâ, Elianam hiſtoriam cum Evangelicâ & Eccleſiaſticâ concilians, *R. A. P. MATHIAS à CORONA Sacræ Theologiæ Doctor Sorbonicus*, argumenta de theſauro ſuo profert hoc tertio (ex duodecim quos de ſanctitate Romanæ Eccleſiæ prælo paravit) tomo pro ſummi Pontificis ſumma in terris animas ligandi & ſolvendi poteſtate, & independenti ab omni, quod Deus non eſt, in dirimendis fidei & morum controverſiis infallibililate, ex mandato Reverendiſſimi P. Generalis per me ad Sanctuarii trutinam applicata, non levia, ſed æquiſſimi ponderis inventa eſſe teſtor. In hoc ſicut in duobus præcedentibus tomis jam publici juris factis Auctor ſemper ſibi ſimilis, Orthodoxus, pius, Theologus ſummus; & ut in toto opere ergà ſanctiſſimam Matrem Eccleſiam Romanam pientiſſimus, ſic in hoc tomo ergà omnium Patrum Patrem, ſeu Papam obſervantiſſimus, proindè de hoc & illâ optimè meritus: quare opus quod ab omni prorſus labe adverſus fidem & bonos mores immune reperi, nulla cenſurâ, multâ laude dignum judico, & ut citò in lucem (Eccleſiæ utile & Ordini noſtro glorioſiſſimum futurum) prodeat in futura ſæcula perennandum, ſicut Auctor à ſuis Majoribus monitus eſt & juſſus, ſic à me & ab omnibus amicis & ſapientibus rogandus, quod facio ex Carmelo noſtro Leodienſi hâc 27. Febrnarii 1668.

Fr. IGNATIUS A S. FRANCISCO,
Ordinis Carmelitarum Theologus.

LICENTIA ORDINARII.

CUm tertius Tomus de Sanctitate Eccleſiæ Romanæ, ſeu de Sedis Apoſtolicæ Poteſtate Spirituali ac infallibili circa res fidei & morum à R. P. MATHIA A CORONA Carmelitâ, Doctore Sorbonico compoſitus, ex ſpeciali ordinatione Sereniſſimi Electoris Colonienſis, ac Epiſcopi & Principis noſtri Leodienſis, &c. à Theologis Colonienſibus examinatus fuerit, nihilque in eo orthodoxæ fidei, ſacris Canonibus, Doctrinæ Theologicæ, & bonis moribus contrarium deprehenſum fuerit. Nobis dignus viſus eſt, quem prælo donandum & cenſeamus & permittamus. Datum Leodii hac 28. Februarii 1668.

JO. ERNESTUS DE SURLET,
Vicarius Generalis Leod.

ELENCHUS TRACTATVVM, CAPITVM, ET PARAGRAPHORVM.

TRACTATUS PRIMUS SEU FUNDAMENTALIS.

PRologus. pag. 1

Caput 1. *Eccleſiæ Romanæ ſanctimonia probatur ex ſancto ejus regimine.* 2

Paragr. 1. *Regimen Eccleſiæ non eſt Democraticum.* 3

paragr. 2. *Non eſt Ariſtocraticum ariſtcratiâ ſæculari* 9

paragr. 3. *Non eſt Ariſtocraticum ariſtocratiâ Eccleſiaſticâ.* 16

paragr. 4. *Regimen Eccleſiæ eſt monarchicum.* 24

paragr. 5. *Teſtimonium Chriſti.* 29

paragr. 6. *Teſtimonium Patrum.* 30

paragr. 7. *Teſtimonium Conciliorum.* 34

paragr. 8. *Teſtimonium Principum.* 35

paragr 9. *Teſtimonium Legis Civilis.* 39

paragr. 10. *Solvuntur argumenta contraria.* 38

Caput 2. *Eccleſiæ Monarchia non eſt multiceps penes omnes Apoſtolos.* 44

paragr. 1. *Probatur ex cap. 1. Ioannis verſ. 16. & 17.* 49

Caput. 3. *Paulus non eſt Petro Collega in poteſtate & regimine Eccl.* 51

paragr. 1. *Probatur teſtimonio Pontificum Rom. ſerie ſæculorum.* 59

paragr. 2. *Teſtimonium Conciliorum.* 72

paragr. 3. *Teſtimonium Patrum & Theologorum ſerie ſæculorum.* 75

paragr. 4. *Teſtimonium Principum.* 90

paragr. 5. *Teſtimonium Legatorum.* 92

paragr. 6. *Teſtimonium Heroinarum.* 94

paragr. 7. *Teſtimonium ex Iure* 94

paragr. 8. *Teſtimonium Hæreticorum.* 95

paragr. 9. *Solvitur objectio petita ex epiſt. S. Pauli ad Galatas.* 96

paragr. 10. *Satisfacit objectioni ex S. Pauli epiſt. 2. ad Corinth. cap. 11.* 97

paragr. 11. *Reſpondetur argumento deprompto ex cap. 12. epiſt. 2. & ex epiſt. 1. cap. 9. ad Corinth.* 99

paragr. 12. *Satisfit argumento petito ex imaginibus & picturis.* 101

paragr. 13. *Diluuntur argumenta petita ex Conciliis.* 106

paragr. 14.

paragr. 14. *Explicatur mens Romanorum Pontificum pro adverſariis citatorum.* 107
paragr. 15. *Elucidantur Patres Græci ab adverſariis citati.* 119
paragr. 16. *Explicantur Sancti Patres Latini, quaſi adverſæ partis defenſores.* 121
paragr. 27. *Auctores graviſſimi explicantur.* 124
Caput 4. *Eccleſia ſancta, quia ſanctus Petrus Romæ ſedit.* 130
parag. 1. *Satisfit argumentis contrariis petitis ex actibus Apoſtolorum.* 140
paragr. 2. *Solvuntur objectiones deprompta ex epiſtolis S. Pauli.* 141
paragr. 3. *Diluuntur argumenta petita ex Patribus, & variis circumſtantiis.* 148
Caput 5. *Eccleſia ſancta, quia ſanctus Petrus Romæ obiit.* 149
Caput 6. *Eccleſia ſancta quia ſanctus Petrus Romæ fuit crucifixus probatur ſerie ſæculorum.* 154
Caput 7. *Eccleſia ſancta, quia ſanctus Petrus Romæ ſepultus.* 163
paragr. 1. *Refelluntur argumenta impugnantia ſedem Romanam Petri.* 170
paragr. 2. *Satisfit objectionibus negantibus Petrum Romæ obiiſſe.* 174
Caput 8. *Romanæ ſedi primatus Eccleſiæ univerſalis ſeu Petri eſt conjunctus jure divino.* 175
paragr. 1. *Vera ſententia ſtabilitur auctoritate Conciliorum & Patrum.* 178
paragr. 2. *Probatur rationibus & congruentiis.* 148
Caput 9. *Continua Romanorum Pontificum ſucceſſio Eccleſiæ adminiſtrationem ſanctam denotat.* 185
paragr. 1. *Teſtimonium Hiſtoricum.* 189
paragr. 2. *Teſtimonium Pontificum.* 190
paragr. 3. *Teſtimonium Eccleſiæ Orientalis.* 194
paragr. 4. *Teſtimonium Patrum Græcorum.* 195
paragr. 5. *Teſtimonium Conciliorum Orientalium.* 195
paragr. 6. *Probatur ex electionibus Epiſcoporum Orientalium confirmatis à ſede Romana.* 198
paragr. 7. *Teſtimonium Epiſcoporum Orientalium recurrentium in negotiis Eccleſiaſticis, necnon fidei & morum ad Romanum Pontificem ut Petri ſucceſſorem.* 200
paragr. 8. *Teſtimonium Eccleſiæ Africanæ.* 204
paragr. 9. *Teſtimonium Conciliorum Africanorum.* 207
paragr. 12. *Epiſcopi Africani oppreſſi recurrentes ad Romanum Pontificem, eum Petri ſucceſſorem aſtruunt.* 208
paragr. 14. *Teſtimonium Eccleſiæ Germanicæ.* 209
paragr. 13. *Teſtimonium Eccleſiæ Gallicanæ.* 213
paragr. 10. *Teſtimonium Conciliorum Galliæ.* 215
paragr. 11. *Teſtimonium Eccleſiæ Hiſpanicæ.* 217

paragr. 15.

paragr. 15. *Teſtimonium Eccleſiæ Luſitanæ.* 218
paragr. 16. *Teſtimonium Eccleſiæ Polonicæ.* 219
paragr. 17. *Teſtimonium Eccleſiæ Anglicanæ.* 222
paragr. 18. *Teſtimonium Eccleſiarum Scotiæ & Hiberniæ.* 222
paragr. 19. *Teſtimonium Eccleſiæ Hungaricæ.* 224
paragr. 20. *Teſtimonium Eccleſiæ Danicæ, Sueciæ, & Norvegienſis.* 224
paragr. 21. *Teſtimonium Eccleſiæ Wandalicæ, Ruſſiæ, Bavaricæ, Brandeburgenſis & Bulgariæ.* 226
paragr. 22. *Teſtimonium Bavariæ.* 229
paragr. 23. *Teſtimonium Eccleſiæ Belgicæ.* 230
paragr. 24. *Teſtimonium Eccleſiæ Italicæ.* 231
paragr. 25. *Teſtatur Ratio.* 235
paragr. 26. *Solvuntur rationes adverſariorum.* 238

TRACTATUS SECUNDUS.

DE POTESTATE SPIRITUALI SEDIS APOSTOLICÆ CIRCA RES FIDEI ET MORUM &c.

PRologus. pag. 243
Caput 1. *Certum eſſe certitudine fidei hunc numero Romanum Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, ac legitimum Petri in terris ſucceſſorem hiſtoria Eliana adumbrat.* 243
paragr. 1. *Chriſtus ordinat.* 244
paragr. 2. *Concilia & Pontifices decernunt, Patres affirmant.* 249
paragr. 3. *Rationes perſuadent.* 252
Caput 2. *Poteſt Romanus Pontifex deſignare modum eligendi Romanum Pontificem.* 275
Caput 3. *An & à quo Pontifex poſſit deponi.* 277
Caput 4 *An alicui competat jus deponendi pontificem hæreticum.* 284
Caput 5. *Romani pontificis inconcuſſa fides ſanctitatem Eccleſiæ denotat.* 289
Caput 6. *Romani pontificis ſanctitas patet in eo, quod ſit judex controverſiarum fidei; probatur ex ſcripturâ.* 292
paragr. 1. *Argumenta contraria diluuntur.* 295
paragr. 2. *Probatur ex novo teſtamento.* 297
paragr. 3. *Probatur ex Patribus & Hiſtoricis.* 300
paragr. 4. *Probatur ſerie ſæculorum.* 303
paragr. 5. *Argumenti continuatio, in quo oſtenditur judicium controverſiarum fidei, vel ſcripturæ privatis hominibus non competere.* 312

paragr. 6.

paragr. 6. *Iudex controverſiarum non eſt quilibet privatus homo.* 316
paragr. 7. *Occurritur objectionibus.* 319
Caput 7. *Romani Pontificis ſanctitas relucet non permitendo ſchiſmata, quæ unitatem & ſanctitatem Eccleſiæ deſtruunt, & ab ambitione ac ab aliis vitiis procedunt.* 324
Caput 8. *Pontificis Romani poteſtas ſancta, quia nullam hæreſim docet.* 334
paragr. 1. *Occurritur objectionibus.* 339
Caput 9. *Poteſtas Romani Pontificis patet in eo, quod Romanæ Eccleſiæ particulares ſubijciuntur, & Romano Pontifici Epiſcopi.* 369
Caput 10. *Primates in recognitionem ſupremæ auctoritatis pontificiæ à ſolo Pontifice Romano pallium accipiunt.* 373
Caput 11. *Pontifex Romanus ſuam auctoritatem & ſanctitatem manifeſtat congregando Concilia & iis præſidendo.* 375
paragr. 1. *Præſes Conciliorum Romanus pontifex.* 381
Caput 12. *Pontifex Romanus Concilium convocans inſtinctu Spiritus ſancti ſuam ſanctitatem patefacit.* 383
paragr. 1. *Qui convocandi ad Concilium, ut Romanæ ſedis ſanctitas demonſtretur.* 384
paragr. 2. *Satisfit opinioni contrariæ.* 386
Caput. 13. *Vtilitas Conciliorum quæ auctoritate Apoſtolicâ celebrantur ejus ſanctitatem commendat.* 391
paragr. 1. *Concilium accedente Romani Pontificis confirmatione cenſetur ſanctum & infallibile.* 401
Caput 14. *Romani Pontificis ſanctitas in eo patet, quod errare nequeat in decretis fidei & morum, cum aliquid definit in Concilio.* 405
Caput 15. *Concilium ſeu Eccleſia ſecluſo Romano pontifice non eſt ſupra illum.* 410
paragr. 1. *Rationibus probatur.* 414
paragr. 2. *Satisfit argumentis adverſariorum ab auctoritate depromptis.* 415
paragr. 3. *Solvuntur rationes contrariæ.* 4 9
Caput 16. *Eccleſia ſancta ex infallibilitate Romani Pontificis extra Concilium Generale.* 423
paragr. 1. *Romani Pontificis infallibilitas probatur ex S. Eliæ hiſtoriâ.* 424
paragr. 2. *Infallibilitatem ſedis Apoſtolicæ teſtatur Scripturâ* 432
paragr. 3. *Teſtantur Pontificum decreta.* 435
paragr. 4. *Teſtantur Concilia.* 436
paragr. 5. *Teſtantur Patres.* 439
paragr. 6. *Teſtantur Theologi.* 449

paragr. 7. *Mens Theologiæ Gallicanæ.* 449
paragr. 8. *Teſtantur Theologi ſæculares Galli.* 450
paragr. 9. *Teſtatur Ludovicus Abelli Epiſcopus Ruthenenſis.* 453
paragr. 10. *Teſtantur Iura.* 455
paragr. 11. *Infallibilitatem* Romanæ *Sedis in decretis fidei rationes teſtantur.* 455
paragr. 12. *Solvuntur argumenta contraria petita ex ſcripturâ.* 458
paragr. 13. *Diluitur argumentum petitum ex Concilio Trident.* 460
paragr. 14. *Reſpondetur Patribus.* 460
Caput 17. *Infallibilitas Sedis Apoſtolicæ in decretis morum demonſtratur.* 462
paragr. 1. *Sedes Apoſtolica poteſt definire quis ſenſus ſit ab auctore intentus, non tantum in quæſtione juris, ſed etiam facti.* 469
paragr. 2. *Occurritur argumenti contrariis.* 473
Caput 18. *Romanus pontifex eſt infallibilior & verior omni Interprete & Doctore Eccleſiæ in rebus fidei & morum.* 477
Caput 19. *Infallibilitas Papæ in canonizatione & beatificatione ſanctorum.* 491
paragr. 1. *Finis canonizationis ſanctorum.* 495
paragr. 2. *Eſt de fide quod in canonizatione ſummus Pontifex nequeat errare.* 498
paragr. 3. *Dum ſummus Pontifex canonizationi ſanctorum examen miraculorum præmittit ſanctitati Eccleſiæ, ſuæque infallibilitati non officit.* 504
paragr. 4. *Romanus pontifex eſt infallibilis dum approbat Religioſos & eorum regulas.* 507
parag. 5. *Eccleſiæ ſanctitatem non minuit extinctio Ordinis ab Eccleſiâ approbati.* 509

TRACTATUS TERTIUS.

DE POTESTATE APOSTOLICA CIRCA SACRAMENTA.

Caput 1. *An ſedes Apoſtolica poſſit Sacramenta inſtituere, vel eorum eſſentiam mutare.* 526
paragr. 1. *Circa Baptiſmum.* 528
paragr. 2. *Circa Confirmationem.* 531
paragr. 3. *Circa Euchariſtiam.* 534
paragr. 4. *Circa Pœnitentiam.* 535
paragr. 5. *Circa Extremam-Vnctionem.* 536
paragr. 6. *Circa Ordinem.* 537

paragr. 7.	*Circa Matrimonium.*	538
Caput 2.	*De poteſtate Apoſtolicâ circa cenſuras.*	544
Caput 3.	*De poteſtate Apoſtolicâ circa leges.*	548
Caput 4.	*Poteſtas Apoſtolica componendi Epiſcopos litigantes de præcedentiâ.*	558
Caput 5.	*Poteſtas Apoſtolica circa Iuramenta.*	560
Caput 6.	*Poteſtas Apoſtolica circa Vota.*	562
Caput 7.	*Poteſtas Apoſtolica circa Miſcellanea,*	568
Caput. 8.	*Quæ diſpenſatio irrgularitatum & abſolutio caſuum Sedi Apoſtolicæ reſervantur.*	572

INDEX BIBLICUS
HISTORIÆ SANCTORUM PROPHETARUM
ELIÆ ET ELISEI,
A Cap. 17. Lib. 3. Regum uſque ad Cap. 13. Lib. 4. incluſivè.

Ex Lib. 3. Regum.

Cap. 17.

Verſ. 1. ET dixit Elias de habitatoribus Galaad ad Achab. Pag. 411. num. 2. Vivit Dominus in cujus conſpectu ſto. Si erit ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba. pag. 405. num. 3. p. 412. n. 2. p. 424. n. 1. p. 426. n. 3. p. 504. num. 1.

Verſ. 2. & 3. Et factum eſt verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem, p. 131. n. 2.

Verſ. 13. Noli timere, ſed vade & fac ſicut dixiſti. p. 427.

Verſ. 14. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael; hydria farinæ non deficiet. p. 427. n. 6.

verſ. 16, Hydria farinæ non deficiet. p. 427. n. 6.

Verſ. 18. Quid mihi & tibi vir Dei: ingreſſus es ad me ut rememorentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. p. 497. n. 10,

Verſ. 21. Expandit ſe atque menſus eſt ſuper puerum, &c. p. 149. n. 1. p. 163, n. 1.

Verſ. 22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intra eum & revixit. pag. 334. num. 1.

Verſ. 24. Et dixit mulier ad Eliam: Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt, p. 498. n. 1.

Cap. 18.

Verſ. 1. Poſt multos dies factum eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio dicens: vade & oſtende te Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ. p. 383. n. 1.

Verſ. 16. Venitque Achab in occurſum Eliæ, p. 265 n. 15.

Verſ. 19. Veruntamen mitte & congrega univerſum Iſrael in monte Carmeli, p. 375. n. 1. p. 376. n. 2. p. 380. n. 1.

Et prophetas Baal 450. prophetaſque lucorum 400. qui comedunt de menſa Iezabel. pag. 384. num. 1.

Verſ. 21. Vſquequo claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt Deus ſequimini eum, ſi autem Baal ſequimini eum. p. 130. n. 10.

Verſ. 22. Ego remanſi propheta Domini ſolus, prophetæ autem Baal, p. 187. n. 5.

Verſ. 23. Dentur nobis duo boves, & in fruſta cædentes ponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam, p. 391. n. 1. p. 392. n. 24. Deus qui exaudierit per ignem ipſe ſit Deus, p. 387, n. 2.

Verſ. 24. Reſpondit omnis populus, optima propoſitio, p. 398. n. 6.

Verſ. 25. Dixit ergo Elias prophetis Baal, eligite vobis bovem unum, & facite primi quia vos plures eſtis, & invocate. p. 396. & 397.

Verſ. 36. Accedens Elias Propheta ait Domine, Deus Abraham, & Iſaac & Jacob, oſtende hodie quia tu es Deus Iſrael, & juxta præceptũ tuum feci omnia verba hæc, p. 227. n. 4. p. 383. n. 1.

verſ. 37. Exaudi me Domine, exaudi me, &c. p. 405.

verſ. 38. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. p. 405. n. 1, p. 131. n. 8.

verſ. 39. Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem & ait, &c. p. 388.

*verſ.*40. Dixitque Elias apprehendite prophetas Baal, & nè unus quidem effugiat ex eis, pag.407. num.3. p.504, n.1.

*verſ.*42. Elias aſcendit in verticem Carmeli p.407. n.3. Pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua. p.312. n.17.

*verſ.*44. Aſcende, & dic Achab, junge currum tuum & deſcende, nè occupet te pluvia, p.406. n.3.

*verſ.*46. Manus Domini facta eſt ſuper Eliam; accinctiſque lumbis currebat ante Achab, p.336. n.3.

Cap. 19.

*Verſ.*3. Timuit Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas. p.131, num.2.

*verſ.*4. Ait, ſufficit mihi Domine tolle animam meam: neque enim ſum melior quàm Patres mei, p.320. n.4.

*verſ.*14. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael, Prophetas tuos occiderunt gladio, &c. p.39. n.4.

*verſ.*16. Eliſeum filium Saphat, qui eſt de Abelmeula unges prophetam pro te, pag.179. num.1. p.275. pag.244.

*verſ.*17. Et erit quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu interficiet eum Eliſeus, p.270. num.3.

*verſ.*18. Et derelinquam ibi ſeptem millia in Iſrael, qui non curvaverunt. &c, p.523. n.19.

*verſ.*19. Cumque veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum. pag.373. num.1.

Cap. 21.

*Verſ.*1. Vinea erat Naboth Iſraelitæ, quæ erat in Iezrael, juxta palatiū Achab. &c. p.523. n.19.

*verſ.*2. Locutus eſt Achab ad Naboth dicens, da mihi vineam tuam, &c.

*verſ.*3. Cui reſpondit Naboth: propitius mihi ſit Deus, nè dem hæreditatem Patrum meorum tibi, p.17. n.2.

*verſ.*10. Submittite duos viros, filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant, p.361. n.3.

*verſ.*13. Eduxerunt eum extra Civitatem, & lapidibus interfecerunt, p.335. n.1.

*verſ.*17. Factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbytem, dicens.

*verſ.*18. Surge & deſcende in occurſum Achab, qui eſt in Samariâ: Ecce ad vineam Naboth deſcendit, ut poſſideat eam. p.428. n.7.

*verſ.*21. Ecce inducam ſuper te malum, &c. p.428. n.7.

*verſ.*23. Sed & de Iezabel locutus eſt Dominus, dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrael, p.428. num.7.

Cap. 22.

*verſ.*6. Congregavit rex Iſrael prophetas quadringentos circiter viros, &c. p.313. n.3.

*verſ.*7. Dixit Ioſaphat, non eſt hic propheta Domini quiſpiam ut interrogemus per eum. p.313. n.3.

*verſ.*8. Ait Rex Iſrael ad Ioſaphat, remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum, ſed odi eum, quia non prophetat mihi bonū, ſed malum, Michæas, &c. p.428. n.10.

*verſ.*14. Michæas ait: Vivit Dominus quia quodcumque dixerit mihi Dominus hoc loquar, p.311. n.17.

*verſ.*17. Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, &c. p.385. n.3.

*verſ.*21. Egreſſus eſt ſpiritus & ſtetit coram Domino & ait, ego decipiam illum, &c. p.316. n.1.

*verſ.*25. Ait Michæas, viſurus es in die illâ, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abſcondaris. p.429. n.10.

*verſ.*34. Vir autem quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit regem, &c. pag.429. n.10.

*verſ.*35. Rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syrios, & mortuus eſt veſpere, &c. p.31. n.3

Lib. 4. Regum.

Cap. 1.

*verſ.*2. CEcidit Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, &c. p.428. n.8.

verſ. 3, Nunquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebuth Deum Accaron.

*verſ.*4. Quamobrem hæc dicit Dominus, de lectulo ſuper quem aſcendiſti nō deſcendes, ſed morte morieris, p. 313. p. 131. n 2, p. 428. n. 8.

verſ. 6. Hæc dicit Dominus, nunquid quia nō erat Deus in Iſrael, &c. p. 480, n. 3.

verſ. 8, Vir piloſus, & zonâ pelliceâ accinctus qui ait, Elias Thesbites eſt, p. 335.

verſ. 9. Miſit ad eum quinquagenârium Principem, & quinquaginta qui erant ſub eo, qui aſcendit ad eum ſedentique in vertice montis ait Homo Dei rex præcepit ut deſcendas, p, 475. n. 1.

verſ. 10. Deſcendit itaque ignis de cœlo, & devoravit eum, et 50, &c. p. 504. n. 1.

verſ. 16. Quia miſiſti nuncios ad cōſulendum Beelzebuth Deum Accaron quaſi non eſſet Deus in Iſrael, in quo poſſes interrogare ſermonem ideò de lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris, p. 337. n. 3. p. 313. n. 3,

verſ, 17. Mortuus eſt juxta ſermonem Domini quē locutus eſt Elias. p. 428, n. 8.

Cap. 2.

verſ. 6. Dixit Elias, ſede hic, quia Dominus miſit me uſque ad Iordanem, qui ait, vivit Dominus & vivit anima tua, quia non derelinquam te, ierunt igitur ambo pariter, p. 128. n. 1. p. 324. n. 2,

verſ. 8. Tulit Elias pallium ſuum, & involvit illud, & percuſſit aquas quæ diviſæ ſunt in utramque partē, & tranſierunt ambo per ſiccum pag. 324. n, 2.

verſ. 9. Cùmq; tranſirent Elias dixit ad Eliſeum poſtula quod vis antequam tollar à te, p. 324, n. 2. p. 154. n. 1. p. 428. n. 9.

Dixitque Eliſeus obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus. p. 428, n. 9.

verſ. 11. Cùmque pergerent & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum p. 170, n. 1. p. 163. n. 2.

verſ. 12. Eliſeus videbat & clamabat. Pater mi, Pater mi currus Iſrael & auriga ejus. p. 258. n. 8. p. 428. n. 9.

verſ. 13. Levavit pallium quod ceciderat, p. 324. n. 2.

verſ. 15. Videntes filii Prophetarum, qui erant in Iericho è contra dixerunt, requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum, & venientes in occurſum ejus adoraverunt proni in terrā, pag. 154. n. 5. p. 428. n. 9. p. 324. n. 2. p. 451. n. 1.

Cap. 3.

verſ. 13. Dixit Eliſeus ad regem Iſrael: Quid mihi & tibi eſt? Vade ad Prophetas Pátris tui, & matris tuæ, p. 313. n. 3.

verſ. 15. Nunc adducite mihi pſaltem. p. 311, n. 1.

Cumq; caneret pſaltes facta eſt ſuper eum manus Domini, p. 311. n. 17 p. 429 n 11.

verſ. 16. Et ait hæc dicit Dominus facite alveum torrentis hujus foſſas. p. 429. n. 11.

verſ. 17. Hęc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam, & alveus iſte replebitur aquis. p. 429. n. 11.

verſ. 18. Parumque eſt hoc in conſpectu Domini, inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras. p. 429. n. 11.

verſ. 19. Et percutietis omnem civitatem munitam, &c. p. 429. n. 11.

verſ. 20. Factum igitur mane, quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce aquæ veniebant &c. p. 429. n. 11

verſ. 21. Vniverſi autem Moabitę audientes quod aſcendiſſent reges, ut pugnarent adverſus eos p. 429. n. 11.

verſ. 22. Primoque mane ſurgentes, & orto jam ſole ex adverſo aquarum viderunt Moabitæ è contra aquas rubras quaſi ſanguinem. p. 430. num. 11.

verſ. 23. Dixeruntque ſanguis gladii eſt, pugnarunt contra ſe Reges & cæſi ſunt mutuo. p. 430. n. 11.

verſ, 24. Perrexeruntque in caſtra Iſrael, porrò conſurgens Iſrael percuſſit Moab. p. 430. n. 11.

Cap. 4.

Cap. 4.

verſ. 16. In tempore iſto, & in hac eâdem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in utero filium. p. 430. n. 12.

At illa reſpondit, noli quæſo Domine mi, noli mentiri ancillæ tuæ, p. 430. n. 12.

verſ. 29. Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ. pap. 138. n. 16. p. 156. n. 5. p. 163. n. 1.

verſ. 35. Aſcendit & occubuit ſuper eum. p. 149. n. 1, p. 163. n. 1. p. 334. n. 1.

Cap. 5.

verſ. 10. Vade lavare ſepties in Iordane. p. 430. n. 13. p. 429. n. 2.

verſ. 13. Accellerunt ad eum ſervi ſui, & locuti ſunt ei, Pater etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta certè facere debueras. pag. 430. num. 4.

verſ. 14. Deſcendit & lavit in Iordane ſepties, &c. pag. 429. n. 12. p. 430. n. 13.

verſ. 20. Vivit Dominus, quia curram poſt eum & accipiam. p. 471. n. 5.

verſ. 25. Vnde venis. Cui reſpondit, non ivit ſervus tuus quoquam. p. 430. n. 14. p. 471. n. 5.

verſ. 26. At ille ait. Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo ille de curru. p. 430. n. 14.

Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta & vineas, & oves & boves, & ſervos, & ancillas. p. 430. n. 14. p. 462. n. 1. p. 471. n. 5.

verſ. 27. Sed et lepra Naaman adhærebit tibi et ſemini tuo, uſque in ſempiternum. p. 430. n. 14. p. 463. p. 471. n. 5.

Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix. p. 430. n. 14.

Cap. 6.

verſ. 1. Dixerúnt filii Prophetarum ad Eliſeum: Ecce locus in quo habitamus coram te anguſtus eſt nobis, etc. p. 187. n. 4.

verſ. 6. Præcidit lignum, et miſit illuc, natavitque ferrum. p. 155. n. 2. p. 170. n. 1.

Cap. 7.

verſ. 1. Dixit autem Eliſeus. Audite verbum Domini, hæc dicit Dominus. In tempore hoc, cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, etc. p. 431. n. 15.

verſ. 2. Reſpondens vnus de Ducibus, ſuper cujus manum Rex incumbebat homini Dei: ait, ſi Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, numquid poterit eſſe quod loqueris. p. 431. n. 15.

Qui ait videbis oculis tuis, & inde non comedes. p. 431. n. 15.

verſ. 17. Porrò & ducem, &c. cõculcavit turba. &c. p. 431. n. 15.

verſ. 18. Factum eſt ſecundùm ſermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait, duo modii hordei ſtatere uno erunt. p. 331. n. 15.

verſ. 20. Evenit ergò ei ſicut prædictũ fuerat, & conculcavit eum populus in porta, & mortuus eſt. p. 431 num. 15.

Cap. 8.

verſ. 10. Dixit Eliſeus, vade & dic ei ſanaberis. Porro oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur. p. 431, num. 16.

Cap. 9.

verſ. 6. Surrexit & ingreſſus eſt cubiculum. At ille fudit oleum ſuper caput ejus. p. 431. n. 17.

verſ. 7. Vnxi te regem ſuper populũ Domini Iſrael & percuties domum Achab domini tui, &c. p. 431. n. 17.

verſ. 8. Perdamque omnem domum Achab, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, &c. p. 431. num. 17.

Cap. 10.

verſ. 10 Videte ergò quoniam nõ cecidit de ſermonibus Domini in terram, etc. p. 480. n. 3.

verſ. 17. Percuſſit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samariâ, uſque ad unum, juxta verbum Domini quod locutus eſt per Eliam. p. 432. num. 17.

Cap. 13.

Cap 13.

verſ. 7. Non ſunt derelicti Ioachaz de populo niſi quinquaginta, etc. p.337. n.4.

verſ. 14. Eliſeus autem ægrotabat infirmitate, quâ & mortuus eſt: deſcenditque ad eum Ioas rex Iſrael, & flevit coram eo, dicebatque Pater mi, Pater mi currus Iſrael et auriga ejus. p.10. n. 1. p.13. n 5. n 6. p.42. n.6. p.45. n 2. p.276, n.3, p 320. n.4 p.412. num. 5.

verſ. 15. Et ait illi Eliſeus, affer arcum et ſagittas, Cùmque attuliſſet ad eumarcũ et ſagittas. p. 432. n.18.

verſ. 16. Dixit ad regem Iſrael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam ſuper poſuit Eliſeus manus ſuas manibus regis. p.432. n.18.

verſ. 17. Et ait aperi feneſtram Orientalem, cùmque aperuiſſet, Eliſeus dixit, jace ſagittam. p.432. n.18.

verſ. 20. Mortuus eſt ergò Eliſeus. pag. 506. num. 4.

Et ſepelierunt eum. p. 164. n.4.

ECCLE-

ECCLESIA SANCTA A POTESTATE SPIRITUALI SEDIS APOSTOLICÆ.

TRACTATUS PRIMUS SEU FUNDAMENTALIS.

PROLOGUS.

QUEMADMODUM tanta Sedis Apoſtolicæ excellentia eſt ac ſublimitas, ut humanæ mentis aciem ſuperet: ita tam immenſa ejus auctoritas, ut univerſi orbis terrarum limitibus nequeat circumſcribi; ſed uſque ad cælos efferatur. Undè de illá idem effari licet, quod D. Chryſoſtomus de Sanctiſſimi Patris Eliæ poteſtate homil. 2. de eodem. *Clavis cæli fit ſermo Eliæ ſanctiſſimi, jubet enim & clauditur, orat poſtmodùm & aperitur.* Vel exclamare cum Eucherio Lugdunenſi in lib. Regũ. *Magna vis propheticæ dignitatis humanus eſt ſermo divinus effectus, in terris homo loquitur, & imperio ejus cæleſtes obediunt poteſtates. Commovit omnem creaturam unius ſermo prophetæ, & in ore modo hums ſonans aëra, cælumque concuſſit, &c.* Priorum ſæculorum Heroes dignitate ac auctoritate ita ſuperat Romanus Pontifex, ut potius admiratione quàm laude, potiùs ſilentio quàm ſermone exprimi queat. Quare illi hoc ſapientis Siracidis Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 4. applicari poteſt. *Sic amplificatus Elias in mirabilibus ſuis: & quis poteſt ſic gloriari?* Græcus. *Quantam gloriam conſecutus es ô Elia mirabilibus tuis? & quis poteſt ſimiliter ac tu gloriari.* Syrus. *Et quis eſt ſicut tu? laudetur.* Vatablus. *Quantam gloriam miraculis tuis adeptus es, aut quis paria tecum glorietur?* Verius de Sede Apoſtolicá Romanâ edillerendũ eſt, quod Præſul Mediolanenſis lib. de dignitate ſacerdotali pronunciavit de excellentiá & dignitate Epiſcopi. *Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippè cum videas regum colla ſubmitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, ſeu potius pedibus, orationibus eorum credèrent ſe communiri. Quid jam de plebeiâ dixerim multitudine, cui non ſolùm præferri à Domino meruit, ſed ut eam*

Chryſoſ.

Eucher.

Eccleſ. cap. 48. verſ. 4.

S. Amb.

quoque jure tueatur patrio præceptis imperatum eſt Evangelicis? ſic certè à Domino ad Beatum Petrum dicitur. Petre amas me, Ioannis cap. 21. & ille: Tu ſcis Domine, quia amo te. Et cùm tertiò fuiſſet interrogatus, & trinâ reſponſione fuiſſet ſubſecutus, repetitum eſt à Domino tertiò paſce oves meas. Sanctus Petrus Damianus ponderans hæc verba, & alia Matthæi cap. 16. verſ. 18. Matt. c. 16. v. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* admirans dignitatem Apoſtolicam non vanam ac inanem, ſed eâ potentiâ præditam, ut in ejus manu ſit manus Dei, opportunè S. Petr. Dam. exclamat: *O quam potens dignitas! potens judicia confirmat omnipotens. Eſt in manu Petri manus altiſſimi, ſolus ille efficitur familiaris Chriſti, qui Petri familiaritatem habuerit.* Et iterùm. *Adeſt Petrus, & ad ejus arbitrium orbis univerſus ſolvitur & ligatur. Et præcedit ſententia ſententiam Redemptoris, quia non quod Chriſtus hoc ligat Petrus, ſed quod Petrus hoc ligat Chriſtus.* Quamvis Sedes Apoſtolica tantâ dignitate reſplendeat tantâ polleat poteſtate. Nihilominus cum S. Ambroſio ſuprà aggrediar hujus poſtremæ ad quantulam diſcuſſionem *Divinâ ope ſuffultus facultate quâ valeo.* Si quid fortè eam ſupremam Eccleſiæ auctoritatē concernens, omittam, ignoſcat mihi Sedes Apoſtolica, ignoſcat Lector, ignoſcant ii quibus locupletior librorum gaza, vel plus temporis ſuppetit. Cœterùm nè in hoc argumento premendo ipſemet vel à rectâ fidei, vel charitatis ſemitâ aberrem, hanc brevem precationem ad viduam Sareptanam, & S. Parentem Eliam effundam cum S. Baſilio Seleuciæ Epiſcopo. S. Baſil. Seleuc. *Paulum igitur nobis, ô beata Vidua, mutuum dato farinæ fidei. Potius verò tu ipſe, ô Beate Elia, qui viduam illam altricem viciſſim alebas, vocem charitatis indefectam nobis ſuggeras.* Priuſquam verò huic operi manum adhibeamus primo Tractatu quædam præmittenda exiſtimavi, quæ erunt quaſi præſentis baſes, quibus ſtabilitis reliquum opus facile exurget, ſtabit immotum, & inconcuſſum contra quaſcumque adverſantium tela.

CAPUT PRIMUM.

Eccleſiæ Romanæ ſanctimonia probatur ex ſancto ejus regimine.

VT oſtendam regimen ſanctæ Eccleſiæ eſſe Monarchicum, figuram pro more præmitto. 1.
P. Thomas à Jeſu Ordinis noſtri Diſcalceatus regulæ Carmeliticæ explicationem hac quæſtione auſpicatur. Quonam regimine ordo ab Eliâ inſtitutus ſit? an monarchio ſimplici? an verò mixto. Regimen ſimplex vocat, quod nullius ſuffragiis deciſivis à ſupremo aliquo principe adminiſtratur: Mixtum appellat, quod à principe præauditis non tantùm conſultivis, ſed etiam nonnullis deciſivis aliquorum ſuffragiis gubernatur. Et concludit præfati ordinis regimen eſſe Monarchiæ mixtæ, quâ Princeps vel Prælatus, non tantùm per conſultiva, ſed etiam deciſiva conſilia aliorum gubernat, ſi enim aliorum ſuffragia ſint tantùm conſultiva, ejus regimen erit potius Monarchicum abſolutum quàm mixtum. Sic Principes qui Monarchæ dicuntur multorum quidem conſilio & prudentiâ utuntur, ſed eorum nutum & conſenſum non requirunt. Poſſunt enim ad nutum ſuum rem propoſitam exequi. At in Ordine noſtro vi regulæ forma gubernandi debet eſſe monarchica mixta. *In eo enim* (inquit Thomas à Ieſu) *Generalis ex ſententiâ & conſenſu definitorum omnia graviora diſponit, gubernat & præcipit.* Thomas à Ieſu. Et paulò poſt *Hujuſmodi autem regendi formulam noſtris temporibus religionibus benè inſtitutis maximè convenire oſtendit Navarrus in cap. Nullum 18. quæſt. 2. n. 10 & præcipuè 15. cujus verba libuit hic referre. Concedimus (inquit) abſolutè & ſimpliciter optimam regendi ſpeciem eſſe Monarchicam quâ reges utuntur, in quâ unus ſolus gubernat ſecundùm Ariſtotelem receptum à D. Thoma lib. 1. de regimine Principum cap. 1. c. 4. c. 5. Licet ſoleat in tyrannidem degenerari quæ eſt peſſima ſpecies mali regiminis ſecundùm eoſdem concedimus. Item P. noſtrum Auguſtinum*

guſtinum per ſuam regulam ſignificaſſe, quod potius Monarchia, quam Ariſtocratia, vel Democratia in ſuo ordine ſervaretur, veriuſque eſſe id quod antea diximus, nempè ſanctius, commodiusque Monaſteria gubernari per unum, quàm per multos, ſi Prælati eſſent Auguſtini, & ſubditi Poſſidonii. At quia Prælati longe ab Auguſtino, & ſubditi à Poſſidonio degeneraverunt, & Monarchiæ abſoluta omnium non mendicantium in tyrannidem degeneraverunt, ideò inquam plurimis Religionibus loco Monarchiæ inſtituta eſt Ariſtocratia, aut certè Monarchia reſtricta, quâ unus de conſenſu ænitorum ad idem deſignatorum gubernat, Hæc Navarrus. Quibus Thomas à Ieſu ſubjicit *Præter hujus regiminis, quod nunc in noſtrâ floret religione veſtigia quadam etſi non valde expreſſa, adumbrata tamen in noſtra regula traduntur. Nam cap. 2. & 3 ſtatuitur, ut in domorum receptione, & cellarum aſſignatione Prior fratrum conſenſum requirat & ſpectet, quæ verba de Priore Generali intelligi jam ſupra à nobis probatum manet.*

II. Cui addendus noſter Lezana tomo 5. quæſt. regularium in mari magno *Lezana* Carmelitarum exponens cap. 2 regulæ num. 56. *Ex vi ujus ſeu conſuetudinis potius videtur eſſe mixtum ex Monarchico & Ariſtocratico, idest ex regimine unius Prioris ac aliorum, non vulgarium, ſed principalium Siquidem Generalis cum ſociis, Provincialis cum definitoribus, & Prior localis cum clavariis ordinem gubernant. Quem eſſe communiſſimum in religionibus præſertim, aptiſſimum & convenientiſſimum regiminis modum. Eſto Monarchicus optimus communiter cenſeatur à D. Thoma, Ariſtotele, & aliis, tenent Navarrus in cap. Nullum, Bellarminus tomo 1. tract. 1. de Romano Pontifice, ubi agit regimen temperatum propter humanæ naturæ corruptionem utilius eſſe quàm ſimplex monarchia.* Idem in cap. 3. num. 61. ponderans illa verba regulæ. *De aſſenſu* ſubdit. *Quando dicitur aliquid fieri debere cum conſenſu & aſſenſu aliorum, clauſula illa facit conditionem, & deficiente conditione deficit actus, ut dixit Rota deciſ. 282. num. 2, lib. 3. in primâ editione coram Puteo, de quo etiam* [illegible]

cap. Novit. adjuncta Gloſſa ſicut à Prælatis ſine conſenſu, &c. Idem aſſerunt Thomas à Ieſu ſuper regulam Carmelitarum cap 1 Gloſſa 1. Tamburinus de jure Abbatum tomo 3 diſp. 1. q 2. num. 1. 2. & 3. Idem Lezana tomo 3. qq. reg. verb. litteræ Apoſtolicæ n. 21. Quibus favet Alexander VII. (cui Deus diuturnos ac fœlices annos concedat) hic in Comitiis generalibus Romæ celebratis anno 16: 0. & 1666. inter alia decreta condita pro meliore regimine ordinis noſtri, ſtatuit, ut non duo ſocii more antiquo, ſed quatuor Aſſiſtentes Generalis deinceps ex quatuor nationibus Italicâ, Gallicâ, Hiſpanicâ, & Germanicâ eligerentur, qui in aliquibus gravioribus negotiis non tantùm conſultivum, ſed etiam ſuffragium deciſivum ferant.

An regimen Eccleſiæ ſit Monarchicum mixtum ſeu temperatum quæſtio hic eſt. Et quidem in Eccleſiâ veteris teſtamenti regimen fuiſſe mixtū do. et Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 3. *Habuit* (inquit) *populus Hebræorum ſemper unum ſive ducem, ſive judicem, ſive regem, qui toti multitudini imperaret, quod pertinet ad Monarchiam. Habuit præterea multos Principes minores de quibus ita legimus* Exodi cap. 18. verſ. 15. *Electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios, decanos qui judicabant plebem omni tempore, &c. Id autem ad Ariſtocratiam pertinet. Denique ex omni plebe, non ex unâ aliquâ tribu principes aſſumebantur ut ex eodem loco Exodi cap. 18. & etiam Deuteronomii cap. 1. apertè colligitur, quod aliquo modo Democratia eſt.* An ſimili regimine Eccleſia novi teſtamenti gubernetur hic diſcutiendum eſt. III. *Bellar.*

§. I.

Regimen Eccleſiæ non eſt Democraticum.

FLaccus Illyricus lib. de ſermone ſacrarum litterarum ait politiam Eccleſię eſſe Democratiam quandam ordinatam, huic opinioni multi I.

A 2 Lutherani

Lutherani ſubſcribunt, ſed apud Catholicos omnes conſtans opinio eſt Eccleſiam non regi democraticè, ſeu non habere regimen populare, vel conſtitui à plebe, nec ab eâ authoritatem accipere. Patet primò ex Scripturâ, quæ hujus auctoritatis popularis creandi Epiſcopos vel Presbyteros nullam mentionem facit, ſed apertè docet ejuſmodi poteſtatem eſſe penes Epiſcopos ad Titum cap. 1. verſ. 5. *Hujus rei gratia* (inquit Apoſtolus) *reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates ſicut & ego diſpoſui tibi.* Paulus præcipit Tito, non verò populo, ut in ſingulis oppidis conſtituat præsbyteros juxta ordinationem & diſpoſitionem ſuam, quaſi diceret (inquit Cornelius) tales, tam probatos, & ſelectos, tali numero, ſerie, ſubordinatione conſtitue præsbyteros in majoribus Epiſcopos, in minoribus Sacerdotes, ſive paſtores, ſicut ego vivâ voce tibi præſcripſi & ordinavi. Huic explicationi favet Concilium Sardicenſe canone 6. & Leo I. epiſt. 67. ad Epiſcopos Africæ cap. 2. Secundò: Quòd primi Eccleſiæ Miniſtri non fuerint à congregatione fidelium electi & conſtituti patet Marci cap. 6. verſ. 13. *Vocavit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum, & fecit, ut eſſent duodecim cum illo.* & cap. 3. verſ. 16. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus, &c.* Lucæ cap. 6. verſ. 13. *Vocavit diſcipulos ſuos & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit, Simonem quem cognominavit Petrum, &c.* Tertiò, poſt Apoſtolos, quo tempore erat Eccleſia puriſſima, Epiſcopi non à populo, ſed ab Apoſtolis creati ſunt, ut fatentur ipſimet hæretici, & nominatim Centuriatores centuriâ 1. lib. 2. cap. 2. Aſſerentes Iconii & Antiochiæ creatos fuiſſe ab Apoſtolo Paulo, & cap. 10, docent ex Nauclero & aliis Hiſtoricis S. Maternum Treviris, S. Apollinarem Ravennæ, Hermagoram Aquileæ fuiſſe ab Apoſtolo Petro creatos Epiſcopos. Quartò, accedunt Patres S. Irenæus lib 3. cap. 3. aſſerens ab Apoſtolis Petro & Paulo Linum fuiſſe creatum & inſtitutum Romæ Epiſcopum. Tertullianus libr. de præſcriptione ſcribit Clementem fuiſſe à S. Petro factum Romę Epiſcopum. S. Leo epiſt. 89. ad Dioſcorū refert S. Marcum fuiſſe inſtitutum Epiſcopum à S. Petro, & miſſum Alexandriam. Beda lib. de ſex ætatibus, idem aſſerit. Euſebius 3. hiſtoriæ, & Beda in Martyrologio narrant Dionyſium Areopagitam fuiſſe inſtitutum Epiſcopum Athenienſem ab Apoſtolo Paulo, & Polycarpum Epiſcopum Smyrnæ à Ioanne Apoſtolo. Euſebius lib. 4. hiſtoriæ narrat Timotheum ab Apoſtolo Paulo Epheſiorum, & Titum Cretenſium Epiſcopos fuiſſe factos. Nicephorus lib. 2. cap. 41. narrat Platonem ab Apoſtolo Matthæo creatum Epiſcopum in Mirmenâ oppido quodam Antropophagorum. Plura recenſent Patres & Hiſtorici, qui omnes communi calculo ſuſtinent in primitivâ & puriſſimâ Eccleſiâ Magiſtratum Eccleſiaſticos ſeu Prælatos non à plebe, ſed ab Apoſtolis fuiſſe creatos. Quintò. Ejuſmodi Democraticum regimen etiam ex eo refellitur, quod nunquam in Eccleſiâ appellatum eſt ab Epiſcopo ad populum, nec populus abſolvit ligatos ab Epiſcopis, vel ligavit ſolutos ab Epiſcopis. Item populus nunquam judicavit de controverſiis fidei, ut patet ex formis Conciliorum: ſed id factum fuit à Pontificibus & Epiſcopis, imò Scripturæ, Concilia, Patres contraria ſuſtinent, ſcilicet judicia Eccleſiaſtica non competere plebi Chriſtianæ, ut videre eſt apud Bellarminum in quæſt. de judice Eccleſiaſtico, & in quæſt. de conciliis. Becanum tractatu de judice controverſiarum, & alios. Nec jam à mille ſexcentis & amplius annis viguit illa praxis, quod judicium rerū Eccleſiaſticarū eſſet penes populū. Sextò: Refellitur regimen Democraticum Eccleſię ex eo quod nequeat oſtendi ullas leges Eccleſiaſticas fuiſſe latas à plebe: ſed à Pontificibus vel Conciliis, non expectato populi ſuffragio, à quo vim & auctoritatem deſumerent. Nec produci poteſt ulla lex in Eccleſiâ, quæ publicitum denominetur, ut olim apud Romanos, quinpotius Apoſtolus Act. cap. 15. verſ. 41. *Præambulabat Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.* & cap. 16. verſ. 4. de eodem

Apoſtolo

Tit c. 1. v. 5.

Actor c. 15, v. 41.

Apoſtolo & Timotheo *Cùm autem pertranſirent Civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis.* Non præcipitur ut obſerventur præcepta populi qui erant Jeroſolymis, ſed Apoſtolorum & Seniorum Nullus Epiſcopus fuit unquam depoſitus vel excommunicatus à populo, ſed à Pontificibus & Conciliis generalibus. Sic Concilium Epheſinũ ex mandato Cœleſtini Papæ præſide noſtro S. Cyrillo Patriarchâ Alexandrino apud Sigebertum, Onuphrium, Genebrardum in chronicis. Bellarminum lib. 1. de conciliis cap. 5. Baronium ad annum 431. Ciaconium in Cœleſtino 1. Azorium inſtit. moral. part 2, lib. 5. cap. 16. Evagrium lib. 1. cap. 4. depoſuit ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano Neſtorium. Concilium Chalcedonenſe ex ordinatione S. Leonis privavit Epiſcopatu Alexandrino Dioſcorum, ut patet ex eodem Concilio actione 3.

II. Pro hac veritate militat ratio petita à ſapientiâ Dei. Cùm enim Chriſtus ſit Princeps ſapientiſſimus, nõ eſt veriſimile quod inſtituerit in Eccleſiâ ſanctâ regimen omnium infimum, quale eſt populare, ſeu Democraticum, ut docet Plato in politico poſt medium. *Vnius dominatio bonis inſtructa legibus, lex illarum omnium optima eſt, gubernationem verò eam, in quâ non multi imperant, mediam cenſere debemus. Cæterùm multorum adminiſtrationem omnibus in rebus debilem atque infirmam.* Quæ verba potiùs de Democratiâ, quàm Ariſtocratiâ intelligenda ſunt, ut ipſe clarè innuit in Axericho *Quis beatus eſſe poſſit vulgi vivens arbitrio, tametſi faveatur ei, plaudaturque.* Ratio ſecunda eſt ſi Eccleſia à plebe regeretur, non eſſet firmamentum veritatis, non haberet inexpugnabilem; ſed eſſet debilis & infirma, non eſſet ſancta, beata, & immaculata, ſed infœliciſſima: unde meritò Ariſtoteles inter formas regendæ multitudinis, docet nullam eſſe pejorem Democratiâ, nullam meliorem Monarchiâ libr. 8. Ethic. cap. 10. *Harum optima Regum, peſſima Reſpublica eſt.* Si Democratia eſt peſſima, quomodo Eccleſia diceretur ſancta, ſi democraticè regeretur. Hinc

Plato.

Ariſtot.

Plutarchus in Solone improbat morẽ Græcorum, apud quos ſapientes dicebant, & ſtulti judicabant ſeu quod oratores dicerent, & populus judicaret. Idem Plutarchus in ſuis apophtegmatibus narrat, quod Lycurgus interrogatus, cur non condidiſſet Democratiam apud Spartas, re ponderit, *ut ipſe prius domi ſuæ eam inſtitueret*: quaſi diceret ideò non inſtitui Democratiã, quia nec civitas, nec familia tuta, pacifica, & libera à crimine quotidiano, per illam diu eſſe poteſt. Unde Philo libr. de confuſione linguarum laudat ſententiam Homeri canentis illud. *Multos imperitare malum eſt, Rex unicus eſto, non ad civitates & homines magis pertinet, quàm ad mundum & Deum.* Mala igitur, non autem bona, non ſancta foret Eccleſia, ſi à plebeis regeretur.

Philo.

III. Ex Patribus huic rationi faventibus occurrit primò S. Athanaſius oratione contra idola, qui hanc pluralitatem gubernantium im probat, *ut multitudo Deorum nullitas eſt Deorum: ita quoque neceſſe eſt multitudinem Principum id efficere, ut nullus eſſe Princeps videatur. Vbi autem Princeps non eſt diſturbatio naſcitur* Quaſi diceret, ubi Ariſtocraticus, vel Democraticus ſtatus eſt, nihil ſanctum, nihil bonum, nihil utile oriri poteſt, nihil fixum ſtare poteſt: ſed cuncta noxia expectanda ſunt. Cur autem nihil niſi noxium à regimine populari expectari poteſt, innuere videtur S. Hieronymus in cap. 21 Matthæi. *Semper turba mobilis eſt, nec in propoſitâ voluntate perſiſtens, atque in morem fluctuum diverſorumque ventorum, huc illucque transfertur.* Quaſi diceret, nihil magis nocivum eſt quàm inconſtantia, & mobilitas quæ præſertim in ſtatu Democratico reperitur. Unde apud S. Ambroſium libr. Hexameron cap. 21. *Non merita virtutis expendit, nec publicæ utilitatis emolumenta rimatur, ſed mobilitatis mutat incerto.* Expende illa verba, *Non merita, &c.*

S. Athanaſius.

Hieron.

S. Amb.

IV. Tertiam rationem deduco ex eo, quod ſi plebs aliquam in Eccleſiâ gubernandi auctoritatem haberet, vel eam à ſe, vel ab alio accepiſſet. Non à ſe quia hæc poteſtas eſt de jure divino & ſupernaturali. Non etiam illi compe-

petit de jure gentium, vel de jure naturæ. Non enim (ſicut poteſtas civilis ſeu popularis transfertur à populo in principem) ita hæc transfertur in Eccleſiam. Quod autem plebs non habeat ab alio ſive à Deo, ex eo liquet, quod ſcriptura nullibi teſtetur ejuſmodi poteſtatem docendi, paſcendi, regendi, ligandi, ſolvendi eſſe communicatam populo. Cùm populus ſemper vocetur grex, qui paſci debet, ut
Ioann. c.21. v. 18. patet ex verbis Chriſti Joannis cap. ultimo verſ. 18. *Paſce oves meas*, *&c.* Actor. cap. 20. verſ. 28. *Sanctus Spiritus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam*
Actor. c. 20. v. 28. *Dei.* Ex quibus infero, is paſcere poteſt, qui docere, & ædificare poteſt. Ac illud munus non ad populum ſpectat, ſed ad paſtores. Undè cùm Demonſthenes præfectus culinæ Valentis Imperatoris baptiſatus teſte Theodoreto lib. 4. cap. 17. interpellaret S. Baſilium Magnum diſputantē de rebus divinis, S. Præſul Epiſcopali auctoritate lepidè
Theodoretus. reſpondit: *Tuum eſt juſculorum curare condimenta, nam cum aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſancta dogmata audire non potes.* S. Hieronymus epiſtola
S. Hier. ad Paulinum Præsbyterum abſurdiſſimum eſſe exiſtimat, ut cùm artes minores, quæ non tam linguâ, quàm manu adminiſtrentur, doctore indigent. *N ibiiominus ſolam ſcripturarum artem ſibi paſſim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. Alii diſcunt, proh dolor! à fæminis, quod viros doceant: imò ediſſerunt aliis quod ipſi non intelligunt, puerilia ſunt, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores, imò (ut cum ſtomacho loquar) nec hoc quidem ſcire, quod neſcias.*

V. Nec refert quod Matthæi cap. 18.
Matth. cap. 18. v. 17. verſ. 17. Chriſtus dicat, *Dic Eccleſiæ*, ideſt congregationi fidelium (inquiunt S. Hilarius, S. Thomas, S. Anſelmus ibi, S. Gregorius libr. 4. epiſtol. 38. quaſi ſummum Eccleſiæ tribunal ſit penes univerſum fidelium cœtum. Sed ut melius explicant S. Chryſoſtomus epiſt. 61. Theophilactus, Euthymius, Hugo Cardinalis, Cajetanus, noſter Sylveira, & alii nomine Eccleſiæ ſignificantur Paſtores & Gubernatores Eccleſiæ, vel publicum Eccleſiæ judicium ſpectare, vel ad Præſules, vel ad perſonā publicam, ut patet ex praxi & quotidianâ experientiâ, & ex verbis Chriſti domini qui verſ. 18. ſtatim ſubjunxit: verſ. 18.
Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. Quaſi diceret (inquit noſter Syl- Sylveir.
veira tomo 4. in Evangelia lib. 6. c. 11. expoſitione 3. *Dic Eccleſiæ, illius nempè præſidi, apud quem eſt auctoritas ligandi pœnis & cenſuris ejuſmodi contumacem, ſenſus ergo eſt, ut obſtinatus ad Prælatum deferatur, ut qui privatos deſpexit Prælatum, ob ejus dignitatem & poteſtatem revereatur, eiq; corripienti obediat.* Nec aliud volunt S. Hilarius, S. Gregorius, S. Thomas, & Anſelmus. Nam dicere toti Eccleſiæ per orbem diffuſæ, non poteſt facilè fieri, igitur dicendum eſt Eccleſiæ Præpoſito, ſeu ejus miniſtris.

Nec ſecundò intereſt quod Actuum VI.
Apoſtolorum cap. 1. Eccleſia dicatur elegiſſe Mathiam in Apoſtolum, v. 15. Act. c. 1.
Exurgens Petrus in medio fratrum dixit v. 15.
(erat autem turba hominum ferè centum viginti) viri fratres, &c. verſ. 21. *Opor-* verſ. 21.
tet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus IESVS, &c. verſ. 23. *Et ſtatuerunt duos, &c.* verſ. 23.
verſ. 24. *Et orantes dixerunt, &c.* verſ. 26. *Et dederunt ſortes, &c.* Syrus, *Conjecerunt ſortes.* Tigurnia, *Miſerunt ſortes eorum.* Pagninus. *Et dederunt ſortes eorū.* Nam reſpondeo ex eo jure, quod populus aliquando habuit in electione mibiſtrorum Eccleſiæ, non ſequi Eccleſiaſticam poteſtatem fuiſſe olim popularem, ſeu populum unquam ordinaſſe, vel creaſſe miniſtros: ſeu eis dediſſe illam poteſtatē: ſed dumtaxat nominaſſe, deſignaſſe, ſeu poſtulaſſe eos, quos deſiderabat ordinari ab Epiſcopis per manus impoſitionem.

Nec tertio obſtat, quod Act. cap. 6. VII.
verſ. 3. Apoſtoli dicant: *Conſiderate* Act. c. 6.
fratres viros ex vobis boni teſtimonii verſ. 3.
ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus Diaconos. Dico quod his verbis Apoſtoli tantùm permittant populo, ut quærat & offerat aliquos capaces illius muneris, *boni teſtimonii.* Tigurina verſio, *ſpectatæ probitatis.* Verſio Vatabli *bono teſtimonio probatos*, quibus ſcilicet populus

præbeat

præbeat teſtimonium prudentiæ, fidei, probæ vitæ, ſeu bonæ famæ, ut oblati à populo ab Apoſtolis creentur. Huic explicationi favet S. Cyprianus lib. 3. epiſt. 9. *Apoſtolos Dominus elegit, Diaconos Apoſtoli ſibi conſtituerunt.* Sic S. Leo in Epiſcoporũ electione facienda à Clericis requirit vota, epiſt 87. cap. 1. *Vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem Clericorum.* Quæ omnia ſequitur ordinatio ab Epiſcopis, ut refert Sophronius, vel potiùs Joannes Moſchus in prato ſpirituali cap. 149. ſcribentes hunc Leonem in oratione pervigilaſſe ac peccatorũ ſuorum veniam poſtulaſſe, eique S. Petrum reſpondiſſe: *Oravi pro te, & dimiſſa ſunt tibi peccata tua (præterquam impoſitio manuum) hoc ſolùm abs te requiretur, ſive benè, ſive fortaſſe malè egeris.* Eſto igitur populus deſignet, creet, eligat, poſtulet, non tamen ſequitur regimẽ Eccleſiæ eſſe Democraticum. Ut enim aliquod regimen ſit Democraticum & non Monarchicum non ſufficit, ut populus ſibi Magiſtratum creet. Nam primi reges à populo creabantur, & tamen eorum regimen non erat Democraticum, ſed Monarchicum. Sic apud Romanos etiam Imperatores à militibus creabantur. Nunc Imperator Romanorum ab Electoribus Imperii Eccleſiaſticis & Laicis. Rex Poloniæ à certis Principibus, & tamen dominium ſeu regnum Poloniæ non eſt Democraticum, ſed Monarchicum. Si enim hæ & aliæ dignitates eſſent Democraticæ deberet eſſe major auctoritas in populo, quàm in Principe. Et à ſententiâ Principis provocaretur ad tribunal populare, quod in Imperio Romano non fit: favet ad hoc reſponſum Valentiniani ſenioris Imperatoris, cui cùm milites dare vellent collegam in Imperio. *Me* (inquit) *ad Imperium eligere penes vos erat, ſed cùm à vobis electus ſum, conſortem Imperii, quem poſtulatis, non amplius in veſtrâ, ſed in meâ tantùm poteſtate eligere ſitum eſt.* Ita Sozomenus lib. 6. cap. 6. quod à fortiori de Eccleſiá affirmari poteſt, à cujus ſententiâ nunquam ad populũ provocatur.

S. Cypr. S. Leo. Sophron. Sozom.

VIII. Præfatis rationibus & hiſtoriis ſuccedit argumentum petitum ab auctoritate Patrum, S. Auguſtinus epiſt. 48. ſcribit meritò reprehendi Donatiſtas, eò quod apud Imperatorẽ accuſaſſent concilium, cùm potiùs apud Epiſcopos tranſmarinos debuiſſent accuſare, ſubditque Cæſarem melius de Eccleſiâ ſapuiſſe, qui ad Melciadem Romanum Pontificem remiſit Donatiſtas, qui ad ſuum judicium & tribunal recurrerant. Idem D. Auguſtinus epiſt. 162. ſcribit de eodẽ Imperatore. *Quâ in re, quemadmodum deteſtetur ille Conſtantinus, audiviſtis, atque utinam, ut ipſe ceſſit, ut de ullâ causâ poſt Epiſcopos judicaret, à ſanctis Antiſtitibus veniam peſſet a petiturus, ſic & illi aliquando crederent veritati.* Optatus lib. 1. contra Parmenianum refert ſic exclamaſſe Imperatorem. *O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis gentilium appellationem interpoſuerunt.* Quibus verbis innuit Imperatorem ægrè ferre quod ad ſe provocatum fuiſſet. Quod ſi ad Imperatorem appellatio fieri non poterat, minus ad populum poterat appellari. Unde ſanctus Athanaſius epiſtolá ad ſolitariam vitam agentes meritò carpit Conſtantium Cæſarem, quia in Conciliis præſidere & judicare præſumeret. *Si judicium* (inquit) *Epiſcoporum eſt, quid commune cum eo habet Imperator?* potius dicam, *quid commune cum eo habet* populus. Accedit Hoſius quem ferunt his verbis ſcripſiſſe eidem Imperatori. *Quis videns eum in dicendo principem ſe facere Epiſcoporum & præſidere judiciis Eccleſiaſticis? quis non meritò dicat illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt.* Si Conſtantium quaſi Anti-Chriſtum reputat, quia auſus eſt præſidere Concilio & judicio Eccleſiaſtico. Majorem ſanè cenſuram meretur populus, qui ſibi auctoritatem judicatoriam ſupra Epiſcopos & Pontifices arrogare contenderet, & dicendum occurrit cum D. Ambroſio epiſt. 78, ad Theophilũ Alexandrinum. *Fruſtra ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor, iterum ad hujus ſæculi judicia revertendum, iterùm ad reſcripta. Iterùm vexabuntur ſacerdotes, ſenes transfretabunt maria. iterùm invalidi corpore peregrino mutabunt ſolo, iterùm ſacroſancta altaria deſerentur, &c.*

S. Aug. Optatus. S. Athanaſius. Hoſius. S. Amb.

Et infra. *Sanè referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ ſacerdotem Eccleſiæ.* Ex Patribus Gallis Hincmarus Rhemorum Archiepiſcopus qui floruit ſub Carolo Magno & Ludouico ejus filio Imperatoribus circa annum 800 ſcribens ad Epiſcopos Diœceſis Rhemenſis epiſt. 6. cap. 22. ait majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam eſſe deferendas, non dicit ad plebem, vel Parlamentum. Cap. 23. negat poſſe à Sede Apoſtolicâ appellari. Cap. 24 aſſerit Rhemenſem Archiepiſcopum ſoli Papæ ſubditum. Cap. 33. poſt Gelaſum epiſt ad Anaſt. *Nunquam inveniri de Pontificibus, niſi Eccleſiam judicaſſe, & non eſſe humanarum legum de talibus ferre ſententiam abſque Eccleſiæ principaliter conſtitutis Pontificibus: obſequi ſolere principes Chriſtianos decretis Eccleſiæ non ſuam præponere poteſtatem. Epiſcopis caput ſubdere principem ſolitum, non de eorum capitibus judicare.* Meliùs dicam, obſequi ſolere populos Chriſtianos decretis Eccleſiæ, *non ſolùm præponere poteſtatem, Epiſcopis caput ſubdere principem ſolitum, non de eorum capitibus judicare.* Si Princeps qui de capitibus populi judicat, non verò de capitibus Epiſcoporum, quomodò populus judicare poterit de capitibus Epiſcoporum. Cap 24. probat quod *in lege Valentiniani, Theodoſii & Arcadii decretum eſt de Epiſcopis. Habent, inquam judices ſuos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantùm ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopalis auctoritate decidi. &c.* non ait populari auctoritate. Epiſtolâ 7. cap. profert quæſtionem Caroli Auguſti factam Leoni III. quid agendum de Præsbyteris reis, & cap. 1. refert decretum Leonis ut in conceſſu Epiſcoporum canonicè dijudicetur & damnetur. Cap. 6. adducit legem Honorii & Theodoſii, quæ ſtatuit *Clericos nonniſi apud Epiſcopos accuſare cõvenit, &c.* Cap 7. quomodo ab Epiſcopo ſuo appellare licet ad finitimos Epiſcopos vel Metropolitanos. epiſtola 8. ad Joannem VIII. Papam cap. 7. *Cæterùm (* inquit *) quia non eſt homo in terrâ qui faciat bonum, & non peccet, & nec ipſi ſine peccato fuerunt; qui cæleſti magiſterio adhærebant, dicente Ioanne epiſt. cap. 7. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et Iacobus Apoſtolus dicit cap. 2. In multis offendimus omnes. Et ut Scriptura loquitur, Iob cap. 4. In Angelis reperta eſt nequitia. Si neceſsitas cum multâ ponderatione atque examinatione coegerit Epiſcopos ab Epiſcopis judicari, vel Præsbyteros ab Epiſcopis à gradu Eccleſiaſtico dejici.* Paulò poſt. *Si neceſſitas & pondus legalis ac regularis accuſationis exigit Epiſcopum judicari debere à ſuis judicibus Epiſcopis à quibus regulariter unà cum primate Provinciæ potius ſecundùm Nycænos, & Antiochenos Canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum ordinari cõgregatis unà cum primate Provinciæ ipſius regionis Epiſcopis, ſecundùm Sardicenſes Canones, atque à conſtituto juxta Carthaginenſes Canones duodecim Epiſcoporum numero, ſi plures nequiverint congregari canonicè judicetur.* Ibi nulla fit mentio congregationis popularis, ſed Epiſcoporum. Cap. 12 ait majores cauſas ad Papam deferendas juxta decretum Concilii Nicæni: jubens, *ut per ſingulas Provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis, ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ Vt ſi majores cauſæ, quarum una eſt de Epiſcopi judicati appellatione in medio fuerint devoluta ad Sedem Apoſtolicam, &c.* Non loquitur de appellatione facienda ad cœtum fidelium. Cap. 14. confirmat dicens quomodò negotia provinciæ ad Metropolitanum ſint referenda.

Hincmarus.

IX. S.Amb. Nec obſtat quod D. Ambroſius epiſt. 32. agens de judicio fidei ſcribat. *Ille populus judicat*, Item. *Auxentius veſtrum refugit examen.* Loquitur enim ib. S. Doctor de primato judicio, quo quilibet decernit quid ſequi debent: non autem de judicio publico auctoritatem habente obligandi cœteros, ut apertè deducitur ex ejuſdem D. Ambroſii verbis. *Veniant planè ſi qui ſunt ad Eccleſiam, audiant cum populo, non ut quiſque judex reſideat, ſed unuſquiſque de ſuo affectu habeat examen & eligat quod ſequatur.*

X. Magis contra præfatam veritatem urgeri videtur S. Cyprianus libr. 3. epiſt. 14 ad Præsbyteros & Diaconos, ubi de quibuſdam fratribus inquietis

&

& factioſis. *Interim prohibebantur (* inquit *) offerre & tueri, & apud nos &* S. Cypr. *apud plebem univerſam cauſam ſuam*, per illa verba, *apud plebem univerſam*. Docere videtur appellationes & judicia devolvi ad plebem. Ad quem locum dicendum eſt S. Cyprianum ſolviſſe ferè omnia negotia coram Clero & populo ſponte, non per aliquam legem, quæ illum cogeret ſic tractare, ut patet ex epiſt. 10. libr. 3. *Ego (* inquit *) à primordio Epiſcopatus mei ſtatueram nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis meæ privatim ſententiâ gerere, &c.* Expende illud *ſtatueram*, quod non ſubjectionem ad Clerum & populum, non coactionem, ſed ſpontaneam & liberam voluntatem ſignificat. Sic quamvis Aſſuerus Rex nihil ageret, niſi ſecundùm conſilium virorum ſa- Eſther. c.1.v.13 pientum, ut patet Eſtheris cap. 1. v. 13. *Interrogavit ſapientes, qui ex more ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges, & jura majorum.* Non tamen illis ſubjectus erat (inquit Bellarminus lib. 1. de Pontifice cap. 6) Quidquid in contrarium Fevardentius ſentiat, & multis aliis exemplis probat, illique arridere videatur Celada in cap. 1. Eſther. verſ. 12. §. 14. litterali, num. 8. & verſ. 19. & 20. num. 7. Deindè eſto S. Cyprianus ſe ſponte Clero & populo ſubdiderit, quod nullo modo credi debet, ex hoc tacto aliis Prælatis non impoſuit legem.

XI. Hanc theſim concludamus præclaro S. Gregorii Nazianzeni diſcurſu in oratione de moderatione in diſputatione ſervandâ. *Ordo in Eccleſiis conſtituit, ut alii oves ſint, alii paſtores; alii* Gregor. Nazian *præſint, alii imperia accipiant, alius caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrũ ad totius Eccleſiæ concinnitatem, & ornamentum, utilitatemque ſubditorum vel præfectorum. Et quemadmodum in corporibus, licet membra inter abrupta, atque diſtracta non ſint: verùm tota illa congeries unum corpus ſit ex diverſis membris conflatum; non tamen eadem eſt omninò omnium vis atque facultas, tametſi ad benevolentiæ, concordiæque neceſſitatem, honoriſque parem in diſparibus rationem, alia aliorum opera ex æquo indigeant. Neque enim oculus incedit, ſed demonſtrat: nec pes proſpicit, ſed ingreditur ac loca permutat, &c. Mens denique omnibus præit, atque imperat, à quâ vis ſentiendi proficiſcitur, & ad quam ſenſus omnes tendunt & referentur. Ad hunc quoque modum apud nos, hoc in communi Chriſti corpore res ſe habet, omnes enim corpus unum in Chriſto ſumus, ſingula autem Chriſti, atque alii aliorum membra. Alii enim dominantur & præſunt, alii parent & reguntur. Et quanquam eadem non ſit utrarumque actio (niſi quis idem eſſe contendat) præeſſe, quod parere. Fiunt tamen utrique in unum Chriſtum ab eodem conſtructi, atque compacti. Ac rurſus quemadmodum inter eos, qui ſubſunt per magnum diſcrimen reperitur, ut qui & doctrinæ & uſu, atque exercitatione, & ætate inter ſe diſtent, eodem modo inter præfectos quoque non parva differentia eſt.* Quibus verbis docet in corpore Eccleſiæ alios præeſſe, alios ſubeſſe: Prælatos præeſſe, plebeios ſubeſſe: ita ut his nunquam Eccleſiæ dominium competat.

§. 2.

Eccleſiæ regimen non eſt Ariſtocraticum ariſtocratiâ ſæculari.

IOannes Brentius ex inferis emerſit I. tempore Pauli III. Papæ, & Caroli V. Cæſaris circa annum 1540, ita Prateolus V. Brentius, Onuphrius in chronico ad annum 1549. Florimondus Remondus lib. 1. de origine hæreſis cap. 14. num. 4. inter alios errores ſuſtinuit principes ſæculares eſſe Eccleſiæ rectores præcipuos, quem errorem amplexus eſt Henricus VIII. rex Angliæ, Lutherus, Melancton, Calvinus, & alii, ita ut Epiſcopi ſint quaſi optimatum mancipia. Quem errorem quamvis tomo 2, tractatu 3. fusè refutaverimus, tamen quædam hic adjicienda ſunt, ac primò occurrit religioſiſſimus ac potentiſſimus Princeps David, qui nuſquam in Synagogâ tenuit primatum. In hac autem lege gratiæ (quæ veteri longè ſanctior eſt) quod nullis optimatibus liceat illum ſibi arrogare declarat hoc vaticinio

Pſal 44. verſ. 17. Pſalm. 44. verſ. 17. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Hebræus. *Pro patribus tuis erunt tibi filii tui, pones eos principes in terrâ.* Quod vaticinium S.Hier. S. Hieronymus explicat. *Fuerunt (ô Eccleſia) Apoſtoli Patres, quia ipſi te genuerunt, nunc autem, quia illi receſſerunt à mundo habes pro his Epiſcopos filios.* Et infra. *Conſtituet Chriſtus ſanctos ſuos ſuper omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum eſt Evangelium in omnibus finibus mundi, in quibus principes Eccleſiæ, id eſt Epiſcopi conſtituti ſunt.* Quaſi diceret: quemadmodũ Apoſtoli principes conſtituti ſunt, ita Epiſcopi, qui ſunt eorum filii Linus, Clemens, Marcus à D. Petro. Dionyſius Areopagita, Timotheus, Titus, à S. Paulo. Polycarpus à S. Joanne. Plato à S. Matthæo, &c. eorumque ſucceſſores, eundem ſuper Eccleſiam principatum obtinuerunt. Eandem explicationem habet ibidem S. Auguſtinus, aſſerens ab Apoſtolis multos filios in Chriſto, ſeu fideles fuiſſe procreatos, quos Deus Epiſ- Auguſt. copos conſtituit, eoque modo *principes ſuper omnem terram.* Accipe ejus verba. *Quid eſt pro patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi: conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? ipſa Eccleſia, patres illos appellat, ipſa illos genuit, ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergò putes te eſſe deſertum, quia non vides Petrum, non vides Paulum, non vides illos, per quos nata eſt de prole tuâ tibi crevit paternitas, pro patribus tuis tibi nati ſunt filii.* Quaſi diceret: Qui ſunt jam Epiſcopi erant filii tui per Baptiſmum regenerati. Nunc ex quo Petri, Pauli, & aliorũ Apoſtolorum locum acceperunt, non amplius filii tui vocati ſunt, ſed patres, ut paulò poſt innuit. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Hæc eſt Catholica Eccleſia. Filii ejus conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram. Filii ejus conſtituti ſunt pro patribus.* Id eſt quemadmodum Apoſtoli, licet eſſent pauperes, non fuerunt mancipia & ſervi principum ac magnatum, ſed univerſo orbi ſpiritualiter dominati ſunt: ita & nunc Prælati & Epiſcopi, qui illis ſucceſſerunt, ſeu quemadmodum Elias, Eliſeus, &c. fuerunt patres, non tantùm filiorum Prophetarum, ſed etiam regum & principum, ut patet ex verbis regis Joas, qui Eliſeum ſic Libr. 4. affatus eſt lib. 4. regum cap. 13. v. 14. reg. c. 13 *Pater mi, Pater mi, &c.* alii, *Magiſter* verſ. 14. *mi, magiſter mi.* Dionyſius *Director & ſuſtentator Iſraeliticæ plebis, quid defuncto te faciemus?* Quæ verba intelligenda ſunt non tam de regimine temporali, quàm ſpirituali religionis, & morum: ita ut nõ tantùm direxerint filios Prophetarum, qui erant tunc in Carmelo, in Bethel, in Jericho, &c. ſed etiam totum Iſraelem, totum populum fidelem, non verò Elias & Eliſeus, &c. à populo, vel Joas, aliiſque principibus directi ſunt, nec eorum mancipia fuerunt; ſed patres, ſed magiſtri, ſed directores. Ita & hic Epiſcopi non ſunt mancipia, ſed patres principum & populorum. Angelicè confirmat ſanctus Thomas. *Dicuntur principes, quia* Thomas *fuerunt, & ſunt Eccleſias gubernantes.* Et paulò poſt. *Iſtos conſtitues principes, quia non ſunt per ſeipſos conſtituti, ſed per Chriſtum, Ioannis cap. 15. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, &c. Item alii Prælati conſtituuntur per ſummum Pontificem. Hebr. cap. 5. Nemo aſſumit ſibi honorem. Et non in aliquâ parte, ſed ſuper omnem terram. Pſalm. 18. In omnem terram exivit ſonus eorum. Et pſal. 138. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Breviter Lyranus. *Pontificum patres ſunt Apoſtoli, quorum ſunt ſucceſ-* Lyran. *ſores, ut habetur in Decret. diſtin. 21. In novo teſtamento & boni diſcipuli Pontificum ſuccedunt eis in regimine Eccleſiarum.* Si ſuccedunt in regimine, non igitur Eccleſia regitur à principibus & optimatibus, ſed ab ipſis Prælatis Apoſtolorum ſucceſſoribus. Præfatum Davidis oraculum clariſſimè explicat Rudolphus de Saxoniâ Carthuſianus. Rudol. *Pro patribus, id eſt loco Apoſtolorum, qui te genuerunt, nati ſunt tibi filii imitatores eorum, ſcilicet Epiſcopi, & alii quos genuiſti. Non te ergò putes deſertam, quia non vides eos, per quos nata es. Nati ſunt filii ad opus tuum, & de prole tuâ crevit tibi poſteritas: ſunt enim & hi patres tui, quia ab ipſis regeris. Unde*

ſequitur

ſequitur conſtitues eos in ſede patrum, Principes in ſpiritualibus, ideſt Prælatos, Magiſtros, & doctores ad regendum populum Dei: ſuper omnem terram, id eſt ſuper univerſalem Eccleſiam, per omnes partes terræ diffuſam, non in uno loco tantùm. Et nota ex hoc, quod Principes ſæculi ſubeſſe debent Sacerdotibus non præeſſe. Si Principes ſæculi ſubeſſe debent Sacerdotibus non præeſſe. Si Prælati ſunt Principes in ſpiritualibus, ſunt Patres, Magiſtri, Doctores, quomodo Reges, Principes, Magiſtratus Laici poſſunt præeſſe in regimine ſpirituali.

II. Ante eos omnes D. Chryſoſtomus in illum Pſalmum oſtendit Apoſtolos & conſequenter Epiſcopos eorum ſucceſſores, non eſſe ſubjectos & mancipia Principum, nec illis impotentiores, ſed potentiores. *Mihi videntur dicere Apoſtolos, qui fuerunt in eo Doctores,* Chryſo. *deindè deſcribens eorum vires, potentiam & gloriam, dicit, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Egentnè hac interpretatione? Ego quidem minimè exiſtimo, quemadmodum nec quod ſol ſit lucidus, quæ autem dicta ſunt eo clariora. Univerſum enim orbem terrarum pervaſerunt Apoſtoli, & omnibus Principibus fuerunt magis propriè Principes, regibus potentiores. Reges enim dum vivunt dominatum obtinent, iis mortuis intercidit dominatus, & regum quidem leges ratæ ſunt & validæ intra eorum fines. Iuſſa autem piſcatorum per univerſum orbem terræ extenſa ſunt. Imperator Romanorum Perſis non poſſet ferre leges, nec Perſarum rex poſſet ferre Romanis. Hi autem Palæſtini & Perſis, & Romanis, & Thracibus, & Scythis, & Indis, & Mauris, & univerſo denique orbi terrarum leges dederunt; non ſolùm dum ii viverent firmæ & ratæ fuerunt: ſed iis etiam mortuis confirmatæ ſunt. Et qui eas leges acceperunt, mallent animam millies profundere, quàm ab eis deſciſcere.* Et expendens illa verba verſ. 19. *Memor ero nominis tui in omni generatione & generationem: propterea populi confitebuntur tibi in æternum in ſæculum ſæculi.* Subdit. *Dixit magnitudinem principatus, à longitudine terræ, à latitudine orbis terrarum, à multitudine gentium, quæ ſubjectæ ſunt, Dixit etiam aliundè ejus auctoritatem, quod non ſolum extenditur per univerſum orbem terrarum: ſed etiam per univerſum ævum, &c.* Quomodò ejus auctoritas extenditur per univerſum orbem terrarum, & univerſum ævum? in Pontificibus & Prælatis Eccleſiaſticis, ut rectè animadvertit Bellarminus in illum pſalmum. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi* Bellar. *filii, ideſt pro Patriarchis & Prophetis, & pro patribus, quos reliquiſti in gentilitate, & quorum oblivi ſci juſſa es, nati ſunt tibi filii, ideſt Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti, qui tantæ excellentiæ erant, ut toti orbi leges dare poſſint, ideò conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Vere enim primi Apoſtoli Eccleſiæ filii toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis Monarcha facere potuit. Nam ut S. Chryſoſtomus notat, Monarchæ Romanorum non potuerunt Perſis leges dare, neque Perſæ Romanis, Apoſtoli verò & Romanis, & Perſis, & aliis gentibus leges dederunt.* Quod autem ſicut Apoſtoli ſucceſſerunt Patriarchis, & Prophetis, non autem Reges & Optimates, ita nec hi Apoſtolis, ſed Epiſcopi, conſequenter innuit. *Et ſicut in primâ ætate Eccleſiæ pro Patribus Patriarchis filios Apoſtolos habuit. Ita etiam in ſequenti ætate pro Patribus Apoſtolis filios Epiſcopos habet, qui ſi non ſinguli, principes ſunt ſuper omnem terram. Et hoc modo per ſucceſſores Epiſcoporum ſemper Eccleſia pro patribus filios habet, quos in Patrum ſedibus & dignitate cõſtituit.* Quibus verbis clarè inſinuat primatum, curam & regimen Eccleſiæ non ad Principes & Magnates ſpectare. Nec eos Apoſtolis in dignitate & auctoritate ſuccedere, ſed Epiſcopos.

Idem teſtari videtur Apoſtolus 1. III.
Corinth. cap. 12. ubi poſt quam aſſimilavit Eccleſiam corpori humano, Corinth. cap. 12. v. 28.
verſ. 27. ſubdit verſ. 28. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores deindè virtutes, &c.* Primum locum non aſſignat Regibus, principibus, optimatibus, magiſtratibus, ſed Apoſtolis, quod confirmat particulâ *quoſdam,* Dionyſ. quæ ſignificat, non multitudinem, ſed *paucos.* (inquit Dionyſius) Quid per primùm indicat? *Per primùm* (inquit idem) *intelligit primam dignitatem, judicandi poteſtatem: quoſdam quidem,*

ideſt paucos reſpectu aliorum poſuit per fidem & gratiam in Eccleſia, ideſt, inter fideles, ordine dignitatis ſummos, & primos Chriſti Vicarios, Principes populorum ac judices. Secundò poſt Apoſtolicam dignitatem Prophetas novi teſtamenti, myſteria Scripturarum, ac futura prænunciantes, quales in actibus Apoſtolorum leguntur fuiſſe, Actor. cap. 11. Silas & alii plures, Areopagitam quoque Dionyſium fuiſſe Prophetam teſtatur epiſtola ejus ad Evangeliſtam Ioannem. Tertio loco dignitatis poſuit Doctores præcepta vitæ prædicantes, &c. Quid per Apoſtolos intelligit? non tantùm eos, qui immediatè à Chriſto vocati & electi ſunt, ut ſunt Petrus, Andræas, &c. ſed etiam Epiſcopos, qui illis ſucceſſerũt. Audi D. Ambroſium in illum locum. *S. Amb.* *Caput itaque in Eccleſiâ Apoſtolos poſuit, qui legati Chriſti ſunt, ſicut dicit idem Apoſtolus 2. Corinth. cap. 5. pro quo legatione fungimur. Iſti ſunt Epiſcopi firmante iſto Petro Apoſtolo, & dicente inter cætera de Iudâ. Et Epiſcopatum ejus accipiat alter, &c.* Si Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, igitur eorum primatum & regimen poſſident, non verò Principes & Optimates ſæculares.

IV. Forſan ſecundum vel tertium locum obtinent? nequaquam. Nam poſtquam primum aſſignavit Apoſtolis, ſecundum locum aſſignat Prophetis, tertium Doctoribus, quartum virtutibus, &c. Quod confirmat ad Epheſios cap. 4. verſ. 11. *Epheſ. c. 4. v. 11.* *Et ipſe quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, &c.* Ibi (ut optimè notat S. Joannes Damaſcenus orat. 2. pro imaginibus) Apoſtolus Paulus nullum omninò locum attribuit Regibus, Principibus, & Optimatibus laicis. Cur hoc? ut oſtendat nullam prorſus illis Eccleſiæ, ſed tantùm ſæculi adminiſtrationem competere. Quod ſi aliquis locus illis debeatur, non ante ſed poſt Epiſcopos aſſignandus eſt; nec ullo modo eos præcedere debent. Quamvis enim honore digni ſunt, tamen Epiſcopi ſunt illis honorabiliores, ita ut primus locus Deo, ſecundus Romano Pontifici, 3. Cardinalibus, 4. Epiſcopis, &c. Poſt illos Optimatibus concedatur, ut ſcribunt S. Ignatius epiſt. 7. ad Smyrnenſes, D. Chriſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, & homiliâ 4. in cap. 6. Iſaiæ. D. Gregorius orat. ad cives timore perculſos, & alii, quibus arridens S. Ambroſius libr. de dignitate ſacerdotali cap. 2. *S. Amb.* *Audite* (inquit) *me, beatiſſimi Patres, etſi dignum ducitis ſanctiſſimi fratres: audite me ſtirps levitica, germen ſacerdotale, propago ſanctificata, duces & rectores gregis, &c.* Vocat illos *beatiſſimos, ſanctiſſimos, propaginem ſanctificatam*: deindè *duces ac rectores gregis Chriſti.* Innuens Eccleſiam eſſe ſanctã, quia habet duces & rectores beatiſſimos, & ſanctiſſimos. Per duces & rectores non intelligit reges, principes, magiſtratus, ſed Epiſcopos, quos vocat *Patres* & *Fratres*. Quod autem ejuſmodi ducibus & rectoribus univerſæ Eccleſiæ regimen competat, declarat paulò inferius. *Honor igitur Fratres & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari.* Plura in Prologo.

Accedit D. Auguſtinus in pſalm. 98. V.
ubi probat Moyſen fuiſſe ſacerdotem, & Samueli præfectum eſſe; alioqui nec illi præferretur, nec populi ducatum & regimen habuiſſet. *Noſtis* (inquit) *August.* *quia Moyſes eduxit in virtute Dei populum Iſrael ex Ægypto per rubrum mare, & duxit in eremo, & quanta mirabilia fecerit in illo tempore Deus per manum Moyſi. Noverunt omnes, qui iſtas ſcripturas libenter audiunt in Eccleſiâ, vel apud ſe legunt, vel quoquo modo didicerunt. Aaron frater ipſius fuit, quem ordinavit etiam ſacerdotem. Et ibi quidem non videtur ſacerdos eſſe niſi Aaron: Apertè enim in illis litteris Aaron nominatur ſacerdos Dei. De Moyſe, non ibi dicitur, quòd ſacerdos erat, ſed ſi non erat, quid erat? Numquid ſacerdote major eſſe poterat.* Quaſi diceret: Quomodò Moyſes potuit præferri Aaroni ſacerdoti? quomodo univerſum populi regimen ſuſcipere potuit, ſi non erat ſacerdos? illud ſanè officium debuiſſet potius Aaroni ſacerdoti demandari, quàm ipſi, quia ſacerdotio debetur regimen ſpirituale, potius quàm principi vel ſtatui laico. Sacerdos debet potius

legem

legem divinam promulgare, quàm laicus. Ex quibus tandem concludit fuiſſe ſacerdotem, alioqui nec ipſum dignitate ſuperaſſet, nec regimine. *Ex propriis pſalmus iſte, quia & ipſe ſacerdos erat Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, ergo erant illi domini ſacerdotes.* Unde infero, quod ſi ſoli ſacerdotio veteris legis regimen conceſſum & debitum eſt, & ſi illa dignitas regiam longè antecellebat, id potius de ſummo Pontifice reſpectu univerſæ Eccleſiæ, & de Epiſcopis reſpectu Eccleſiarum particularium philoſophandum eſt, ſcilicet dignitatem Pontificiam non tantùm eſſe excellentiorem Epiſcopali, & Sacerdotali; ſed etiam regiâ & magiſtrali, iiſque multis titulis ſuperiorem, ſicut caput reliqua corporis membra ſuperat. S. Gregorius libr. 14. Moral. ponderans illa verba Job. cap. 19. verſ. 9.

Job c 19. v. 9. *Abſtulit coronam de capite meo.* Subdit. *Certè caput fidelium, non immeritò ſacerdotes accipimus, qui pars membrorum Domini prima ſunt.*

Gregor.

Quaſi diceret Principes, primates reſpectu Sacerdotum ſunt quaſi membra reſpectu capitis, ſicut enim corpus capiti ſubjicitur, ita omnes fideles & principes Sacerdotibus, Epiſcopis, & præſertim Romano Pontifici ſubordinati ſunt. Idem D. Gregorius libr. 4. epiſt. 31. ad Mauritium Auguſtum conqueritur ſe fatuum appellatum, oſtendens, quanto honore digni ſint Sacerdotes, qui tantùm ſuperant reliquos homines, quantùm Angeli: imò ipſe Deus excedunt totam naturam. *Nam* (inquit) *in divinis eloquiis aliquando Sacerdotes Dii, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moyſem de eo qui ad juramentum deducendus eſt, dicitur, applica illum ad Deos; id eſt ad Sacerdotes. Et rurſum ſcriptum eſt Diis non detrahes, ſcilicet ſacerdotibus. Exod. cap. 22. Et Propheta, ait Malachias cap. 1. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. Quid igitur mirum ſi illos noſtra pietas dignetur honorare, quibus in ſuo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos, ipſe etiam appellat Deus.* Quamvis appellationibus Angeli & Dei dignitas ac præexcellentia Prælatorum Eccleſiaſticorum ſatis patenter innoteſcat, nihilominus magis mihi placet Patris nomen, quod S. Hieronymus & alii Doctores inſtar Eliſei libr. 4. Regum cap. 2. verſ. 11. & Joas Regis libr. 4. Regum cap. 13. verſ. 14. attribuunt Eccleſiæ Prælatis. *Fuerunt* (inquit ſanctus Hieronymus in pſalm. 441.) *ô Eccleſia, Apoſtoli Patres tui, quia ipſi te genuerunt, &c.* *l. 4. Reg. c. 2. v. 11. v. 13. v. 14.*

VI. Hinc Gelaſius Papa, ſcribens ad Anaſtaſium Imperatorem, non eum dominum appellat, nec Angelum, nec Deum; ſed filium, & ſe Patrem: per hoc ſuam ſuperioritatem ſpiritualem manifeſtans, quamvis Anaſtaſius toti imperio temporaliter dominaretur. *Noſti fili clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum: tamen Præſulibus divinarum devotus colla ſubmittis.* *Gelaſius* Quaſi diceret, quàmvis in univerſum imperium temporale dominium habeas, tamen Præſulibus ſpirituale regimen & tribunal cõpetere, debes fateri, eoſq; ut Patres & magiſtros potius ſuſcipere debes, quàm deſpicere, ut viles & abjectos. Paulòpoſt. *Subdi te debere cognoſcis religionis ordine, quàm præeſſe, noſti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi voluntatem.* Quaſi diceret: Scias illos eſſe tuos judices, illos eſſe ſuperiores, quandoquidem eorum nutum & voluntatem ſequi debeas. Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem patenter etiam innuit, quantum dignitas nedum Apoſtolica, & Epiſcopalis, ſed etiam ſacerdotalis regiam excedat, & quanto honore coli debeat ab omnibus Regibus, Principibus, & optimatibus.

VII. Hunc honorem Epiſcopis & Sacerdotibus exhibitum teſtatur hiſtoria Eccleſiaſtica, Theodoretus lib. 5. hiſtoriæ cap. 17. ſcribit Theodoſium ſeniorem fuiſſe à S. Ambroſio prohibitum nè ſedem & locum ſacerdotum in Eccleſiâ occuparet. Euſebius lib. 6. cap. 25. & Ruffinus libr. 1. cap. 2. narrant Conſtantium apertè poſſeſſum eſſe, ſe non poſſe de Epiſcopis judicare, ut qui Dii quidem ſunt: ſed contra potius eorum judicio ſe ſubjectum ſtare. Sulpitius in vitâ S. Martini refert, quod cùm hic S. Præſul accumberet menſę Maximi Imperatoris, & pincerna

ſciphum propinare vellet Cæſari, ut omnium nobiliſſimo. Hic ad Epiſcopũ remiſit, qui non recuſavit; ſed primus omniũ bibit, & Præsbytero ſuo poſtea tradidit, eum exiſtimans digniorem ipſomet Cæſare, vel quovis alio. Idem ferè habetur in Annalibus Eccleſiæ Leodienſis, Surio, Chapeavillo, Fiſen, & aliis, de S. Lamberto Epiſcopo & Martyre cujus meminit Martyrologium Romanum 17. Septembris. Cùm Rex Pipinus illum ad menſam advocaſſet, oblatam à pincernâ pateram admittere noluit, niſi de manu Præſulis fœlicia precantis, ratus id ſecundo Numine fortunatum ac ſalubre futurum, quod ab Epiſcopo cum fauſtâ ejus precatione ſuſcepiſſet. Principis religionem imitata reliqua procerum turba ſuas item ſinguli pateras certatim obtulère. Alpais Pipini ſcortum ſciens Epiſcopo nihil cum illâ propter adulterii flagitium commune eſſe velle, ipſi ſtatuit illudere, diſſimulanter ſuam inter cæteros ipſa pateram offert: ut quando illi quamquam ignarus benè precatus fuiſſet Epiſcopus, in gratiam ab illo ſe receptam, probataſque nuptias jactitaret. Fraudem ſenſit oculatus in omnem partem Antiſtes, & ad Pipinum converſus, ait, vide Princeps mulieris audaciam, quæ in hoc conſeſſu tuæ ſaluti, honorique meo inſidiari non erubeſcit impudenter, nimirùm affirmatura ſuam à me probatam impudicitiam, quo te in æternum præcipitem trahit exitium. Ego verò me in causâ tuæ ſalutis diſſimulaſſe fortaſſe arguar, ſecedo, nihil cum illâ nec cõveſcendum arbitratur.

VIII. His quaſdam rationes ſubjiciam, primam ſubminiſtrat Apoſtolus ad Hebræos cap. 7. verſ. 7. *Sine ullâ autem contradictione quod minus eſt à meliore benedicetur.* Pro meliore Græcus habet κρείττονος, ideſt majore, digniore, præſtantiore. Hoc vocabulo probat Melchiſedech fuiſſe majorẽ Abrahamo. At Epiſcopus regem invngit, docet, ligat, ſolvit, benedicit. Quod ſi dicas Epiſcopum Oſtienſem conſecrare Papam, quo tamen eſt minor. Suffraganei conſecrant Archiepiſcopum, quo tamen ſunt minores. Sacerdos in miſsâ ſæpè ſigno Crucis benedicit Corpus Chriſto, cum tamen ſit illo longè inferior. Quoad Epiſcopum Oſtienſem & Suffraganeos, reſpondet primò S. Thomas eum cum Suffraganeis non conſecrare Papam, vel Archiepiſcopum: ſed hunc hominem, puta Petrum vel Paulum, ut ſit Papa vel Archiepiſcopus: Nam dum eum conſecrant, necdum eſt Papa vel Archiepiſcopus, nec conſequenter eſt major conſecrantibus: ſed potius minor, ut potè à quibus accipiat conſecrationem Papalem vel Archiepiſcopalem. Reſpondet ſecundò, Epiſcopum Oſtienſem & Suffraganeos conſecrare & benedicere, non ſuâ virtute, dignitate, & auctoritate, ſed Dei. Quippè in hac benedictione quilibet eorum gerit vices Dei, qui has benedictiones tali modo, & per tales fieri inſtituit. (Nec aliter commodè fieri poſſunt.) Epiſcopus ergò Oſtienſis habet ſe ut miniſter & vicarius Dei, qui major eſt eo qui benedicitur, quiſquis, qualis, & quantus ſit ille. Quo ad benedictiones ſeu efformationes ſigni Crucis ſuper Corpore Chriſti, non adhibentur ad hoc ut ipſi Chriſto benedicamus: ſed ut his, quaſi cæremoniis repręſentemus Crucem Chriſti, & per eam ac Chriſtum ipſum Crucifixum, quaſi victimam noſtram à Deo tacitè petamus & poſtulemus, ut ipſe nobis benedicat. Sic ergò, inquit Cornelius, benedicimus Chriſto, non ſe, ſed prout eſt victima noſtra poſtulamus eum per has benedictiones, ut Chriſtus in ſe benedictus fiat nobis victima ſalutaris & benedicta. Adde Sacerdotem, quatenus gerit perſonã Chriſti ſacrificantis eſſe quodãmodo majorẽ Chriſto ipſo ſacrificato. In omni enim ſacrificio Sacerdos major eſt ſuâ victimâ quam offert. Ratio ſecunda, Principatus Eccleſiaſticus eſt à ſolo Deo, & de jure divino, ſæcularis autem eſt ab hominibus & de jure gentium. Ille regit homines, ut ſunt Chriſtiani, & magis ratione animarum, quàm corporum: Laicus verò regit homines, ut homines ſunt, & magis ratione corporum, quàm animarũ. Eccleſiaſticus habet pro fine vitam & fælicitatem æternam, laicus pro fine temporalem pacem & ſalutem populi. Eccleſiaſticus utitur legibus divinis

Hebr. c. 7. v. 7.

divinis, & Sacramentis à Chriſto inſtitutis Laicus naturalibus legibus & inſtitutis humanis. Eccleſiaſticus bellum gerit cum hoſtibus innumeris inviſibilibus: Laicus viſibilibus, iiſque paucis. Tertia Ratio. Regimen Eccleſiæ eſt ſupernaturale, nemini competens, niſi cui Deus cõmiſit, at Scriptura ait nemini fuiſſe commiſſum niſi Apoſtolis & Epiſcopis eorumque ſucceſſoribus. *Joann. cap. ult.* Nam Joannis cap. vltim. Chriſtus dixit: *Paſce oves meas.* De Epiſcopis *Actor. c. 20.* Actor. cap. 20. *Quos poſuit Deus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* De regibus nil tale dicitur.

IX. Quarta Ratio, per annos ferè trecentos nullus fuit in Eccleſiâ Princeps ſæcularis, niſi Philippus Imperator, qui breviſſimo tempore ſupervixit, & fortè aliquis alius in Provinciis Romano Imperio non ſubjectis: & tamen fuit eadem Eccleſia, quæ nunc eſt, eandemq; formã regendi habuit. Non igitur Principes ſæculares habent Eccleſiæ regimen. Quinta Ratio: Poſſunt in Republicâ Reges & Principes obire munia, quæ Proreges, Prætores, Iudices minores commiſſi poſſunt. At Principes nequeunt officium Epiſcopi, Sacerdotis, Diaconi ſibi uſurpare, nec verbum Dei prædicare, baptiſare, conſecrare, &c. alioqui poſſent & Reginæ, quibus tamen verbi Divini prędicationem prohibet Apoſtolus 1. Corinth. cap. 14. verſ. 35. *Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* 1. Timot. cap. 2. verſ. 12. *Docere autem mulieri non permitto.* Huic Pepuzitæ ab Epiphanio hæreſi 49. & Auguſtino 27. hęretici cenſentur; quia fœminis attribuerunt ſacerdotium. In veteri lege *l. 2. Par. c. 19. v. 11.* libr. 2. Paralip. cap. 19, verſ. 11. ex ordinatione piiſſimi Regis Joſaphat. *Amarias Sacerdos & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præſidebit, &c.* Eodem libr. 2. cap. 26. cùm *cap. 26.* Rex Ozias vellet adolere incenſum, verſ. 17. *Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortiſſimi reſtiterunt regi, atque dixerunt,* verſ. 18. *Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum.* Cumque non abſtineret illicò, leprâ graviſſimâ percuſſus eſt. Quod munus ſacerdotale & auctoritas multò minus Regibus competit in novâ lege longè nobiliori. Undè licet S. Auguſtinus epiſt. 48. 50. & 165. doceat munus piorum regum eſſe Eccleſiam defendere, hæreticos, blaſphemos, ſacrilegos ab Eccleſiâ damnare, coercere: tamen ibidem reprehendit Donatiſtas quod cauſam Epiſcopalem ad Regem detuliſſent.

X. Argumenta Brentii facile ſolvi poſſunt. Primum deſumit ex veteri lege, ubi Moyſes, Joſue, David, Salomon, Joſias ſæpè negotiis religionis ſe immiſcuerũt. Diximus ſupra Moyſen fuiſſe Sacerdotem, cæteri autem quædam egerunt poteſtate extraordinariâ, non tam ut Reges, quàm ut Prophetæ. Ordinariè autem dubia de religione non remittebantur ad Reges, ſed ad viros Levitici Ordinis. Secundum, Apoſtolus Rom. cap. 13. verſ. 4. *Rom. c. 13. v. 4.* *Non ſine cauſâ gladium portat, miniſter enim Dei eſt, vindex in iram ei, qui malè agit.* Ad hoc dico Reges eſſe cuſtodes legum divinarum, ſed non Interpretes. Illi enim edictis & pœnis poſſunt impedire, & coercere hæreſes, ſacrilegia, blaſphemias; ſic fecerunt Conſtantinus, Valentinianus, Gratianus, Theodoſius, Martianus, ut patet ex Codice *Si cunctos populos,* tit. *De ſummâ Trinitate, & fide Catholicâ,* in toto titulo de hæreticis. Tertium, Apoſtolus 2. Corinth. *2. Corin. c. 4. v. 5.* cap. 4. verſ. 5. *Non noſmetipſos prædicamus, ſed IESVM-Chriſtum: nos autem ſervos veſtros per IESVM.* A fortiori erant ſervi Regum. 1. Petri c. 2. v. 13. *1. Petr. cap. 2.* *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi tanquam præcellenti: ſive ducibus tanquam ab eo miſſis.* Ad locum Pauli dico eſſe duplicem ſervitutem, primam quâ quis laborat in utilitatem alterius, ut dum quis laborat alterum regendo, & ei præſidendo. Alteram, quâ quis laborat obediendo & ſerviendo. Primâ, Magiſtratus ſerviunt Reipublicæ, Reges plebi, Patres filiis, præceptores diſcipulis, Apoſtoli & Epiſcopi fidelibus. Sic 1. Corint. cap. 4. Apoſtolus ſe dicit ſervum & patrem, verſ. 15. *In Chriſto IESV per Evangelium ego vos genui.* Ecce officium patris. verſ. 21. *Quid vultis in virga veniam ad vos.* Ecce officium ſervi. Sic S. Gregorius Papa vocat ſe

ſervum

ſervum ſervorum Dei. Et S. Auguſtinus lib. 9, Confeſſ. cap. ult. *Inſpira* S. Aug. *Domine ſervis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus voce, corde & litteris ſervio.* Sic S. Bernardus ſcribẽs Eugenio Papæ ait eum eſſe evectum ſuper gentes & regna ad miniſtrandum non ad dominandum. Quod autem S. Petrus vocat Reges quaſi excellentes, non ſignificat illos dominari Eccleſiæ, ita ut nulli ſubſint: præſunt quidem Reges Chriſtiani Chriſtianis, non ut ſunt Chriſtiani, & oves Chriſti, ſed ut homines, ſeu politicè.

§. 3.

Regimen Eccleſiæ non eſt Ariſtocraticum Ariſtocratiâ Eccleſiaſticâ.

I. MArcus Antonius de Dominis de Monarchiâ Eccleſiaſticâ lib. 1. cap. 3. docet Apoſtolos eſſe æquales, & Eccleſiam fuiſſe æquè à Chriſto omnibus Apoſtolis cõmendatam. Quem errorem aliàs propugnavit Joannes Hus art. 17. 28. 29. in Concilio Conſtantienſi ſeſſion. 15. Calvinus & ejus ſequaces aſſerentes ſupremam Eccleſiæ poteſtatem reſidere penes cœtum ſeniorum: Qui error reprobatur primò, ex eo quod ſi regimen Democraticum eſt peſſimum, ſanè Ariſtocraticum eſt pernicioſius. Primò, quia malum ſummum Eccleſiæ eſt hæreſis. At hæreſes potius excitantur ab Optimatibus, quàm à plebeis hominibus, ut patet ex hiſtoriis tam veteribus, quàm modernis. Nam Ablabius apud Nicephorum Eccleſ. hiſtoriæ lib. 14. cap. 13. à Chryſantho Novatianorum Epiſcopo in ordinem Præsbyterorum evectus. Sub Theodoſio juniore Novatianorũ hæreticorum Dux Eccleſiæ in Nicænâ urbe præfuit. Alcacius Cæſarienſis Epiſcopus, ſucceſſit Euſebio Ariano tempore Conſtantii Cæſaris & Tiberii Pontificis Romani Acecius Novatianorum apud Conſtantinopolim Epiſcopus apud Nicephorum libr. 8. cap. 20. tempore Conſtantii & Julii Papæ. Achillus, apud Sozomenum tripartitæ hiſtoriæ cap. 12. libr. 1. tempore Conſtantini Magni, & Sylveſtri Papæ. Aerius teſte ſancto Auguſtino lib. quem de hæreſibus inſcripſit cap. 53: cùm eſſet Præsbyter ægrè ferens ſe non poſſe Epiſcopi dignitatem attingere, quam omni conatu obtinere ſtuduit, eâ de causâ Arianam hæreſim amplexatus eſt. Theodoſius Patriarcha Alexandrinus (ut refert Nicephorus lib. 18. cap. 50.) Alexandriam labefactavit. Tempore Galeni Imperatoris, & Stephani I. Pontificis Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus prodiit. Nicephorus hiſtoriæ Eccleſiaſt. lib. 8. cap. 5. ait tempore Conſtantini Imperatoris & Silveſtri I. Alexandrum Bancalem Præsbyterum dogmatiſaſſe. Cæſarius lib. Dialogorum diſtinct. 5. ſcribit quod Almaricus doctoralem lauream Pariſiis aſſecutus varias hæreſes excitavit, quas refert Prateolus, v. Almaricus. Amantius Epiſcopus Arianus ex eorum numero fuit, qui tempore Valentiniani junioris & Gratiani Imperatorum, & Damaſi Papæ circa annum 381. (ut ſcribit Nicephorus Eccleſiaſt. hiſtor. lib. 11. cap. 30.) Sanctiſſimam Trinitatem impugnavit, negavitque Filium Patri conſubſtantialem. Et ita de omnibus ferè aliis hæreſiarchis, Dioſcoro, utroque Euſebio, Eutychete, Photio, Photino, Luthero, Calvino, Gaudentio, Caroſtadio, Zuinglio, &c. Et fatetur ipſe Calvinus libr. 4. inſtitut. cap. 20. §. 8. Ratio ſecunda, ſi ſupremum Eccleſiæ regimen eſſet Ariſtocraticum quo numeroſius eſſet concilium Optimatum, eò major eſſet auctoritas; falſum eſſe patet ex Concilio Ariminienſi ſexcentorum Epiſcoporum, cujus tamen auctoritas nulla eſt, & cedere debet Conſtantinopolitano, quod conſtitit duntaxat 150. quia huic præfuit Pontifex Romanus, cui ſumma Eccleſiæ auctoritas competit. Unde hoc poſterius approbatum & receptum eſt, illud verò damnatum. Tertia Ratio eſt, ſi Eccleſiæ regimen Ariſtocraticum, ſequeretur Eccleſiam ferè carere Rectoribus, & ferè nemini Eccleſiæ curam commiſſam eſſe, ac cõſequenter Rempublicam Eccleſiaſticam eſſe omnium miſerrimam. Cùm enim Optimates ſint

ſint inter pares, nequeunt adminiſtrare (ut par eſt) commune bonum, niſi ſint congregati, vel aliquem elegerint Magiſtratum communem, cui omnes optemperent, ut olim Romani ſuos Conſules eligebant. At in Eccleſiâ rarò Optimates congregantur ad Concilium generale. Primum enim celebratum eſt poſt trecentos annos, poſtea vix centeſimo quoque anno. Nec conſtat ullum Magiſtratum ſpiritualem ſeu Eccleſiaſticum ſaltem ad tempus creatum fuiſſe. Quis enim ex Patriarchis creatus, ut aliis præemineret? negant hæretici de Romano Pontifice, de quatuor aliis Patriarchis res etiam certa eſt. Nam Alexandrinus extra Ægyptum nullam juriſdictionem exercet. Unde S. Chryſoſtomus in 1. Epiſt. ad Innocentium conqueritur quod Patriarcha Alexandrinus ſe ingerat negotiis Eccleſiaſticis extra ſuam ditionem. Eandem querelam format S. Hieronymus epiſt ad Pammachium contra Joannem Hieroſolymitanum Patriarcham.

II. Hæretici variis objectionibus petitis tum ex Scripturâ, tum ex Patribus regimen Ariſtocraticum propugnare contendunt. Primò Chriſtus Matthæi
Matt. c cap. 16. verſ. 18. dixit; *Tu es Petrus &*
16. v. 18 *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Syriacus. *Tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Radix Hebraica apud Lucam Burgenſem. *Tu es rupes & ſuper hanc rupem, &c.* verſ. 19. *Et dabo tibi claves regni cœlorū.* His auditis, adhuc Apoſtoli contenderunt de primatu. Igitur agnoverunt aliquod regimen Ariſtocraticum futurum poſt Chriſtum, non verò Monarchicum: alioqui non contendiſſent. Reſpondeo Apoſtolos ex unâ parte ſibi perſuaſiſſe, quod regnum Chriſti futurum eſſe temporale: ex alterâ parte audiviſſe Chriſtum moriturum, & Petrum habiturum ipſius loco claves regni cœlorum, ſeu adminiſtrationem monarchicam Eccleſiæ. Primum Chriſti oraculum erat illis magis impreſſum, quàm poſterius. Imò Petrus & alii Apoſtoli non credebāt Chriſtum moriturum: quamvis Chriſtus Matthæi
v. 21. cap. 16. verſ. 21. patenter dixiſſet: *Oportet eum ire in Ieroſolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, Principibus Sacerdotum, & occidi.* verſ. 22. *Et* v. 22.
aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc. Syriacus. *Propitius eſto tibi Domine mi: quominus hoc tibi contingat.* Græcus. *Parce tibi, non erit tibi hoc.* Sic cùm lib. 3. Regum cap. 21. v. 3. Rex l. 3. Reg.
Achab poſtularet vineam Naboth, hic c. 21. v. 3.
reſpondit, *Propitius ſit mihi Dominus nè dem hæreditatem patrum meorum.* Chaldæus. *Abſit mihi à Domino.* Hebræus. *Prohibeat Dominus.* Septuaginta. *Non mihi fiat à Domino.* Quod Apoſtoli non obſtante hâc prædictione laborarent adhuc ignorantiâ, inſinuat S. Lucas, nam cap 9. verſ. 22. poſt quàm dixit. *Oportet filium hominis pati,*
& reprobari à Senioribus & Principibus Luc. c. 9
Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & ter- v. 22.
tio die reſurgere. Particula *oportet* tam apud Matthæum, quàm apud Lucam ſignificet decretum Patris æterni, &
iterùm Lucæ cap. 9. verſ. 44. prædicat v. 44.
ejus futuritionem. *Filius hominis futurum eſt, ut tradatur in manus hominum.* Idem tamen ſubdit Apoſtolus, vel non crediſiſſe Chriſtum eſſe moriturum, quamvis oracula jam relata eſſent clariſſima. Quod autem non multùm curarint futurum Eccleſiæ regimen monarchicum patet Matthæi cap. 20. ubi cùm Chriſtus iteraſſet oraculum futuræ paſſionis ſuæ, verſ. 18. *Ecce aſcendi-* Matth.
mus Ieroſolymam & filius hominis tra- cap. 20.
detur Principibus Sacerdotum, & Scribis, v. 18.
& condemnabunt eum morte, &c. Subdit verſ. 20. *Tunc acceſſit ad eum mater* v. 20.
filiorum Zebedæi adorans & petens aliquid ab eo. verſ. 21. *Qui dixit illi, quid vis? ait illi, Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam & unus ad ſiniſtram tuam in regno tuo.* Vatablus. *Iube ut ſedeant, &c.* Expende illud *tunc* id eſt eo tempore, in eo ipſo itinere, quo Chriſtus diſſerebat de ſuâ morte, paſſione, & reſurrectione, tam cœca fuit matris & filiorum cupiditas & ambitio, ut crucem Chriſti audientes thronos poſtulent, Chriſti crucem audientes dominationem ſectentur, audientes flagella, ſputa, &c. delicias quærant, opprobria audientes, ſplendores, & applauſus intendant. Unde meritò Chriſtus eos imperitiæ arguit. Verſi-

culo 22. *Neſcitis quid petatis.*

III. Secundum argumentum deſumunt ex Lucæ cap. 22. verſ. 25. ubi Apoſtolis contendentibus quiſnam inter ſe eſſet major, Chriſtus reſpondit. *Reges* Lucæ c. 22. v. 25 *gentium dominantur eorum. Et qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor.* Super quibus Marcus Antonius de Dominis ſic ratiocinabatur. Ant. de Dominis, *Appetitus humanus propriæ excellentiæ, & in alios dominatus Apoſtolorum animos adhuc imperfectos, nec parùm, nec rarò ſtillant. Quia enim Meſſiam dominatione temporali regem Iſrael in mundo regnaturum ex ſacris Scripturis non benè intellectis, & communi Hebræorum intelligentiâ exiſtimabant, magnas ſibi apud Chriſtum, quem Meſſiam agnoverant, dignitates pollicebantur, quippe qui ipſius primi eſſent aſſeclæ & familiares. Et cùm duodecim eſſent inter ipſos etiam unum aliquem primum locum habiturum autumabant* Undè cōcludit omnes Apoſtolos, imò ipſum Petrum contendiſſe de monarchico regimine, à quâ contentione abſtinuiſſent, ſi Petro promiſſum fuiſſet. Undè ſubdit Chriſtum per illa verba, *Vos autem non ſic*, illis eripuiſſe cognitionem de monarchiâ temporali. *Debuit quidem animos eorum à temporalibus dignitatibus animum abducere, quas etiam ſibi ſomniabant.* Notat etiam Chriſtum voluiſſe eorum animos à ſpirituali juriſdictione avocare his verbis, *Qui major eſt in vobis fiat ſicut minor.* Reſpondet igitur Bellarminus libr. 1. de Romano Pontifice cap. 9. Matthæi cap. 20. & Lucæ 22. Chriſtum non removiſſe ab Eccleſiâ regimen Monarchicum & introduxiſſe Ariſtocraticū; ſed Monarchiam potius inſtituiſſe, monuiſſeque differre à Monarchiâ civili gentium. Non enim Chriſtus ait: Vos non præeritis ullo modo: ſed non præeritis ſicut reges gentium. Qui autem ait: Tu non ſic præeris ſicut ille, ſignificat quidem præfuturum: ſed aliter, quàm ille præeſt. Deindè Ariſtocratiam ab Eccleſiâ removet, & Monarchiam fore prædicat Lucæ cap. 22. verſ. 26. *Qui inter vos major eſt, fiat ſicut minor & præceſſor.* Græcus. *Qui inter vos dux eſt & princeps, fiat ſicut miniſtrator.* Vnus ergò à Chriſto dux futurus prædicitur. Quod probat exemplo ſuo, quamvis dicat Joannis c. 13 v. 13. *Vocatis me Magiſter & Domine, & benè dicitis, ſum enim.* Ioan. c. 13. v. 13. Tamen Matthæi cap. 20. verſ. 28. Marci c. 10. ait: *Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Theophilactus: *Sicut filius hominis non venit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut ipſe miniſtraret.* Quibus verbis Chriſtus innuit ſe non dominaturum, nec præfuturum ſicut reges gentium; ſed (licet verè dominaturus ſit) tamen laboraturum & miniſtraturum, ſtatuitque ut qui ex ſuis diſcipulis dominaturi ſunt, non præſint libidine dominandi more regum gentilium, ſeu potiùs tyrannorum qui imperant ſubditis quaſi mancipiis, & cuncta referunt ad ſuam gloriam & utilitatē. Vult igitur ut Petrus & ejus ſucceſſores, ita præſint Eccleſiæ, ut paſtor gregi, pater familiæ, qui non lucrum, & commodum proprium quærit, ſed ſubjectorum, & ideò laborat & ſervit eorum utilitati. Denique Reges adminiſtrant regna, ut propriam hæreditatem, quam filiis relinquant, non autem Romanus Pontifex, vel Prælati, qui potiùs ſunt Vicarii quàm Principes, potius œconomi & diſpenſatores, quàm patreſfamilias, ut ait Apoſtolus 1. Corinth. cap. 4. verſ. 1. & 2. ad Titum cap. 1. verſ. 7. & S. Petrus 1. epiſt. cap. 4. verſ. 10. & S. Bernardus lib. 3. de Conſideratione. Ex hac Bellarmini reſponſione Antonius de Dominis colligit. *Erraſſe quidem Apoſtolos, quia temporalem principatum ſomniabant, & hunc errorem Dominum ſæpè correxiſſe. De hoc tamē temporali mundi hujus principatu Apoſtolos tunc nihil cogitaſſe: ſed de ſolâ Petri prælatione ſupra ipſos Apoſtolos ſatis eſt apertum.* At refellitur: Nam ſi Apoſtoli nihil cogitarunt de temporali principatu, quomodò Apoſtoli exiſtimarunt Meſſiam dominatione temporali in mundo regnaturū, & magnas apud ipſum dignitates ſibi pollicebantur, ut ipſe Antonius ſuprà dixit. Deindè quod ait, *Chriſtus nudum miniſterium ſine juriſdictione dedit Apoſtolis.* Contradicit ſibi alibi dicenti. *Chriſtus immediatè conceſſit Apoſtolis poteſtatem ordinis, & juriſdictionem pleniſſimam*

pleniſſimam. Nam collatio nudi miniſterii abſque juriſdictione opponitur pleniſſimæ juriſdictioni. Ex quibus patet Chriſtum non reprobaſſe Monarchiam, & introduxiſſe Ariſtocratiam, quandoquidem dixerit: *Qui major eſt inter vos, fiat ſicut minor.* Hæc enim verba eodem modo explicanda ſunt, quo hæc Deuteronomii cap. 17. v. 18. Ubi de Monarchiâ temporali loquens.
Deuter. cap. 17. v. 18. *Poſtquam* (inquit) *ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi deuteronomium legis hujus in volumine.* Quibus verbis inſinuat olim Reges habuiſſe juriſdictionem in fratres ſuos, quibus tamẽ ſubdit. *Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos.* Quibus verbis commendat modeſtiam & humilitatem.

IV. Pro tertio argumento proponunt verba Chriſti Joannis cap. 20. v. 21.
Joan. c. 20. v. 21. *Sicut miſit me pater & ego mitto vos.* Id eſt, ſicut me Pater miſit ad inſtituendam ac regendam Eccleſiam: ſic vos mitto, ut ſitis ejus doctores & paſtores, meique delegati, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth cap. 5. verſ. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur.* Matthæi cap. 28. verſ. 19 *Euntes ergò docete omnes gentes, baptiſantes eos, &c.* Marci cap. 16. verſ. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Syriacus. *Proficiſcimini in univerſum mundum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ex quibus verbis inferunt, quod Chriſtus æquè omnes docuerit & inſtruxerit, omnibus æquè dederit Spiritum ſanctum, Joannis c. 20. v. 22. *Hæc cùm dixiſſet inſufflavit & dixit eis, accipite Spiritum ſanctum.* Actor. cap. 2. verſ. 3. & verſ. 4. *Seditq; ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Et conſequenter ſuã Eccleſiam æquè omnibus commendarit. Sed contrà, eſto quod omnes æquè inſtructi ſint, æquè Spiritum ſanctum acceperint: falſum tamen eſt omnes æqualem doctrinam & ſanctitatem accepiſſe: imò majorem, ut patet de S. Joanne Evangeliſtâ, qui Joannis cap. 13. verſ. 23. in ſinu JESU recubuit, in ſignum eximiæ charitatis, ob ejus puritatem, virginitatem, modeſtiam, lenitatem, ac ſuavitatem, ſeu ſanctitatem. Ut docent noſter S. Cyrillus, S. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophilactus S. Hieronymus, S. Thomas. S. Bonaventura, tamen æqualem juriſdictionẽ non acceperunt. Nam ſoli Petro univerſum gregem commendavit, ſolus Petrus majorem juriſdictionem accepit. Sic quamvis Paulus ſecundùm S. Dionyſium Areopagitam de divinis nominibus cap. 7. ſit ſol ſeu ſapientiæ abyſſus: ſecundùm S. Chryſoſtomum homilia 4. de laudibus Pauli. *Paulus ſit Archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res orbis, myſteria cuncta, univerſamque diſpenſationem Deus conceſſit. Ipſe cœlum, ſolem habens juſtitiæ, ipſe mare ſapientia puriſſimum & profundiſſimum.* Secundùm S. Hieronymum epiſtol. 61. ad Pammachium. *Paulus vas electionis, rugitus Leonis, flumen eloquentiæ Chriſtianæ, qui myſterium retrò generationibus ignoratum & profundum divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur.* Licet à Deo doctor gentium ſit electus, imò fuerit Doctor Angelorum, Doctor Apoſtolorum, Doctor ipſius Petri, fuerit raptusq; ad tertium cœlũ, & audiverit arcana verba, quæ non licet homini loqui, non tamen polluit majore juriſdictione quam cœteri Apoſtoli, nec æqualem Petro ſortitus eſt.

Quartum argumentum colligunt ex actorum cap. 15. ubi prima contro- V.
verſia exorta in Eccleſiâ à communi conventu Apoſtolorum & ſeniorum fuit definita, verſ. 5. *Surrexerunt quidã de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt,* Actor. c. 15. v. 5.
dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi. verſ. 7. verſ. 7.
Convenerunt que Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc. Hic locus nullo modo favet regimini Ariſtocratico: Nam licet Iacobus foret Epiſcopus Ieroſolomytanus, tamẽ verſ. 7. dicitur. *Surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres vos ſcitis, &c.* Dicit *ſurgens,* ut ejus ſupra cæteros eminentiam denotet. Sicut Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 1, de Sancto Eccleſ. c.
Parente ſcribit ſapiens Siracides. *Sur-* 48. v. 1.
rexit Elias quaſi ignis. Vertex ille Prophetarum apparuit eminens ſupra cæteros dignitate & poteſtate, ſicut ignis reliqua elementa ſuperat excellentiâ, & virtute. S. Hieronymus epiſt. 89,

quæ eſt 11. inter epiſtolas S. Auguſtini cap. 3. Surgens quaſi Princeps Apoſtolorum & primas Eccleſiæ, qui auditâ diſceptatione in utramque parte primus quaſi judex definivit, cujus ſententiam mox ſecutus eſt S. Iacobus verſ. 13. & reliqui omnes. Nec Ariſtocratiam denotat, quod in publico Apoſtolorũ conventu Petrus mentem & ſententiam dicat. Hoc enim ſatis uſitatum eſt in regnis & imperiis ubi Rex & Imperator aliquid ſtatuunt in publicis comitiis.

VI. Quintum & ſextum argumentum deſumunt ex Actorum cap. 20. v. 28. ubi Epiſcopos ſic affatur. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quaſi diceret, recordamini ô Epiſcopi vos eſſe paſtores ipſum regimen eſſe paſtum; ipſorum regere eſſe paſcere, ipſorum ſubditos eſſe oves. Dico Apoſtolum hortari Epiſcopos ut illud munus paſcendi & regendi ritè obeant & incumbant: non tamen intendit, quod ſuprema Eccleſiæ poteſtas in illo miniſtrorum cœtu reſideat. Eodem modo explicandus eſt S. Petrus 1. epiſt. cap. 5. verſ. 1. dicens: *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* His enim verbis monet Epiſcopos, ut erga ſubjectos ſibi greges ſtrenuè fungantur munere paſtorali, ait: *Ego conſenior.* Syrus. *Ego Præsbyter, ſocius veſter.* S. Hieronymus epiſt. 85 *Compræsbyter*, vocat ſe ſociũ, præsbyterum, compræsbyterum modeſtiæ causâ quem ſecuti ſunt Pontifices in ſuis epiſtolis & bullis, ubi Epiſcopos vocat fratres, Coepiſcopos, quia licet ſint in juriſdictione impares, tamen ſunt pares in poteſtate ordinis, ſic ad retinendam inſolentiam Joannis Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ſibi nomen Patriarchæ univerſalis arrogantis, S. Gregorius Papa noluit vocari univerſalis Epiſcopus, ne reliquis Epiſcopis videretur jus Epiſcopale derogare, vel imminuere, quaſi ſolus eſſet Epiſcopus, cœteri verò nomine tenus, ſeu tantùm ejus vicarii vel ſuffraganei. Sic enim loquitur libr. 7. epiſt. 69. ad Euſebium. *Si unus univerſalis eſt reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis*, & lib. 4. cap. 13. ad Eulogium. *Si unus Patriarcha univerſaliter dicitur, Patriarcharum cæteris derogatur.* Quod tamen hoc nomen conveniat Romano Pontifici de jure patet ex Concilio Chalcedonenſi vacante Sanctum Leonem Archiepiſcopum, ſeu Epiſcopum Epiſcoporum; Epiſcopum totius Eccleſiæ; cui cœteri Epiſcopi ſunt ſubjecti & ſubordinati.

Septimum ex S. Auguſtino libr. de agone Chriſtiano cap. 30. ſcribente: *Non enim ſine cauſa inter Apoſtolos omnes hujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim Eccleſiæ claves regni cœlorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt, & ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me, paſce oves meas.* Similia habet alibi ex quibus concludunt hæretici omnes Apoſtolos eſſe æquales, & quæ committuntur Petro, omnibus committi. Reſpondeo contrarium colligendum eſſe. Cùm enim ex citato D. Auguſtino ſolus Petrus ſuſtineat perſonam Eccleſiæ Catholicæ, non autem reliqui Apoſtoli; ſequeretur Petrum eſſe reliquis Apoſtolis ſuperiorem. Deindè ſpecialiter contra Antonium de Dominis præmentem hæc verba ſancti Auguſtini *Cùm Petro, &c. omnibus datæ ſunt.* Ipſemet de Dominis lib. 1. cap. 8. num. 1. affirmat non omnibus, ſed ſoli Petro dictum eſſe, *Paſce oves meas.* Accipe ejus verba. *Ac primùm quidem hoc loco Chriſtum cum ipſomet Petro loqui ſingulariter, & ei perſonaliter dici paſce oves meas, conſtituo tanquam certiſſimum.* Expende illas *particulariter*, & *perſonaliter*. Hæc enim denotant perſonam privatam Petri, excludentem reliquos Apoſtolos, non autem ſucceſſores Petri. Non igitur Jacobo, Andræ, Joanni, &c. dictum eſt: *Paſce oves meas*, ſed ſoli Petro, & ejus ſucceſſoribus. VII. Auguſt. Ant. de Dominis

Contra urget de Dominis ejuſdem Sancti Auguſtini verba libr. 50. homiliarum cap. 43. *Sed fortè Apoſtoli ſancti, primi, ſumus, arietes, paſtoris membra, paſtores ipſi fortè non habebant peccatum.* Ex quibus concludit Apoſtolos eſſe æquales, & Eccleſiam ariſtocraticè regi. Reſpondeo ex nullâ particulâ id poſſe concludi. Non quia *Apoſtoli ſancti*. Nam de Dominis aſ- VIII. S. Aug.

firmat

firmat Petrum ſupra alios excelluiſſe in charitate & aliis virtutibus, & ſic fuiſſe aliis anteriorem ætate, vocatione & aliis prærogativis. Non quia Apoſtoli fuerunt *ſummi arietes*: Nam quemadmodum datur ordo & inæqualitas inter primos, ſi etiam inter ſummos, ut patet Numer. cap. 23. verſ. 9. *De ſummis ſilicibus videbo eum.* Pſalm. 71. verſ. 16. *Erit firmamentum in terrâ in ſummis montium.* Proverb. cap. 8. v. 1. *Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam in ſummis, excelſiſque virtutibus.* Sed inter ſummos ſilices & montium vertices poteſt alius eſſe altior altero. Non quia fuerunt *membra paſtoris.* Nam non omnia membra ſunt æqualia magnitudine & honore, ut teſtatur Apoſtolus 1. Corint. cap. 12. verſ. 22 *Multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt. Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Non denique quia fuerunt *Paſtores.* Nam quemadmodum Chriſtus eſt ſupra alios paſtores: ſic inter hos poteſt eſſe inæqualitas honoris & poteſtatis. Vnde ſanctus Auguſtinus nullo modo aſtruit Ariſtocratiam Eccleſiaſticam.

IX. Multò minùs S. Cyprianus tract. de ſimplicitate Prælatorum, ſivè de unitate Eccleſiæ. *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur.* Ex quibus verbis concludunt æqualitatem Apoſtolicam in honore & poteſtate, ac proindè Petrum non habere plus poteſtatis, quàm reliquos. Reſpondeo omnes Apoſtolos fuiſſe Petro æquales priuſquam Petrus per illa verba: *Paſce oves meas*, accepiſſet Eccleſiæ præfecturam, acceptâ autem Petrus fuit aliis ſuperior, ut patet ex his particulis. *Exordium ab unitate.* Nam intentum S. Cypriani eſt explicare poſt idololatriam Chriſti adventu ſublatam, dæmonem occultâ quâdam calliditate circumvenire Chriſtianos ut eos poſſit adducere in ſuas partes, non per idololatriam, ſed per ſchiſmata & hæreſes, quæ in Eccleſiâ ab eo concitantur. Accipe ejus

S. Cypr.

verba. *Cavenda ſunt autem, non ſolùm, quæ ſunt apertè manifeſta: ſed & aſtutæ fraudis ſubtilitate fallentia. Quid verò aſtutius, quidvè ſubtilius, quàm ut Chriſti adventu detectus ac proſtratus inimicus poſtquam lux gentibus venit, & ſoſpitandis hominibus ſalutare effulſit, ut ſurdi auditum ſpiritalis gratiæ admitterent, aperirent ad Deum oculos ſuos cæci, infirmi æternâ ſanitate revaleſcerent, claudi ad Eccleſiam currerent, muti claris vocibus & precibus orarent, videns idola derelicta & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitaverit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos, hæreſes invenit, & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate circumſcribit, & decipit novi itineris errore. Rapit de ipsâ Eccleſiâ homines & dum ſibi ap propinquaſſe jam lumini, atque evaſiſſe ſæculi noctem videntur, ullas neſcientibus tenebras rurſus infundit, ut cum Evangelio Chriſti, & cum obſervatione ejus, & lege non ſtantes Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente adverſario, atque fallente: qui ſecundùm Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut Angelos & miniſtros, ſubornat ſuos velut miniſtros juſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, ut dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.* Idem S. Cyprianus ſcribit ideò multos fraude diabolicâ ad hæreſim & ſchiſma deflectere, quia ſe ſeparant à ſupremo capite & paſtore Eccleſiæ, à quo eſt origo veritatis; quâ ſeparatione factâ neceſſariò recedunt à veritate. *Hoc eò fit fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non redìtur, nec caput quæritur, nec Magiſtri doctrina ſervatur.* Denique ſanctus ille Præſul ac Martyr dicit ſe velle breviter oſtendere juxta doctrinam cœleſtis Magiſtri quodnam ſit hoc caput, à quo eſt fons veritatis, quo capite retento non erit amplius periculum à veritate deflectendi, probatq; ex verbis Chriſti Petrum & ejus ſucceſſores eſſe caput Eccleſiæ. *Quæ ſi quis cōſideret*

& examinet tractatu longo, atque argumentis opus non eſt, probatio eſt ad fidem, facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico (inquit) *quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ligabis ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæ ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta in cælis. Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, paſce oves meas.* Conſequenter difficultatem ſibi proponit & ſolvit. *Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionẽ ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum: Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur. Tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſponit.* Quibus verbis innuit Chriſtum dediſſe quidem omnibus Apoſtolis æqualem poteſtatem: ſed ex omnibus parem poteſtatem habentibus poſtea elegiſſe Petrum ut eſſet caput Eccleſiæ, eamq́; monarchicè regeret ad evitanda ſchiſmata, quæ inter æquales ſæpè oriuntur, ac pacem & unitatem Eccleſiæ ſervandam, quæ facilius foveretur ſub uno capite, à quo reliquum corpus dependet. Id confirmat S. Cyprianus verbis quæ ſuprà ab Antonio de Dominis relata ſunt. *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris poteſtate*, ideſt antequam Chriſtus eligeret caput per hæc verba. *Paſce oves meas.* Omnes Apoſtoli erant æquales, at quando Chriſtus Eccleſiam produxit, voluit ejus exordium ſumere ab unitate capitis, voluitque Eccleſiam regi non ariſtocraticè, ſeu ab Apoſtolis ſeu Epiſcopis: ſed monarchicè, ſeu ab uno capite, cui reliqua membra obedirent. Eccleſia non foret unum corpus, ſed membra carentia capite inter ſe diſſiderent ac diſtraherentur. Ex quibus S. Cyprianus concludit eos carere verâ fide & fieri hæreticos, ac Schiſmaticos, qui deflectunt ab hac unitate capitis & corporis. Hanc unitatem probat ex c. 6. v. 8. Cant. *Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſonâ Domini deſignat & dicit:*

Cant. c. 6. v. 8.

Una eſt columba mea, perfecta mea; una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quaſi diceret: quemadmodum multi radii ſolis, ſed unum lumen: multi rivi fontis, ſed una origo: multi rami arboris, ſed una radix. Sic multa ſunt membra Eccleſiæ: at unum caput, ſcilicet Petrus. Quemadmodum unus radius ſolis ſejunctus ab unitate luminis, non amplius apparet vivus, præciſus ab origine areſcit; ramus à radice avulſus non germinat: ita quicumque eſt ſeparatus à capite Eccleſiæ, à Petro, vel ejus ſucceſſore nequit diu retinere veram fidem & charitatem. Idem ſanctus Præſul. *Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo ſolis multi radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit; unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur, ramos ſuos in univerſam copiâ ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater fœcunditatis, ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur: illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur, adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica, unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſervat, hæc filios regno, quos generavit aſſignat. Quiſquis ab Eccleſiâ ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec pervenit ad Chriſti præmia qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem.* Unitatem corporis & capitis probat figura arcæ Noë quæ una erat, & cui Noë præſidebat. *Si potuit evadere qui extra arcam*

arcam Noe fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadit. Ex hac S. Cypriani ratiocinatione infero, primò Apoſtolos fuiſſe inter ſe æquales priuſquam Chriſtus unum caput toti Eccleſiæ præficeret. Secundò eos omnes fieri hæreticos & ſchiſmaticos qui non ſe ſubmittunt capiti à Chriſto conſtituto. Tertiò eam eſſe veram fidem quæ derivatur à capite quaſi fonte ex inſtitutione Chriſti in reliqua membra.

X. Nec S. Ambroſius in cap 6. Apocalypſis illis favet explicans illa verba
Geneſ. c. 4. v. 4. Geneſis cap. 4. verſ. 4. *Abel vero obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipi-*
S. Amb. *bus eorum.* Subdit. *Primogenita gregis ſunt Apoſtoli, quos primos genuit Eccleſia, ex quibus Eccleſia nata eſt. Adeps verò fides eſt Apoſtolorum.* Reſpondent aliqui hunc commentarium non eſſe S. Ambroſii. Secundò, ipſe Antonius de Dominis lib. 1. cap. 5. num. 13. & 17. diſertè aſſerit Petrum eſſe primogenitum inter Apoſtolos, & ideò primum locum illi deberi. Igitur non omnes Apoſtoli ſunt primogeniti, nec inter ſe æquales. Tertiò, ſi (ut Antonius de Dominis aſſerit,) Eccleſia fuit fundata ab Apoſtolis poſt Aſcenſionem, nequeunt dici primogeniti Eccleſiæ. Ii enim Eccleſiam ædificarunt, non eſt igitur illorum Mater, nec Apoſtoli ejus filii.

XI. Opponit de Dominis S. Chryſoſtomum qui in cap. 1. epiſt. ad Galatas
Chryſoſ. loquens de Paulo inviſente Petrum hæc pronuntiat. *Quid hoc animo poteſt eſſe modeſtius? poſt tanta, taliaque benefacta, cum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore par eſſet illi (nihil enim hic dicam amplius,) tamen aſcendit veint ad majorem & ſeniorem.* Reſpondeo Paulum non fuiſſe Petro inæqualem in ſapientiâ, zelo, labore, virtute: nec in munere Apoſtolico, ſed in juriſdictione.

XII. Tandem adducunt Hæretici S. Hie-
S. Hier. ronymum lib. 1. contra Jovinianum circa medium. *Ex æquo* (inquit) *ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur.* Ibi *ex æquo* idem eſt ac æqualiter. Sed reſpondeo S. Hieronymum ibi conferre Petrum & Joannem inter ſe, ac aſſerere Joannem ratione virginitatis fuiſſe à Chriſto magis dilectum, quàm Petrum, qui fuerat conjugatus. Hoc autem dicit ut probet virginitatem eſſe matrimonio præferendam, quod negabat Jovinianus. Quod probat S. Doctor qui ubi de Joviniano. *Si autem contenderis* (inquit) *Joannem virginem non fuiſſe, & nos amoris præcipui cauſam virginitatem diximus. Exponat ille ſi virgo non fuit, cur cæteris Apoſtolis plus amatus ſit? at dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia: licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Joannes electus eſt virgo? ætati delatum eſt: quia Petrus ſenior erat: nè adhuc adoleſcens, ac penè puer progreſſu ætatis hominibus præferretur.* Quibus verbis innuit Joannem chariorem fuiſſe Chriſto. *Cur cæteris Apoſtolis plus amatus eſt.* Et dicitur viciſſim plus cœteris amaſſe Chriſtum? Quia ex doctrinâ D. Thomæ 1. part. quæſt. 20. art. 4. Deus meliores magis diligit. Si igitur magis diligit Joannem, quàm alios Apoſtolos, igitur Joannes eſt melior aliis, & conſequenter Petro, diligitque Deum magis quàm Petrus. Antonius de Dominis tamē aſſerit Petrum habere primatum charitatis præ reliquis Apoſtolis. Affirmat ſecundò S. Hieronymus ex duodecim Apoſtolis ſoli Petro dignitatem capitis fuiſſe collatā, eumq; cœteris prælatum. *Propterea inter duodecim unus eligitur.* Si igitur Petrus electus eſt, tunc non erat caput, ratione ætatis vel vocationis (ut contendit *de Dominis.*) Vel ſi ante erat ratione ætatis vel vocationis, electus non eſt. Tertiò S. Hieronymus addit. *Ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Innuens non fuiſſe electum pro ſuâ tantùm perſonâ, ſed etiam pro ſuis ſucceſſoribus, cùm nunc Eccleſia per orbem diffuſa ſchiſmata magis cavere debeat. Quartò S. Hieronymus ait quod Joannes non fuit electus caput Eccleſiæ, quia non decebat ob ætatem. *Ætati delatum eſt: quia Petrus ſenior erat, nè adhuc adoleſcens, ac penè puer progreſſu ætatis hominibus præferretur.* Quaſi diceret, non decebat ut puer

cum

cum poteſtate ſenioribus præficeretur. Nec idem S. Hieronymus epiſt. 58. ad Damaſum iſtam æqualitatem Apoſtolicam agnoſcit his verbis. *Vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & meritò.* Quia S. Hieronymus ſcribit ad Damaſum Papam ex Syriâ, eumque conſulit ut judicem controverſiarum. *An ſalvâ fide concedi poſſit tres in Deo eſſe hypoſtaſes.* Sic enim Damaſum affatur. *Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit, &c. Ideò mihi Cathedrâ Petri & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam.* Quibus verbis agnoſcit Damaſum Petri ſucceſſorem. Vndè ſubdit. *Apud vos ſolos incorrupta Patrum ſervata hæreditas.* Ideſt apud ſolos Petri ſucceſſores. Item. *Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas, à Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ovis flagito.* Vocat Damaſum Paſtorem non ratione Eccleſiæ particularis, ſed univerſalis, quæ Damaſo ſubjiciebatur. Addit. *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt.* Non dicit Cathedræ Jacobi, Cathedræ Andrææ, &c. *communione conſocior.* Denique concludit. *Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Quod cùm de nullius alterius Apoſtoli ſucceſſore id dicat, concludo regimen Eccleſiæ non eſſe Ariſtocraticum. Ideò verò ait. *Vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & meritò.* Quia optat ut ſicut Damaſus ſuccedit Apoſtolis in honore, etiam ipſis ſuccedat in virtute & merito, non verò affirmat omnes Apoſtolos eſſe pares in honore. Eodem modo explicanda ſunt verba præfationis Apoſtolorum. *Vt iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem conſuliſti præeſſe paſtores.*

§. 4.

Regimen Eccleſiæ Monarchicum eſt.

QUamvis primo & ſecundo Tomo inſinuaverimus ſtatum ac regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum; tamen nonnulla hic adjicienda eſſe duximus; præmittimusque pro more aliquam Carmeli & Eccleſiæ analogiam. Sponſus Cantic. cap. 7. verſ. 5. Sponſam ſuam laudans ejus caput Carmelo aſſimilat. *Caput tuum ut Carmelus.* Sponſa verò ſponſi caput auro optimo aſſimilat, Cantic. cap. 5 verſ. 11. *Caput ejus aurum optimum.* Quid per corpus & caput intelligit? Per corpus Eccleſiā, per caput Chriſtum ſeu ejus Vicarium Romanum Pontificem, qui toti corpori Eccleſiæ ſupereminet, ſicut caput reliquo corpori per aurum accipit dogmata fidei, & decreta morum, quæ ab eo procedunt. Carmelo comparatur, quia quemadmodum Carmelus paſcuis copioſiſſimis abundat, ſic ſuprema Eccleſiæ dignitas tanto fidei ſplendore præfulget, ut princeps tenebrarum in fugam convertat, totamque Eccleſiam adverſus hæreticos, ac impietatis propugnatores reddat inexpugnabilem. Vndè hoc argumentum formari poteſt. Ideò ſummus Pontifex monti Carmelo ſimilis dicitur: non autem alteri. Quia alii montes non ſunt tam alti, tam fœcundi. Hic verò altiſſimus, ac omnium fructuum feraciſſimus eſt. Cur Pontifex Romanus mons nuncupatur? quia ſummus, ſeu quia ejus regimen eſt Monarchicum, ideò Carmelus quia ſanctus ſeu ſingularibus bonis ac beneficiis refertus eſt. Ideò caput Eccleſiæ quia eſt aurum optimum, optimo regimine Eccleſiam gubernat: ita ut ſi Romani Pontificis regimen non eſſet monarchicum, Eccleſia careret capite, Eccleſia non eſſet ſancta. Illa enim Eccleſia non eſt omninò perfecta, omninò ſancta, quæ præſtantiſſimo regimine caret, cujuſmodi eſt monarchicum, ex Philone libr. de confuſione linguarum, laudante Homeri ſententiam.

I.

Cant. c. 7. v. 5.

Cant. c. 5. v. 11.

tiam. *Multos imperitare malum eſt, Rex unicus eſto: non ad civitates & homines pertinet, quàm ad mundum & Deum.* Quaſi diceret, ſicut Dei & Chriſti imperio monarchia ſimplex competit, quia eſt optima & perfectiſſima: ita ad unitatem & ſanctitatem Eccleſiæ ſpectat unitas capitis & moderatoris. Illi ſubſcribens S. Cyprianus tract. de idolorum vanitate. *Ad divinum imperium* (inquit) *etiam de terris imitemur exemplum, quomodo nunquam regni ſocietas aut ſine fide cœpit, aut ſine cruore deſiit.* Quaſi diceret, divinum imperium non eſſet ſanctum, ſi foret diviſum. Ita in humanis illa imperia diviſa in plures dominos, non ſunt ſancta, & firma: ſed illicò diſſolvuntur, & quidem cum cæde & ſanguinis effuſione. Ut igitur aliquod Imperium ſit firmum & illibatum, unitas imperii neceſſaria eſt. Quia ſecundùm S. Juſtinũ in exhortatione ad gentes. *Unus principatus à bellis diſſidiisq; ſolutus ac liber eſſe ſolet.* Undè S. Hieronymus epiſtol. ad Ruſticum Monachum ait. *Unus Imperator, judex unus provinciæ: Roma ut condita eſt ſimul habere duos reges non potuit.* Cur non potuit? quia imperantibus duobus regibus ſtatim corruiſſet, at verò inquit Plato in Politico poſt medium. *Unius dominatio bonis inſtructa legibus, lex illarum omnium optima eſt.* Cùm igitur dominatio monarchica ſit optima, & Eccleſia Dei ſit ſanctiſſima, debet omnium ſanctiſſimâ ſcilicet monarchicâ gubernari, non autem republicanâ quæ peſſima eſt. Ariſtoteles lib. 8 Ethic. cap. 10. recenſens tres illas regiminis ſpecies. *Harum optima Regnum, peſſima reſpublica eſt.*

Philo. S. Cypr. Iuſtin. Hieron. Plato. Ariſtot.

II. Quod Eccleſia ſit regnum, teſtatur oraculum Danielis cap. 2. v. 44. *Suſcitabit Deus regnum quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus populo alteri non tradetur, comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Quod per illud regnum intelligat Eccleſiam, audi Dionyſium. *Promovebit & faciet regnum atque Eccleſiam Chriſti de quo Angelus dixit ad Virginem Lucæ cap. 1. Regnabit in domo Iacob in æternum & regni ejus non erit finis. Regnum quippe & ſtatus Eccleſiæ à tempore Chriſti incœpit, & uſque in finem durabit: deindè in cœlis perficietur. Hic enim inchoatur, & in patriâ perpetuatur. Duplex autem eſt regimen populi regni Chriſti, puta ſcilicet ſpirituale & ſæculare, ſeu divinum atque civile. Chriſtus per ſuos Vicarios, Prælatos ac Principes regnat in Chriſtianis, in quorum cordibus regnat in viâ, in patriâ verò per gloriam.* Ait Chriſtum regnare ſpiritualiter in cordibus, ſcilicet ut caput inviſibile. At cum Eccleſiâ ſit regnum viſibile præter illum regem inviſibilem, debet habere aliquem viſibilem, ſeu Vicarium generalem, qui toti illi Chriſtianorum cœtui præſideat, & illum gubernet, ut in ſanctitate, ac firmitate ſemper conſiſtat, ſuoſque ſubditos ipſe foveat regimine ſcilicet Monarchico. Sic enim in æternum non diſſipabitur per ſchiſmata, quæ oriuntur quandò omnes idem nõ ſentiunt, non idem volunt, non idem ſequuntur. Non autem ita facilè pullulant ſchiſmata, quando unus regnat, omnes ſubditi uni obtemperant, nec unus in unam, alius in aliam opinionem ſcinditur. Id patet exemplò Romanorum, quibus dum reges imperabant, erat inter illos major obſervantia legis. Meritò Juſtinus libro 1. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat.* Dicit *principio rerum*, quia inter ipſa animantia rationis expertia ejuſmodi monarchia introducta eſt. Hinc (inquit S. Hieronymus epiſtola ad Ruſticum) *Et grues ſequuntur ordine litteratò.* S. Cyprianus lib. de vanitate idolorum. *Rex unus apibus, Dux unus in gregibus, & in armentis rector unus.* Ideſt quemadmodum ex principiò ſeu inclinatione naturali grues unum ſequuntur, apes unum regem, greges unum paſtorem, armenta unum paſtorem, ita Eccleſia unum ſupremum & primarium rectorem, regem, paſtorem habere, ut rectè animadvertit S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 6. ad Magnum, ubi loquens de Novatiano, qui volebat fieri Epiſcopus Romæ cùm jam Cornelius creatus eſſet, & ſederet, oſtendit omnes homines, ſive ſint Judæi, ſive Gentiles, in unum tãtùm ovile coaleſcere debere, & ab unico gubernari. *Prius oſtendas Novatianum in Eccleſiâ eſſe, aut Eccleſiæ præſidere*

Dan c. 2 verſ. 44. Dionyſ. Hieron. S. Cypr.

ſidere. Pondera illud *præſidere*, quod autem Cornelius ſolus Eccleſiæ tunc præſideret. *Eccleſia autem una eſt, &c. ſi apud Novatianum eſt, apud Cornelium non fuit, ſi verò apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitimâ ordinatione ſucceſſit, & quem præter ſacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit. Novatianus in Eccleſiâ non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelicâ & Apoſtolicâ traditione contemptâ, nemini ſuccedens à ſeipſo ordinatus eſt. Habere namque, aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſiâ non eſt.* His verbis, *habere namque aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt*, denotat regimen eſſe monarchicum, non autem Ariſtocraticum vel Democraticum, alioqui dixiſſet *nullo modo poſſunt*, quod probat. *Foris enim non eſſe Eccleſiam, nec ſcindi adverſum ſe, aut dividi poſſe: ſed inſeparabilis atque individuæ domus unitatem tenere manifeſtat ſcripturæ divinæ fides, &c.* Cur vocat inſeparabilem & individuam domum? quando unus eſt paterfamilias, regnum eſt inſeparabile & individuum quando eſt unus rex. Infra. *Et idcircò Dominus inſinuans nobis unitatem de divinâ auctoritate venientem ponit & dicit. Ego & pater unum ſumus, ad quam unitatem redigens Eccleſiam ſuam denuò dicit, & erit unus grex & unus paſtor, ſi autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis nō eſt? aut paſtor haberi quomodò poteſt, qui manente vero paſtore, & in Eccleſiâ Dei ordinatione ſuccedaneâ præſidente nemini ſuccedens, & à ſeipſo incipiens, alienus ſit & prophanus, dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id eſt in Eccleſiâ Dei, in quâ nonniſi concordes atque unanimes habitant.* Quibus verbis ſignificat Chriſtū voluiſſe introducere & introduxiſſe in Eccleſiam non tantùm unitatem fidei, dilectionis, & morum ſub regimine monarchico Paſtoris ſcilicet Petri, ſed etiam ordinaſſe ut ſucceſſores eandem in Eccleſiâ præſidentiam haberent: ita ut qui non eſt ſucceſſor Petri, ſed à ſe ipſo incipit & attentat præſidere ſit alienus & prophanus.

III. Aliud argumentum nobis ſubminiſtrat analogia Arcæ Noemiticæ & Eccleſiæ, S. Petrus 1. epiſt. cap. 3. verſ. 20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë cùm fabricaretur arca, in quâ pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* S. Hieronymus dialogo cōtra Luciferianos ſub finem quaſdam analogias Arcæ & Eccleſiæ profert. *Octo* (inquit) *animæ hominum in Arcâ Noe ſervatæ ſunt, & nos Eccleſiaſtes jubet dare partes ſeptem, & dare partes octo, ideſt, credere utrique teſtamento, ideò quidam pſalmi pro octava inſcribuntur, & per octonos verſus. 1. Qui ſingulis litteris ſubjecti ſunt in 118. pſalmo Juſtus eruditur. Beatitudines quoque, quas Dominus Diſcipulis in monte pronuncians Eccleſiam delineavit, octo ſunt. Et Ezechiel in ædificationem templi octonarium numerū aſſumit. 2. In arcâ erant animalia munda & immunda, in Eccleſiâ ſunt juſti & peccatores. 3. Emittitur de arcâ corvus, & non redit, & poſtea pacem terræ columba nunciat, ita & in baptiſmate Eccleſiæ teterrimo alite expulſo, ideſt, diabolo, pacem terræ noſtræ columba Spiritus ſancti nunciat. 4. A triginta cubitis incipiens uſque ad unum cubitum paulatim decreſcens arca conſtruitur, ſimiliter Eccleſia multis gradibus conſiſtens ad extremum Diaconis, Presbyteris, Epiſcopiſque fruitur. 5. Periclitata eſt arca in diluvio, periclitatur Eccleſia in mundo. 6. Egreſſus Noë vineam plantavit, & bibens de eâ inebriatus eſt, natus quoque in carne Chriſtus Eccleſiam plantavit, & paſſus eſt. 7. Nudatum patrem irriſit minor filius, & major texit, & Deum Crucifixum illuſerunt Judæi & honoraverūt Gentiles.* Quibus alias addo. Quemadmodum Arca Noë ex lignis lævigatis conſtructa eſt, ſic Eccleſia fidelibus cōſtat. 1. Corinth. cap. 3. Qui lævigati, ac dolati, ſeu omni vitiorum labe carentes cunctis virtutibus ſunt ornati. Septuaginta pro lævigatis vertunt *Quadratis*. S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum, huic tranſlationi inhærens per ligna quadrata intelligit Sanctos. *De lignis quadratis arca fabricatur ſicut Eccleſia de Sanctis conſtituitur ad omne opus bonum ſemper paratis. Quadratum enim quocumque verteris firmiter ſtat, &c.* Sicut in Arcâ Noë erant omnis generis animantia, ſic Eccleſia omnis ge-

Petr. c. 3. v. 20.

Hieron.

S. Aug.

nis generis & nationis homines complectitur. Sunt enim in eâ Orientales, Occidentales, Meridionales, Septentrionales, &c. omnes admittit, neminem excludit. Tres arcæ contignationes denotant tres ſtatus Eccleſiæ ſecundùm S. Auguſtinum lib. 5. de civit. cap. 26. Virginum, viduarum, & conjugatorum. Nidi, ſeu manſiunculæ diverſæ ſignificant diverſas Religioſorum familias, varios vitæ ſtatus, varios gradus meritorum: ſicut in cœlo manſiones multæ ſunt. Arca erat oblita bitumine, & Eccleſia charitate. Eſt enim (inquit S. Auguſtinus lib. 12. cõtra Fauſtum cap. 14.) bitumen ferventiſſimum ac violentiſſimum gluten ſignificans dilectionis ardorem. Beda in Geneſim ait bitumine patientiam & continentiam ſignificari. Poſſunt eodem adumbrari virtutes omnes, quæ Eccleſiam muniunt ac tuentur, intrinſecus extrinſecusque bitumine linitur: quia virtus & intus in corde latet, & extrinſecus in opere apparet. Bitumine munita eſt arca adverſus fluctus. Virtute munitur Eccleſia adverſus mundi tempeſtates.

S. Amb. S. Ambroſius in libr. de Salomone cap. 4. *Eccleſia* (inquit) *etſi undarum fluctibus aut procellis ſæpè vexatur, tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium: quia in arbore ejus, id eſt in cruce Chriſtus erigitur. In puppi Pater reſidet gubernator, proram Paraclitus ſervat Spiritus. Etſi ſæculum iſtud tanquam pelagus ſortitur infeſtum nunquam alliditur ad ſaxum, nec mergitur ad profundum.* Alias analogias arcæ & Eccleſiæ fusè deducit S. Laurentius Juſtinianus. Undè Arca Noë inter tot undarum fluctus ſtat, non abſorbetur? undè Eccleſia inexpugnabilis & ſancta ſemper perſeverat? quia (inquit ſanctus Hieronymus epiſt. ad Ruſticum.)

Hieron. *In navi unus gubernator*, id eſt in Eccleſiâ unus Pontifex qui illam gubernat ac dirigit contra univerſas inferorum poteſtates. Qui igitur harum poteſtatum infernalium furorem evadere voluerint ab arcâ nè diſcedat, illiuſq; ſummo rectori Romano Pontifici obtemperent, captivantes intellectum ſuum in obſequium fidei, ſi quis ſecùs fecerit, mediis abſorptus peribit, ut teſtatur idem S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum. *Ego Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt, ſi quis in arcâ Noë non fuerit peribit regnante diluvio*, id eſt non fuerit in Eccleſiâ, cui præſidet Romanus Pontifex naufragium faciet: è contra S. Ambroſius ait ex hac arcâ ſive navi ſub Romani Pontificis regimine neminem unquam periturum. *Hieron.*

Indè Montani antra latratu ſacri criminis reſonant, qui duabus fœminis propheteſſis Priſcillæ & Maximillæ tanquam alicujus Scyllæ rabidis ſuccinctus eſt canibus. In iſtâ navi Eccleſia ea fœliciter præterimus indè in Photinianam Charybdim non incidimus. Indè nullo modo in illud barathrum, quaſi Dathan & Abiron, id eſt in profundum mortis Urſacii & Valentis non incurrimus. Indè Arium archipiratam qui nos per mare ſæculi adinſtar Pharaonis inſequitur, non timemus, illam ſtellam ſervantes in cœlo, quæ Magos perduxit ad Chriſtum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus eſt portus expectat. Indè nunquam nos de hac navi Eccleſiæ præcipitat. Hac navi (inquam) ſicut Noë in arcâ, ſic Pontifex Romanus præſidet, quam regit. *Marcion cetus ille abſorbuit, inde Sabellius pirata non cœpit. Indè nobis aquilo nocere non poterit, quamvis indè ſint Antichriſti violenta flabra ventura, ſicut ſcriptum eſt Ieremiæ cap. 1. Ex aquilone exardeſcent mala, indè ſyrtes gentilium, & periculoſas hæreſes & ſcopulos evitamus, quos ſuperjaciens aqua tenuis occultat allapſus; quia hæretici ſub prætextu nominis Chriſtiani abſconſa perfidiæ ſaxa fallaci confeſſione oris obducunt, in qua homines, dum illis, quod Chriſtiani ſunt, fides adhibetur impugnant. Hæc enim navis Eccleſia eſt.* Cujus ſcilicet rector & nauclerus Petrus eſt, & ejus ſucceſſores, ut idem S. Ambroſius innuit ſerm. 11. de mirabilibus. *S. Amb.* *Hanc ſolam Eccleſiæ navem aſcendit Dominus, in quâ Petrus magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino Matthæi cap. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quæ navis in altum ſæculi iſtius ita natat, ut percurrente mundo omnes quos ſuſcepit ſervet illæſos. Cujus figuram jam in veteri videmus teſtamento. Sicut enim Noë arca naufragante*

mundo, cunctos quos ſuſceperat incolumes reſervavit. Ita Petri Eccleſia conflagrante ſæculo, omnes, quos amplectitur, repræſentabit illæſos. Vides quomodò ſemper proſequitur analogiam arcæ & Eccleſiæ, Noë & Petri: ita ut quemadmodum una fuit arca in quâ mundus à diluvio liberatus eſt: ita una eſt Eccleſia, in quâ vera ſalus. Sicut illi unicus Noë quaſi monarchicè præfuit, ita Eccleſiæ præeſt Petrus, & ejus ſucceſſores. Idem Sanctus Ambroſius ſuam analogiam *Et ſicut tunc tranſacto diluvio ad arcam Noë columba ſignum pacis detulit, ita & tranſacto judicio ad Eccleſiam Petri Chriſtum gaudium pacis refert, quia ipſe columba, vel pax eſt, ſicut promiſit, dicens, Joannis cap. 16. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.* Ecce quomodò Eccleſia ſancta ſubmergi nequit ob induſtriam Naucleri ſcilicet Romani Pontificis.

IV. Ex collatione Eccleſiæ militantis cum triumphante & natura aliud argumentum colligere licet. Quemadmodùm univerſæ creaturæ uni Deo ſubſunt, illiusque providentia gubernantur. Quemadmodum in Republicâ benè ordinatâ unus eſt rex, unus princeps, unus Dominus, qui omnia ſupremâ ſuâ auctoritate moderatur, à ſcripturâ Deus appellatur, juxta illud pſalmi 81. verſ. 1. *Pſal 81. verſ. 1.* *Deus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Titelmannus. *Dominus Deus omnipotens ſtat in medio congregationis Deorum, id eſt judicum & principum, qui ejus vocem & locum in terrâ gerentes ejus judicium in terrâ exercent, propter quod etiam Dii merentur appellari, &c.* *verſ. 6.* Pſaltes verſ. 6. iterùm canit. *Ego dixi Dii eſtis & filii excelſi omnes.* Titelmannus. *Ego quidem mirificè vos exaltavi, vobis in terra committens meam poteſtatem, meamque auctoritatem ad exequendũ judicium, dans vobis ſuper alios proximos generis veſtri poteſtatem & imperiũ etiam vitæ ac mortis, &c.* Imo militans Eccleſia dirigitur non tantùm inſtar naturæ & reipublicæ, ſed etiam Eccleſiæ triumphantis, ita ut eodem modo ratiocinari liceat de Eccleſia militante ac triumphante, ut docent S. Gregorius lib. 4. epiſt. 52. S. Bernardus libr. de conſideratione ad Eugenium Papam mellifluis his verbis cap. 4. *Nec vilem reputes formam hanc, quia in terrâ es, exemplar habet è cœlo.* *Bernar.* *Neque enim filius poteſt facere quidquam, niſi quæ viderit patrem facientem, præſertim cùm ei ſub Moyſi nomine dictum ſit. Vide omnia facias ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt, Exodi cap. 15. Viderat hoc, qui dicebat, Vidi civitatem ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam. Apocal. cap. 21. Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut Seraphim & Cherubim ac cæteri quoque uſque ad Angelos & Archangelos ordinantur ſub uno capite Deo. Ita hic quoque ſub uno ſummo Pontifice primates, vel Patriarchæ, Archiepiſcopi Epiſcopi, Præsbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt parvi pendendum quod & Deum habet auctorem, & de cœlo ducit originem.* Dicit ergò Joannes Eccleſiam triumphantem deſcendere, ut militanti ſuæ ſanctitatis idæam & exemplar præberet, oſtenderetque ab eadem ut origine ſeu idæâ ſanctitatem Eccleſię militantis derivari debere. At Eccleſiæ triumphanti ſolus & unicus Deus præeſt. Quamvis enim ſint ibi diverſi Angelorum ordines. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt:* Tamen unus eſt Deus, unus Dominus, unus Creator, unus Pater, unus Paſtor, unus totius ſanctitatis & beatitudinis fons, cui tota beatarum mentium caterva ſubordinatur, quem unicè diligit & colit. Et in hac erga unicum Deum ſubjectione, dilectione cultu, &c. Eccleſiæ triumphantis firmitas & ſanctimonia conſiſtit: ita ſanctitas, perfectio ac ſtabilitas Eccleſiæ militantis in eo ſita eſt, quod unum Deum ſuper omnia colat, diligat, &c. & uni capiti viſibili ſcilicet Romano Pontifici morem gerat, decretiſque ab eo latis & emanatis conſtanter inhæreat. Non quod ſummus Pontifex Deo æquiparari debeat vel aliquâ dignitate & dote divinâ polleat, vel nulli ſubſit: ſed quia toti Eccleſię præeſt per ſupremum aliquod Dominium, independens ab ulla creaturâ. Non ergò Monarchia Eccleſiaſtica Romani Pontificis omninò convenit cum divinâ. Abſit, longè diſcrepat ſimilitudo Mathematica & Geometrica ab Arithmetica.

ticâ. Illa enim eſt perfecta & exacta ſeu exquiſita : hæc autem eſt rudis & imperfecta. Secundùm hanc Conſtantinus ait Pontificem eſſe Deum, Epiſcopos eſſe Angelos, Archiepiſcopos eſſe Archangelos : ſeu eſſe in Eccleſiâ militante diverſos gradus ſicut ſunt in Eccleſiâ triumphante. Non autem regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum, ſeu penes Epiſcopos & Primates (ut olim ſuſtinuit Joannes Hus damnatus à Conſtantienſi Concilio, & moderni Hæretici.) ſed eſſe Monarchicum. Porrò S. Joannes addit. *Tanquam ſponſam ornatam viro ſuo.* Quia ſicut perfectio conjugii in eo præcipuè conſtituitur, ut mulier ſit unius viri, & vir unus uxoris, ut ſe mutuò diligant, ſibi invicem adhæreant, & ubi vir pluribus uxoribus, & uxor pluribus viris adhæret, oriuntur perpetuæ contentiones, rixæ, diſſidia: ita ſi Eccleſia duobus vel pluribus ſponſis, ſeu Pontificibus ſubjiceretur, non eſſet una, nõ eſſet pacifica. non eſſet ſancta, ſed imperfecta, plena diſſidiis, ſchiſmatibus, non eſſet Jeruſalem, id eſt viſio pacis, ſed Babylon, meretrix, infamis, pluribus amatoribus proſtituta, plena cõfuſione. Quod autem Romanus Pontifex ſit Sponſus Eccleſiæ militantis,
Dionyſ. audi Dionyſium in proœmio Canticorum. *Quemadmodum ſummus Pontifex vocatur ſponſus Eccleſiæ, Sponſus (inquam) Vicarius Eccleſiæ univerſalis. Sic Epiſcopi dicuntur Eccleſiarum ſponſi, & uniuſcujuſque eorum Eccleſia ſibi conjuncta dicitur ſponſa.* Hujus Eccleſiaſtici exemplaris meminit Apoſtolus ad Hebræos cap. 8. verſ. 3. 4. & 5. *Omnis*
Hebr. c. 8. v. 3. 4. & 5. *Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur, unde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat. Si ergò eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos, cùm eſſent, qui offerrent ſecundum legem munera, qui exemplari & umbræ deſerviunt cæleſtium, ſicut reſponſum eſt Moyſi, cùm conſummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito ſecundùm exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte.* Quaſi diceret, quemadmodum in cœlo, quod eſt tabernaculum Beatarum mẽtium juxta illud pſalmi 14. verſ. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Vnicus eſt Deus tempore legis Moſaycæ, unicus ſupremus Pontifex, ſic in hac lege unicus ſupremus paſtor & Pontifex eſt.

Si Eccleſiæ regimen non eſſet Monarchicum, ſed penes Epiſcopos aut ſeniores (ut vult Calvinus) Eccleſia careret ferè ſemper rectoribus, ac ſæpè nullus eſſet, qui bono communi advigilaret, ſicque Eccleſia non foret ſancta, ſed omnium congregationum miſerrima, quia cum Optimates ſint pares inter ſe, nequeunt bono cõmuni debitè proſpicere, niſi congregati, vel cõmuni calculo aliquem in Magiſtratũ elegerint (ut olim Romani ſuos Cõſules eligebant) cui omnes morem gerãt. At optimates Eccleſię rariſſimè cõgregãtur, ut patet ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quæ refert Eccleſiam caruiſſe congregatione generali trecentis annis. Nec ullibi conſtat fuiſſe unquam in Eccleſiâ magiſtratum, cui univerſalis Eccleſia obtemperaret. Non enim ille Magiſtratus fuit compoſitus ex Patriarchis Jeroſolymitano, Alexandrino, Antiocheno, Cõſtantinopolitano, &c. vel aliquibus Epiſcopis, nec præfati extra ſuas ditiones ſeu regiones ullam unquam exercuerunt juriſdictionem. Sanderus lib. 5. viſibilis Monarchiæ cap. 4. probat nec dæmoniorum quidem conſpirantium factionem, multóque minus Lutheranorum, aut Calviniſtarum ſynagogam abſque unius paſtoris alteriusvè generis viſibili principatu ſtare ac florere poſſe. V.

§. 5.

Teſtimonium Chriſti.

AUdiamus Chriſtum de hac ſupremâ ac monarchicâ auctoritate ſuæ diſſerentem, Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Quæ verba Monarchiam ſignificant, & non ad ſolum Petrum primatum, ſed ad ejus ſucceſſores Romanos Pontifices eadem auctoritate pollentes dirigi docet S. Gregorius lib. 4. indict. 13. epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce dominicâ ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro* I. Matt. c. 16. v. 18

principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, &c. Pondera illud *liquet*, ideſt certum ac indubitatum eſt. Quod infra confirmat. *Certè pro Beati Petri Apoſtolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt.* Quaſi diceret, oblatum eſt Romano Pontifici, quia Beati Petri Principis Apoſtolorũ Succeſſor eſt. Vide plura Tomo 1. & 2. Item apud Becanum Tomo 5. opuſculorum lib. 2. de Republicâ Eccleſiaſticâ cap. 6. ubi tredecim prærogativas Petri recenſet. Jacobum Gualterum in ſuâ Chronologiâ undecimâ veritate, quam probat à primo ſœculo uſque ad hunc decimum ſeptimũ. Bellarminum de Romano Pontifice lib. 1. & alios.

Patrum Teſtimonia.

S. Amb. Sanctus Ambroſius in cap. 3. primæ epiſtolæ ad Timotheum ait. *Eccleſia domus Dei eſt, cujus hodie rector eſt Damaſus* S Bernardus lib. 4. de conſideratione circa medium explicans illa verba Pſalmi 44 v. 18. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, ait Eugenio Papæ. *Eis tu ſucceſſiſti in hæreditatẽ, ita tu hæres, & orbis hæreditas.* Caſſiodorus libr. 9. variarum epiſtolarum epiſt 15. vocat Romanum Pontificem Patriarcharum Epiſcopum. Sergius Archiepiſcopus Cypri teſtatur ſupremam Petri auctoritatem in eodem Romano Pontifice reſidere his verbis quæ citantur in Synodo Romanâ ſub Martino Papâ. *Sanctiſſimo & beatiſſimo à Deo, honorabili Domino meo, Patri Patrum Archiepiſcopo, & univerſali Papæ Theodoro.* Vocat ſanctiſſimum & beatiſſimum univerſalem Papam, innuens Sedem Apoſtolicam non eſſe ſanctiſſimam & ſemper beatiſſimam, niſi quia ſuprema & univerſalis eſt, ut idem ibidem innuit. *Chriſtus Deus noſter (ô ſacer vertex) firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſtituit. Tu enim (ſicut Dominus veraciter pronunciat verbum) Petrus & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt.* Stephanus Dorenſis Epiſcopus miſſus Romam à Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano ad Martinum Papam in ſupplicatione ac libello ſupplici de Monothelitarum errore agens ita illum affatur. *Annunciemus hæc omnia omnium propoſita, dico autem ſummæ veſtræ & principali (ſcilicet Sedi) ad medicinale conſultum emerſi vulneris. Quippe quoniam hoc poteſtativè olim, & ab antiquitus facere per Apoſtolicam ſive Canonicam conſuevit auctoritatem, dum apertâ lucubratione non ſolùm claves regni cœlorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodò ad aperiendum eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Evangelii gratiæ credentibus juſtè claudere magnus ſecundùm veritatem & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus: ſed etiam & paſcere primus juſſus eſt oves totius Eccleſiæ Catholicæ & confirmare exagitatos conſortes ſuos, & ſpirituales meruit fratres, ut potè diſpenſativè ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus poteſtatem accipiens & ſacerdotalem auctoritatẽ. Quod ſciens Patriarcha Sophronius me ad hanc Apoſtolicam magnamque direxit Sedem.* Vocat Sedem Martini Papæ primò ſummam, ſecundò principalem, tertiò ait principem Apoſtolorum Petrum paſcere primum juſſum eſſe oves non Eccleſiæ particularis, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ. Quod confirmat quartò habere diſpenſativè ſuper omnes, denique per illa verba, *Quod ſciens Patriarcha Sophronius, me ad hanc Apoſtolicam magnamque direxit ſedem.* Agnoſcit Martinum eſſe verum ac legitimũ Petri ſucceſſorem. S. Baſilius Magnus etiam in Orientales Eccleſias Romano Pontifici poteſtatem ineſſe teſtatur epiſtolâ 52. ad S. Athanaſium. *Viſum eſt mihi conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur conſideres, deique conſilium, & quoniam difficile eſt, ut communi ac ſynodico decreto* S. Baſil. *aliqui illinc mittantur, ut ſuâ auctoritate in iſtâ causâ uſus, viros eligat, ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos. Verum juxta ad hoc quoque accommodos, ut manſuetudine & facilitate ingenii, eos, qui diſtorti, & obliqui apud nos ſunt corrigant aptè ac diſpenſatoriè ſermonem attemperantes, omniaque habentes, quæ in Arimino ad neceſſariam ſolutionem geſtorum illic, facta ſunt.* Illis particulis

ſuâ

(Margin notes: Pſal. 44 v. 19. — Bernar. — Sergius.)

ſuâ auctoritate, ſignificat Romanum Pontificem poſſe viſitare Eccleſias Orientales. Idem affirmat epiſt. 77. ad ad Epiſcopos tranſmarinos ſeu Eccleſiarum Occidentalium. *Cùm ad hunc modum habeant res noſtræ, debebant continuò à veſtrâ dilectione ex ſinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppreſſos inviſerent, & multo crebrius amicæ ad nos veſtræ deſtinari litteræ, quibus vel in propoſito confirmaremur, vel ſi quâ in re offendimus corrigeremur. Non enim negamus innumeris nos erroribus obnoxios eſſe, cum homines ſimus & in carne vivamus. Verùm quoniam ſuperiori tempore Fratres colendiſſimi, vel quia quid ex decoro faciendum fuerit ignoraſtis debita nobis obſequia exhibita non ſunt, vel quia quorundam malitia factum eſt, ut calumnias, quibus traducimur, abrepti & præoccupati indignos nos amicâ viſitatione judicaveritis, ecce jam litteris provocamus, & cauſas hujus quæ nobis aſcribuntur fatemur, parati veſtram hac in re inſtitutionem amplecti.* Quibus verbis fatetur Cathedram Petri eſſe in Eccleſiâ Occidentali, quod paulò patentius ſignificat. *Unus nobis eſt dominus, una fides, ſpes eadem, ſive caput vos ipſos univerſalis Eccleſiæ reputatos.* Quod verò non exiſtimet regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticū & penes omnes Epiſcopos Occidentales, patet ex citatis verbis epiſt. 52. in quâ indicat recurrendum eſſe ad Epiſcopum Romanum ſolum. *Qui quæ hic geruntur conſideret, &c.*

II. Eandem ſupremam Eccleſiæ auctoritatem agnovit in Romano Pontifice *Gregor. Nazian.* S. Gregorius Nazianzenus in ſuâ monodiâ quam in D. Baſilii vitam compoſuit. *Luciferum* (inquit) *& Euſebium Epiſcopos ex urbe Româ Cæſaream miſſos fuiſſe, ad ſeditionem, quæ in Eccleſiâ Cæſarienſi orta fuerat ſedandam.* Quibus verbis declarat Luciferum & Euſebium non ſuâ privatâ auctoritate veniſſe, ſed miſſos ex urbe Româ.

III Hoc regimen Monarchicum præcipuè aſſeruit S. Athanaſius. Nam non *S. Athanaſius.* modò cōmunicavit cum Liberio Papâ, ſed etiam ſcripſit ad eum unà cum Epiſcopis Alexandriç congregatis, ubi cùm vim & dolū Arianorū inſinuaſſet, ſubdit. *Veſtrâ hac recenſentur auctoritate.* Clarius poſtea. *Hujus rei gratiâ univerſalis vobis à Chriſto IESV cōmiſſa eſt Eccleſia, ut pro omnibus laboretis.* Hanc epiſtolam S. Athanaſii refert tomus 1. Cōciliorum. Epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes, hoc præclarum de Liberio Papæ judicium profert. *Clariſſima ſunt confeſſionis viri religioſi & Epiſcopi boni &c. Ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt, nullâ reverentiâ ducti, vel quod Sedes illa Apoſtolica eſſet, vel quod Roma metropolis eſſet Romanæ ditionis: vel quod eos Apoſtolicos viros in litteris ſuis appellaſſent: ſed omnia ſimul miſcentes æquè omnium obliviſcebantur, neque quidquam illis curæ, niſi ſola impietas fuit. Nam cùm Liberium vidiſſent orthodoxum & oſorem quidem Arianicæ ſectæ, ſtudioſum verò in hoc, ut cunctos ab hæreſi retraheret, ita ſecum impii cogitarunt, ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus omnes brevi ſuperabimus.* Quomodo victo Liberio victoriam univerſi gregis ſperabant, niſi quia Liberius erat univerſalis Eccleſiæ Paſtor & caput. Undè conſequenter ſubdit. *Rem igitur ad Imperatorem deferunt. Ille autem ſperans per Liberium omnes ſe poſſe ſe attrahere, mittit eunuchum quendam Euſebium cum litteris & donis ad eum, ut donis quidem blandiretur, litteris verò minaretur. Profectus igitur Romam ſpado, primum incitabat Liberium ut cōtra Athanaſium ſubſcriberet, & cum Arianis communicaret, id enim Imperatorem velle & pro imperio juberi. Deinde munera oſtentans verbis inſtabat, manuque Liberii apprehenſa ita locutus eſt. Obtempera regi & iſta accipe, &c.*

IV. Hanc ſupremam Eccleſiæ præfecturam confirmare poſſumus eadem præclarâ ratiocinatione, quâ idem S. Athanaſius lib. contra Gentiles utitur, ſcilicet à Deo hunc orbem ex rebus tam diverſis, atque ex elementis planè contrariis conſtatum ita gubernari, ut ex ipsâ inter ſe plurium rerum applicatione, ac ordinatiſſimâ connexione concludendum ſit, unum ac ſolum eſſe, qui *S. Athanaſius.* rerum univerſitati præſit. *Quis intuens cæli ambitum, & ſolis ac lunæ ordinatiſſimum curſum, aliorumque ſiderum poſitiones ac circuitiones, ortus atque obitus (quæ cùm contrario motu ferantur & vario, in ea tamen differentia ſimilem ſimul*

omnia

omnia ordinem ſervant, non intelligit iſta, non ſeipſum feciſſe, ſed alium eſſe qui cuncta diſponat opificem? Quis orientem quotidie aſpiciens ſolem, lunamque noctu apparentem, eademq́ ſemper incrementa, & certo dierum numero indemutabili ſervantem lege, ſyderaq́ alia diſcurrere, curſus ſuos variantia, alia nunquam vagando moveri, non tantùm quæ per naturam contraria ſunt, connecti ſibi, & concinnam habere harmoniam, pura calida frigidis, & humidis ſicca miſceri, neque adverſum ſe bella, ſeditioneſque movere, unumque ſimul omnia perficere corpus, non cōſideret extra hæc eſſe, qui iſta conjunxit. Idem philoſophandum de regimine Eccleſiæ, quæ paſſim à S. Joanne in Apocalipſi cœlum, & à Salomone in Canticis ſol & luna nuncupatur. Cōſequenter oſtendit res omnes inferiores non poſſe certis temporibus exerceri niſi à ſupremo aliquo rectore gubernentur. *Quis hyemem veri concedere, æſtatique ver, & autumno æſtatem videt: ad idq́, cùm iſta ſibi contraria per naturā ſint, quippe aliud ex his frigus, aliud calorem, aliudque germina nutrit, & aliud perficit: ſimul tamen omnia æqualem & innocuum hominibus præbent uſum, nec ſtatim cogitat præſtantiorem his aliquem eſſe, qui præſtet omnibus æqualiter, cunctaque gubernet. Etſi hunc minimè videat? Quis cùm videt nubes in aere ferri, atque in nubibus aquas detineri graves, non hujus opificis memoriâ tangitur, cujus iſta imperio fiunt? Quis item terram ipſam naturâ graviſſimam inſidere aquis, ac ſupra fluidam materiam ſuam ſervare firmitatem, non agnoſcat eſſe aliquem qui iſta ordinaverit, & fecerit Deum? Quis cùm aſpicit humum fruges ſuis ferre temporibus, & imbres cœlitus demitti inundare flumina, fonteſq́ profluere, animalia item ex diſſimilibus naſci, iſtaque non ſemper, ſed ſtatutis quæque temporibus fieri? Quis, inquam, in his quæ diſſimilia & contraria ſunt, æqualem ac diſſimilem perfici ordinē attendit, non continuò cogitat unam eſſe virtutē, quæ iſta diſtinguat atque diſponat? Hæc enim per ſe nunquam profectò conſiſterent, aut apparere poſſent, quod naturaliter ſibi invicem cōtraria ſint. Nam aqua naturâ gravis eſt, & ima petit, nubes contrà leves, & ſuperna ſemper appetentes, & tamen graviores aquas ferri nubibus cernimus, terra itidē graviſſima eſt, ut ea aqua ſit levior, ab his tamen quæ leviora ſunt, quod eſt gravius fertur, neque dilabitur, ſed ſtat immobilis terra. Maſculus item non idem quod fœmina eſt, utrumque tamen in unum cogitur, & ab utriſque generatio una conficitur ſimilis animantis. Atque ut breviter dixerim calido contrarium eſt frigidum, humidumque ſicco repugnat. Ubi tamen ſimul convenire non ſecum diſſident, ſed conſenſu mirabili unum corpus, omniumque generationem perficiunt. Nunquam igitur, quæ ſibi per naturam contraria & repugnantia ſunt in unum per ſeipſa coirent, niſi præſtantior eſſet ac dominus, qui illa conjungit cui ipſa quoque elementa famulantur ut domino, & promptè cedunt & ſemper obtemperant, nec horum quodlibet ſuam naturam inſpiciens alteri reluctatur: ſed jungentem dominum concordiam ad invicem ſervant, naturâ quidem contrariâ, ſed ad regentis nutum mirabili amicitiæ conjuncta fœdere. Nam ſi præſtantioris poteſtatis imperio facta eſſet omnium commixtio, quomodo vel grave levi, vel humido aridum, vel rotundum recto, vel calidum frigido, vel humo humor, aut lunæ ſol, aut ſydera cœlo, aut nubibus aer miſceri aut convenire potuiſſent, cùm ſit cujuſq; ad alterum omninò natura alia? alias enim fuiſſet horum adverſum ſeipſa magna diſſenſio, cùm aliud refrigeraret aliud ureret, & grave deorſum traheret, leve ſurſum contraferret, ſolq́ illuſtraret, & aer obnuberet. Aſtra quoque adverſum ſe diſſiderent, quod alia quidem ſuperius, alia ſint inferius poſita. Nox item diei nunquam cederet, ſed pugnare adverſus illam ac diſſidere perſiſteret. Porrò ſi ſic ita contingerent, non jam mundum compoſitū, ſed ſummâ confuſione rerum neque ordinem, ſed temeritatem, non conſtantiam, modum, ſed immoderationem videremus. Uniuſcujuſque enim diſcordia ac pugna, aut omnia ſimul tollerentur, aut id ſolùm appareret quod ſuperaſſet, idque rurſus confuſa omnia & incompoſita oſtenderet, quippe ſolum relictum reliquorum uſu deſtinatum, hoc omne incongruum efficeret, atque inconcinnum; veluti ſi pes ſolus, aut ſola manus reliqua eſſet, totius corporis deſideraretur integritas. Nam qualis quæſo mundus eſſet, ſi ſolus appareret ſol, aut luna ſola menſtruum peragerat curſum*

ſi ſola

ſi ſola nox aut dies ſola obtineret. Quanam rurſus eſſet incongruentia, ſi vel cælum ſolum, ſine ſtellis, vel ſi ſolæ ſtellæ ſine cælo eſſent? Quid verò utilitatis afferres, ſi ſolum eſſet mare, ſi ſola terra ſine aquis, aliiſque creaturæ partibus in ſuo jaceret ſitu? quâ autem ratione homo appareret in terris, vel ullum omninò animal, ſi elementis adverſum ſe diſſidentibus unum ex his obtineret, neque ad corporum ſubſtantiam ſufficere poſſet. Nam ex ſolo calido, aut ex ſolo frigido, vel arido quippiam omnino conſtaret, ſed eſſent confuſa omnia prorſus & incompoſita. nè ipſum quidem quod ſuperare videtur ſine aliorum opitulatione conſtare quieviſſet, ideo quippe modo conſiſtunt, quod ſe mutuò amplectuntur & fovent. Quoniam igitur non temeritas ſed ordo mundo ineſt, neque immoderatio, ſed modus: neque incompoſitio fœda, ſed honeſtus ornatus mundique aptiſſima omninò compoſitio. Neceſſe eſt veniat in mentem, cogitationemque noſtram, is, qui iſta conjunxit, atque connexuit, eorumque concordiam molitus eſt Dominus. Probat id à ſimili. *Sunt enim ſi Civitatem ex multis, variiſque mortalibus conſtantem, parvulis, magnis, opulentis, inopibus, ſenibus, junioribus, maribus, fœminis ordinatè inhabitari videmus, eoſque, qui intus ſunt, multos licet & varios in unam conſpirare concordiam: Neque divites adverſus pauperes erigi, nec magnos contra parvos, neque adverſum ſeniores juniores moveri: ſed omnes ſimul per ſummam æquabilitatem tueri pacem. Si (inquam) iſta videamus, ejuſce profectò concordiæ cauſam conjicimus principis eſſe præſentiam, & ſi illum minimè cernamus. Neque enim ſi eſſent plures creaturæ principes ſervare poſſet hic ordo, ſed eſſent confuſa omnia, dum quiſque arbitrio ſuo omnia traheret, atque adverſus alium diſſidere: ſicut enim dicebamus Deorum multitudinem id efficere, ut ſine Deo ſimus, ita fateri cogimur multorum principatum verum auferre dominium. Cùm illud ſibi viciſſim tollunt, nullus jam erit princeps. ſed principatus deſideratio apud omnes prævalebit. Ubi verò princeps non eſt ibi omninò deſideratur ordo, ſicut contrà unus multorū ordo atque conſenſus unum etiam indicat principem.* Id confirmat exemplo lyræ. *Veluti ſi quis de longè audiat lyram ex multis variiſq; fidibus compoſitam, earumque conſonantiæ miretur harmoniam, quod non ſola gravis vox perficiat ſonum, neque acuta tantùm, neque ſola media, ſed omnes pariter modo pari unum efficiunt concentum, prorſus intelligit, non à ſeipsâ moveri lyram, aut à pluribus ipſam pulſari, ſed eſſe unius muſicam, qui ſingularum fidium ſonum in unam congruam conſonantiam artis peritiâ miſceat, licet eum minimè videat, ita cùm ſit omninò concinnus mundi totius ordo: neque ab inferioribus ſuperiora, neque à ſuperioribus inferiora diſſideant, ſed unum ſimul omnia perficiant ordinem, conſequens eſt, ut non plures intelligamus, ſed unum creaturæ principem & regem qui ſuo lumine omnia illuſtret & moveat, &c.* Pulchra ibi ac plura deducit, quibus probat eſſe unicum opificem ac rectorem univerſi. Ex quibus infero: In Eccleſiâ ſeu congregatione fidelium, diverſa ſunt membra, diverſæ partes, diverſi populi, quibus præſunt diverſi Epiſcopi. Debent igitur ad unum ſupremum principem ac moderatorem referri, qui omnium illorum curam gerat, ut omnes loco & indole diſtiti, in unâ religione & fide conveniant. Quorſum enim uni Pontifici Judæorum omnes Synagogæ, quæ per totum orbem diſperſæ, ſubjectę erant? Quorſum hunc Epiſcopis unus Archiepiſcopus, multis Archiepiſcopis unus Patriarcha præeſt, & non omnes tum Paſtores, tum Epiſcopi, tum Archiepiſcopi, tum Patriarchæ uni Pontifici, & ſupremo Paſtori ſuberunt? Quorſum Angeli, Cœli, ſydera, elementa, planetæ, animalia, univerſa natura unum ducem agnoſcent, & ſola militans Chriſti Eccleſia, quæ ab illis omnibus diſtinctam ac ſeparatam conditionem habet, non gubernabitur ab uno ſupremo Paſtore, ſed omnes ſibi invicem præerunt, & ſoli Chriſtiani ſic regimen Eccleſiæ abſque certo præfecto confundent & perturbabunt, ut neque prima ultimis, neque media extremis, neque nova veteribus congruant? Quorſum Chriſtus in ſingulis membris minoribus, ideſt, Parœciis unum Paſtorem, in ſingulis majoribus membris, ideſt, Diœceſibus unum Epiſcopum, in multò majoribus, ideſt

cum poteſtate ſenioribus præficeretur. Nec idem S. Hieronymus epiſt. 58. ad Damaſum iſtam æqualitatem Apoſtolicam agnoſcit his verbis. *Vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & meritò.* Quia S. Hieronymus ſcribit ad Damaſum Papam ex Syriâ, eumque conſulit ut judicem controverſiarum. *An ſalvâ fide concedi poſſit tres in Deo eſſe hypoſtaſes.* Sic enim Damaſum affatur. *Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit, &c. Ideò mihi Cathedrā Petri & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam.* Quibus verbis agnoſcit Damaſum Petri ſucceſſorem. Vndè ſubdit. *Apud vos ſolos incorrupta Patrum ſervata hæreditas.* Ideſt apud ſolos Petri ſucceſſores. Item. *Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas, à Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ovis flagito.* Vocat Damaſum Paſtorem non ratione Eccleſiæ particularis, ſed univerſalis, quæ Damaſo ſubjiciebatur. Addit. *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt.* Non dicit Cathedræ Jacobi, Cathedræ Andrææ, &c. *communione conſocior.* Denique concludit. *Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Quod cùm de nullius alterius Apoſtoli ſucceſſore id dicat, concludo regimen Eccleſiæ non eſſe Ariſtocraticum. Ideò verò ait. *Vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & meritò.* Quia optat ut ſicut Damaſus ſuccedit Apoſtolis in honore, etiam ipſis ſuccedat in virtute & merito, non verò affirmat omnes Apoſtolos eſſe pares in honore. Eodem modo explicanda ſunt verba præfationis Apoſtolorum. *Vt iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuliſti præeſſe paſtores.*

§. 4.

Regimen Eccleſiæ Monarchicum eſt.

QUamvis primo & ſecundo Tomo inſinaverimus ſtatum ac regimen Eccleſiæ eſſe Monarchicum; tamen nonnulla hic adjicienda eſſe duximus; præmittimusque pro more aliquam Carmeli & Eccleſiæ analogiam. Sponſus Cantic. cap. 7. verſ. 5. Sponſam ſuam laudans ejus caput Carmelo aſſimilat. *Caput tuum ut Carmelus.* Sponſa verò ſponſi caput auro optimo aſſimilat, Cantic. cap. 5 verſ. 11. *Caput ejus aurum optimum.* Quid per corpus & caput intelligit? Per corpus Eccleſiā, per caput Chriſtum ſeu ejus Vicarium Romanum Pontificem, qui toti corpori Eccleſiæ ſupereminet, ſicut caput reliquo corpori per aurum accipit dogmata fidei, & decreta morum, quæ ab eo procedunt. Carmelo comparatur, quia quemadmodum Carmelus paſcuis copioſiſſimis abundat, ſic ſuprema Eccleſiæ dignitas tanto fidei ſplendore præfulget, ut princeps tenebrarum in fugam convertat, totamque Eccleſiam adverſus hæreticos, ac impietatis propugnatores reddat inexpugnabilem. Vndè hoc argumentum formari poteſt. Ideò ſummus Pontifex monti Carmelo ſimilis dicitur: non autem alteri. Quia alii montes non ſunt tam alti, tam fœcundi. Hic verò altiſſimus, ac omnium fructuum feraciſſimus eſt. Cur Pontifex Romanus mons nuncupatur? quia ſummus, ſeu quia ejus regimen eſt Monarchicum, ideò Carmelus quia ſanctus ſeu ſingularibus bonis ac beneficiis refertus eſt. Ideò caput Eccleſiæ quia eſt aurum optimum, optimo regimine Eccleſiam gubernat: ita ut ſi Romani Pontificis regimen non eſſet monarchicum, Eccleſia careret capite, Eccleſia non eſſet ſancta. Illa enim Eccleſia non eſt omninò perfecta, omninò ſancta, quæ præſtantiſſimo regimine caret, cujuſmodi eſt monarchicum, ex Philone libr. de confuſione linguarum, laudante Homeri ſententiam.

I.

Cant. c. 7. v. 5.

Cant. c. 5. v. 11.

tiam. *Multos imperitare malum eſt, Rex* Philo. *unicus eſto: non ad civitates & homines pertinet, quàm ad mundum & Deum.* Quaſi diceret, ſicut Dei & Chriſti imperio monarchia ſimplex competit, quia eſt optima & perfectiſſima: ita ad unitatem & ſanctitatem Eccleſiæ ſpectat unitas capitis & moderatoris. Illi ſubſcribens S. Cyprianus tract. de idolorum vanitate. *Ad divinum imperium* (inquit) *etiam de terris imitemur* S. Cypr. *exemplum, quomodo nunquam regni ſocietas aut ſine fide cœpit, aut ſine cruore deſiit.* Quaſi diceret; divinum imperium non eſſet ſanctum, ſi foret diviſum. Ita in humanis illa imperia diviſa in plures dominos, non ſunt ſancta, & firma: ſed illicò diſſolvuntur, & quidem cum cæde & ſanguinis effuſione. Ut igitur aliquod Imperium ſit firmum & illibatum, unitas imperii neceſſaria eſt. Quia ſecundùm S. Juſtinũ in exhortatione ad gentes. *Unus prin-* Iuſtin. *cipatus à bellis diſſidiisq; ſolutus ac liber eſſe ſolet.* Unde S. Hieronymus epiſtol. Hieron. ad Ruſticum Monachum ait. *Unus Imperator, judex unus provinciæ: Roma ut condita eſt ſimul habere duos reges non potuit.* Cur non potuit? quia imperantibus duobus regibus ſtatim corruiſſet, at verò inquit Plato in Politico poſt Plato. medium. *Unius dominatio bonis inſtructa legibus, lex illarum omnium optima eſt.* Cùm igitur dominatiò monarchica ſit optima, & Eccleſia Dei ſit ſanctiſſima, debet omnium ſanctiſſimâ ſcilicet monarchicâ gubernari, non autem republicanâ quæ peſſima eſt. Ariſtoteles lib. 8 Ethic. cap. 10. recenſens tres Ariſtot. illas regiminis ſpecies. *Harum optima Regnum, peſſima reſpublica eſt.*

II. Quod Eccleſia ſit regnum, teſtatur oraculum Danielis cap. 2. v. 44. *Suſcitabit Deus regnum quod in æternum non* Dan c.2 *diſſipabitur, & regnum ejus populo alte-* verſ.44. *ri non tradetur, comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Quod per illud regnum intelligat Eccleſiam, audi Diony- Dionyſ. ſium. *Promovebit & faciet regnum atque Eccleſiam Chriſti de quo Angelus dixit ad Virginem Lucæ cap. 1. Regnabit in domo Iacob in æternum & regni ejus non erit finis. Regnum quippe & ſtatus Eccleſiæ à tempore Chriſti incœpit, & uſque in finem durabit: deindè in cœlis perficietur. Hic enim inchoatur, & in patriâ perpetuatur. Duplex autem eſt regimen populi regni Chriſti, puta ſcilicet ſpirituale & ſæculare, ſeu divinum atque civile. Chriſtus per ſuos Vicarios, Prælatos ac Principes regnat in Chriſtianis, in quorum cordibus regnat in viâ, in patriâ verò per gloriam.* Ait Chriſtum regnare ſpiritualiter in cordibus, ſcilicet ut caput invisibile. At cum Eccleſia ſit regnum viſibile præter illum regem inviſibilem, debet habere aliquem viſibilem, ſeu Vicarium generalem, qui toti illi Chriſtianorum cœtui præſideat, & illum gubernet, ut in ſanctitate, ac firmitate ſemper conſiſtat, ſuosque ſubditos ipſe foveat regimine ſcilicet Monarchico. Sic enim in æternum non diſſipabitur per ſchiſmata, quæ oriuntur quando omnes idem nõ ſentiunt, non idem volunt, non idem ſequuntur. Non autem ita facile pullulant ſchiſmata, quando unus regnat, omnes ſubditi uni obtemperant, nec unus in unam, alius in aliam opinionem ſcinditur. Id patet exemplò Romanorum, quibus dum reges imperabant, erat inter illos major obſervantia legis. Meritò Juſtinus libro 1. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat.* Dicit *principio rerum*, quia inter ipſa animantia rationis expertia ejuſmodi monarchia introducta eſt. Hinc (inquit S. Hiero- Hieron. nymus epiſtola ad Ruſticum) *Et grues ſequuntur ordine litterato.* S. Cyprianus S. Cypr. lib. de vanitate idolorum. *Rex unus apibus, Dux unus in gregibus, & in armentis rector unus.* Ideſt quemadmodum ex principio ſeu inclinatione naturali grues unum ſequuntur, apes unum regem, greges unum paſtorem, armenta unum paſtorem, ita Eccleſia unum ſupremum & primarium rectorem, regem, paſtorem habere, ut rectè animadvertit S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 6. ad Magnum, ubi loquens de Novatiano, qui volebat fieri Epiſcopus Romæ cùm jam Cornelius creatus eſſet, & ſederet, oſtendit omnes homines, ſive ſint Judæi, ſive Gentiles, in unum tãtùm ovile coaleſcere debere, & ab unico gubernari. *Prius oſtendat Novatianum in Eccleſiâ eſſe, aut Eccleſiæ præſidere*

ſidere. Pondera illud *præſidere*, quod autem Cornelius ſolus Eccleſiæ tunc præſideret. *Eccleſia autem una eſt, &c. ſi apud Novatianum eſt, apud Cornelium non fuit, ſi verò apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitimâ ordinatione ſucceſſit, & quem præter ſacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit. Novatianus in Eccleſiâ non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelicâ & Apoſtolicâ traditione contemptâ, nemini ſuccedens à ſeipſo ordinatus eſt. Habere namque, aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſiâ non eſt.* His verbis, *habere namque aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt*, denotat regimen eſſe monarchicum, non autem Ariſtocraticum vel Democraticum, alioqui dixiſſet *nullo modo poſſunt*, quod probat. *Foris enim non eſſe Eccleſiam, nec ſcindi adverſum ſe, aut dividi poſſe: ſed inſeparabilis atque individuæ domus unitatem tenere manifeſtat ſcriptura divinæ fides, &c.* Cur vocat inſeparabilem & individuam domum? quando unus eſt paterfamilias, regnum eſt inſeparabile & individuum quando eſt unus rex. Infra. *Et idcircò Dominus inſinuans nobis unitatem de divinâ auctoritate venientem ponit & dicit, Ego & pater unum ſumus, ad quam unitatem redigens Eccleſiam ſuam denuò dicit, & erit unus grex & unus paſtor, ſi autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis nõ eſt? aut paſtor haberi quomodò poteſt, qui manente vero paſtore, & in Eccleſiâ Dei ordinatione ſuccedaneâ præſidente nemini ſuccedens, & à ſeipſo incipiens, alienus ſit & prophanus, dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id eſt in Eccleſiâ Dei, in quâ nonniſi concordes atque unanimes habitant.* Quibus verbis ſignificat Chriſtũ voluiſſe introducere & introduxiſſe in Eccleſiam non tantùm unitatem fidei, dilectionis, & morum ſub regimine monarchico Paſtoris ſcilicet Petri, ſed etiam ordinaſſe ut ſucceſſores eandem in Eccleſiâ præſidentiam haberent: ita ut qui non eſt ſucceſſor Petri, ſed à ſe ipſo incipit & attentat præſidere ſit alienus & prophanus.

III. Aliud argumentum nobis ſubminiſtrat analogia Arcæ Noemiticæ & Eccleſiæ, S. Petrus 1. epiſt. cap. 3. verſ. 20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë cùm fabricaretur arca, in quâ pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* (Petr. c. 3. v. 20.) S. Hieronymus dialogo cõtra Luciferianos ſub finem quaſdam analogias Arcæ & Eccleſiæ profert. (Hieron.) *Octo* (inquit) *animæ hominum in Arcâ Noe ſervatæ ſunt, & nos Eccleſiaſtes jubet dare partes ſeptem, & dare partes octo, id eſt, credere utrique teſtamento, ideò quidam pſalmi pro octava inſcribuntur, & per octavos verſus. 1. Qui ſingulis litteris ſubjecti ſunt in 118. pſalmo Juſtus eruditur. Beatitudines quoque, quas Dominus Diſcipulis in monte pronuncians Eccleſiam delineavit, octo ſunt. Et Ezechiel in ædificationem templi octonarium numerũ aſſumit. 2. In arcâ erant animalia munda & immunda, in Eccleſiâ ſunt juſti & peccatores. 3. Emittitur de arcâ corvus, & non redit, & poſtea pacem terræ columba nunciat, ita & in baptiſmate Eccleſiæ teterrimo alite expulſo, id eſt, diabolo, pacem terræ noſtræ columba Spiritus ſancti nunciat. 4. A triginta cubitis incipiens uſque ad unum cubitum paulatim decreſcens arca conſtruitur, ſimiliter Eccleſia multis gradibus conſiſtens ad extremum Diaconis, Presbyteris, Epiſcopiſque fruitur. 5. Periclitata eſt arca in diluvio, periclitatur Eccleſia in mundo. 6. Egreſſus Noë vineam plantavit, & bibens de eâ inebriatus eſt, natus quoque in carne Chriſtus Eccleſiam plantavit, & paſſus eſt. 7. Nudatum patrem irriſit minor filius, & major texit, & Deum Crucifixum illuſerunt Judæi & honoraverũt Gentiles.* Quibus alias addo. Quemadmodum Arca Noë ex lignis lævigatis conſtructa eſt, ſic Eccleſia fidelibus cõſtat. 1. Corinth. cap. 3. Qui lævigati, ac dolati, ſeu omni vitiorum labe carentes cunctis virtutibus ſunt ornati. Septuaginta pro lævigatis vertunt *Quadratis.* S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum, huic tranſlationi inhærens per ligna quadrata intelligit Sanctos. (S. Aug.) *De lignis quadratis arca fabricatur ſicut Eccleſia de Sanctis conſtituitur ad omne opus bonum ſemper paratis. Quadratum enim quocumque verteris firmiter ſtat, &c.* Sicut in Arcâ Noë erant omnis generis animantia, ſic Eccleſia omnis ge-

nis generis & nationis homines complectitur. Sunt enim in eâ Orientales, Occidentales, Meridionales, Septentrionales, &c. omnes admittit, neminem excludit. Tres arcæ contignationes denotant tres ſtatus Eccleſiæ ſecundùm S. Auguſtinum lib. 5. de civit. cap. 26. Virginum, viduarum, & conjugatorum. Nidi, ſeu manſiunculæ diverſæ ſignificant diverſas Religioſorum familias, varios vitæ ſtatus, varios gradus meritorum: ſicut in cœlo manſiones multæ ſunt. Arca erat oblita bitumine, & Eccleſia charitate. Eſt enim (inquit S. Auguſtinus lib. 12. cōtra Fauſtum cap. 14.) bitumen ferventiſſimum ac violentiſſimum gluten ſignificans dilectionis ardorem. Beda in Geneſim ait bitumine patientiam & continentiam ſignificari. Poſſunt eodem adumbrari virtutes omnes, quæ Eccleſiam muniunt ac tuentur, intrinſecus extrinſecuſque bitumine linitur: quia virtus & intus in corde latet, & extrinſecus in opere apparet. Bitumine munita eſt arca adverſus fluctus. Virtute munitur Eccleſia adverſus mundi

S.Amb. tempeſtates. S. Ambroſius in libr. de Salomone cap. 4. *Eccleſia* (inquit) *etſi undarum fluctibus aut procellis ſæpè vexatur, tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium: quia in arbore ejus, ideſt in cruce Chriſtus erigitur. In puppi Pater reſidet gubernator, proram Paraclitus ſervat Spiritus, Etſi ſæculum iſtud tanquam pelagus ſortitur infeſtum nunquam alliditur ad ſaxum, nec mergitur ad profundum.* Alias analogias arcæ & Eccleſiæ fusè deducit S. Laurentius Juſtinianus. Undè Arca Noë inter tot undarum fluctus ſtat, non abſorbetur? undè Eccleſia inexpugnabilis & ſancta ſemper perſeverat? quia (inquit ſan-

Hieron. ctus Hieronymus epiſt. ad Ruſticum.) *In navi unus gubernator*, ideſt in Eccleſiâ unus Pontifex qui illam gubernat ac dirigit contra univerſas inferorum poteſtates. Qui igitur harum poteſtatum infernalium furorem evadere voluerint ab arcâ nè diſcedat, illiuſq; ſummo rectori Romano Pontifici obtemperent, captivantes intellectum ſuum in obſequium fidei, ſi quis ſecùs fecerit, mediis abſorptus peribit, ut teſtatur idem S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum. *Ego Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam*

Hieron. *Eccleſiam ſcio, quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt, ſi quis in arcâ Noë non fuerit peribit regnante diluvio*, ideſt non fuerit in Eccleſiâ, cui præſidet Romanus Pontifex naufragium faciet: è contra S. Ambroſius ait ex hac arcâ ſive navi ſub Romani Pontificis regimine neminem unquam periturum. *Indè Montani an-*

S.Amb. *tra latratu falſi criminis reſonant, qui duabus fœminis propheteſſis Priſcillæ & Maximillæ tanquam alicujus ſcyllæ rabidis ſuccinctus eſt canibus. In iſtâ navi Eccleſia ea fœliciter præterimus indè in Photinianam Charybdim non incidimus. Indè nullo modo in illud barathrum, quaſi Dathan & Abiron, ideſt in profundum mortis Vrſacii & Valentis non incurrimus. Indè Arium archipiratam qui nos per mare ſæculi adinſtar Pharaonis inſequitur, non timemus, illam ſtellam ſervantes in cœlo, quæ Magos perduxit ad Chriſtum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus eſt portus expectat. Indè nunquam nos de hac navi Eccleſiæ præcipitat.* Hac navi (inquam) ſicut Noë in arcâ, ſic Pontifex Romanus præſidet, quam regit. *Marcion cetus ille abſorbuit, inde Sabellius pirata non cœpit. Indè nobis aquilo nocere non poterit, quamvis indè ſint Antichriſti violenta flabra ventura, ſicut ſcriptum eſt Ieremiæ cap. 1. Ex aquilone exardeſcent mala, indè ſyrtes gentilium, & periculoſas hæreſes & ſcopulos evitamus, quos ſuperjaciens aqua tenuis occultat allapſus: quia hæretici ſub prætextu nominis Chriſtiani abſconſa perfidia ſaxa fallaci confeſſione oris obducunt, in quæ homines, dum illis, quod Chriſtiani ſunt, fides adhibetur impugnant. Hac enim navis Eccleſia eſt.* Cujus ſcilicet rector & nauclerus Petrus eſt, & ejus ſucceſſores, ut idem S. Ambroſius innuit ſerm. 11. de mirabilibus. *Hanc ſolam Eccleſiæ navem aſcendit Dominus, in quâ Petrus magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino Matthæi cap. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quæ navis in altum ſæculi iſtius ita natat, ut percurrente mundo omnes quos ſuſcepit ſervet illæſos. Cujus figuram jam in veteri videmus teſtamento. Sicut enim Noë arca naufragante*

mundo, cunctos quos ſuſceperat incolumes reſervavit. Ita Petri Eccleſia conflagrante ſæculo, omnes, quos amplectitur, repræſentabit illæſos. Vides quomodò ſemper proſequitur analogiam arcæ & Eccleſiæ, Noë & Petri: ita ut quemadmodum una fuit arca in quâ mundus à diluvio liberatus eſt: ita una eſt Eccleſia, in qua vera ſalus. Sicut illi unicus Noë quaſi monarchicè præfuit, ita Eccleſiæ præeſt Petrus, & ejus ſucceſſores. Idem Sanctus Ambroſius ſuam analogiam *Et ſicut tunc tranſacto diluvio ad arcam Noë columba ſignum pacis detulit, ita & tranſacto judicio ad Eccleſiam Petri Chriſtum gaudium pacis refert, quia ipſe columba, vel pax eſt, ſicut promiſit, dicens, Ioannis cap. 16. Iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.* Ecce quomodò Eccleſia ſancta ſubmergi nequit ob induſtriam Naucleri ſcilicet Romani Pontificis.

IV. Ex collatione Eccleſiæ militantis cum triumphante & natura aliud argumentum colligere licet. Quemadmodùm univerſæ creaturæ uni Deo ſubſunt, illiusque providentia gubernantur. Quemadmodum in Republicâ benè ordinatâ unus eſt rex, unus princeps, unus Dominus, qui omnia ſupremâ ſuâ auctoritate moderatur, à ſcripturâ Deus appellatur, juxta illud pſalmi 81. verſ. 1. *Deus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Titelmannus. *Dominus Deus omnipotens ſtat in medio congregationis Deorum, ideſt judicum & principum, qui ejus vocem & locum in terrâ gerentes ejus judicium in terrâ exercent, propter quod etiam Dii merentur appellari, &c.* Pſal 81. verſ. 1.

verſ. 6. Pſaltes verſ. 6. iterùm canit. *Ego dixi Dii eſtis & filii excelſi omnes.* Titelmannus. *Ego quidem mirificè vos exaltavi, vobis in terra committens meam poteſtatem, meamque auctoritatem ad exequendū judicium, dans vobis ſuper alios proximos generis veſtri poteſtatem & imperiū etiam vitæ ac mortis, &c.* Imo militans Eccleſia dirigitur non tantùm inſtar naturæ & reipublicæ, ſed etiam Eccleſiæ triumphantis, ita ut eodem modo ratiocinari liceat de Eccleſia militante ac triumphante, ut docent S. Gregorius lib. 4. epiſt. 52. S. Bernardus libr. de conſideratione ad Eugenium Papam mellifluis his verbis cap. 4. *Nec vilem reputes formam hanc, quia in terrâ es, exemplar habet è cœlo. Neque enim filius poteſt facere quidquam, niſi quæ viderit patrem facientem, præſertim cum ei ſub Moyſi nomine dictum ſit. Vide omnia facias ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Exodi cap. 15. Viderat hoc, qui dicebat, Vidi civitatem ſanctam Ieruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam. Apocal. cap. 21. Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut Seraphim & Cherubim ac cæteri quoque uſque ad Angelos & Archangelos ordinantur ſub uno capite Deo. Ita hic quoque ſub uno ſummo Pontifice primates, vel Patriarchæ, Archiepiſcopi Epiſcopi, Præsbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt parvi pendendum quod & Deum habet auctorem, & de cœlo ducit originem.* Dicit ergò Joannes Eccleſiam triumphantem deſcendere, ut militanti ſuæ ſanctitatis idæam & exemplar præberet, oſtenderetque ab eadem ut origine ſeu idæâ ſanctitatem Eccleſię militantis derivari debere. At Eccleſiæ triumphanti ſolus & unicus Deus præeſt. Quamvis enim ſint ibi diverſi Angelorum ordines. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt:* Tamen unus eſt Deus, unus Dominus, unus Creator, unus Pater, unus Paſtor, unus totius ſanctitatis & beatitudinis fons, cui tota beatarum mentium caterva ſubordinatur, quem unicè diligit & colit. Et in hac erga unicum Deum ſubjectione, dilectione cultu, &c. Eccleſiæ triumphantis firmitas & ſanctimonia conſiſtit: ita ſanctitas, perfectio ac ſtabilitas Eccleſiæ militantis in eo ſita eſt, quod unum Deum ſuper omnia colat, diligat, &c. & uni capiti viſibili ſcilicet Romano Pontifici morem gerat, decretiſque ab eo latis & emanatis conſtanter inhæreat. Non quod ſummus Pontifex Deo æquiparari debeat vel aliquâ dignitate & dote divinâ polleat, vel nulli ſubſit: ſed quia toti Eccleſię præeſt per ſupremum aliquod Dominium, independens ab ulla creaturâ. Non ergò Monarchia Eccleſiaſtica Romani Pontificis omninò convenit cum divinâ. Abſit, longè diſcrepat ſimilitudo Mathematica & Geometrica ab Arithmetica.

Bernar.

ticâ. Illa enim eſt perfecta & exacta ſeu exquiſita: hæc autem eſt rudis & imperfecta. Secundùm hanc Conſtantinus ait Pontificem eſſe Deum, Epiſcopos eſſe Angelos, Archiepiſcopos eſſe Archangelos: ſeu eſſe in Eccleſiâ militante diverſos gradus ſicut ſunt in Eccleſiâ triumphante. Non autem regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticum, ſeu penes Epiſcopos & Primates (ut olim ſuſtinuit Joannes Hus damnatus à Conſtantienſi Concilio, & moderni Hæretici.) ſed eſſe Monarchicum. Porro S. Joannes addit. *Tanquam ſponſam ornatam viro ſuo.* Quia ſicut perfectio conjugii in eo præcipuè conſtituitur, ut mulier ſit unius viri, & vir unus uxoris, ut ſe mutuò diligant, ſibi invicem adhæreant, & ubi vir pluribus uxoribus, & uxor pluribus viris adhæret, oriuntur perpetuæ contentiones, rixæ, diſſidia: ita ſi Eccleſia duobus vel pluribus ſponſis, ſeu Pontificibus ſubjiceretur, non eſſet una, nō eſſet pacifica, non eſſet ſancta, ſed imperfecta, plena diſſidiis, ſchiſmatibus, non eſſet Jeruſalem, id eſt viſio pacis, ſed Babylon, meretrix, infamis, pluribus amatoribus proſtituta, plena cōfuſione. Quod autem Romanus Pontifex ſit Sponſus Eccleſiæ militantis,
Dionyſ. audi Dionyſium in proœmio Canticorum. *Quemadmodum ſummus Pontifex vocatur Sponſus Eccleſiæ, Sponſus (inquam) Vicarialis Eccleſiæ univerſalis. Sic Epiſcopi dicuntur Eccleſiarum ſponſi, & uniuſcujuſque eorum Eccleſiæ ſibi conjunctæ dicitur ſponſus.* Hujus Eccleſiaſtici exemplaris meminit Apoſtolus ad Hebræos cap. 8. verſ. 3. 4. & 5. *Omnis*
Hebr. c. 8. v. 3. 4. & 5. *Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur, unde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat. Si ergò eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos, cùm eſſent, qui offerrent ſecundum legem munera, qui exemplari & umbræ deſerviunt cœleſtium, ſicut reſponſum eſt Moyſi, cùm conſummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito ſecundùm exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte.* Quaſi diceret, quemadmodum in cœlo, quod eſt tabernaculum Beatarum mētium juxta illud pſalmi 14. verſ. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Vnicus eſt Deus tempore legis Moſaycæ, unicus ſupremus Pontifex, ſic in hac lege unicus ſupremus paſtor & Pōtifex eſt.

Si Eccleſiæ regimen non eſſet Monarchicum, ſed penes Epiſcopos aut ſeniores (ut vult Calvinus) Eccleſia careret ferè ſemper rectoribus, ac ſæpè nullus eſſet, qui bono communi advigilaret, ſicque Eccleſia non foret ſancta, ſed omnium congregationum miſerrima, quia cum Optimates ſint pares inter ſe, nequeunt bono cōmuni debitè proſpicere, niſi congregati, vel cōmuni calculo aliquem in Magiſtratū elegerint (ut olim Romani ſuos Cōſules eligebant) cui omnes morem gerāt. At optimates Eccleſię rariſſimè cōgregātur, ut patet ex hiſtoriá Eccleſiaſticâ, quæ refert Eccleſiam caruiſſe congregatione generali trecentis annis. Nec ullibi conſtat fuiſſe unquam in Eccleſiâ magiſtratum, cui univerſalis Eccleſia obtemperaret. Non enim ille Magiſtratus fuit compoſitus ex Patriarchis Jeroſolymitano, Alexandrino, Antiocheno, Cōſtantinopolitano, &c. vel aliquibus Epiſcopis, nec præfati extra ſuas ditiones ſeu regiones ullam unquam exercuerunt juriſdictionem. Sanderus lib. 5. viſibilis Monarchiæ cap. 4. probat nec dæmoniorum quidem conſpirantium factionem, multoque minus Lutheranorum, aut Calviniſtarum ſynagogam abſque unius paſtoris alteriuſvè generis viſibili principatu ſtare ac florere poſſe. V.

§. 5.

Teſtimonium Chriſti.

AUdiamus Chriſtum de hac ſupremâ ac monarchicâ auctoritate ſuæ diſſerentem, Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Quæ verba Monarchiam ſignificant, & non ad ſolum Petrum primatum, ſed ad ejus ſucceſſores Romanos Pontifices eadem auctoritate pollentes dirigi docet S. Gregorius lib. 4. indict. 13. epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce dominicâ ſancto, & omnium Apoſtolorum Petro* I. Matt. c. 16. v. 18

principi Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, &c. Pondera illud *liquet*, ideſt certum ac indubitatum eſt. Quod infra confirmat. *Certè pro Beati Petri Apoſtolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt.* Quaſi diceret, oblatum eſt Romano Pontifici, quia Beati Petri Principis Apoſtolorũ Succeſſor eſt. Vide plura Tomo 1. & 2. Item apud Becanum Tomo 5. opuſculorum lib. 2. de Republicâ Eccleſiaſticâ cap. 6. ubi tredecim prærogativas Petri recenſet. Jacobum Gualterum in ſuâ Chronologiâ undecimâ veritate, quam probat à primo ſæculo uſque ad hunc decimum ſeptimũ. Bellarminum de Romano Pontifice lib. 1. & alios.

Patrum Teſtimonia.

S. Amb. Sanctus Ambroſius in cap. 3. primæ epiſtolæ ad Timotheum ait. *Eccleſia domus Dei eſt, cujus hodie rector eſt Damaſus* S Bernardus lib. 4. de conſideratione circa medium explicans illa verba Pſalmi 44 v. 18 *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, ait Eugenio Papæ. *Eu tu ſucceſſiſti in hæreditatē, ita tu hæres, & orbis hæreditas.* Caſſiodorus libr. 9. variarum epiſtolarum epiſt 15. vocat Romanum Pontificem Patriarcharum Epiſcopum. Sergius Archiepiſcopus Cypri teſtatur ſupremam Petri auctoritatem in eodem Romano Pontifice reſidere his verbis quæ citantur in Synodo Romanâ ſub Martino Papâ. *Sanctiſſimo & beatiſſimo à Deo, honorabili Domino meo, Patri Patrum Archiepiſcopo, & univerſali Papæ Theodoro.* Vocat ſanctiſſimum & beatiſſimum univerſalem Papam, innuens Sedem Apoſtolicam non eſſe ſanctiſſimam & ſemper beatiſſimam, niſi quia ſuprema & univerſalis eſt, ut idem ibidem innuit. *Chriſtus Deus noſter (ô ſacer vertex) firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſtituit. Tu enim (ſicut Dominus veraciter pronunciat verbum) Petrus & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt.* Stephanus Dorenſis Epiſcopus miſſus Romam à Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano ad Martinum Papam in ſupplicatione ac libello ſupplici de Monothelitarum errore agens ita illum affatur. *Annunciemus hæc omnia omnium propoſitæ, dico autem ſummæ veſtræ & principali (ſcilicet Sedi) ad medicinale conſultum emerſi vulneris. Quippe quoniam hoc poteſtativè olim, & ab antiquitus facere per Apoſtolicam ſive Canonicam conſuevit auctoritatem, dum apertâ lucubratione non ſolùm claves regni cælorum creditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodò ad aperiendum eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Evangelii gratiæ credentibus juſtè claudere magnus ſecundùm veritatem & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus: ſed etiam & paſcere primus juſſus eſt oves totius Eccleſiæ Catholicæ & confirmare exagitatos conſortes ſuos, & ſpirituales meruit fratres, ut potè diſpenſativè ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus poteſtatem accipiens & ſacerdotalem auctoritatē. Quod ſciens Patriarcha Sophronius me ad hanc Apoſtolicam magnamque direxit Sedem.* Vocat Sedem Martini Papæ primò ſummam, ſecundò principalem, tertiò ait principem Apoſtolorum Petrum paſcere primum juſſum eſſe oves non Eccleſiæ particularis, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ. Quod confirmat quartò habere diſpenſativè ſuper omnes, denique per illa verba, *Quod ſciens Patriarcha Sophronius, me ad hanc Apoſtolicam magnamque direxit ſedem.* Agnoſcit Martinum eſſe verum ac legitimũ Petri ſucceſſorem. S. Baſilius Magnus etiam in Orientales Eccleſias Romano Pontifici poteſtatem ineſſe teſtatur epiſtolâ 52. ad S. Athanaſium. *Viſum eſt mihi conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur conſideret, deique conſilium, & quoniam difficile eſt, ut communi ac ſynodico decreto aliqui illinc mittantur, ut ſuâ auctoritate in iſtâ causâ uſus, viros eligat, ad ferendas quidem itineris moleſtias idoneos. Verum juxta ad hoc quoque accommodos, ut manſuetudine & facilitate ingenii, eos, qui diſtorti, & obliqui apud nos ſunt corrigant aptè ac diſpenſatoriè ſermonem attemperantes, omniſque habentes, quæ in Arimino ad neceſſariam ſolutionem geſtorum illic, facta ſunt.* Illis particulis

Pſal. 44 v. 19.

Bernar.

Sergius.

S. Baſil.

ſuâ

ſuâ auctoritate, ſignificat Romanum Pontificem poſſe viſitare Eccleſias Orientales. Idem affirmat epiſt. 77. ad ad Epiſcopos tranſmarinos ſeu Eccleſiarum Occidentalium. *Cùm ad hunc modum habeant res noſtræ, debebant contenuò à veſtrâ dilectione ex ſinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppreſſos inviſerent, & multo crebrius amicæ ad nos veſtræ deſtinari litteræ, quibus vel in propoſito confirmaremur, vel ſi quâ in re offendimus corrigeremur. Non enim negamus innumeris nos erroribus obnoxios eſſe, cum homines ſimus & in carne vivamus. Verùm quoniam ſuperiori tempore Fratres colendiſſimi, vel quia quid ex decoro faciendum fuerit ignoraſtis debita nobis obſequia exhibita non ſunt, vel quia quorundam malitia factum eſt, ut calumnias, quibus traducimur, abrepti & praeoccupati indignos nos amicâ viſitatione judicaveritis, ecce jam litteris provocamus, & cauſas hujus quæ nobis aſcribuntur fatemur, parati veſtram hac in re inſtitutionem amplecti.* Quibus verbis fatetur Cathedram Petri eſſe in Eccleſiâ Occidentali, quod paulò patentius ſignificat: *Unus nobis eſt dominus, una fides, ſpes eadem, ſive caput vos ipſos univerſalis Eccleſiæ reputatos.* Quod verò non exiſtimet regimen Eccleſiæ eſſe Ariſtocraticũ & penes omnes Epiſcopos Occidentales, patet ex citatis verbis epiſt. 52. in quâ indicat recurrendum eſſe ad Epiſcopum Romanum ſolum. *Qui quæ hic geruntur conſideret, &c.*

II. Eandem ſupremam Eccleſiæ auctoritatem agnovit in Romano Pontifice
Gregor. Nazianz. S. Gregorius Nazianzenus in ſuâ monodiâ quam in D. Baſilii vitam compoſuit. *Luciferum* (inquit) *& Euſebium Epiſcopos ex urbe Româ Cæſaream miſſos fuiſſe, ad ſeditionem, quæ in Eccleſiâ Cæſarienſi orta fuerat ſedandam.* Quibus verbis declarat Luciferum & Euſebium non ſuâ privatâ auctoritate veniſſe, ſed miſſos ex urbe Româ.

III Hoc regimen Monarchicum præcipuè aſſeruit S. Athanaſius. Nam non
S. Athanaſius. modò cõmunicavit cum Liberio Papâ; ſed etiam ſcripſit ad eum unà cum Epiſcopis Alexandriæ congregatis, ubi cùm vim & dolũ Arianorũ inſinuaſſet, ſubdit. *Veſtrâ hæc recenſentur auctoritate.* Clarius poſtea. *Hujus rei gratiâ univerſalis vobis à Chriſto IESV cõmiſſa eſt Eccleſia, ut pro omnibus laboretis.* Hanc epiſtolam S. Athanaſii refert tomus 1. Cõciliorum. Epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes, hoc præclarum de Liberio Papæ judicium profert. *Clariſſima ſunt confeſſionis viri religioſi & Epiſcopi boni &c. Ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt, nullâ reverentiâ ducti, vel quod Sedes illa Apoſtolica eſſet, vel quod Roma metropolis eſſet Romanæ ditionis: vel quod eos Apoſtolicos viros in litteris ſuis appellaſſent: ſed omnia ſimul miſcentes æquè omnium obl. viſcebantur, neque quidquam illis curæ, niſi ſola impietas fuit. Nam cùm Liberium vidiſſent orthodoxum & oſorem quidem Arianicæ ſectæ, ſtudioſum verò in hoc, ut cunctos ab hæreſi retraheret, ita ſecum impii cogitarunt, ſi Liberium in noſtram ſententiam traxerimus omnes brevi ſuperabimus.* Quomodo victo Liberio victoriam univerſi gregis ſperabant, niſi quia Liberius erat univerſalis Eccleſiæ Paſtor & caput. Undè conſequenter ſubdit. *Rem igitur ad Imperatorem deferunt. Ille autem ſperans per Liberium omnes ſe poſſe attrahere, mittit eunuchum quendam Euſebium cum litteris & donis ad eum, ut donis quidem blandiretur, litteris verò minaretur. Profectus igitur Romam ſpado, primum incitabat Liberium ut cõtra Athanaſium ſubſcriberet, & cum Arianis communicaret, id enim Imperatorem velle & pro imperio juberi. Deinde munera oſtentans verbis inſtabat, manuque Liberii apprehenſa ita locutus eſt. Obtempera regi & iſta accipe, &c.*

Hanc ſupremam Eccleſiæ præfectu- IV.
ram confirmare poſſumus eadem præclarâ ratiocinatione, quâ idem S. Athanaſius lib. contra Gentiles utitur, ſcilicet à Deo hunc orbem ex rebus tam diverſis, atque ex elementis planè contrariis conflatum ita gubernari, ut ex ipsâ inter ſe plurium rerum applicatione, ac ordinatiſſimâ connexione con- S. Athanaſius.
cludendum ſit, unum ac ſolum eſſe, qui rerum univerſitati præſit. *Quis intuens cœli ambitum, & ſolis ac lunæ ordinatiſſimum curſum, aliorumque ſiderum poſitiones ac circuitiones, ortus atque obitus (quæ cùm contrario motu ferantur & vario, in ea tamen differentia ſimilem ſimul*

omnia

omnia ordinem ſervant, non intelligit iſta, non ſeipſum feciſſe, ſed alium eſſe qui cuncta diſponat opificem? Quis orientem quotidie aſpiciens ſolem, lunamque noctu apparentem, eademq́ ſemper incrementa, & certo dierum numero indemutabili ſervantem lege, ſyderaq́ alia diſcurrere, curſus ſuos variantia, alia nunquam vagando moveri, non tantùm quæ per naturam contraria ſunt, connecti ſibi, & concinnam habere harmoniam, pura calida frigidis, & humidis ſicca miſceri, neque adverſum ſe bella, ſeditioneſque movere, unumque ſimul omnia perficere corpus, non cõſideret extra hæc eſſe, qui iſta conjunxit. Idem philoſophandum de regimine Eccleſiæ, quæ paſſim à S. Joanne in Apocalipſi cœlum, & à Salomone in Canticis ſol & luna nuncupatur. Cõſequenter oſtendit res omnes inferiores non poſſe certis temporibus exerceri niſi à ſupremo aliquo rectore gubernentur. *Quis hyemem veri concedere, æſtatique ver, & autumno æſtatem videt: ad idq́ cùm iſta ſibi contraria per naturã ſint, quippe aliud ex his frigus, aliud calorem, aliudque germina nutrit, & aliud perficit: ſimul tamen omnia æqualem & innocuum hominibus præbent uſum, nec ſtatim cogitat præſtantiorem his aliquem eſſe, qui præſtet, omnibus æqualiter, cunctaque gubernet. Etſi hunc minimè videat? Quis cùm videt nubes in aere ferri, atque in nubibus aquas detineri graves, non hujus opificis memoriâ tangitur, cujus iſta imperio fiunt? Quis item terram ipſam naturâ graviſſimam inſidere aquis, ac ſupra fluidam materiam ſuam ſervare firmitatem, non agnoſcat eſſe aliquem qui iſta ordinaverit, & fecerit Deum? Quis cùm aſpicit humum fruges ſuis ferre temporibus, & imbres cælitus demitti inundare flumina, fonteſq́ profluere, animalia item ex diſſimilibus naſci, iſtaque non ſemper, ſed ſtatutis quæque temporibus fieri? Quis, inquam, in his quæ diſſimilia & contraria ſunt, æqualem ac diſſimilem perfici ordinẽ attendit, non continuò cogitat unam eſſe virtutẽ, quæ iſta diſtinguat atque diſponat? Hæc enim per ſe nunquam profectò conſiſterent, aut apparere poſſent, quod naturaliter ſibi invicem cõtraria ſint. Nam aqua naturâ gravis eſt, & ima petit, nubes contrà leves, & ſuperna ſemper appetentes, & tamen graviores aquas ferri nubibus cernimus, terra itidẽ graviſſima eſt, ut ea aqua ſit levior, ab his tamen quæ leviora ſunt, quod eſt gravius fertur, neque dilabitur, ſed ſtat immobilis terra. Maſculus item non idem quod fœmina eſt, utrumque tamen in unum cogitur, & ab utriſque generatio una conficitur ſimilis animantis. Atque ut breviter dixerim calido contrarium eſt frigidum, humidumque ſicco repugnat. Ubi tamen ſimul convenire non ſecum diſſident, ſed conſenſu mirabili unum corpus, omniumque generationem perficiunt. Nunquam igitur, quæ ſibi per naturam contraria & repugnantia ſunt in unum per ſeipſa coirent, niſi præſtantior eſſet ac dominus, qui illa conjungit cui ipſa quoque elementa famulantur ut domino, & promptè cedunt & ſemper obtemperant, nec horum quodlibet ſuam naturam inſpiciens alteri reluctatur: ſed jungentem dominum concordiam ad invicem ſervant, naturâ quidem contrariâ, ſed ad regentis nutum mirabili amicitiæ conjuncta fœdere. Nam ſi præſtantiorũ poteſtatis imperio facta eſſet omnium commixtio, quomodo vel grave levi, vel humido aridum, vel rotundum recto, vel calidum frigido, vel humo humor, aut lunæ ſol, aut ſydera cælo, aut nubibus aer miſceri aut convenire potuiſſent, cùm ſit cujuſq́ ad alterum omninò natura alia? alias enim fuiſſet horum adverſum ſeipſa magna diſſenſio, cùm aliud refrigeraret aliud ureret, & grave deorſum traheret, leve ſurſum contraferret, ſolq́ illuſtraret, & aer obnuberet. Aſtra quoque adverſum ſe diſſiderent, quod alia quidem ſuperius, alia ſint inferius poſita. Nox item diei nunquam cederet, ſed pugnare adverſus illam ac diſſidere perſiſteret. Porrò ſi ſic ita contingerent, non jam mundum compoſitũ, ſed ſummâ confuſione rerum neque ordinem, ſed temeritatem, non conſtantiam, modum, ſed immoderationem videremus. Uniuſcujuſque enim diſcordia ac pugna, aut omnia ſimul tollerentur, aut id ſolùm appareret quod ſuperaſſet, idque rurſus confuſa omnia & incompoſita oſtenderet, quippe ſolum relictum reliquorum uſu deſtinatum, hoc omne incongruum efficeret, atque inconcinnum; veluti ſi pes ſolus, aut ſola manus reliqua eſſet, totius corporis deſideraretur integritas. Nam qualis quæſo mundus eſſet, ſi ſolus appareret ſol, aut luna ſola menſtruum perageret curſum*

ſi ſola

ſi ſola nox aut dies ſola obtineret. Quanam rurſus eſſet incongruentia, ſi vel cœlum ſolum, ſine ſtellis, vel ſi ſolæ ſtellæ ſine cœlo eſſent? Quid verò utilitatis afferret, ſi ſolum eſſet mare, ſi ſola terra ſine aquis, aliiſque creaturæ partibus in ſuo jaceret ſitu? quâ autem ratione homo appareret in terris, vel ullum omninò animal, ſi elementis adverſum ſe diſſidentibus unum ex his obtineret, neque ad corporum ſubſtantiam ſufficere poſſet. Nam ex ſolo calido, aut ex ſolo frigido, vel arido quippiam omnino conſtaret, ſed eſſent confuſa omnia prorſus & incompoſita. nè ipſum quidem quod ſuperare videtur ſine aliorum opitulatione conſtare quieviſſet, ideò quippe modo conſiſtunt, quod ſe mutuò amplectuntur & fovent. Quoniam igitur non temeritas ſed ordo mundo ineſt, neque immoderatio, ſed modus: neque incompoſitio fœda, ſed honeſtus ornatus mundique aptiſſima omninò compoſitio. Neceſſe eſt veniat in mentem, cogitationemque noſtram, is, qui iſta conjunxit, atque connexuit, eorumque concordiam molitus eſt Dominus. Probat id à ſimili. *Sicut enim ſi Civitatem ex multis, variiſque mortalibus conſtantem, parvulis, magnis, opulentis inopibus, ſenibus, junioribus, maribus, fœminis ordinatè inhabitari videmus, eoſque, qui intus ſunt, multos licet & varios in unam conſpirare concordiam: Neque divites adverſus pauperes erigi, nec magnos contra parvos, neque adverſum ſeniores juniores moveri: ſed omnes ſimul per ſummam æquabilitatem tueri pacem. Si (inquam) iſta videamus, ejuſce profectò concordiæ cauſam conjicimus principis eſſe præſentiam, & ſi illum minimè cernamus. Neque enim ſi eſſent plures creaturæ principes ſervare poſſet hic ordo, ſed eſſent confuſa omnia, dum quiſque arbitrio ſuo omnia traheret, atque adverſus alium diſſidere: ſicut enim dicebamus Deorum multitudinem id efficere, ut ſine Deo ſimus, ita fateri cogimur multorum principatum verum auferre dominium. Cùm illud ſibi viciſſim tollunt, nullus jam erit princeps, ſed principatus deſideratio apud omnes prævalebit. Ubi verò princeps non eſt ibi omninò deſideratur ordo, ſicut contrà unus multorũ ordo atque conſenſus unum etiam indicat principem.* Id confirmat exemplo lyræ. *Veluti ſi quis de longè audiat lyram ex multis variiſq; fidibus compoſitam, earumque conſonantiæ miretur harmoniam, quod non ſola gravis vox perficiat ſonum, neque acuta tantùm, neque ſola media, ſed omnes pariter modo pareli unum efficiunt concentum, prorſus intelligis, non à ſeipsâ moveri lyram, aut à pluribus ipſam pulſari, ſed eſſe unius muſicam, qui ſingularum fidium ſonum in unam congruam conſonantiam artis peritiâ miſceat, licet eum minimè videas, ita cùm ſit omninò concinnus mundi totius ordo: neque ab inferioribus ſuperiora, neque à ſuperioribus inferiora diſſideant, ſed unum ſimul omnia perficiant ordinem, conſequens eſt, ut non plures intelligamus, ſed unum creaturæ principem & regem qui ſuo lumine omnia illuſtret & moveat, &c.* Pulchra ibi ac plura deducit, quibus probat eſſe unicum opificem ac rectorem univerſi. Ex quibus infero: In Eccleſiâ ſeu congregatione fidelium, diverſa ſunt membra, diverſæ partes, diverſi populi, quibus præſunt diverſi Epiſcopi. Debent igitur ad unum ſupremum principem ac moderatorem referri, qui omnium illorum curam gerat, ut omnes loco & indole diſtiti, in unâ religione & fide conveniant. Quorſum enim uni Pontifici Judæorum omnes Synagogæ, quæ per totum orbem diſperſæ, ſubjectæ erant? Quorſum hunc Epiſcopis unus Archiepiſcopus, multis Archiepiſcopis unus Patriarcha præeſt, & non omnes tum Paſtores, tum Epiſcopi, tum Archiepiſcopi, tum Patriarchæ uni Pontifici, & ſupremo Paſtori ſuberunt? Quorſum Angeli, Cœli, ſydera, elementa, planetæ, animalia, univerſa natura unum ducem agnoſcent, & ſola militans Chriſti Eccleſia, quæ ab illis omnibus diſtinctam ac ſeparatam conditionem habet, non gubernabitur ab uno ſupremo Paſtore, ſed omnes ſibi invicem præerunt, & ſoli Chriſtiani ſic regimen Eccleſiæ abſque certo præfecto confundent & perturbabunt, ut neque prima ultimis, neque media extremis, neque nova veteribus congruant? Quorſum Chriſtus in ſingulis membris minoribus, ideſt, Parœciis unum Paſtorem, in ſingulis majoribus membris, ideſt, Diœceſibus unum Epiſcopum, in multò majoribus, ideſt

Provinciis unum primatū creabit, & in univerſo orbe non erit unū caput viſibile ſcilicet Pontifex? Ergonè Eccleſia militans deterioris cōditionis erit, quā umbra & figura ſua, quàm minimum ſui corporis myſtici membrum ſcilicet parœcia? Ergònè ſola Eccleſia militans modum regiminis deteriorem habebit quàm ſua membra? Ergonè Chriſtianorum cœtus qui medium tenet locum inter creaturas, & Deum à totâ naturâ diſſentiet? Ergò geret imaginē inferni, in quo nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Ergò Eccleſia non erit una Chriſti tunica inconſutilis, ſed ſciſſa ac diviſa, ut nunc Eccleſia Græca à Latinâ? *Neque enim* (inquit S. Cyprianus libr. 1. epiſt. 3. ad Cornelium) *aliundè hæreſes ortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm Magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum Collegium quidquam moveret, nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret, nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens, ac tumens ſeorſum, foris hæreſim novam conderet.* Quibus verbis patet quanta ſit neceſſitas in Eccleſiâ monarchici regiminis.

§. 7.

Teſtimonium Conciliorum.

Quod omnia ferè Concilia tum generalia, tum particularia, hunc principatum monarchicum agnoverint. Patet ex dictis Tomo 2, tractatu ultim. cap. 15. quibus pauca adjiciam. Concilium Lateranenſe 3. cui Patres Græci & Latini interfuère cap. 3. *Romana* (inquit) *Eccleſia diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium & Magiſtra.* Quomodò & in quo obtinet principatū? in Pontifice qui eſt ſucceſſor Petri, ut aſſerit Concilium Lugdunenſe ſub

Conciliū Later.

Gregorio X. cap. *Periculum* de elect. in ſexto ubi vocat Romanum Pontificem, *Vicarium Chriſti, ſucceſſorem Petri, rectorem univerſalis Eccleſiæ.* Conciliū Florentinum de aſſenſu Patrum Græcorum & Latinorum. *Definimus* (inquit) *ſanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in univerſum orbē tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Noviſſimè Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſervatione. *Undè meritò Pontifices maximi pro ſuâ ſupremâ poteſtate ſibi in Eccleſiâ univerſâ traditâ cauſas aliquas criminum graviores potuerunt particulari judicio reſervare.* Tria Concilia Africana eandem ſupremam ſeu monarchicam poteſtatem profitentur, ut patet ex eorum epiſtolâ inſertâ Concilio Lateranenſi primo, & Baronio ad annum Chriſti 646. art. 3. ſic inſcriptâ. *Domino Beatiſſimo Apoſtolico culmine ſublimato ſancto Patri Patrum Theodoro Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici, Columbus primæ ſedis Epiſcopus, Concilii, &c.* Vocat *beatiſſimum culmen, ſanctum Patrem Patrum, &c.* Quaſi diceret Eccleſiam non habituram eam ſanctimoniam & pacem, niſi haberet illud ſublime culmen, & Patrem patrum, ſeu niſi per regimen monarchicum, Democratico & Ariſtocratico ſanctius & perfectius gubernaretur. Eandem ſupremam auctoritatē & ſanctum regimen probant alluſione factâ ad magnum fluvium ſeu fontem. *Magnum & indeficientē omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam ſedem conſiſtere fontem nullus ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluenter, univerſum longiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum. Cui etiam in honore Beatiſſimi Petri Patrū decreta peculiarem decrevère reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò & ſollicitè debent maximè juſtèque ab ipſo Præſulum vertice Apoſtolico examinari. Cujus vetuſta ſollicitudo eſt tam mala damnare,* quam

Conciliū Lugd.

Conciliū Floren.

Conciliū Trident.

Baron.

quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, ut quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur provinciis, non prius tractandū vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum, ut ejus auctoritate juſta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei ſacramenta ſalutis. Quibus verbis agnoſcunt *ſupremam Romanæ Sedis auctoritatem, magnam & indeficientē Chriſtianis fluenta redundantem,* ideſt fontem ita immenſam, ut nullis terminis coarctetur, ſed omnibus ubicumque ſint fluenta ſua communicet, ut patet ex verbis ſequentibus. *De quo rivuli prodeunt affluenter.* Quaſi diceret, nullus populus, nulla natio, nullus Prælatus, nullus vir Apoſtolicus, qui à Sede Apoſtolicâ Romanâ non dependeat. Quod ita certum eſt (inquit) *ut nullus ambigere poteſt.* Quod autem ab illâ ſanctâ Sede Monarchicâ Eccleſiæ totius ſanctitas dependeat, patet ex illis verbis. *Cui etiam honore Beatiſsimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevêre reverentiam in requirendis Dei rebus.* Quaſi diceret, Sedes Apoſtolica ita omnibus Eccleſiis proſpicit, ut iis quæ ſpectant tam ad fidem, quàm ad mores, ex ejus oraculis prodeuntibus firma ſit fides adhibenda, adeò ut verius Romanum Pontificem, affare liceat, quàm olim Terentius Senatum, ſeu potius Cæſarem. *Tibi ſummum judicium Dii dedêre, nobis obſequii gloria relicta eſt.* *Tacitus.*

§. 7.

Teſtimonium Principum.

HOnor huic Sedi Romanæ exhibitus à Cæſaribus aliiſque principibus ſatis manifeſtant monarchicum ejus regimen. Anaſtaſius in Joanne I. ſcribit, quod cùm Joannes Pontifex anno 525. Conſtantinopolim petiiſſet, Juſtinus Imperator obviam illi proceſſit cum totâ urbe, & ad ipſius pedes eum veneraturus procubuit, ad templum deduxit, & ad lævam coram toto populo aſſedit, inſignia auguſtalia deinde detraxit, ac procidens Pontificem rogavit, ut iterùm illa ſibi imponeret. Anno 711. Cùm Conſtantinus Papa Nycænam Bythiniæ urbem eſſet ingreſſus, Juſtinianus II. Imperator illicò ad ipſum de induſtriâ expectantem venit, & ad oſcula pedum procubuit, ita Baronius ad annum 710. num. 2. Henricus IV. Imperator eodem honore Paſchalem II. & Fredericus I. Adrianum IV. affecit. Stephano II. in Galliam venienti anno 754. nobiliſſimus ac ampliſſimus quiſque ad primos fines occurrêre cum Carolo adoleſcentulo, qui poſtea ob ſingularem ſuam virtutem & fœlicitatem Magni cognomen accepit. Ita Annales Franciæ. Pipinus tertium à Cariſiaco oppido lapidem obviam progreſſus, Pontificis pedes exoſculatus eſt, eumque equo inſidentem, ipſe frœnum manu tenens in regiam deduxit, ut ſcribunt Aimoinus, & alii. Idem Carolus ann. 774. cùm veniſſet Romā, Pontifex in æde Vaticanâ illum cum Clero in gradibus expectavit. Ubi Carolus cruces conſpexit, ſtatim ex equo deſiliens, pedes ad Pontificem proceſſit, & in ſummo gradu pedibus illius ſedentis advolutus, exoſculatus eſt eos. Anno 797. filius ejus eâdem veneratione excepit Leonem III. quâ Stephanum II. pater exceperat. Anno 844. Cùm Ludovicus I. Romam petiiſſet, & Sergius II. ipſum in Vaticano præſtolaretur, ubi ſacratas Cruces animadvertit equo deſiliens uſque ad gradum pedeſtris proceſſit, pedeſque Apoſtolicos Chriſtiano more oſculatus eſt. Sigonius lib. 5. Idem Ludovicus Pius anno 858. obvius per aliquod itineris ſpatium proceſſit Nicolao I. Pōtifici frænumque equi tenens comitatus, abeuntémque pari humilitate etiam proſecutus eſt, eique poſt oſculum pedum valedixit, ita Sigonius ſuprà. Ludovicus VII. Rex Galliæ, & Henricus II. Rex Angliæ Alexandrū III. Pontificem non minore exceperunt honore. Plura Tomo 1. & 2. retuli. Immò Attila flagellum Dei, quamvis Ethnicus & Barbarus S. Leonem Pontificem ſummopere honoravit, illiuſque hortatu à propoſito

abſtinuit, pedem retulit, licet alioqui urbem invadere paraſſet, ac eam ferro & flammis conſtituiſſet dare. *Dum* (teſte S. Gregorio lib 3 Dialogorum cap. 3.) *Agapetus S. Romanæ Eccleſiæ Pontifex ad Iuſtinianum principem proficiſceretur, in Græciarum partibus propinqui cujuſdã muti & claudi obtulerunt Agapeto curandum, dicentes ſe in virtute Dei, ex auctoritate Petri fixam illius ſpem habere. Protinus venerandus Vir orationi incubuit & miſſarum ſolemnia exorſus ſacrificium in conſpectu Dei omnipotentis immolauit, quo peracto ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque aſſiſtente & aſpiciente populo, eum mox à terrâ in propriis greſſibus erexit. Cùmque ei Dominicum Corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt. Mirati omnes flere præ gaudio cœperunt, eorumque gentes illicò metus & reverentia invaſit, cùm videlicet cernerent, quid Agapetus facere in virtute Domini, ex adjutorio Petri potuiſſet.* Quaſi diceret vulgus agnovit Agapetum verum Petri ſucceſſorem. Ex editione hujus miraculi eundem Agapetum Petri ſucceſſorem aſſeruerunt Optimates, quandoquidem (ut refert Liberatus cap. 21.) *Petentibus Principibus, ut Agapetus Anthimum* (qui Synodum Chalcedonenſem reprobabat) *in communionem ſuſciperet, recuſavit, niſi ſe libello probaret Orthodoxum, & Cathedræ ſuæ* (ſcilicet Romanæ) *reconciliaretur. Anthimus igitur pallio Imperatoribus reddito diſceſſit, & Papa ex Imperatoris conſenſu Menam ſuâ manu conſecravit Antiſtitem.* Quaſi diceret, ideò Imperator permiſit Menam loco Anthimi conſecrari, quia hic Romanum Pontificem ut ſupremum Eccleſiæ apicem colere, eique parere voluit. Addit Pontificale, ſeu Anaſtaſius in Agapeto, quod convicto & depoſito Anthimo; Juſtinianus Auguſtus gaudens, ſe Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubmiſerit, & adorarit.

Gregor.

Liberat

§. 8.

Teſtimonium Legis Civilis.

I. PRæfatus Juſtinianus, aliique Cæſares, non tantùm Monarchicum Eccleſiæ regimen in Romano Pontifice reſidere faſſi ſunt, ſed etiam ſcripto ediderunt. Novellâ 3. Juſtinianus vocat Eccleſiam Romanam primariam, additque Baronius ad annum Chriſti 535. *Vt vel ex his perſpicuò intelligas, non ex nimio Romanæ Eccleſiæ ſplendore (ut aliqui garriunt) comparatam illi ſuper omnes orbis totius Eccleſias auctoritatem & poteſtatem, quæ hac ex parte pluribus diverſarum civitatum Eccleſiis invenitur inferior: ſed ex Cathedra Petri à Deo ſuper univerſalem Eccleſiam conſtituti, id ipſi perpetuò inhæſiſſe, &c.* Novellam 9. hoc tenore auſpicatur. *Imperator Iuſtinianus Auguſtus Viro Beatiſsimo ac ſanctiſsimo Archiepiſcopo & Patriarcha veteris Romæ. Vt legum originem anterior Roma ſortita eſt: ita & ſummi Pontificatus apicem apud eam eſſe nemo eſt, qui dubitet. Vnde & nos neceſſarium duximus patriam Legum, fontem Sacerdotii, ſpeciali noſtri Numinis lege illuſtrare, ut ex hac in univerſas Eccleſias Chatholicas quæ uſque ad Oceanum fretum poſitæ ſunt ſaluberrimæ legis vigor extendatur, &c.* Supra vocavit Sedem Romanam *Cathedram Petri*, à Deo ſuper univerſalem Eccleſiam conſtituti perpetuò inhærentem. Novellâ 9. appellat. *Summi Pontificatus apicem, fontem Sacerdotii, ut ex hac in univerſas Eccleſias Catholicas, quæ uſque ad oceanum fretum poſitæ ſunt ſaluberrimæ legis vigor extendatur.* Infrà concludit. *Habeat itaque Sanctitas tua hanc legem Catholicis totius Occidentis profuturam, & in Orientales partes propagandam, in quibus aliquid ſacroſanctæ poſsident Eccleſiæ, &c.* Quod concedit Sedi Romanæ ait profuturum non dumtaxat Catholicis Occidentalibus, ſed etiam Orientalibus. Infra *Quod igitur noſtra æternitas ad Omnipotentis Dei honorem veneranda Sedi ſummi Apoſtoli Petri dedicavit, hoc habeant omnes terræ, omnes inſulæ totius Occidentis, quæ uſque ad ipſos oceani receſſus extẽduntur noſtri imperii*

Novella 3.

Baron.

Novella 9.

imperii providentiam per hoc in æternum. Qnod præſit Eccleſiæ ſummus Pontifex Romanus, vide l. *Cunctos.* 1. Cod. de ſummâ Trinit. quod ſit primus & caput omnium Sanctiſſimorum Sacerdotum, affirmat text. l. *Cognoſcere*, in principio, C de ſummâ Trinit. in l. *Inter claras*, 8. §. *reddentes*, in verſ. *Veſtræ ſanctitati, quæ eſt caput omnium ſanctarum Eccleſiarum.* C. eodem. & Novellâ conſtit. 131. cap. 1. de Eccleſ. tit, ubi ait: *Secundum ſacrorum Conciliorum ſanctas definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam, primum eſſe omnium Sacerdotum. Beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum novæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctam ſenioris Romæ Apoſtolicam Sedem.* Vocat Romanam Sedem *Apoſtolicam.* Quod etiam aliis ſedibus Antiochenæ, Alexandrinæ, & Hieroſolymitanæ præponatur. Vide Novellam 40. & 120. quod ſit verus Petri ſucceſſor; vide l. *Cunctos*, l. *Inter claras.*

II. Non omittenda hic Juſtiniani Imperatoris ad Agapetum Papam fidei confeſſio, quam refert Baronius ſuprà. *In nomine Domini noſtri IESV-Chriſti Dei, Flavius Iuſtinianus Almanicus, Gothicus, Francicus, &c. Victor, triumphator ſemper Auguſtus, Agapeto ſanctiſſimo Archiepiſcopo almæ Vrbis Romæ, & Patriarchæ, &c. Et quia noſtri ſtudii eſt emergentes ejuſmodi cauſas ad Apoſtolicæ Sedis veſtræ referre judicium, ejuſdem fidei quam ſequendam duximus, tenorem epiſtolæ noſtræ ad beatæ memoriæ prædeceſſorem veſtrum Ioannem per Hypatium & Demetrium venerabiles Epiſcopos miſſâ legatione direximus.* Non vocat Sedes Hyppatii & Demetrii Apoſtolicas, ſed tantùm ſedem Agapeti, ſeu Romanam.

III. Obiter nota, quod quamdiu Imperator Juſtinianus Eccleſiæ Romanæ, & Sedis Apoſtolicæ fidelis propugnator ac aſſertor fuit, univerſa illi ad mentem ſucceſſerunt. Nam optimis legibus hoſtes vicit, apud Baronium ad annum Chriſti 535. à Vitige Rege Gothorum vinci nequit, anno 537. imò ab eo rogatur pro pace componendâ, &c. At verò ubi Romanam Eccleſiam & Sedem infeſtare, & altare contra altare erigere aggreſſus eſt. Procopius ſcribit, quod anno 551. Germanus insignis dux exercitus in quo omnem ſpem recuperandæ Italiæ Juſtinianus collocaverat, inopinatâ morte ſublatus eſt in oſtiis maris Adriatici contra Calabriam, Sclaviniique Barbari graſſantes apud Hadrianopolim Romanum profligarunt exercitum, victoresque progreſſi uſque ad murum longum, qui unius diei ſpatio diſtat Conſtantinopoli. Vndè tot mala terrâ marique patitur ab irato Numine? quia in Eccleſiam & Sedem Romanam inſurgit, & dum illam convellere nititur, ipſemet profligatur: Audi Baroninm. *Dictum eſt ſæpe, repetendum verò ſæpius pro hoſtibus pugnare Deum, cùm à principibus in religionem peccatur, reddiq; imbecilles ac prorſus inutiles robuſtiſſimos quoſque exercitus, niſi pietate firmentur. At debiles hoſtes evadere potentes cum adverſariorum caſtris offenſam paſſa religio mæret, quæ quidem ex divinis litteris pluribus declarata exemplis, eadem crebrius ſingulis ſæculis produntur expreſſis ſignata monumentis.* Refert conſequenter quæ adverſus ſacros Canones, contra Eccleſiaſticas ſanctiones, decreta Patrum, majorum traditiones in vituperium Eccleſiæ & Sedis Romanæ hactenus inaudita Conſtantinopoli ediderit, inſtigante Theodoro Cæſarienſi omnium malorum fonte. Idem Baronius anno 563. ſcribit de eo. *Dum quæ ſunt Sacerdotum ſibi nimium arrogat, & Pontificum partes uſurpat, pacem profligat, fidemq; in diſcrimen ſæpè adducit, atque tandem penitus labefactat. Ita planè homini accidit, non quæ ſunt Cæſaris tantùm ſibi ſumenti, ſed quæ Dei procaciter uſurpanti, &c.* Ecce quàm infœlix fuerit Juſtinianus poſt ſpretam Eccleſiam & Sedem Romanam, &c. Ferunt quidam Juſtinianum pœnituiſſe inſtar Achabi Regis, de quo lib. 3. Reg.
cap. 21. Alii illum miſerrimè obiiſſe, *l. 3. Reg. c. 21.*
ut præfatum Achabum cap. 22. Idem *c. 23.*
infortunium formident; qui jus civile, ſeu potius proprium judicium juri Canonico, Eccleſiaſtico, Divino præponunt, immunitates Eccleſiaſticas ſuſdeque invertere & imminuere contendunt, ſanctiones Apoſtolicas, Cōciliorum Œcumenicorum decreta, &

Canones, Scripturam, ac Hiſtoriam ſacram ſancti Spiritus dictamine exaratam quaſi res viles & exiles traducunt.

§. 9.

Solvuntur Argumenta contraria.

I. PRæcipua Lutheri, Calvini, Antonii de Dominis & Proteſtantium argumenta ſolvemus. Primum eſt Apoſtolus ad Epheſ. cap. 4. verſ. 16. vocat Chriſtum caput Eccleſiæ. *Qui eſt caput Chriſtus.* Igitur Romanus Pontifex nomen capitis, vel monarchicũ regimen ſibi attribuens eſt Chriſto injurioſus. Reſpondeo, Rom. Papam non dici caput ęquale Chriſto, vel cum Chriſto: ſed ſubordinatum Chriſto; ſicut prorex eſt caput ſubordinatum Regi, Vicarius & Miniſter eſt ſubordinatus Paſtori, ſic quamvis S. Joannes c.21. v. 4. de Chriſto dicat. *Et vita erat lux hom. nũ.* verſ. 9 *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ.* Cap. 8. v. 2. *Ego*
Ioan. c. 8. v. 2. *ſum lux mũdi.* Cap. 9. v. 5. *Lux ſum mundi.* Cap. 12. *Ego lux in mundum veni.* Idem abſque ſui injuriâ aſſerit de Apoſtolis. *Vos eſtis lux mundi.* Matthæi c. 5. verſ. 14 Quomodo & noſter Sylveira
Matt. c. 5. v. 14. Sylveir. tomo 2. in Evangelia cap. 11. in expoſitione. *Comparatione Chriſti non ſunt lux ac ipſe eſt. Nam Chriſtus eſt lux per naturam & eſſentiam, alii verò per donũ & beneficium. Chriſtus eſt lux illuminans intrinſecus per ſuam gratiam: alii verò illuminant extrinſecus per doctrinam & exemplum.* Apoſtolus vocat Chriſtum fundamentum Eccleſiæ, 1. Corinth,
1. Corin, c. 2. v. 11 cap 3. verſ. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS.* Et tamen ad Epheſios cap. 2. verſ. 20. vocat etiam Apoſtolos fundamentum. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, &c.* S. Petrus vocat Chriſtum Epiſcopum & Paſtorem animarum no-
Epheſ. c. 2. v. 20. ſtrarum 1. epiſt cap, 2. verſ. 25. *Converſi eſtis nunc ad Epiſcopum & paſtorem animarum veſtrarum.* Ipſe Chriſtus Joannis cap. 10. verſ. 11. ait. *Ego ſum Paſtor bonus.* Joelis cap. 2. verſ. 23. Chriſtus vocatur *Doctor Iuſtitiæ.* Lucæ cap. 24. verſ. 10. dicitur *Vir Propheta.* ad Hebræos cap. 3. verſ. 1. *Apoſtolus confeſſionis noſtræ.* Et tamen idem Apoſtolus ad Epheſios cap. 4. verſ. 11. ait ab eodem Chriſto datos. *Quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* Sic etſi nomen Dei ſit auguſtiſſimum, tamen Deus ipſe abſque ſui injuriâ vocat homines Deos pſal. 81. v. 1. *Stetit Deus in medio Deorũ.* Et ibidem. *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi.* Alibi. Ita Petrus poteſt dici caput ejuſdem Corporis Myſtici, ſicut Chriſtus: ſed hoc independens, Petrus Vicariale. Nec refert quod Eccleſia dicatur Corpus Chriſti, non tamen Petri. Ratio hujus rei eſt: quia Chriſtus eſt caput principale & perenne Eccleſiæ. Petrus verò eſt caput ad tempus, cui alter ſuccedit. Chriſtus eſt Rex, Papa eſt prorex: Chriſtus eſt Dominus, Papa Œconomus: Chriſtus regit propriâ auctoritate, Papa minimè. Regnum autem non dicitur eſſe proregis, ſed Regis, &c. Deindè cùm Eccleſia dicitur Corpus Chriſti, particula *Chriſti*, poteſt commodè referri non tam ad Chriſtum ut caput, quàm ad Chriſtum ut hypoſtaſim ejus corporis: ſicut cùm dicitur hic jacet corpus Petri, illic Pauli, non ſignificamus quod Petrus vel Paulus ſint corpora, ſed perſonæ quarum corpora illa ſunt. Nam (inquit) Bellarminus libr. 1. de Romano Pontifice cap. 9. Eſt non dumtaxat caput Eccleſiæ, ſed quaſi corpus quoddam magnum ex multis & variis membris compoſitum, ut notat S. Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 31. & innuit Apoſtolus 1. Corinth. cap. 12. verſ. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra cùm ſint multa unum eſt corpus.* Subdit. *Ita & Chriſtus.* Non verò ait & Chriſti corpus. Sic Eccleſia non eſt corpus Petri, ſed Chriſti, quia Chriſtus quaſi hypoſtaſis hujus corporis omnia membra ſuſtentat, in omnibus omnia operatur, videt per oculum, loquitur per linguam, &c. ſeu baptiſat per miniſtrum, docet per doctorem, &c. quod Petro & ejus ſucceſſoribus nõ cõvenit.

Secundum

II. Secundum argumentum ſuggerere videtur Apoſtolus ad Epheſios cap. 4. verſ. 11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* Quibus verbis Eccleſiaſticam hierarchiam deſcribit relictam à Chriſto aſcendente: in quâ nulla fit mentio regiminis Monarchici, ſed potius Ariſtocratici. Non enim dicit Apoſtolus, *Et ipſe dedit* unum ſummum Pontificem, deindè *quoſdam Apoſtolos ſeu Epiſcopos, &c.* Reſpondet S. Chryſoſtomus, Theophilactus, OEcumenius Apoſtolum hoc loco non deſcribere hierarchicum regimen Eccleſiæ: ſed tantùm recenſere dona varia, quæ ſunt in Eccleſiâ, quorum primum participant Apoſtoli miſſi à Deo, ſecundum Prophetæ futura prænuntiantes, &c. tertium Paſtores & Doctores, quibus confusè ſignificabatur hierarchia & ordo miniſtrorum in Eccleſia: ſicut & 1. Corinth. cap. 12. verſ. 28. adiicit *Virtutes, exindè gratias curationum, opitulationes, gubernationes interpretationes, genera linguarum.* Reſpondet ſecundò Bellarminus ſummum Pontificatum eſſe disertè poſitum ab Apoſtolo per illa verba. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c.* Clarius 1. Corinth. cap. 12, citato. *Et poſuit in Eccleſia primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, &c.* Quibus ſignificatur ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam datam fuiſſe nō dumtaxat Petro: ſed reliquis Apoſtolis: ita ut omnes poſſent dicere cum Paulo 2. Corinth. cap. 11. verſ. 28. *Inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Sic tamen ut datum eſſet regimen monarchicum Petro & ordinaria poteſtas regendi monarchicè, quæ ſola ad ſucceſſores devolveretur, non autem ea, quæ aliis Apoſtolis collata eſſet. Fuit enim opus ut naſcente Eccleſiâ ſummam illam poteſtatem & libertatem haberent Apoſtoli, ad fidem celerius diſſeminandam; quibus defunctis ejuſmodi poteſtas ceſſaret. Hanc reſponſionem probat ex epiſtolâ Concilii Chalcedonenſis ad Leonem quæ inſerta eſt poſt tertiam actionem: ex D. Auguſtino epiſt. 162. D. Hieronymo epiſt. 2. ad Damaſum de nomine hypoſtaſis, & lib. 2. contra Ruffinum: S. Bernardo lib. 3. de conſideratione circa initium: 1. epiſt. multorum Epiſcoporum Gallorum ad Leonem, quæ eſt 52. inter epiſtolas Leonis. Reſpondeo tertio, unam ſcripturam debere explicari per aliam, at Chriſtus Matthæi cap. 16. Ioannis cap. 21. & alibi clarè innuit Monarchicum regimen Eccleſiæ ſoli Petro reſervatum & collatum. Reſpondeo quartò, quamvis tempore Eliæ multi alii eſſent Prophetæ, ut ipſe Elias teſtatur lib. 3. cap. 19. verſ. 10. *Prophetas tuos occiderunt gladio & ego relictus ſum ſolus &c.* Tamen S. Chryſoſtomus homilia 57, in Matthæum vocat *Moyſem & Eliam cæterorum Prophetarum vertices.* S. Thomas 3. part. quæſt. 45. art. 3. ad 3. vocat Eliam Prophetarum præcipuum. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 23. vocat Moyſem & Eliam principales Chriſti. Pamelius ait ideo vocari principales, quia *Moyſes & Elias præcipui & primi fuerunt Prophetarum veterum jam dudum ante illos quos majores vocamus.* Et ſapiens Siracides cap. 48. verſ. 4. ait: *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis. Et quis poteſt ſimiliter ſic gloriari.* Dionyſius. *De tantâ ſuâ excellentiâ jucundari in Deo.* Vndè de eo concludit verſ. 11. *Beati ſunt qui te viderūt & in amicitiâ tuâ decorati ſunt.* Sic etſi fuerit paritas ſapientiæ, ſanctitatis, laboris zeli, & honoris inter Apoſtolos, tamen Petri juriſdictio fuit ſublimior: ita ut de eâ nemo poſſit gloriari.

Epheſ. c. 4. v. 11.

1. Corin. cap. 12. v. 28.

l. 3. reg. cap. 19. ver. 20.

Chryſoſ.

Pamel.

Eccleſ. c. 48. v. 4.

III. Tertium argumentum petitur ex eodem Apoſtolo cap. 4, verſ. 3. ad Epheſios. *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ, unus Dominus, una fides.* At ſi Eccleſia foret Monarchica addidiſſet unus Pontifex maximus. Reſpondeo in particulis illis *unum corpus, unus ſpiritus*, comprehendi ſummum Pontificem, quemadmodum enim in corpore naturali, ideò membra ſunt unita, quia capiti ſubjiciuntur, ſic tunc Eccleſia una eſt, cùm omnes fideles uni ſupremo ſubjiciuntur rectori. Vndè Sponſus ſuæ ſponſæ corpus deſcribens, ait illi caput præ-

Epheſ. c. 4. v. 3.

eminere, quod Carmelo monti aſſimilat Cantic. cap. 7. verſ. 5. *Caput tuum ut Carmelus.* Quaſi diceret quemadmodùm Carmelus eſt celtiſſimus, à rebus & locis cœnoſis elatus, Cœlo proximior quàm reliquæ partes orbis, Romanus Pontifex poteſtate cœlos
Matt. c. 16. v. 18. magis attingit, quàm Epiſcopi. Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Et tibi claves regni cælorum &c.* Et S. Chryſoſtomus homil. 2. *Clavis cæli ſit ſermo Eliæ ſanctiſſimi, &c.* & homilia 16. ex variis Matthæi locis. *Eliæ lingua ſit cæli clavis, factus eſt enim ejus arbiter, &c.* Secundò ſicut mons excelſus continuis ventorum flatibus perflatur: ſic mens Petri & Romani Pontificis ſingulari Spiritus Sancti directione & aſſiſtentiâ
Lucæ c. 22. v. 32. fovetur, juxta Chriſti oraculum Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* ideſt ſpecialiter
S. Leo. pro te. S. Leo ſermone 2. de S. Petro. *Specialis à Domino Petri ſuſcipitur cura, & pro fide Petri proprie ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus ſi mens principis victa non fuerit.* Cui ſub-
Cajetan. ſcribens Cajetanus. *Non dicit rogavi pro vobis, (cùm tamen pro eis rogaverit, dicens Pater ſancte, ſerva eos à malo) Sed in ratione officii, quoniam rogaſſe pro te, redundat in rogaſſe pro fratribus.* Tertio quemadmodum mons tum ob diſtantiam à rebus cœnoſis & locis paluſtribus, tum ob continuos ventorum flatus ſolet habere ſaluberrimum aërem, adeoque purum & ſubtilem, ut morbi vix ibi vigeant, ſic mens Pontificis ob aſſiduam Spiritus ſancti aſſiſtentiam & afflatum, cuncta quæ decernit ex cathedrâ quò ad fidem, & quò ad mores ſunt infallibilia, de quâ infallibilitate infra diſſeremus. Nec refert quod Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, eſt enim inviſibile & præter illud viſibili indiget Eccleſia, à quo regatur,
Chryſoſ. ſcilicet Petro, de quo S. Chryſoſtomus homil. 55. in Matthæum. *Cujus paſtor & caput, piſcator homo atque ignobilis, &c.* Eundem titulum illi attribuit Optatus lib. 2.

IV. Quartum argumentum colligunt ex eodem cap. 4. ad Epheſios cap. 7.
Epheſ. c. 4. v. 7. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Non ait, uni ſcilicet Petro & ſucceſſoribus plenitudo poteſtatis, & ut vices gerat Chriſti: ſed unicuique, ideſt ſingulis data eſt ſua portio. Reſpondeo ſi Pontifex Romanus conferatur cum reliquis Epiſcopis dicitur habere poteſtatis plenitudinem, quia reliqui habent dumtaxat determinatas regiones quibus præſunt, & poteſtatem determinatam: At Romanus Pontifex univerſo orbi præpoſitus, accepitque à Chriſto plenam poteſtatem in terris ob Eccleſiæ utilitatem. Quod ſi Romanus Pontifex comparetur cum Chriſto, caret plenitudine poteſtatis, habetque ſolùm quandam portionem juxta mẽſuram donationis Chriſti. Nam Chriſtus regit Eccleſiam non tantùm militantem, ſed etiam triumphantem & purgantẽ, eámque, quæ fuit ab initio mundi & perſeverabit in finem. Deinde Chriſtus poteſt ad nutum inſtituere Sacramenta, leges condere, imò gratiam communicare abſque Sacramento.

Quintum argumentum depromunt ex D. Hieronymo in cap. 1. epiſtolæ V.
ad Titum. *Antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, cõmuni præsbyterorum conſilio Eccleſia gubernabantur.* Hieron. Ex quibus concludunt Eccleſiam non fuiſſe monarchicam, ſed potius Ariſtocraticam. Reſpondeo primò, hæc verba non eſſe accipienda de univerſali Eccleſiâ per totum orbem diffuſâ: ſed tantùm de particularibus Eccleſiis. Reſpondeo ſecundò eſſe intelligenda non de omnibus particularibus, ſed tantùm e quibuſdam. Reſpondeo tertio D. Hieronymum fateri, ſingulos Epiſcopos vel Præsbyteros in omnibus Eccleſiis ab Apoſtolis, vel ſaltem eorum voluntate præfectos fuiſſe. Cœterùm quod hoc obſtante Petrus fuerit princeps Apoſtolorum patet ex ejus verbis. *Caput inter duodecim conſtituitur fuit ut ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Verba autem illa, *ego ſum Pauli, ego verò Cephæ* tantùm probant ab Apoſtolis decretum fuiſſe ut in ſingulis Eccleſiis particularibus præeſſent ſinguli, qui minora ſchiſmata tollerent orta in privatis Eccleſiis.

Bezana confeſſio cap. 5. articul. 5. VI.
profitetur

profitetur *Deum ſolum eſſe, qui huic oneri ſuſtinendo par eſſe poſſit.* Et Apologia Eccleſiæ Anglicanæ. *Neminem unum eſſe poſſe, qui ſummæ rerum univerſæ præſit.* Reſpondeo non poſſe naturaliter totam Eccleſiam ab uno ſolo regi, ſed poſſe miraculosè & ex ordinatione Chriſti. Si enim Chriſtus id nequeat efficere, vel quia ſuperat ejus omnipotentiam: vel quia Chriſtus nō creditur verè eſſe Deus utrumque autem eſt blaſphemum. Reſpondeo ſecundo, Deus non tam beneficus fuit legi Moſaicæ, quàm novæ: At olim ſummus Sacerdos in uno quidem loco juxta templum Domini erat aſſiduus, nec unquam procul à ſancta Civitate recedebat. Is tamen non modò Iudæos qui habitabant in Ieruſalem, ſed etiam qui erant diſperſi per orbem terrarum regebat, licet enim locus ſacrificii eſſet unus, tamen Synagogas habebat in omni loco, quæ ſub cœlo eſt, in quibus ſi aliquid per judices inferiores definiri non poterat aſcendebant, Deuteron. cap. 17. verſ. 18. *ad locum quem elegerat Dominus, & ad Sacerdotem levitici generis, cujus imperio, qui non paruiſſet, eum oportebat mortem ſubire.* Reſpondeo tertiò Apoſtolus 2. Corint. cap. 11. verſ. 28. aſſerit ſe habere *ſollicitudinem omnium Eccleſiarum,* non tantùm quas plantaverat, ſed *omnium* ſimpliciter, ut notat S. Chryſoſtomus ibi. Unde ex epiſt. ad Romanos, ad Coloſſenſes, ad Hebræos conſtat eum ſcripſiſſe iis, quibus non prædicaverat, quorum tamen curam gerebat. Idem de aliis Apoſtolis dicendum eſt, à fortiori cura omnium Eccleſiarū uni Romano Pontifici incumbere poteſt, cùm hæc tempora ſint pacatiora quàm in primitivâ Eccleſiâ. Reſpondeo quartò, multos Principes ſæculares habuiſſe ampliora regna, quàm ſit orbis Chriſtianus, ut patet de Rege Aſſuero, Eſther. cap. 1. qui dominabatur 127. provinciis ab Indiâ uſque ad Ethiopiam. Rege Nabucodonoſor Danielis cap. 2. Rege Cyro Iſaiæ cap. 45. Cæſare Auguſto de quo Lucæ c. 2. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis.* Arias. *Decretum deſcribi totam terrā habitantem,* qui tamē gubernavit tranquillè per annos

Deut. c. 17. v. 18

2. Corin. 11. v. 28

plurimos. Audi hâc de re Euſebium de demonſtratione Evangelicâ lib. 3. cap. 9. *Quis non obſtupeſcat ſecum cogitans atque animo verſans, non humanum hoc fuiſſe opus, vel eo, quod nunquam alias ſub uno Romanorum imperio plurimæ orbis gentes eſſe potuerunt, niſi ſecundùm IESV tempora? Nam ſimul ac ille admirabiliter ad homines venit, atque inter homines verſatus eſt, etiam res humanas ad ſummum pervenire contigit, quo primum tempore videlicet Auguſtus plurimarum gentium dominus evaſit. Id verè fuit, cùm & Cleopatra capta eſt, & Ptolomeorum ſucceſſio in Ægypto diſſoluta, atque ex illo in hunc uſque diem, quo ab initio orbis, & ab ipsâ (ut ita dicam) hominum origine ſteterat, Ægypti regnum everſum eſt. Ex illâ Iudæorum quoque natio à Romanis in ſervitutem redacta. Syrorum item & Cappadocum, & Macedonum, & Bithynorum, & Græcorum, ac denique reliquorum omnium qui Romano imperio. Hoc autem non ſine Deo unà cum doctrinâ quæ de Salvatore noſtro ferretur, introiiſſe in orbem quis non fateatur? Reputans non facilem IESV diſcipulis externarum regionum peragrationem futuram fuiſſe, ſi gentes inter ſe diviſæ, diſcordeſque fuiſſent, neque ullum prorſus ob multiplices principatus inter illas commercium. Quibus ſanè ſublatis principatibus intrepidè jam atque impunè negotium propoſitum compleverunt, cùm ſupremus Deus, & iter illis expeditum ac facile compararet, & ſuperſtitioſorū in civitatibus animos terrore majoris imperii cohiberet. Reputa enim tecum parumper, ſi nulla res impedimento fuiſſet iis qui errore colendi multos Deos tenebantur, ne doctrinam Chriſti oppugnarent, qui multas ante hac civiles ſeditiones, & in urbibus, & in agris vidiſſes, quot vexationes, quot bella non mediocria illa, quidem ſuperſtitioſi illi ſuæ ipſorum poteſtatis fuiſſent, ac penes ſe jus imperii habuiſſent. Nunc autem hoc quoque ſupremi Dei fuit opus minore quodam terrore ſupremæ alicujus potentiæ proprii verbi inimicos jam habere domitos. Id enim proficere in dies, & apud cunctos homines creſcere volebat.* Si igitur Romanum imperium, ſeu principatus politicus fuit Chriſto naſcenti tam oportunus, magis oportunum

Euſebius

tunum fuit, ut eadem ſuum corpus myſticum procreante, tenente, conſervante caput unum præficeretur. Id eleganter deducit Sanctus Leo ſermone 1. de Natali Petri & Pauli *Diſpoſitio divinitùs operi maximè con-*
S. Leo. *gruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, & citò pravios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Hæc autem civitas ignorans ſuæ provectionis auctorem cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem Vndè quantum erat per Diabolum tenacius illigata, tantùm per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta. Nam cùm duodecim Apoſtoli acceptâ per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum imbuendum Evangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperii, ut lux veritatis quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus diffunderet.* Expende illa verba *Beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, &c.* quæ Monarchicum regimen arguunt. Et ſanè cur non Reſpublica Eccleſiaſtica Monarchico regimine gubernaretur, cùm etiam ampliſſimi Ordines Religioſi toto orbe diffuſi in ſanctitate & firmitate non conſiſtere videantur, niſi ſub Generalis unius regimine. Sic enim non tantùm obſervantia legis Divinæ & Eccleſiaſticæ, ſed etiam Conciliorum Evangelicorum continentur. Hoc Monarchicum regimen obſervavit Pater noſter Elias non tantùm reſpectu ſui ordinis quem fundavit, ſed etiam totius
l.4.Reg. populi Iſraelitici, ut patet ex valedi-
c.2.v.11 cente Eliſeo lib. 4. Reg. cap. 2. v. 11.
c.13. *Pater mi, Pater mi currus Iſrael & auriga ejus.* Et Rege Joas inviſente Eliſeum morti proximum lib.4. Regum cap. 13. De Eliâ inſtituente noſtrum Ordinem hæc ſcribit Joannes 44. Pa-
Joan.44. triarcha Jeroſol. lib. de Inſtitut. Monachor. cap. 2. *Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo ſancta eorum primæva inſtitutio ſumpſit exordium, &c.* Cap. 10. *Deni-que Elias in Monaſticâ vitâ quam primus hominum à propoſito inchoaverat, ſucceſſores poſt in perpetuum relinquere diſpoſuit. Qui ut Pater primus Monachorum fieret, in ſuos diſcipulos elegit quoſdam viros, &c. qui ad eum tanquam ad veri Dei cuſtodem accedebant occultè in ſolitudine Charit, ut ſub ejus doctrinâ in cultu veri Dei perſiſtere poſſent, & Idololatriam vitarent. Hos itaque Deo devotos viros Elias ſecundùm formam à Deo ei traditâ habuit ſuæ Monaſticæ vitæ primos diſcipulos & imitatores veros, quos etiam docuit prophetare, &c.* cap. 13. *Legitimè itaque adminiſtratâ religione per eum inſtitutâ agnovit Elias per divinam revelationem quod Deus volebat eum ab hoc mundo elevare per turbinem ignis in paradiſum voluptatis, &c.* Infra. *Curat imminente tranſlatione Monachos filios ſuos, filios Prophetarum ſigillatim viſitare.* Quæ omnia denotant Eliam rexiſſe ſuum ordinem monarchicè. Idem concludendum eſt de Eccleſiâ univerſali, quæ modò regnum, modò civitas, modò domus, & frequentius congregatio dicitur; quia ſub uno rege, principe, domino, patrefamilias, & rectore gubernatur in eâdem fide, iiſdem ſacramentis, eâdem præceptorum obſervantiâ.

Nec obſtat huic univerſali monar- VII.
chiæ Eccleſiaſticæ S. Auguſtinus lib. 4. de civit. Dei cap 15. dicens: *Fæliciores eſſent res humanæ, ſi omnia regna eſſent parva & concordi vicinitate lætantia.* Loquitur ſanctus Doctor de regimine politico regnorum & provinciarum quæ conſtant diverſis legibus & inſtitutis, nec facilè poſſunt ab uno & eodem principe gubernari. Deinde idem S. Auguſtinus non negat futurum utile, ſi iſtis parvis regibus ſummus aliquis Imperator præſit: imò videtur affirmare dum ait parva illa regna debere concordi vicinitate eſſe lætantia, ſicut ſe habent multæ domus in eadem civitate, quæ una dicitur, quamvis ſingulæ domus ſuum proprium patrem familias habeant.

Nec etiam huic monarchico regi- VIII.
mini obeſt, quod priuſquam Romanus Pontifex aliquam veritatem fidelibus credendam proponat, præmittat conſilium aut inquiſitionem ac Doctorum

Doctorum diſputationem. Thomas del Bene tomo 1. quæſt. 28. docet dictam inquiſitionem & diligentiam non eſſe neceſſariam ad hoc, ut Pontifex certò & infallibiliter veritatem aliquam definiat, ſed ſolùm eſſe neceſſariam, ad hoc, ut convenienter definiat, quemadmodum ad concedendā diſpenſationem debet Pontifex cauſam inveſtigare, non ad hoc, ut diſpenſatio ſit valida, ſed tantùm ad hoc ut diſpenſatio ſit conveniens. Quod ſi de facto procedat ad definiendum, certò & infallibiter definiet omiſsâ præfatâ diligentiâ & inquiſitione: ut patet ex promiſſione Chriſti factâ Petro & ſucceſſoribus ſimpliciter & illimitatè, non autē conditionatè, ſi diligentiam adhibuerit. Vide Valentiam diſput. 1, quæſt. 1. puncto 7, quæſito 7. §. 42. Ideò tamen vult Deus fieri hanc humanam diligentiam, & inquiſitionem, ut homo faciat quantùm in ſe eſt ad veritatem inveſtigandam. Hoc enim ſpectare videtur ad rectum regimen Eccleſiæ. Cùm Pontifex non debeat proponere Eccleſiæ nova dogmata, ſed aliàs propoſita, occulta tamen & implicita in lucē producere, & debeat ex convenientiâ pro ſubjectâ materiâ diligentiam debitam adhibere. Sic Actor. cap. 15. Sanctus Petrus fecit, cùm definivit ceſſationem circumciſionis & aliarum cæremoniarum veteris legis. Quod ſi quis defectus in tali diligentiâ interveniat, Deus hoc nonobſtante ſuam Eccleſiam protegit, & ab errore præſervabit, impediendo nē Pontifex definiat, vel ſi definiat, monendo Pontificem, ut verum pronunciet, ita ut neque ex ignorantiâ, neque ex malitiâ poſſit inficere Eccleſiam aliquo errore. Quod ſi hoc intenderet, Deus illum de medio tolleret, vel aliâ viâ definitionem impediret. Ratio eſt, quia promiſſio Chriſti, quod ſcilicet ſpiritus veritatis non deerit, debet eſſe infallibilis, nec Pontifices errarunt, quando approbarunt ſcripta S. Cypriani & aliorum Doctorū. Non enim declararunt omnia illorum ſcripta eſſe vera, & tanquam vera habenda, cùm non ſint Scriptores Canonici, ſed tantùm eos benè cum zelo, & bonâ intentione ſcripſiſſe, licet ipſam veritatem aliquando non attigerint.

IX. Nec refert ſecundò quod Pontifex habeat Collegium Cardinalium. Illud enim non deſtruit ſtatum ejus monarchicum: ſed cùm Eccleſia habeat multa negotia, & tempore Pipini & Caroli Magni acceſſerit ad ſanctā Sedem principatus temporalis, adhibuit Cardinales quaſi Conſiliarios peritiſſimos ut cùm eis de rebus graviſſimis deliberet: ita tamen ut non teneatur hos potiùs quàm illos in Concilium adhibere, ut docet Bellarminus tomo 2. lib. 1. de Clericis cap. 16. *Bellar.* unde Cardinales vocantur à Petro Damiano lib. 1. epiſt. 20. Cadalouri oculi & lampades Eccleſiæ. *Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſcumque aliis prærogativis, non modò quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendunt, ſalvo quippè univerſalis Eccleſiæ ſacramento isti ſunt oculi unius lapidis, ideſt Romanæ Eccleſiæ ipſi lucerna unius Candelabri.* *S. Petr. Dam.* Dicit unius lapidis, ſeu petræ, dicit unius candelabri ſcilicet Pontificis, quem oſtendimus eſſe ſolem viſibilem, qui præeſt diei ſeu Eccleſiæ. Accedit Durandus in rationali divinorum officiorum lib. 2. cap. 1. *Apoſtolica ſedes, ſicut ait Anacletus Papa 22. d. Sacro. caput & cardo eſt aliarum Eccleſiarum, quoniam ſicut oſtium cardine regitur: ſic illius auctoritate omnes Eccleſiæ reguntur, & indè dicti ſunt Cardinales, per quos tota Eccleſia ſicut oſtium per cardinem gubernatur. Illius autem prælatus Papa, ideſt Pater patrum vocatur & univerſalis: quia univerſæ Eccleſiæ principatur, & Apoſtolicus, quia Principis Apoſtolorum vice fungitur: & ſummus Pontifex, quia eſt caput omnium Pontificum, à quo illi, tanquam à capite membra deſcendunt, de cujus plenitudine omnes accipiunt, quos ipſe vocat in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* *Durand.* Expende hæc ultima verba, *in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Quod repetit in ſuo Speculo libr. 1. partic. de legato, §. Nunc, num 51. *Habet Papa etiam plenitudinem poteſtatis ad quam vocatus eſt: alii verò in partem ſollicitudinis ſunt vocati.* Dicit

Munus Cardin. vocatos eſſe in partem ſollicitudinis, non verò in totam ſollicitudinem, nec dicit in plenitudinem poteſtatis, vel in partem plenitudinis poteſtatis, quā ſibi ſemper ita reſervat: ut nequeat alteri delegare: Nemo enim præter illum poteſt definire res fidei: quia hæc poteſtas requirit aſſiſtentiam ſpecialem Spiritus ſancti juxta Chriſti promiſſionem, quæ tantùm facta eſt Petro & ejus ſucceſſoribus, ut patet ex Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram*. Non ait & *ſuper te*, ideſt

Matt. c. 16. perſonam tuam: ſed *ſuper hanc petram*, ideſt officium. Solus ergò Petrus, & ejus ſucceſſor habere poteſt hanc aſſiſtentiam, non verò alius ex legatione, vel alio modo. Deindè quia hæc poteſtas eſt quædam gratia ſpectans ad donum Apoſtolatus, ſicut prophetia, & ſcientia quæ alteri communicari nō poſſunt, ut docet Thomas del Bene in 1. partem diſput. 1 quæſt. 39. poſt Cardinalem à Turrecrematâ libr. 3. de Eccleſ. cap. 38. & 68. Canum lib. 5. de locis Theolog. cap. 5. Bannez 2. 2. quæſt. 1. artic. 10. dub. 4. Valentiam 2. 2. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 45.

X. Nec tertiò refert, quod Cardinales eligant Pontificem. Ex eo enim quod eligunt non dant Pontifici poteſtatem nec ab eo auferre poſſunt, nec ipſe poteſt illis communicare: quia ex Bellarmino tomo 1. lib. 2. de Romano Pontifice cap. 17. Conſtat priùs fuiſſe Pontifices quàm Cardinales, & ſaltem aliquos veros Pontifices non à Cardinalibus creatos. Nam Petrum Chriſtus creavit non Cardinales: Clementem Petrus elegit, non Cardinales. Deindè eſto quod Cardinales ſint à tempore Apoſtolorum, quando creant Pontificem ſunt quidem cauſa ut talis ſit Pontifex, & ut habeat eam poteſtatem,

Bellar. ut notat Bellarminus citatus, non tamen dant ipſi eam poteſtatem, neque ſunt cauſa ejus poteſtatis, ſicut in generatione hominis, anima infunditur à ſolo Deo, pater verò qui generat & diſponit materiam eſt cauſa conjunctionis animæ cum corpore: licet non producat animam hominis, tamen dicitur generare hominem. Et licet decretum Gregorii VII. quod habetur in vitâ ejus apud Platinam referat illa verba electorum. *Quem quidem cum eâ poteſtate Eccleſia Dei præeſſe volumus, quâ Petrus Dei mandato quondam præfuit*. His verbis tantùm declarant & exprimunt perfectam electionē hominis in ſucceſſorem Petri.

CAPUT SECUNDUM.

Eccleſiæ Monarchia non eſt multiceps penes omnes Apoſtolos.

Antonius de Dominis ſuprà citatus aſſerit lib. 1. de Republicâ Eccleſiaſticâ cap. 2. num. 18. & lib. 4. cap. 6. non minus Paulo quàm Petro totius Eccleſiæ curam cōmiſſam eſſe. Vicleffus apud noſtrum Thomam Waldenſem tomo 1. lib. 2. doctrinalis fidei art. 2. cap. 1. 2. & 3. negat Petrum fuiſſe Principem Apoſtolorum, præcipuèque non fuiſſe illo Paulum inferiorem. Idem aſſeruit hoc ſæculo Antonius de Dominis in ſuâ Monarchiâ Eccleſiaſticâ. Prodiit etiam in lucem ab aliquot annis aliquis Anonymus liber Gallico idiomate conſcriptus, cui titulus eſt: *Les grandeurs de l'Egliſe Romaine eſtabile ſur l'authorité de S. Pierre & de S. Paul*. Probans nonnullis auctoritatibus ac rationibus præfatam propoſitionem. Anno 1645. miſſa inſuper fuit epiſtola ad Innocentium X. Papam, unà cum libro, cui titulus. *De ſupremâ Romana Eccleſiæ amplitudine in Petri & Pauli ſummorum Pontificum, Patrum & Conciliorum teſtimoniis individuâ auctoritate fundatâ*, abſque Auctorum nomine, niſi fortè fictitio, ſicut hujus poſtrema dicitur Eraniſta. Hujus pravi dogmatis refutationi præmittimus figuram. Eliam fuiſſe typum Chriſti, & ejus geſta eidem Chriſto circa Eccleſiam poſſe applicari diximus Tomo 1. tractatu 1. cap. 1. & alibi ſparſim, quibus pauca quædam adjiciemus. S. Auguſtinus ſermone 102. de tempore. *Elias* (inquit) *typum habuit Domini Salvatoris, ſicut enim Elias à Iudæis perſecutionem paſſus eſt, ita & verus Elias Dominus noſter ab ipſis Iudæis reprobatus* Auguſt. I.

probatus eſt & contemptus. Elias reliquit gentem ſuam, & Chriſtus deſeruit Synagogam. Elias abiit in deſertum, & Chriſtus venit in mundum. Elias in deſerto corvis miniſtrantibus paſcebatur, & Chriſtus in deſerto mundi hujus gentium fide reficitur. Corvi enim illi, qui beato Eliæ jubente domino miniſtrabant, gentium populum figurabant, propterea & de gentium Eccleſiâ dicitur. Nigra ſum ſed formoſa filia Ieruſalem. Vnde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Vnde formoſa? Aſperges me hyſſopo & mundabor, lavabis me & ſuper nivem dealbabor. Et mox verè Eccleſia gentium corvis ſimilis erat, quando viventem dominum contemnebat, & ante acceptam gratiam velut morticiniis cadaveribus idolis miniſtrabat, &c.

II. Quamvis Elias multos diſcipulos haberet, ut teſtatur Joannes 44. Patriarcha libro citato cap. 2. & paſſim alibi, & notanter Jonam ex eodem Joanne cap. 12. Michæam cap. 14. Abdiam cap. 15. tamen proximus raptui ſuo ſolum Eliſeum ſui officii ſucceſſorem, ſui ſpiritus & pallii ſui hæredem reliquit, ut clarè innuit idem Joannes cap. 23, *Fuit ei curæ, &c. de patre idoneo eis providere,* Ioan. 44. *qui eos generaliter ejus loco regeret & gubernaret.* Particulæ *generaliter regeret & gubernaret.* Significant Eliſeum ſucceſſiſſe Eliæ in regimine univerſali ac monarchico ordinis Prophetici ab Eliâ inſtituti. Idem repetit infra, oſtẽdens non humano affectu, ſed ex ordinatione divinâ Eliſeum fuiſſe creatum Eliæ ſucceſſorem. *Videns itaque Elias diſcipulum ſuum Eliſeum ſuo ſpiritu plenum, novit à Deo factum idoneum ad regendum ſuos diſcipulos filios Prophetarũ, propter quod totius religionis per eum inſtitutæ commiſit illi tunc regimen ac magiſterium.* Particulæ *totius religionis per eum inſtitutæ commiſit illi tunc regimen ac magiſterium*, non privati alicujus Collegii, ſed totius ordinis regimen monarchicum denotant. *Et in hujus rei ſignum tradidit tunc Eliſeo ſuum inſignem religionis habitum relinquens ei pallium ſuum dum ferebatur in cœlum &c. ut filii Prophetarum videntes habitu Eliæ indutum, agnoſcerent eum ſpiritu Eliæ plenum, & ſic reciperent eum promptius pro Eliâ in patrem & magiſtrũ.* Quod præſtitiſſe patet ex libr. 4. Reg. l. 4. Reg. cap. 2. verſ. 15. dum ſibi invicem dixe- c. 2. v. 15 runt. *Requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum, & venientes filii Prophetarum in occurſum ejus adoraverunt eum proni in terram.* Quibus Joannes Patriarcha capite citato ſubdit. *Recipientes eum pro Eliâ in præcipuum eorum patrem & magiſtrum, quem videbant habitu Eliæ & ſpiritu dotatum.* Expende illud *præcipuum*, quod ſupremi ac præcipui patris munus exercuit, dum cap. 24. ait idem Patriarcha. *Suſcepto regimine Propheticæ religionis per Eliam inſtitutæ ſollicitus fuit cuneos Monachorum, filiorum Prophetarum ſigillatim viſitare.* Non ait *ſuſcepto regimine* Collegii fundati ab Eliâ in Carmelo, in Bethel, &c. ſed religionis. Vnde lib. 4. Regum cap. 13. verſ. 14. Rex Joas non Michæam, non Jonam, vel alium Prophetam, ſed ſolum Eliſeum compellat his verbis, *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus.*

Clarius caput unum Monarchicum III. innoteſcit in regulâ noſtri ordinis ab Alberto Patriarchâ Jeroſolymitano ſub Innocentio III. ex Vercellenſi Epiſcopo miſſo Legato Apoſtolico ad Albert. terram ſanctam anno 1205. ſic enim Patriar. caput primum auſpicatur. *Illud in primis ſtatuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem.* In quem locum Venerabilis P. Joannes Soreth noſtri Ordinis olim Ioannes Generalis ſcribit. *In navi unus eſt gu-* Soreth. *bernator, in domo unus dominus, in quovis grandi exercitu unius ſignum expectatur. Ita ſi vivendum eſt in quocumque ordine ſub unius diſciplinâ Prioris in multorum conſortio neceſſe eſt eſſe.* Favet etiam jus commune cap. *In apibus princeps unus eſt, grues unam ſequuntur ordine litterato. Imperator unus, Iudex unius Provinciæ. Roma ut condita eſt duos fratres ſimul habere reges non potuit & parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Eſau & Iacob bella geſſerunt.* Barbatius conſilio 4. num. 68. & 72. vol. 4. Rota in Montis Regalis juriſdictionis coram Coccino 1605. num. 7. ex Butrio in c. *Cùm ignores*, num. 4. de præbend. Doctores in cap. *In apibus*, quos ibi affert Barboſa. Quod autem præ-

ſata verba *Vnum habeatis Priorem*, ſint intelligenda de Priore Generali, ex eo patet, quod loquatur B. Brocardo, qui fuit Prior Generalis, & ſimul Prior montis Carmeli. Deindè loquitur de electione unius Prioris, *Cui obedientiam, quilibet aliorum*, ut fertur in regulâ. Quæ verba de ſolo Priore Generali ſunt intelligenda. Nam in noſtro ordine qui profitentur non promittunt obedientiam Priori Locali, ſed dumtaxat Priori Generali ex verbis profeſſionis illorum. Tertiò cap. 17. Regulæ dicit Patriarcha *Tu autem Brocarde*, qui Brocardus erat Prior Generalis ut dictum eſt, & communiter noſtri Ordinis Hiſtorici ſpecialiter Lezana in ſuis Annalibus tomo 5. Paleonydorus lib. 3. cap. 2. Didacus Coria, Maldonatus in Chronicis Carmelitarum libr. 10. cap. 3. Michael Munnozius in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 2. Denique (inquit P. Lezana in relectione ſupra validitatem cujuſdam Capituli & electionum) hic eſt uſus, praxis, conſuetudo, acceptatio & ſtylus totius Religionis noſtræ, ut Priores Generales ſemper eligantur à Fratribus: Locales verò ab ipſo Generali ſolo, vel à Definitoribus in Capitulo Provinciali, vel à nonnullis Conventibus juxta Breve Calixti III. Pii II. Pauli II. qui ſcilicet ſtrictiorem & ſpecialiſſimam obſervantiam, ac reformationem ſectantur.

Priuſquam Chriſtus ad mortem raperetur prædixit Eccleſiæ ſuæ regimẽ fore monarchicum, non Monarchia tricipiti, bicipiti, ſed unicipiti: quamvis enim Andræas eſſet frater Petri, major natu & prior vocatione, & *Andraas* ſit idem ac *fortiſſimus*, Chriſtus tamen non dixit illi: Tu es Andræas, ideſt fortiſſimus, & ſuper fortitudinẽ ædificabo Eccleſiam meam? Quamvis Joannes eſſet Chriſto conſobrinus ſecundùm carnem, Chriſto chariſſimus, & Joannes idem ſit ac gratioſus, pius, miſericors, non tamen dixit ei Chriſtus: Tu es Joannes & ſuper hanc gratiam, pietatem, miſericordiam, amicitiam ædificabo Eccleſiam meam. Quamvis Jacobus frater Joannis, etiã foret Chriſto conſobrinus ſecundùm carnem, & Jacobus idem ſit ac ſupplantator, ſuper eum tamen Chriſtus non pollicitus eſt ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam. Quamvis alter Jacobus vulgò Frater Domini cognomento juſtus tantæ foret ſanctitatis, ut ei ſoli liceret ingredi ſancta ſanctorum, Jeroſolymorum Epiſcopus creatus ſit, & ei ſoli Petrus miſerit, qui nunciaret ſe è carcere ab Angelo eductum fuiſſe; nihilominus univerſalem curam Eccleſiæ nõ accepit à Chriſto, nec ſimiliter alii Apoſtoli, ſed ſoli Petro dixit: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Matt. c. 16. v. 18 Hildebertus ex Epiſcopo Cænomanenſi factus Archiepiſcopus Turonenſis epiſtol. 12. Hildeb. *Chriſtus Ioannem ſupra Petrum dilexit, Petro tamen non Ioanni conceſſa eſt poteſtas ligandi ac ſolvendi.* Et ante illum Origenes tract. 3. in Matthæum. Origenes *Petrus per promiſſionem meruit fieri Eccleſiæ fundamentum.* Theodoretus in Cãtica Cant. *In Petro Apoſtolorum principe Dominus in Evangeliis ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit.* Præfatam Chriſti promiſſionem ſoli Petro factã Paulus de Palatio in cap. 16. Matthæi egregiâ ac doctiſſimâ interpretatione elucidat. Paul. de Palatio. Prima: *Tu es Petrus*, ideſt, *ut Sanctes, Pagninus, & doctiſſimi interpretes nomen Syriacum accipiunt: Tu es petra ſeu róbur & firmitas. Quo colligitur pontificatum Petri fore firmiſſimum, & nunquam defecturum. Paulus enim dicit, ſpirituali conſequente eos petrâ, quaſi diceret, Iudæos in ſuâ peregrinatione ſemper petram habuiſſe comitem: habebunt ergò & Chriſtiani ſuam petram, ideſt pontificatum Petri in comitem perpetuum. Philo enim dixit, aquas de petrâ percuſsâ prodeuntes nunquam deſeruiſſe Iudæos per deſertum. Secundò dictum eſt petra refugium herinaciis: voluit Chriſtus ſedem Petri fore refugium omnibus injuriam patientibus. Tertiò habebet Iſaias. Attendite ad petram unde exciſi eſtis. Igitur Abraham erat petra, undè omnes Iudæi exciſi erant ſecundùm carnem, ideò jubentur, ut eum imitentur. Ita proponit nobis Dominus alteram petram Simonem, undè exciſi ſunt ſecundùm fidem Chriſtiani, quem imitari debent. Verbum ergò Domini, Tu es petra ſignificat, tu es petra in ſeculũ duraturus*

Tu

fidelibus. Secundā Chriſti promiſſionē ad Simonem explicat. *Super hanc petrā ædificabo Eccleſiam meam, quod hunc ſenſum habet, lapis, ſuper quo tota ædificii moles ſurgit, primus eſt, & qui ſuper eo lapide non radicantur, ad ædificium nō pertinent. Ita Petrus primus eſt in ædificio Chriſtiano, quæ Petri maxima laus. Iam qui cum Petro non radicatur & colligatur, ad ædificium Chriſtianum non ſpectat. Vt igitur Chriſtus lapis offenſionis eſt, in quem qui credit non confunditur, qui verò offendit, conteritur. Ita ſedes Petri petra eſt cui qui credit, non confundetur: qui non credit, perit.*

IV. Ut Chriſtus ſtabilitatem Eccleſiæ ſuper hanc petram fundatę confirmet, ſubdit. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Vatablus & Syriacus. *Et portæ infernorum non prævalebunt ei.* Græcus. *Et portæ inferni non vincent eam.* Hebræus apud Cornelium. *Et portæ inferi non poterunt ei reſiſtere.* S. Pacianus epiſt. 3. *Et portæ infernorum non convaleſcent adverſus eam.* Pacianus ſupra. *In portis judices, conſilia, arma, hoc eſt auctoritas & potentia urbis. Deuteron. cap. 22. Geneſ. cap. 22. & 24. Iob. 41. Nunquam ergo Petrus carebit Eccleſiâ, ſiquidem totus infernus non prævalebit adverſus Eccleſiam in Petro fundatam.* Eccleſiæ æquè ac Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus pollicetur de omnibus victoriam & triumphum, quia Chriſtus aſſiſtit iis, & pugnat, Spiritus ſanctus peculiarem curam eorum habet ut non errent in fide, ſed ſint firmi ut adamas, (inquit S. Chryſoſtomus) quare in eos inſurgant Ariani, Neſtoriani, Pelagiani, Lutherani, Calviniſtæ aliique hæretici. Inſurgant Nerones, Diocletiani aliique tyranni, Chriſtus de iis pollicetur victoriam & triumphum. S. Auguſtinus in pſalmum contra par-

August. tem Donati. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsâ ſede Petri, ipſa eſt petra, quam nō vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Et S. Chryſoſtomus tomo 5. in orat. de

Chryſoſ. non contemnendâ Eccleſiâ. *Quid Eccleſiâ Dei potentius eſſe poteſt? Mœnia Barbari deſtruunt, Eccleſiam verò nè dæmones quidem ſuperant, cùm oppugnatur, vincit: cùm appetitur inſidiis, ſuperat.* Quaſi diceret: jam toties Romana mœnia funditus diruta ſunt à tyrannis & aliis, tot Pontifices gladiis impiorum occubuerunt, tot hæreticorum, ſchiſmaticorum, Politicorum ſcriptis & calumniis impugnata eſt Eccleſia, & Sedes Romana, ſed non expugnata. Id diu antę Deus oraculo Jeremiæ pollicitus fuerat cap. 1. verſ. 8. *Ne timeas à facie eorum*, ſcilicet tyrannorū, hæreticorum, ſchiſmaticorum, &c. verſ. 19. *Bellabunt adverſum te & non prævalebunt.* Theodoretus. *Pollicetur ei non pacem nec quietem, ſed certamen & victoriam. Pugnabunt enim ait tecum, & non prævalebunt. Quam quidem pollicitationem fecit etiam Eccleſiæ, nam Petro diviniſſimè dixit, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Non dixit, non pugnabunt; ſed pugnando non prævalebunt, quoniam ex adverſo pugnantes non ſine labore victoriam comparant.* Hanc Eccleſiæ & Sedis Romanæ inexpugnabilitatem prævidens Regius Pſaltes canit pſalmo 9. verſ. 14.

Ierem. c. 1. v. 8. v. 19.

Qui exaltas me de portis mortis. Quæ ſunt *portæ mortis? Sunt hæretici & eorum dogmata* (inquit noſter Michael de Bononia) illos vincit, de illis triumphat Eccleſia Romana, triumphat Petrus & ejus ſucceſſores. Illi arridēs S. Ephiphanius in Ancorato. *Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt adverſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes & hæreſiarchæ, juxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides qui accepit clavem cœlorum.* Paulinus epiſtol. ad Severum. *Petra eſt Chriſtus; bibebant enim de ſpiritali ſequente eos petrâ. Petra autem erat Chriſtus. Chriſtus etiam diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit, cui dicit, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* S. Hilarius in cap. 16. Matthæi hanc immobilitatem adverſus tartareas machinas conſiderās exclamat: *O in nuncupatione novi nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges diſſolveret.*

Pſal. 9. v. 14.

Michael de Bon.

S. Epiph.

Paulin.

S. Hila.

V. Vt Chriſtus Monarchicum regimē Petro collatum confirmet, ſubdit

Matthæi

Matthæi cap. 16. verſ. 19. *Ego tibi dabo claves regni cœlorum* Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 4. §. 3. & ejus aſſeclæ dicunt his clavibus ſignificari poteſtatem annuntiandi Evangeliũ & remiſſionem peccatorum ei, qui dumtaxat credit Evangelio illam promittenti, ſed hanc inauditam ac ridiculam opinionem omnes Interpretes rejiciũt. Primo quia clavibus reſerantur oſtia, non ora prædicantium. Secundò quia clavis eſt inſigne regum & regentium, non autem Doctorum & Prædicantiũ, ut diximus Tomo 2. tractat. ult. cap. 6. §. 3. S. Cyprianus epiſtola ad Jubaianum. *Eccleſia quæ una eſt, ſuper unum, qui & claves ejus accepit Domini voce fundata eſt.* Cùm duodecim eſſent Apoſtoli, cur non dicis Eccleſiam fundatam ſuper eos? non (inquit) *ſuper unum qui & claves accepit*, ideſt principatum ſuper univerſam Eccleſiam. Si per claves Petro collatas accipias clavem ſcientiæ. Non eam ſolam Petro collatam eſſe aſſerit Paulus de Palatio ſuprà: ſed etiam claves poteſtatis ac juriſdictionis. *Quarta promiſſio tibi dabo claves regni cœlorum. Clavis una, eſt auctoritas docendi Lucæ cap. 11, Tuliſti clavem ſcientiæ: altera clavis eſt auctoritas gubernandi Iſaiæ cap 22. Apocal. cap. 1. Ergo cùm Dominus dat claves Petro, dat Cathedram docendi, dat & imperium gubernandi in Eccleſiâ. Igitur omnes difficultates definire ad eum ſpectat, habet enim cathedram licet ignorantiſſimus fingatur. Ita habetur in cap. Majores de Baptiſmo & 24, quæſt. 1, can. quoties ſimiliter addere miniſtros in Eccleſiam à Cardinali ad Acolythum ad Papam ſpectat, ut ad Eliam ſpectabat admittere in templum. Item norma miniſterii divini altaris ſacramentorum ad præſcriptum Papæ ſpectat, ut ad ſummum gubernatorem. Latiſſimæ ſunt hæ claves, & tam latè patent quantum patet Eccleſia. Si enim Petro datur Cathedra ergo ipſe definiet quid quid ſit de fide, quid contra hæreſis definiet quid ſit peccatum, quid contra ſit juſtum. Si item Petrus habet Eccleſiaſticum imperium. ejus mandatis (ſi juſta ſint) parendum erit. Meditare verò, quod Dominus dixit tibi dabo claves regni cœlorum, indicans claves eſſe ſuper humeros, non ſub pedibus. Nam Chriſtus habet imperium ſuper humerum ſuum, planè qui clavibus in ſuum commodum abutitur, is ſui non Petri vicem gerit: Sicut Rex qui propriũ & non communem quærit utilitatem, non Rex eſt, ſed tyrannus. Rurſum, nota, non dicit tibi dabo claves regni terrarum, ſed cœlorum. Quomodo enim Chriſtus daret, certè quantum ad uſum imperium terrenum Petro, quod ipſe habere nolebat, dixit enim regnum meum non eſt de hoc mundo, &c.*

Matt. c. 16. v. 19 — *S. Cypr.* — *Paul. de Palatio.*

VI. Quinta & ſexta promiſſio Chriſti eodem cap. 16. verſ. 19. *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis. Et quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis.* Quas etſi Tomo 2. tract. 2. cap. 9. num. 16. & tract. 3. cap. 6. §. 6. expoſuerimus. tamen quædam adjicienda ſunt ex Bedâ homiliá de Feſto Apoſtolorum ſuper illud Matthæi cap. 16. *Quodcumque ligaveris, &c.* ubi ait. *Qui regem cælorum majori præ cæteris devotione confeſſus eſt, meritò præ cæteris ipſe collatis clavibus regni cæleſtis donatus eſt. Quod ſi omnibus Apoſtolis ſimul dictum eſſe reperias, non tamen aliis ſine ipſo: ſed ipſi ſine alio attributum eſſe cognoſces ligandi & ſolvendi à Domino facultatem, ut quod non alii ſine ipſo, ipſe ſine aliis poſſet ex privilegio ſibi collato à Domino, & conceſſâ plenitudine poteſtatis. Hinc Dominus oves ſuas paſcendas vocabulo tertio repetito commiſit, ut alienus à grege Dominico cenſeatur, quiſquis eum etiam in ſucceſſoribus ſuis noluerit habere paſtorẽ.* Expende illa verba *meritò præ cæteris.* Item *ipſi ſine aliis attributum eſſe cognoſces, &c.* Item *conceſſá plenitudine poteſtatis.* Item, *huic Dominus oves ſuas paſcendas commiſit*, quæ Monarchicum regimen deſignant, non tantùm Petro competens, ſed etiam ejus ſucceſſoribus. *Quiſquis eum etiam in ſucceſſoribus ſuis noluerit habere paſtorem.*

Bedas

VII. Specialiter quod ſoli Petro hæc monarchica poteſtas collata ſit, teſtatur S. Auguſtinus ſermon. 16. vel 28. de Sanctis. *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire, tu es Petrus.* Quaſi diceret, quamvis omnes Apoſtoli adeſſent, tamen *ſolus Petrus inter Apoſtolos meruit audire.* S. Cy[illegible] tractat. de virtute Eccleſiæ [illegible] *Petro datur ut una*

Auguſt. — *S. Cypr.*

*ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra mon-
ſtretur.* Per primatum intellige non
tantùm præcedentiam, ſed etiam ſu-
perioritatem ac plenitudinem poteſta-
tis in omnes etiam Apoſtolos San-
S. Cyrill. ctus Cyrillus Hieroſolymitanus eum
Hieroſ. compellat, *Supremum omnium caput,
Apoſtolorum præſidem & Eccleſiæ ſum-
Theodor. mum præconem.* Theodorus Studita
Studita. epiſt. ad Leonem, vocat Petrum *Om-
nium capitum caput.* S. Epiphanius lib.
S. Epiph. 2. aſſerit eſſe *Diſcipulorum principem,
S. Amb. & Apoſtolici ſodalitii coryphæum.* S. Am-
broſius ſermon. 66. *Caput ſanctitatis.*
S. Clem. S. Clemens epiſt. ad Iacobum. *Primi-
tias electionis Apoſtolorum, æternæ vitæ
S. Ioann. clavigerum.* S. Ioannes Damaſcenus in
Dam. hiſtoriâ Barlaam cap. 11. *Columnam ad
ſuſtentaculum, lapidem ad fundamentū,
S. Iſidor. clavē ad regnum.* S. Iſidorus lib. de vitâ
& morte Proph. *Sancta Eccleſiæ ſolem,
& luminare majus.* S. Chryſoſtomus ho-
Chryſoſ. miliâ in S. Petrum & Eliam. *Apoſto-
lorum verticem, Eccleſiæ columnam &
propugnaculum, fidei portum.* S. Leo
ſerm. 1. de natali Apoſtolum Petri &
Pauli ait. *Beatiſſimus Petrus Princeps A-
poſtolici ordinis ad arcem Romani de-
ſtinatur imperii, ut lux veritatis quæ in
omnium gentium deſtinabatur ſalutem,
efficacius ab ipſo capite per totum mundi
corpus effunderet.*

§. I.

Probatur ex cap. 1. Joannis verſ. 16. & 17.

I. TOmo 2. Tract. 4. cap. 8. idem
argumentum explicavimus:
hîc ſpecialiter probandum in-
cumbit S. Petrum eſſe paſtorem non
tantùm omnium fidelium, ſed etiam
ipſorum Apoſtolorum. Cur Dominus
commiſit Petro curam non tantùm
agnorum, ſed etiam ovium. *Paſce ag-
Ioan. c. nos meos, paſce oves meas?* Cur ſpecia-
16. v. 17. lem mentionem facit agnorum & o-
vium? quid per agnos & per oves in-
telligit? per agnos fideles, per oves ac-
cipit Epiſcopos. S. Chryſoſtomus lib. 2.
S. Chryſ. de ſacerdotio hæc Chriſti verba pon-
derans. *Chriſtus* (inquit) *Petrum au-
ctoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos
Apoſtolos longè præcedere.* Ex quo
infero, Petro majorem gubernandi
gregem Domini poteſtatem commiſ-
ſam fuiſſe, quàm ulli Apoſtolorum,
quandoquidem non tantùm fideles,
ſed etiam ipſoſmet Apoſtolos paſcere
& regere debeat. Idem enim eſt paſ-
cere quod regere patet, pſalm. 22. v. 1.
Dominus regit me. Græcus. *Dominus* Pſal. 22.
paſcit me. Vndè ſubdit. *In loco paſcuæ* verſ. 1.
ibi me collocavit. Vnde pſalmo 77. Pſal. 77.
verſ. 77. de ſeipſo canit. *Elegit Da-* v. 77.
*vid ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gre-
gibus ovium, de poſt fœtantes accepit
eum.* Verſ. 78. *Paſcere Iacob ſervum
ſuum & Iſrael hæreditatem ſuam.* Verſ.
79. *Et pavit eos in innocentiâ cordis ſui,
& in intellectibus manuum ſuarū deduxit
eos.* Genebrardus. *Vt regeret aſſumpſit* Genebr.
eum de caulis. Rudolphus. *Ex paſtorali* Rudol.
*officio pecorum, tranſlatus ad regnum ho-
minum, & de eo, ubi erat ſequens poſt o-
ves fœtas, ſeu habentes fœtus accepit eum,
quia paſcebat oves, quando vocatus fuit,
ut in regem ungeretur. Sed ad quid? ad
paſcendum & regendum populum ſuum,
qui de Iacob ſervo ſuo deſcendit, & pa-
vit, ideſt, rexit & gubernavit in puritate
conſcientiæ, &c. Sic rexit & duxit eos
ſicut vir ſimplex in corde ſine duplicitate
& prudens in opere.* Illi arridens S. Am- S. Amb.
broſius lib. 10. in Lucam cap. 24. *Au-
dis nè tertiò Petrum juberi ut non agnos
tantùm, aut oviculas, verùm etiam ut
oves, ideſt perfectiores paſceret, hoc eſt
gubernaret.* Vndè ſanctus Epiphanius
vocat Petrum *Ducem Diſcipulorum.*
Ita ut quemadmodum paſtor ducit o-
ves, ita & Petrus Diſcipulos Chriſti.
Mellifluè S. Bernardus lib. 2. de conſi- Bernar.
deratione *Non modo ovium, ſed etiam
paſtorum, tu unius omnium paſtor. Vndè
id probem quæris? ex verbo Domini, cui
enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam
Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè to-
tæ commiſſæ ſunt oves, ſi me amas, paſce
oves meas.* Ideſt quotquot ſunt in Ec-
cleſiâ ſive ſint Prælati, Epiſcopi, Apo-
ſtoli, ſive ſubjecti, illos omnes paſce,
rege. Nonnè Apoſtoli ſunt paſtores?
etiam, ſed (inquit Eucherius Lugdu-
nenſis in vigilia S. Petri, Tu es Paſtor
paſtorum.) Sicut Eliſeus ex omnibus
Prophetis unus ab Eliâ eligitur ad re-
gimen cœtus propheticæ. Sic (inquit
ſanctus Leo ſermon. 3. de aſſumptione

 ſuâ

ſuâ ad Pontificatum. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisq; Patribus præponatur.* Non tantùm præponatur præcedentiâ honoris, ſed etiam juriſdictionis & auctoritatis. Nam (ut idem teſtatur.) *Si quid cum eo Petro commune cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Et clarius epiſt. 89. *Hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Poſtquam dixit Petrum eſſe ſummum & principalem omnium Apoſtolorum, oſtendit iſtam celſitudinem non eſſe tantùm dignitatem nudam, ſed cum poteſtate conjunctam.

II. Nec dicas, ideò à Chriſto ter nominato præcipi ut paſcat oves Chriſti, non quod præferatur cœteris: ſed ut Petrus non dubitet ſibi reſtitutum eſſe munus Apoſtolicum, quod trinâ negatione amiſerat. Dico Petro pœnitenti non tantùm fuiſſe reſtitutam gratiam, ſed etiam regimen monarchicum illi conceſſum. Vnde Chriſtus ter eum interrogat. *Amas me pluſquã hi?* Quaſi diceret quia amas me tantùm quantùm hi, ideò gratiam amiſſam tibi reſtitui. Quod ſi amas me pluſquam hi, etiam illis in dignitate & auctoritate eris ſuperior, ut innuit Arnobius in pſalm. 138. *Apoſtoli pœnitenti ſuccurritur qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus, & major gradus redditur ploranti, qui ſublatus eſt deneganti* Et ſanctus Ambroſius in cap. 22. Lucæ. *Poſtquam fleviſti erectus es, ut alios regeres.* Ideſt tantum amorem, tantam contritionem elicuiſti, ut non ſolùm gratiam recuperaris, ſed etiam regimen monarchicum Eccleſiæ ſis adeptus. *Vt non ſolum* (inquit Arnobius ſupra) *recuperaſſe quod amiſeras, probaretur: verùm etiam & multò amplius pœnitendo, quam negando perdiderat, acquiſiviſſe.* Nam Petrum non amiſiſſe Apoſtolatum ſuo perjurio teſtantur S, Auguſtinus epiſt. 50. Optatus Milevitanus libr. 7. de ſchiſm. S. Bernardus in feſto SS. Petri & Pauli. S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi ſecundâ.

Arnob.

III. Nec refert ſecundò quod S. Auguſtinus lib. de agone Chriſtiano cap. 30. dicat de Petro. *Cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, paſce oves meas.* Ex quo ſequitur Petrum in hoc cæteris Apoſtolis non præferri. Reſponſioni datæ tomo 2. tract. 4, cap 8. §. 2. numer. 2. Petrum utpotè Principem Apoſtolorum comprehendere in ſeipſo omnes Apoſtolos, & omnes, qui unquam futuri erant paſtores: & ideo per eum omnibus, ſed non omnibus in eodem gradu, ſed cuique in ſuo gradu dictum eſſe, *paſce oves meas.* Alioqui per hoc mandatum quilibet Præsbyter, cui Parœcia minima commiſſa eſt, haberet tantam auctoritatem oves paſcendi, quantam ipſe Petrus habuit. Quod S. Auguſtinus nunquam ſenſit: imò inter Aerii hæreſes refert, quod diceret *Præsbyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni.* Quod igitur Petro dicitur *paſce oves meas*, ad omnes quidem dicitur? quia omnes in Petro continentur, ſed pro eo gradu & auctoritate ad ſingulos dicitur, tanquam ſub Petri Chriſti vicario variam & diſtinctam ſinguli obtinent. Nam ſecundùm eundem S. Auguſtinum ſerm. 24. de ſanctis. *In uno Petro figurabatur unitas omnium paſtorum.*

Auguſt.

IV. Nec tertiò verum eſt verba illa *Paſce oves meas*, intelligi de ſolis Iudæis, non verò etiam de Gentibus, quaſi Petro Chriſtus dixerit, Paſce Iudæos, qui credituri ſunt in me: primò qui ex gentibus in Deum per Chriſti gratiam credunt, ſunt Chriſti oves, eaſque Petro abſque ullâ diſtinctione commendat. Deindè ſi per agnos & oves ſoli Judæi intelligerentur: cùm tamen omnes Apoſtoli fuerint Judæi; hoc modo Petrus etiam acciperet poteſtatem paſcendi ipſos Apoſtolos, & conſequenter ii, quibus Apoſtoli præſunt ſubjiciuntur. Tertiò quod non ſolùm Judæi, ſed etiam Gentiles dicuntur Chriſti oves, patet ex verbis Chriſti Joannis cap. 10. verſ. 16. *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Quæ verba inſinuant præter Judæos etiam Gentiles ad fidem convertendos, de quibus

Ioann cap. 10. v. 16.

Petrus

Petrus 1. epiſt. cap. 2. verſ. 25. ait: *Eratis ſicut oves errantes*. Et cùm Chriſtus ait, *Oportet*. Idem eſt (inquiunt Toletus, Maldonatus & noſter Sylveira) ac neceſſe eſt, ex parte quidem Chriſti ut Patris decreto ac officio ſuo Redemptoris ſatisfaceret, ac etiã ex parte ovium ut illæ ſalvæ ſint, & non pereant, ſubdit *me adducere*, non tantùm per ſemetipſum, ſed etiam per ſuos Apoſtolos miniſtros & legatos, ut explicat S. Auguſtinus. *Ergò & per*

Auguſt. *ſuos & non aliter adducit*. Omnes iſtas oves fuiſſe Petro commendatas docet Theophilactus in cap. 21. Ioannis.

Theoph. *Totius orbis ovium præfecturam Petro committit, non autem aliis, ſed huic tradit primum quidem quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat. Deindè oſtendens ipſi fiduciam eſſe ſumendam velut negatione deletâ*. Ait Petro oves commendatas, quia præcellebat omnes, cui accinit Arator qui floruit tempore Iuſtiniani Imperatoris lib. 1. Hiſtoriæ Apoſtolicæ.

Primus Apoſtolico parvâ de puppe vocatus
Agmine Petrus erat, &c.
Quas paſſus ſalvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget paſtore gregem, quo munere ſumus
Surgit & inſinuãs divinæ negotia, &c.

CAPUT TERTIUM.

Paulus non eſt Petro Collega in poteſtate & regimine Eccleſiæ.

I. MInor difficultas eſt an Paulus Apoſtolatus dignitatem obtinuerit abſque ullâ ſubordinatione ad Petrum pro cujus ſolatione non reperto quæ dixi tomo 2. tract.

Lucæ c. 22. v. 32 4. cap. 12. & 13. Primò maximè quæ Chriſtus ait Petro Lucæ cap. 22, v. 32, *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Quum & tu quo tempore converſus fueris, tum & confirma fratres tuos*. Iis quæ dixi tomo 2. tract. 2. cap. 4. num. 6. & tract. 3. cap. 7. numer. 2. & ſeq. adjicio particulas *Te*, *Tu*, eſſe ſingulares, privativas, & excluſivas omnium aliorum, ſicut illud Matthæi cap. 16. verſ. 17. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. verſ. 18. *Tu es Petrus*. Igitur ſignificant monarchicum regimen Eccleſiæ eſſe ſingulariſſimè conceſſum S. Petro. Secundò S. Petrus Joannis cap. 21. verſ. 16. *Tu ſcis Domine quia amo te*, denotat amorem ſingularem. Igitur & illud: *Ego rogavi pro te, &c.* ſignificat privilegium perſonale Petro & ſucceſſoribus conceſſum. Tertiò, ex Iuriſtis ſpecialiter Stephano Gratiano deciſ. March. deciſ. 51. num. 28. Barboſa tract. de dictionibus, dict. 411. & ſequitur Rota deciſ. 101. num. 2. & 8. part. 5. recent. igitur *Tu es Petrus & tibi dabo claves. Ego rogavi pro te*. Non univerſaliter omnibus Apoſtolis, ſed ſoli Petro & ſucceſſoribus ſingulariſſimè dictum eſt Quartò, communiter Juriſtæ, l. *ſi veritas*, C. de *fideicommiſſ.* Tiraquellus *de jure marit.* Gonzalez ad regul 8. cãcell. Gloſſ. 18. num. 76. & ſeq. Flaminius Pariſ. de reſignat. benef. lib. 8, quæſt. 8. num. 94. Molin. de primog. lib. 1. cap. 9. num. 17. Eſcobar de ratioc. cap. 11. num. 19. Pereira de poteſt. eligendi cap. 17. num. 13. & alii aſſerunt formam legis privilegii vel reſcripti conſiſtere in indiviſibili & eſſe omninò ſingularia & individua. Cùm igitur Chriſtus his verbis, *Tu es Petrus, &c. Tibi dabo claves, regni cœlorum, &c, Rogavi pro te, &c.* tradat formam regimis Eccleſiæ ſcilicet ſub uno Petro (ut paſſim docent Patres & Interpretes) ſignificatur indubiè quod indiviſibiliter & ſolitariè competat Petro & non Paulo. Quintò, licet ſacer Textus non dicat expreſsè Deum non creaſſe duos mundos, ſed tantùm facere mentionem unius mundi, nihilominus eſt de fide in terminis ſacræ Scripturæ non eſſe duos mundos, ſed unum tantùm. Quamvis eadem ſcriptura dicat Joannis cap. 1. verſ. 14. *Et verbum caro factum eſt*. Seu Dei filius eſt incarnatus: Non verò expreſsè habeatur quod ſolus filius ſit factus homo, vel ſolum verbum ſit factum caro: tamen eſt de fide ſtando in terminis Scripturæ. Solum verbum incarnatum non verò Patrem vel Spiritum

Matt. c. 16. v. 17 verſ. 18.

Ioan. c. 1. v. 14.

ſanctum. Similiter cùm Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ Matthæi cap. 26. verſ. 26. *Cœnantibus eis* (ſcilicet Apoſtolis) *accepit IESVS panem & benedixit ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait, accipite & comedite. Hoc eſt Corpus meum.* Tamen certum eſt de fide, quod ſi quis conſecraret piſces, carnē, ova, herbas, &c. conſecratio eſſet invalida. Denique cùm Chriſtus inſtituens Baptiſmum dixerit Matthæi cap. 28. verſ. 19. *Baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Licet non dixerit ſolùm, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:* Nihilominus ſi quis baptiſaret in nomine B.V.Mariæ, SS. Angelorum, S.Petri, vel alterius ſancti, Baptiſmus eſſet invalidus: ita etiamſi dixerit Petro. *Tibi* ſoli *dabo claves regni cælorum. Ego rogavi pro te* ſolo, *veruntamen & tu* ſolus *converſus, &c.* Tamen hoc privilegium monarchici regiminis ſolum Petrum & eius ſucceſſores ſingulariſſimè ac individualiter afficit, ut doctiſſimè ratiocinatur noſter Lezana in conſultis ſuis.

Matth. cap. 26. v. 26.

Matt. c. 28. v. 29.

II. Si Chriſtus creavit Paulum Collegam Petri in monarchico regimine, debet aſſignari tempus & locus conceſſæ hujus gratiæ & privilegii, utpotè de ipſius ſubſtantiâ, l. *non ſolum, §. ſciendum,* ff *de oper. non nunciat.* & aliis Juriſtis, at nullum tempus, nullus locus talis privilegii conceſſi Paulo aſſignari poteſt. Non ante converſionem, tunc enim Paulus erat hoſtis infenſiſſimus Eccleſiæ & fidelium, ut patet Actorum cap. 9, verſ. 1. *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini.* Vndè ſanctus Hieronymus in epiſt. ad Philemonem ait. *Dictus eſt Saulus, quod ad vexandam Eccleſiam fuiſſet à Diabolo poſtulatus,* & Arator de lapidantibus S. Stephanum canit:

Act. c. 9. v. 1.

Ad Sauli poſuère pedes velamina ſævi
Infernum quod Hebræus ait.

Non etiam poſt converſionem, quæ contigit ſecundùm Euſebium in Chronico. Guilelmum Durandum lib. 7. rationalis Divinorum officiorum cap. 4. Adrichomium in Chronolog. Chriſtophorum à Caſtro in chronologiâ Deiparæ contigit anno proximo à Paſſione Chriſti, qui fuit à Nativitate Chriſti 35. Nam anno 34. paſſus eſt in Martio, & eodem in Decembri lapidatus eſt Stephanus, & ferè poſt menſem ſcilicet anno 35. Chriſti die 25. Ianuarii Paulus converſus eſt. Vel ſecundùm OEcumeniū, Iſidorum, lib. de vitâ & morte Sanctorum cap. 71. Martyrologium Romanū & Vſuardi, Lorinum, Sanchez, Baronium, Pererium in prologom. epiſt. ad Roman. diſp. 1. num. 34. Cornelium in cap. 9. act. fuit anno ſecundo à morte Chriſti: ita ut à die mortis Chriſti uſque ad diem converſionis S. Pauli interceſſerit biennium exceptis duobus menſibus qui fluxerunt à die 25. Januarii, quo Paulus converſus eſt, uſque ad 25. Martii, quo Chriſtus paſſus eſt. Vel ſecundùm Hippolytum Tebanum, & Evodium anno ſeptimo à morte Chriſti. Vel denique ſecundùm Chronicon Alexandrinum anno à Chriſti nativitate 43 qui fuit à morte & Aſcenſione Chriſti nonus. Ratio eſt quia Paulus in ſuâ converſione nullum munus Collegæ monarchicè regendi accepit, ut patet ex his verbis Chriſti ad Ananiam Actorum cap. 9. verſ. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael & ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* Cornelius explicat undecim modis cur Paulus dictus ſit à Chriſto Vas electionis, in quorū nullo modo eſt privilegium regēdi Eccleſiam cum Petro. Imò ex verſ. 24. *Cùm veniſſet Ieruſalem tentabat ſe iungere diſcipulis, & omnes timebant eum non credentes, quod eſſet diſcipulus.* Cornelius. *Tentabat ſe iungere Chriſtianis, præſertim Petro, & Apoſtolis, videndi enim Petri, ut potè Apoſtolorum & Eccleſiæ Principis causâ fatetur ſe iviſſe Ieroſolymam. Galat. cap. 1. verſ. 18. &c. Licet enim triennium jam à Pauli converſione eſſet exactum: tamen quia ipſe toto eo tempore delituerat in Arabiâ, idcircò ejus cōverſio & mens multis adhuc erat incognita, & ſuſpecta ob priorem eius vitam, acremque fidelium perſecutionem, nè fortè fingeret ſe converſum ad explorandos & divexandos Chriſtianos, uti faciunt proditores Chriſtianorum in Angliâ.* Vndè Barnabas debuit apprehenſum ducere ad

Act. c. 9. v. 15.

v. 24.

Cornel.

ad Apoſtolos, ut verus Chriſtianus ab
v. 27. ipſis reciperetur. Verſ. 27. *Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos, & narravit illis quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine IESV.* Cornelius. *Duxit Saulum ad Apoſtolos, ut ab eis non tantum inter Chriſtianos, ſed & inter Apoſtolos admitteretur, ut potè à Deo creatus Apoſtolus, imò electus in vas electionis,* ſcilicet modis ſupracitatis.

III. Quod item regimini monarchico Petri aſſociari non potuit ante annum Chriſti 39. quo venit Jeroſolymam, ut videret Petrum, 2. Corinth. cap. 11. verſ. 32. Galat. cap. 1, verſ. 18. ut cum
Galat. c. ipſo Evangelium communicaret, ra-
2. v. 2. tio eſt, nè (ut ipſe ſubdit ad Galat. cap. 2. verſ. 2.) *in vacuum currerem*, ideſt, nè Pſeudo-Apoſtolis jactantibus meam doctrinam Apoſtolis diſſentaneam eſſe, fideles mihi, fideique meæ non credant, & ſic omnis meus labor reddatur caſſus & inanis. Ita poſt ſanctum Auguſtinum lib. 28. contra Fauſtum cap. 4. S. Hieronymum epiſt. 11. ad Auguſtinum, quæ eſt inter epiſtolas Auguſtini. Tertullianus libr. 4. contra Marcionem. Quo itinere, & colloquio innuit Apoſtolus ſe non fuiſſe æqualẽ Petro, ſed ejus ſubditum & inferio-
Hieron. rem. Audi S. Hieronymum in epiſt. ad Galatas. *Venit Paulus videre Petrũ, honoris priori Apoſtolo deferendi.* Idem epiſt. 89. ad Auguſtinum. *Tanta Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in epiſtolâ ſuâ ſcripſerit. Deinde poſt annos tres, veni Ieroſolymam videre Petrum, oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Evangelium, niſi Petri & aliorum Apoſtolorum, qui cum eo erant fuiſſet ſententiâ*
S. Amb. *roboratus.* S. Ambroſius in epiſt. ad Galatas. *Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apoſtolos, cui delegaverat Salvator curam Eccleſiarum.* Œcumenius in eundem locum. *Poſt tot, tantoſq́; agones pergit ad Petrũ,*
Theoph. *tanquam majorem viſurus.* Et Theophilactus. *Honoravit eum ceu majorem.*
Theodoretus. Theodoretus ibidem. *Cum humanâ doctrinâ non indigeret, ut qui ab univerſorum Deo eam accepiſſet, Apoſtolorum Principi, quem, par eſt, honorem tribuit.* Et epiſt. ad Leonem. *Paulus præco veritatis, tuba ſancti Spiritus ad magnum Petrum accurrit, ut iis, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionẽ.* S. Chryſoſtomus S. Chryſ.
homiliâ 87. in Joannem. *Petrus os erat Apoſtolorum & Princeps, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit.* Tertullianus de præſcriptione prope Tertull.
finem. *Aſcendit videre Petrum ex officio & de jure.* Ait de jure & officio, ideſt non ex titulo amicitiæ, ſed ex juſtitiâ, & obligatione tanquam ſubditus. Gre- Gregor.
gorius IX. epiſt. ad Germanum Pa- IX.
triarcham. *Ad Petrum tanquam ad primatem & Evangelii fontem aſcendit.*

Si Paulus æquale regimen cum Pe- IV.
tro accepiſſet, maximè quando raptus in paradiſum, *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Sivè per paradiſum intelligas locum beatorum Deum intuentium, ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 175. art. 5. & alii. Sivè aliquem alium locum amœnum. Sed nec hac occaſione illud privilegium accepit, quia ille raptus contigit anno 44. quando Paulus profecturus erat ad gentes, ut Chriſtum evangeliſaret. At ex Pauli verbis conjici non poteſt hanc gratiam fuiſſe illi communicatam, quæ declaratio neceſſaria erat ut ejus prædicatio haberet majus pondus & auctoritatem, ſed illa arcana, quæ audivit, ſunt de naturâ, dotibus, gratiâ, gloriâ, ordinibus Angelorum, ut docet S. Gregorius homili. 4. in Ezechielem, vndè S. Dionyſius lib. de cœleſti hierarchiâ ita deſcribit ex doctrinâ S. Pauli ordines Angelorum, quaſi illos oculis intueretur. Vel audivit mira de divinis quibuſdam attributis nobis incognitis. Vel gloriam Chriſti. Vel à Chriſto didicit Evangelium, nè minor eſſet aliis diſcipulis, qui Chriſtum in carne viderant, & ab eo edocti erant. Vel vidit paradiſi pulchritudinem, Sanctorum choreas, tripudia, gaudia, ac modulatam hymnorum cœleſtium harmoniam, ut exiſtimat Theodoretus. Vel ſecundùm Baronium didicit ordinem divinæ prædeſtinationis ſeu reprobationis maximè gentium ac provinciarum ſibi cõmendatarum, quod arcanum paſſim miratur Apoſtolus Rom. c. 11. verſ. 33. & alibi. Vel ſecundùm alios, audivit

de arcanis myſteriis redemptionis ac Evangelicæ prædicationis. Vnde anno ſequenti miſſus eſt ab aliis Chriſti diſcipulis cum Barnabâ ad evangeliſandum gentibus, ut patet ex Actor. cap. 13. verſ. 2. *Miniſtrantibus illis* Actor. c. 13. v. 2. *Domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos*, verſ. 3. *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos.* Quæ verba nullo modo ſignificant Paulum fuiſſe collegam Petri in regimine monarchico Eccleſiæ, ſed potius fuiſſe ſubditum ac inferiorem, ut patet ex ſingulorum examine. Dicitur enim primò *Miniſtrantibus illis Domino*, Græcus & Eraſmus, *Sacrificantibus.* Vel (quod idem eſt) Tigurina. *Cùm operarentur Domino.* Nam operari Domino eſt ſacrificare, quo tempore eis manus impoſuerunt ordinantes eos Epiſcopos ſecundùm morem Apoſtolorum, ut tradit S. Dionyſius Eccleſ. Hierar. part. 1. cap. 2. Dicitur ſecundò *jejunantibus*, juxta traditionẽ Apoſtolorũ (inquit S. Chryſoſtomus) qui præmittebant jejunium, ut fideles gratiam Dei implorarent ad idoneos miniſtros ordinandos, vel ut ordinandi ſe jejunio diſponerent, ad recipiendam gratiã ordinationis. *Dixit illis Spiritus ſanctus*, ſcilicet interno inſtinctu, quem Eliæ & Eliſeo paſſim lib. 4. Reg. & aliis Prophetis ingeſſit, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus*, ſcilicet evangeliſandi ubique gẽtium. Vnde Paulus ad Galat. cap. 1. verſ. 15. vocat ſe ſegregatum ab initio ſuæ converſionis Actor. cap. 9. verſ. 15. Paulus fuit quidem à Deo deſignatus & auctoratus Doctor gentium ſecretò & in actu primo, at cap. 13. deſignatur publicè & in actu ſecundo. Prædicaverat quidem Paulus antea, ſed tantùm Damaſci & Antiochiæ. At poſtea deſignatur ad ubique evangeliſandum, verſ. 3. *Tunc jejunantes.* Syrus. *Poſtquã igitur jejunaſſent, orantes, imponentesq; eis manus.* Syrus. *Preces auſpicati fuiſſent impoſuerunt.* Vatablus, Pagninus, & alii, *& impoſuiſſent eis manus, & dimiſerunt eos.* Ordinatione non ordinariâ, ſed precatoriâ (ut aſſerunt Arias in cap. 3. Actuum. Cajetanus in cap. 6. verſ. 6. Suarez tomo 3. in part. 3. diſput. 34. ſect. 1.) ſeu impoſitione conferente illis executionem Apoſtolatus, ſeu miſſione ad evangeliſandum, ad quam non erat neceſſaria nova ordinatio, ſicut Paulus 2. Corinth. cap. 8. verſ. 19. ait ſocium ſuum fuiſſe ordinatum, ideſt conſtitutum comitem peregrinationis ſuæ. Deinde quia Paulus videtur ordinatus Præsbyter à S. Petro & Apoſtolis, quorum neuter hic nominatur. Vel (ut volunt Turrianus lib. 1. de Hierarch. ordinat. cap. 20. & alii) per impoſitionẽ manus poteſt intelligi ordinatio Epiſcopalis. Aiuntq; eſſe veriſimile, quod ante ordinati fuerant præsbyteri, cùm ex cap. 11. verſ. 26. jam per annum multam turbam docuiſſent, quod proprium eſt præsbyterorum. Huic ordinationi Epiſcopali nunc factæ favent multæ rationes. Prima fundatur in circũſtantiis liturgiæ, jejunii prævii & impoſitionis manuum, quæ ex praxi & more Apoſtolorum Eccleſia ſolet præmittere cõſecrationi ordinandorũ faciendæ in Miſſâ. Secunda, nullibi legimus, quod Saulus & Barnabas fuerint ordinati Epiſcopi niſi cap. 13. Vnde c. 14. munia Epiſcopalia obierunt ordinantes præsbyteros per civitates, verſ. 22. *Et cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Præsbyteros, &c.* & cap. ſeq. Tertia, quia cap. 13. manuum impoſitio facta eſt circa annum Chriſti 45. ex Baronio, quod etiam colligit Cornelius in cap. 12. verſ. 1. Actuum, ex raptu Pauli ad tertium cœlum, & audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui, 2. Corinth. cap. 12. verſ. 1. Congruum igitur fuit, ut tunc Paulus conſecraretur in Epiſcopum. Denique Chriſtus ordinavit Apoſtolos Epiſcopos, hi alios & alios, igitur & Paulus ab aliis fuit ordinatus. Hoc enim exigit ordo hierarchicus, quem Chriſtus inſtituit, ut Petrus & Apoſtoli à Chriſto ordinati, cœteros omnes ordinarent, & alii ab eorum ſucceſſoribus. Sic nonnulli apud Henriquez lib. de ordinat. Sacram. cap. 3. exiſtimant S. Iacobum Minorem fuiſſe à S. Petro ordinatum Epiſcopum Ieroſolymorũ, ſic S. Paulus fuit ordinatus ex S. Chryſoſtomo in cap. 13. Actuum. S. Leo epiſt-

epiſt. 81, vel. 79. ad Dioſcorum Alexandrinum ſancit, ut obſervetur ritus obſervatus in ordinatione Sauli & Barnabæ, quæ ſecundùm Bedam contigit anno 13. ab Aſcenſione Chriſti, ſeu ſecundùm Chronicon Alexandrinum anno Chriſti 46. qui fuit annus quintus Claudii Imperatoris, ſeu potius ex Baronio anno Chriſti 45. quando Petrus liber è carcere venit Romam, ibique Cathedram inſtituit.

V. *Galat. c. 2 v. 6.* Nec obſtat quod Paulus Galatis cap. 2. verſ. 6 ſcribat de Apoſtolis. *Mihi nihil contulerunt.* Loquitur Apoſtolus de doctrinâ & Evangelio, quod non ab Apoſtolis, ſed à Chriſto didicit. Cœterùm OEcumenius exiſtimat Paulum fuiſſe ordinatum impoſitione manuum à Lucio, & Manahen. Lyranus Antiochiæ fuiſſe Epiſcopos ab Apoſtolis ordinatos, qui Paulum & Barnabam ordinarunt. S. Leo epiſtolâ citata ad Dioſcorum Alexandrinum putat fuiſſe ordinatos ab Apoſtolis: & Cornelius ait potuiſſe ex Judæâ advocari S. Jacobum Epiſcopum Jeroſolymorum, S. Joannem, S Matthæũ, aut alium viciniorem Apoſtolum. Ex quibus patet Apoſtolo Paulo regimen Eccleſiaſticum Monarchicum ſupremum, vel æquale Petro non fuiſſe communicatum.

VI. Tandem ſolum Petrum dignitatem capitis exercuiſſe patet ex Baronio ſcribente Petrum ex Antiochiâ veniſſe Romam anno Chriſti 45. ibique Cathedram conſtituiſſe. Cui arridet *Optatus Mil.* Optatus Milevitanus libr. 2. contra Parmenianum. *Igitur negare non poteſ, ſcire te in urbe Româ Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe locatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus. Unde & Cephas eſt appellatus, in quâ una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderet ut jam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret. Ergò Cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c.* Non dicit Petro cum Paulo cathedram Epiſcopalem eſſe locatam, non dicit, in quâ ſederit Paulus cum Petro Apoſtolorum caput: nec item ſedit prior Petrus cum Paulo. Infra. *Unde eſt ergò, quod claves regni vobis uſurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus & audaciis ſacrilegio militatis.* Non ait contra cathedrã Petri & Pauli. Item paulò poſt, *Igitur de dotibus ſupradictis cathedra prima, quam probavimus per Petrum noſtram eſſe.* Non ait per Petrum & Paulum. Et S. Hieronymus epiſtolâ 57. ad Damaſum. *Hieron.* *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior.* Nullam facit mentionem Pauli. Idem epiſt. 58. *Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Non dicit Cathedræ Pauli jungitur. S. Auguſtinus epiſt. 165. & contra epiſt. Manich. cap. 4. ſcribit ex Petri Cathedrâ per ſucceſſionem Romanorum Pontificum demonſtratam diſcriminat ab hæreticis. Si Paulus eſſet Petro æqualis in regimine monarchico Eccleſiæ deberet dicere, ex Petri & Pauli Cathedrâ. Præfatam Petri Cathedram quæ lignea eſt, vidi Romæ, eamque Alexander VII. in loco honoratiori locari juſſit. Baronius ad annum citatum refert, quod Petrus primam epiſtolam ſcripſerit ad fideles diſperſos per Pontum, Galatiam Cappadociam, Aſiam & Bythiniam, quam concludit his verbis. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone.* Cap. 5 verſ. 13. *1. epiſt. Petr. c 5. v. 13.* Ideſt Romæ (inquiunt Tertullianus libro 3. contra Marcionem cap. 11. Papias diſcipulus S. Joannis apud Euſebium lib. 2 hiſtor. cap. 14. S. Hieronymus in cap. 14. Iſaiæ, & lib. 2. contra Iovinianum circa finem, Beda, OEcumenius, Andræas Cæſarienſis in epiſt. Petri. Ribera, Aretas, Viegas, Alcazar, Pererius & alii in cap. 17. & 18. Apoc. Baronius ſupra. Noſter Lezana in ſuis conſultis & alii, quibus ſubſcribit Cornelius in 1. epiſt. Petri referens ſex Analogias, ſeu cauſas, ob quas Roma nominetur Babylon. Eodem anno Marcus poſt conſcriptum Romæ Evangelium & approbatum à Petro, miſſus fuit Alexandriam, quam Eccleſiam excoluit. At tunc Paulus erat occupatus in Syriâ munus prædicationis tantùm exercens, ut teſtatur Baronius anno citato

&

fata verba *Vnum habeatis Priorem*, ſint intelligenda de Priore Generali, ex eo patet, quod loquatur B. Brocardo, qui fuit Prior Generalis, & ſimul Prior montis Carmeli. Deindè loquitur de electione unius Prioris, *Cui obedientiam, quilibet aliorum*, ut fertur in regulâ. Quæ verba de ſolo Priore Generali ſunt intelligenda. Nam in noſtro ordine qui profitentur non promittunt obedientiam Priori Locali, ſed dumtaxat Priori Generali ex verbis profeſſionis illorum. Tertiò cap. 17. Regulæ dicit Patriarcha *Tu autem Brocarde*, qui Brocardus erat Prior Generalis ut dictum eſt, & communiter noſtri Ordinis Hiſtorici ſpecialiter Lezana in ſuis Annalibus tomo 5. Paleonydorus lib. 3. cap. 2. Didacus Coria, Maldonatus in Chronicis Carmelitarum libr. 10. cap. 3, Michael Munnozius in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 2. Denique (inquit P. Lezana in relectione ſupra validitatem cujuſdam Capituli & electionum) hic eſt uſus, praxis, conſuetudo, acceptatio & ſtylus totius Religionis noſtræ, ut Priores Generales ſemper eligantur à Fratribus: Locales verò ab ipſo Generali ſolo, vel à Definitoribus in Capitulo Provinciali, vel à nonnullis Conventibus juxta Breve Calixti III. Pii II. Pauli II. qui ſcilicet ſtrictiorem & ſpecialiſſimam obſervantiam, ac reformationem ſectantur.

Priuſquam Chriſtus ad mortem raperetur prædixit Eccleſiæ ſuæ regimē fore monarchicum, non Monarchia tricipiti, bicipiti, ſed unicipiti: quamvis enim Andræas eſſet frater Petri, major natu & prior vocatione, & *Andræas* ſit idem ac *fortiſſimus*, Chriſtus tamen non dixit illi: Tu es Andræas, ideſt fortiſſimus, & ſuper fortitudinē ædificabo Eccleſiam meam. Quamvis Joannes eſſet Chriſto conſobrinus ſecundùm carnem, Chriſto chariſſimus, & Joannes idem ſit ac gratioſus, pius, miſericors, non tamen dixit ei Chriſtus: Tu es Joannes & ſuper hanc gratiam, pietatem, miſericordiam, amicitiam ædificabo Eccleſiam meam. Quamvis Jacobus frater Joannis, etiā foret Chriſto conſobrinus ſecundùm carnem, & Jacobus idem ſit ac ſupplantator, ſuper eum tamen Chriſtus non pollicitus eſt ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam. Quamvis alter Jacobus vulgò Frater Domini cognomento juſtus tantæ foret ſanctitatis, ut ei ſoli liceret ingredi ſancta ſanctorum, Jeroſolymorum Epiſcopus creatus ſit, & ei ſoli Petrus miſerit, qui nunciaret ſe è carcere ab Angelo eductum fuiſſe; nihilominus univerſalem curam Eccleſiæ nō accepit à Chriſto, nec ſimiliter alii Apoſtoli, ſed ſoli Petro dixit: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matt. c. 16. v. 18 Hildebertus ex Epiſcopo Cænomanenſi factus Archiepiſcopus Turonenſis epiſtol. 12. Hildeb. *Chriſtus Ioannem ſupra Petrum dilexit, Petro tamen non Ioanni conceſſa eſt poteſtas ligandi ac ſolvendi.* Et ante illum Origenes tract. 3. in Matthæum. Origenes *Petrus per promiſſionem meruit fieri Eccleſiæ fundamentum.* Theodoretus in Cātica Cant. *In Petro Apoſtolorum principe Dominus in Evangeliis ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit.* Præfatam Chriſti promiſſionem ſoli Petro factā Paulus de Palatio in cap. 16. Matthæi egregiâ ac doctiſſimâ interpretatione Paul. de Palatio. elucidat. Prima: *Tu es Petrus*, ideſt, *ut Sanctes, Pagninus, & doctiſſimi interpretes nomen Syriacum accipiunt: Tu es petra ſeu robur & firmitas. Quo colligitur pontificatum Petri fore firmiſſimum, & nunquam defecturum. Paulus enim dicit, ſpirituali conſequente eos petrâ, quaſi diceret, Iudæos in ſuâ peregrinatione ſemper petram habuiſſe comitem: habebunt ergò & Chriſtiani ſuam petram, ideſt pontificatum Petri in comitem perpetuum. Philo enim dixit, aquas de petrâ percuſsâ prodeuntes nunquam deſeruiſſe Iudæos per deſertum. Secundò dictum eſt petra refugium herinaciis: voluit Chriſtus ſedem Petri fore refugium omnibus injuriam patientibus. Tertiò habhet Iſaias. Attendite ad petram unde exciſi eſtis. Igitur Abraham erat petra, undè omnes Iudæi exciſi erant ſecundùm carnem; ideò jubentur, ut eum imitentur. Ita proponit nobis Dominus alteram petram Simonem, undè exciſi ſunt ſecundùm fidem Chriſtiani, quem imitari debent. Verbum ergò Domini, Tu es petra ſignificat, tu es petra in ſæculū duratura*

Tu

fidelibus. Secundã Chriſti promiſſionẽ ad Simonem explicat. *Super hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam, quod hunc ſenſum habet, lapis, ſuper quo tota ædificii moles ſurgit, primus eſt, & qui ſuper eo lapide non radicantur, ad ædificium nõ pertinent. Ita Petrus primus eſt in ædificio Chriſtiano, quæ Petri maxima laus. Iam qui cum Petro non radicatur & colligatur, ad ædificium Chriſtianum non ſpectat. Vt igitur Chriſtus lapis offenſionis eſt, in quem qui credit non confunditur, qui verò offendit, conteritur. Ita ſedes Petri petra eſt cui qui credit, non confundetur: qui non credit, perit.*

IV. Ut Chriſtus ſtabilitatem Eccleſiæ ſuper hanc petram fundatę confirmet, ſubdit. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Vatablus & Syriacus. *Et portæ infernorum non prævalebunt ei.* Græcus. *Et portæ inferni non vincent eam.* Hebræus apud Cornelium. *Et portæ inferi non poterunt ei reſiſtere.* S. Pacianus epiſt. 3. *Et portæ infernorum non convaleſcent adverſus eam.* Palacius ſupra. *In portis judices, conſilia, arma, hoc eſt auctoritas & potentia urbis. Deuteron. cap. 22. Geneſ. cap. 22. & 24. Iob. 41. Nunquam ergo Petrus carebit Eccleſiâ, ſiquidem totus infernus non prævalebit adverſus Eccleſiam in Petro fundatam.* Eccleſiæ æquè ac Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus pollicetur de omnibus victoriam & triumphum, quia Chriſtus aſſiſtit iis, & pugnat, Spiritus ſanctus peculiarem curam eorum habet ut non errent in fide, ſed ſint firmi ut adamas, (inquit S. Chryſoſtomus) quare in eos inſurgant Ariani, Neſtoriani, Pelagiani, Lutherani, Calviniſtæ aliique hæretici. Inſurgant Nerones, Diocletiani aliique tyranni, Chriſtus de iis pollicetur victoriam & triumphum. S. Auguſtinus in pſalmum contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsâ ſede Petri, ipſa eſt petra, quam nõ vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Et S. Chryſoſtomus tomo 5. in orat. de non contemnendá Eccleſiâ. *Quid Eccleſiâ Dei potentius eſſe poteſt? Mœnia Barbari deſtruunt, Eccleſiam verò nè dæmones quidem ſuperant, cùm oppugnatur, vincit; cùm appetitur inſidiis, ſuperat.* Quaſi diceret: jam toties Romana mœnia funditus diruta ſunt à tyrannis & aliis, tot Pontifices gladiis impiorum occubuerunt, tot hæreticorum, ſchiſmaticorum, Politicorum ſcriptis & calumniis impugnata eſt Eccleſia, & Sedes Romana, ſed non expugnata. Id diu antę Deus oraculo Jeremiæ pollicitus fuerat cap. 1. verſ. 8. *Ne timeas à facie eorum*, ſcilicet tyrannorũ, hæreticorum, ſchiſmaticorum, &c. verſ. 19. *Bellabunt adverſum te & non prævalebunt.* Theodoretus. *Pollicetur ei non pacem nec quietem, ſed certamen & victoriam. Pugnabunt enim ait tecum, & non prævalebunt. Quam quidem pollicitationem fecit etiam Eccleſiæ, nam Petro diviniſſime dixit, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Non dixit, non pugnabunt; ſed pugnando non prævalebunt, quoniam ex adverſo pugnantes non ſine labore victoriam comparant.* Hanc Eccleſiæ & Sedis Romanæ inexpugnabilitatem prævidens Regius Pſaltes canit pſalmo 9. verſ. 14. *Qui exaltas me de portis mortis.* Quæ ſunt *portæ mortis? Sunt hæretici & eorum dogmata* (inquit noſter Michael de Bononia) illos vincit, de illis triumphat Eccleſia Romana, triumphat Petrus & ejus ſucceſſores. Illi arridẽs S. Ephiphanius in Ancorato. *Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt adverſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes & hæreſiarchæ, juxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides qui accepit clavem cælorum.* Paulinus epiſtol. ad Severum. *Petra eſt Chriſtus: bibebant enim de ſpiritali ſequente eos petrâ. Petra autem erat Chriſtus. Chriſtus etiam diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit, cui dicit, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* S. Hilarius in cap. 16. Matthæi hanc immobilitatem adverſus tartareas machinas conſiderãs exclamat! *O in nuncupatione novi nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges diſſolveret.*

Auguſt. *Chryſoſ.* *Ierem. c. 1. v. 8. v. 19.* *Pſal. 9. v. 14.* *Michael de Bon.* *S. Epiph.* *Paulin.* *S. Hilar.*

V. Vt Chriſtus Monarchicum regimẽ Petro collatum confirmet, ſubdit

Matthæi

Matthæi cap. 16. verſ. 19. *Ego tibi*
Matt.c. 16. v. 19 *dabo claves regni cœlorum* Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 4. §. 3. & ejus aſſeclæ dicunt his clavibus ſignificari poteſtatem annuntiandi Evangeliũ & remiſſionem peccatorum ei, qui dumtaxat credit Evangelio illam promittenti, ſed hanc inauditam ac ridiculam opinionem omnes Interpretes rejiciũt. Primo quia clavibus reſerantur oſtia, non ora prædicantium. Secundò quia clavis eſt inſigne regum & regentium, non autem Doctorum & Prædicantiũ, ut diximus Tomo 2. tractat. ult. cap.
S. Cypr. 6. §. 3. S. Cyprianus epiſtola ad Jubaianum. *Eccleſia quæ una eſt, ſuper unum, qui & claves ejus accepit Domini voce fundata eſt.* Cùm duodecim eſſent Apoſtoli, cur non dicis Eccleſiam fundatam ſuper eos? non (inquit) *ſuper unum qui & claves accepit*, ideſt principatum ſuper univerſam Eccleſiam. Si per claves Petro collatas accipias clavem ſcientiæ. Non eam ſolam Petro collatam eſſe aſſerit Paulus de Palatio ſuprà: ſed etiam claves
Paul. de Palatio. poteſtatis ac juriſdictionis. *Quarta promiſſio tibi dabo claves regni cœlorum. Clavis una, eſt auctoritas docendi Lucæ cap. 11, Tuliſti clavem ſcientiæ: altera clavis eſt auctoritas gubernandi Iſaiæ cap 22. Apocal. cap. 1. Ergo cùm Dominus dat claves Petro, dat Cathedram docendi, dat & imperium gubernandi in Eccleſiâ. Igitur omnes difficultates definire ad eum ſpectat, habet enim cathedram licet ignorantiſſimus fingatur. Ita habetur in cap. Majores de Baptiſmo & 24, quæſt. 1, can. quoties ſimiliter addere miniſtros in Eccleſiam à Cardinali ad Acolytum ad Papam ſpectat, ut ad Eliam ſpectabat admittere in templum. Item normæ miniſterii divini altaris ſacramentorum ad præſcriptum Papæ ſpectat, ut ad ſummum gubernatorem. Latiſſimæ ſunt hæc claves, & tam latè patent quantum patet Eccleſia. Si enim Petro datur Cathedra ergo ipſe definiet quid quid ſit de fide, quid contra hæreſis definiet quid ſit peccatum, quid contra ſit juſtum. Si item Petrus habet Eccleſiaſticum imperium. ejus mandatis (ſi juſta ſint) parendum erit. Meditare verò, quod Dominus dixit tibi dabo claves regni cœlorum, indicans claves eſſe ſuper humeros, non ſub pedibus. Nam Chriſtus habet imperium ſuper humerum ſuum, planè qui clavibus in ſuum commodum abutitur, is ſui non Petri vicem gerit: Sicut Rex qui propriã & non communem quærit utilitatem, non Rex eſt, ſed tyrannus. Rurſum, nota; non dicit tibi dabo claves regni terrarum, ſed cœlorum. Quomodo enim Chriſtus daret, certè quantum ad uſum imperium terrenum Petro, quod ipſe habere nolebat, dixit enim regnum meum non eſt de hoc mundo, &c.*

Quinta & ſexta promiſſio Chriſti VI.
eodem cap. 16. verſ. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis. Et quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis.* Quas etſi Tomo 2. tract. 2. cap. 9. num. 16. & tract. 3. cap. 6. §. 6. expoſuerimus. tamen quædam adjicienda ſunt ex Bedâ homiliá de Feſto Apoſtolorum ſuper illud Matthæi cap. 16. *Quodcumque li-* Bedas
gaveris, &c. ubi ait. *Qui regem cælorum majori præ cæteris devotione confeſſus eſt, meritò præ cæteris ipſe collatis clavibus regni cæleſtis donatus eſt. Quod ſi omnibus Apoſtolis ſimul dictum eſſe reperias, non tamen aliis ſine ipſo: ſed ipſi ſine alio attributum eſſe cognoſces ligandi & ſolvendi à Domino facultatem, ut quod non alii ſine ipſo, ipſe ſine aliis poſſet ex privilegio ſibi collato à Domino, & conceſſâ plenitudine poteſtatis. Hinc Dominus oves ſuas paſcendas vocabulo tertio repetito commiſit, ut alienus à grege Dominico cenſeatur, quiſquis eum etiam in ſucceſſoribus ſuis noluerit habere paſtorẽ.* Expende illa verba *meritò præ cæteris.* Item *ipſi ſine aliis attributum eſſe cognoſces, &c.* Item *conceſſâ plenitudine poteſtatis.* Item, *huic Dominus oves ſuas paſcendas commiſit*, quæ Monarchicum regimen deſignant, non tantùm Petro competens, ſed etiam ejus ſucceſſoribus. *Quiſquis eum etiam in ſucceſſoribus ſuis noluerit habere paſtorem.*

Specialiter quod ſoli Petro hæc mo- VII.
narchica poteſtas collata ſit, teſtatur S. Auguſtinus ſermon. 26. vel 28. de Sanctis. *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire, tu es Petrus.* Quaſi dice- Auguſt.
ret, quamvis omnes Apoſtoli adeſſent, tamen *ſolus Petrus inter Apoſtolos meruit audire.* S. Cyprianus tractat. de virtute Eccleſiæ, *Primatus Petro datur* S. Cypr.
ut una

ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra monſtretur. Per primatum intellige non tantùm præcedentiam, ſed etiam ſuperioritatem ac plenitudinem poteſtatis in omnes etiam Apoſtolos. *S. Cyrill. Hieroſ.* Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus eum compellat, *Supremum omnium caput, Apoſtolorum præſidem & Eccleſiæ ſummum præconem.* *Theodor. Studita.* Theodorus Studita epiſt. ad Leonem, vocat Petrum *Omnium capitum caput.* *S. Epiph.* S. Epiphanius lib. 2. aſſerit eſſe *Diſcipulorum principem, & Apoſtolici ſodalitii coryphæum.* *S. Amb.* S. Ambroſius ſermon. 66. *Caput ſanctitatis.* *S. Clem.* S. Clemens epiſt. ad Iacobum. *Primitias electionis Apoſtolorum, æternæ vitæ clavigerum.* *S. Ioann. Dam.* S. Ioannes Damaſcenus in hiſtoriâ Barlaam cap. 11. *Columnam ad ſuſtentaculum, lapidem ad fundamentũ, clavẽ ad regnum.* *S. Iſidor.* S. Iſidorus lib. de vitâ & morte Proph. *Sanctæ Eccleſiæ ſolem, & luminare majus.* S. Chryſoſtomus *Chryſoſ.* homiliâ in S. Petrum & Eliam. *Apoſtolorum verticem, Eccleſiæ columnam & propugnaculum, fidei portum.* S. Leo ſerm. 1. de natali Apoſtolum Petri & Pauli ait. *Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperii, ut lux veritatis quæ in omnium gentium deſtinabatur ſalutem, efficacius ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet.*

§. I.

Probatur ex cap. 1. Joannis verſ. 16. & 17.

I. Tomo 2. Tract. 4. cap. 8. idem argumentum explicavimus: hic ſpecialiter probandum incumbit S. Petrum eſſe paſtorem non tantùm omnium fidelium, ſed etiam ipſorum Apoſtolorum. Cur Dominus commiſit Petro curam non tantùm agnorum, ſed etiam ovium. *Paſce agnos meos, paſce oves meas?* *Joan. c. 16. v. 17.* Cur ſpecialem mentionem facit agnorum & ovium? quid per agnos & per oves intelligit? per agnos fideles, per oves accipit Epiſcopos. *S. Chryſ.* S. Chryſoſtomus lib. 2. de ſacerdotio hæc Chriſti verba ponderans. *Chriſtus (inquit) Petrum auctoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcedere.* Ex quo infero, Petro majorem gubernandi gregem Domini poteſtatem commiſſam fuiſſe, quàm ulli Apoſtolorum, quandoquidem non tantùm fideles, ſed etiam ipſoſmet Apoſtolos paſcere & regere debeat. Idem enim eſt paſcere quod regere patet, pſalm. 22. v. 1. *Dominus regit me.* Græcus. *Dominus paſcit me.* *Pſal. 22. verſ. 1.* Vndè ſubdit. *In loco paſcuæ ibi me collocavit.* Vnde pſalmo 77. verſ. 77. de ſeipſo canit. *Pſal. 77. v. 77.* *Elegi David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ovium, de poſt fœtantes accepit eum.* Verſ. 78. *Paſcere Iacob ſervum tuum & Iſrael hæreditatem ſuam.* Verſ. 79. *Et pavit eos in innocentiâ cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarũ deduxit eos.* *Genebr.* Genebrardus. *Vt regeret aſſumpſit eum de caulis.* *Rudol.* Rudolphus. *Ex paſtorali officio pecorum, tranſlatus ad regnum hominum, & de eo, ubi erat ſequens poſt oves fœtas ſeu habentes fœtus accepit eum, quia paſcebat oves, quando vocatus fuit, ut in regem ungeretur. Sed ad quid? ad paſcendum & regendum populum ſuum, qui de Iacob ſervo ſuo deſcendit, & pavit, id eſt, rexit & gubernavit in puritate conſcientiæ, &c. Sic rexit & duxit eos ſicut vir ſimplex in corde ſine duplicitate & prudens in opere.* Illi arridens S. Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 24. *S. Amb.* *Audis nè tertiò Petrum juberi ut non agnos tantùm, aut oviculas, verùm etiam ut oves, id eſt perfectiores paſceret, hoc eſt gubernaret.* Vndè ſanctus Epiphanius vocat Petrum *Ducem Diſcipulorum.* Ita ut quemadmodum paſtor ducit oves, ita & Petrus Diſcipulos Chriſti. Mellifluè S. Bernardus lib. 2. de conſideratione *Bernar.* *Non modo ovium, ſed etiam paſtorum, tu unius omnium paſtor. Vndè id probem quæris? ex verbo Domini, cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves, ſi me amas, paſce oves meas.* Id eſt quotquot ſunt in Eccleſiâ ſive ſint Prælati, Epiſcopi, Apoſtoli, ſive ſubjecti, illos omnes paſce, rege. Nonnè Apoſtoli ſunt paſtores? etiam, ſed (inquit Eucherius Lugdunenſis in vigilia S. Petri, Tu es Paſtor paſtorum.) Sicut Eliſeus ex omnibus Prophetis unus ab Eliâ eligitur ad regimen cœtus prophetici. Sic (inquit ſanctus Leo ſermon. 3. de aſſumptione

ſuâ ad Pontificatum. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſq́ Patribus præponatur.* Non tantùm præponatur præcedentiâ honoris, ſed etiam juriſdictionis & auctoritatis. Nam (ut idem teſtatur.) *Si quid cum eo Petro commune cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Et clarius epiſt. 89. *Hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet* Poſtquam dixit Petrum eſſe ſummum & principalem omnium Apoſtolorum, oſtendit iſtam celſitudinem non eſſe tantùm dignitatem nudam, ſed cum poteſtate conjunctam.

II. Nec dicas, ideò à Chriſto ter nominato præcipi ut paſcat oves Chriſti, non quod præferatur cœteris: ſed ut Petrus non dubitet ſibi reſtitutum eſſe munus Apoſtolicum, quod trinâ negatione amiſerat. Dico Petro pœnitenti non tantùm fuiſſe reſtitutam gratiam, ſed etiam regimen monarchicum illi conceſſum. Vnde Chriſtus ter eum interrogat. *Amas me pluſquã hi?* Quaſi diceret quia amas me tantùm quantùm hi, ideò gratiam amiſſam tibi reſtitui. Quod ſi amas me pluſquam hi, etiam illis in dignitate & auctoritate eris ſuperior, ut innuit Arnobius in pſalm. 138. *Apoſtoli pœnitenti ſuccurritur qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus, & major gradus redditur ploranti, qui ſublatus eſt deneganti.* Et ſanctus Ambroſius in cap. 22. Lucæ. *Poſtquam fleviſti erectus es, ut alios regeres.* Id eſt tantum amorem, tantam contritionem elicuiſti, ut non ſolùm gratiam recuperaris, ſed etiam regimen monarchicum Eccleſiæ ſis adeptus. *Vt non ſolum* (inquit Arnobius ſupra) *recuperaſſe quod amiſerat, probaretur: verùm etiam & multò amplius pœnitendo, quam negando perdiderat, acquiſiviſſe.* Nam Petrum non amiſiſſe Apoſtolatum ſuo perjurio teſtantur S. Auguſtinus epiſt. 50. Optatus Milevitanus libr. 7. de ſchiſm. S. Bernardus in feſto SS. Petri & Pauli. S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi ſecundâ.

Arnob.

III. Nec refert ſecundò quod S. Auguſtinus lib. de agone Chriſtiano cap. 30. dicat de Petro. *Cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, paſce oves meas.* Ex quo ſequitur Petrum in hoc cæteris Apoſtolis non præferri. Reſponſioni datæ tomo 2. tract. 4. cap 8. §. 2. numer. 2. Petrum utpotè Principem Apoſtolorum comprehendere in ſeipſo omnes Apoſtolos, & omnes, qui unquam futuri erant paſtores: & ideò per eum omnibus, ſed non omnibus in eodem gradu, ſed cuique in ſuo gradu dictum eſſe, *paſce oves meas.* Alioqui per hoc mandatum quilibet Præsbyter, cui Parœcia minima commiſſa eſt, haberet tantam auctoritatem oves paſcendi, quantam ipſe Petrus habuit. Quod S. Auguſtinus nunquam ſenſit: imò inter Aerii hæreſes refert, quod diceret *Præsbyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni.* Quod igitur Petro dicitur *paſce oves meas*, ad omnes quidem dicitur? quia omnes in Petro continentur, ſed pro eo gradu & auctoritate ad ſingulos dicitur, tanquam ſub Petri Chriſti vicario variam & diſtinctam ſinguli obtinent. Nam ſecundùm eundem S. Auguſtinum ſerm. 24. de ſanctis. *In uno Petro figurabatur unitas omnium paſtorum.*

Auguſt.

IV. Nec tertiò verum eſt verba illa *Paſce oves meas*, intelligi de ſolis Iudæis, non verò etiam de Gentibus, quaſi Petro Chriſtus dixerit, Paſce Iudæos, qui credituri ſunt in me: primò qui ex gentibus in Deum per Chriſti gratiam credunt, ſunt Chriſti oves, eaſque Petro abſque ullâ diſtinctione commendat. Deindè ſi per agnos & oves ſoli Judæi intelligerentur: cùm tamen omnes Apoſtoli fuerint Judæi, hoc modo Petrus etiam acciperet poteſtatem paſcendi ipſos Apoſtolos, & conſequenter ii, quibus Apoſtoli præſunt ſubjiciuntur. Tertiò quod non ſolùm Judæi, ſed etiam Gentiles dicuntur Chriſti oves, patet ex verbis Chriſti Joannis cap. 10. verſ. 16. *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Quæ verba inſinuant præter Judæos etiam Gentiles ad fidem convertendos, de quibus

Joann. cap. 10. v. 16.

Petrus

Petrus 1. epiſt. cap. 2. verſ. 25. ait: *Eratis ſicut oves errantes.* Et cùm Chriſtus ait, *Oportet.* Idem eſt (inquiunt Toletus, Maldonatus & noſter Sylveira) ac neceſſe eſt, ex parte quidem Chriſti, ut Patris decreto ac officio ſuo Redemptoris ſatisfaceret, ac etiã ex parte ovium ut illæ ſalvæ ſint, & non pereant, ſubdit *me adducere*, non tantùm per ſemetipſum, ſed etiam per ſuos Apoſtolos miniſtros & legatos, ut explicat S. Auguſtinus. *Ergò & per*
August. *ſuos & non aliter adduci.* Omnes illas oves fuiſſe Petro commendatas do-
Theoph. cet Theophilactus in cap. 21. Joannis. *Totius orbis ovium præfecturam Petrò committit, non autem aliis, ſed huic tradit primum quidem quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat. Deindè oſtendens ipſi fiduciam eſſe ſumendam velut negatione deletâ.* Ait Petro oves commendatas, quia præcellebat omnes, cui accinit Arator qui floruit tempore Juſtiniani Imperatoris lib. 1. Hiſtoriæ Apoſtolicæ.

Primus Apoſtolico parvâ de puppe vocatus
Agmine Petrus erat, &c.
Quas paſſus ſalvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget paſtore gregem, quo munere ſumus
Surgit & inſinuãs dominæ negotia, &c.

CAPUT TERTIUM.

Paulus non eſt Petro Collega in poteſtate & regimine Eccleſiæ.

I. Minor difficultas eſt an Paulus Apoſtolatus dignitatem obtinuerit abſque ullâ ſubordinatione ad Petrum pro cujus ſolatione non reperto quæ dixi tomo 2. tract.
Lucæ c. 22. v. 32 4. cap. 12. & 13. Primò maximè quæ Chriſtus ait Petro Lucæ cap. 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Quum & tu quo tempore converſus fueris, tum & confirma fratres tuos.* Iis quæ dixi tomo 2. tract. 2. cap. 4. num. 6. & tract. 3. cap. 7. numer. 2. & ſeq. adjicio particulas *Tes Tu*, eſſe ſingulares, privativas, & excluſivas omnium aliorum, ſicut illud Matthæi cap. 16. verſ. 17. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* verſ. 18. *Tu es Petrus.* Igitur ſignificant monarchicum regimen Eccleſiæ eſſe ſingulariſſimè conceſſum S. Petro. Secundò S. Petrus Joannis cap. 21. verſ. 16. *Tu ſcis Domine quia amo te*, denotat amorem ſingularem. Igitur & illud: *Ego rogavi pro te, &c.* ſignificat privilegium perſonale Petro & ſucceſſoribus conceſſum. Tertiò, ex Juriſtis ſpecialiter Stephano Gratiano deciſ. March. deciſ. 51. num. 28. Barboſa tract. de dictionibus, dict. 411. & ſequitur Rota deciſ. 101. num. 2. & 8. part. 5. recent. igitur *Tu es Petrus & tibi dabo claves. Ego rogaui pro te.* Non univerſaliter omnibus Apoſtolis, ſed ſoli Petro & ſucceſſoribus ſingulariſſimè dictum eſt. Quartò, communiter Juriſtæ, l. *ſi veritas*, C. de *fideicommiſſ.* Tiraquellus *de jure mariti.* Gonzalez ad regul 8. cãcell. Gloſſ. 18. num. 76. & ſeq. Flaminius Pariſ. de reſignat. benef. lib. 8, quæſt. 8. num. 94. Molin. de primog. lib. 1. cap. 9. num. 17. Eſcobar de ratioc. cap. 11. num. 19. Pereira de poteſt. eligendi cap. 17. num. 15. & alii aſſerunt formam legis privilegii vel reſcripti conſiſtere in indiviſibili & eſſe omninò ſingularia & individua. Cùm igitur Chriſtus his verbis. *Tu es Petrus, &c. Tibi dabo claves, regni cœlorum, &c. Rogaui pro te, &c.* tradat formam regimis Eccleſiæ ſcilicet ſub uno Petro (ut paſſim docent Patres & Interpretes) ſignificatur indubiè quod indiviſibiliter & ſolitariè competat Petro & non Paulo. Quintò, licet ſacer Textus non dicat expreſſè Deum non creaſſe duos mundos, ſed tantùm facere mentionem unius mundi; nihilominus eſt de fide in terminis ſacræ Scripturæ non eſſe duos mundos, ſed unum tantùm. Quamvis eadem ſcriptura dicat Joannis cap. 1. verſ. 14. *Et verbum caro factum eſt.* Seu Dei filius eſt incarnatus: Non verò expreſſè habeatur quod ſolus filius ſit factus homo, vel ſolum verbum ſit factum caro: tamen eſt de fide ſtando in terminis Scripturæ. Sólum verbum incarnatum non verò Patrem vel Spiritum

[Margin notes: Matt. c. 16. v. 17 verſ. 18. — Joan. c. 1. v. 14.]

ſanctum. Similiter cùm Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ Matthæi cap. *Matth. cap.26. v.26.* 26. verſ. 26. *Cœnantibus eis (* ſcilicet Apoſtolis *) accepit IESVS panem & benedixit ac fregit, deditq́; diſcipulis ſuis, & ait, accipite & comedite. Hoc eſt Corpus meum.* Tamen certum eſt de fide, quod ſi quis conſecraret piſces, carnẽ, ova, herbas, &c. conſecratio eſſet invalida. Denique cùm Chriſtus inſtituens Baptiſmum dixerit Matthæi *Matt. c.28. v.29.* cap. 28. verſ. 19. *Baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Licet non dixerit ſolùm, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:* Nihilominus ſi quis baptiſaret in nomine B.V.Mariæ, SS. Angelorum, S.Petri, vel alterius ſancti, Baptiſmus eſſet invalidus: ita etiamſi dixerit Petro. *Tibi* ſoli *dabo claves regni cœlorum. Ego rogavi pro te* ſolo, *veruntamen & tu* ſolus *converſus, &c.* Tamen hoc privilegium monarchici regiminis ſolum Petrum & eius ſucceſſores ſingulariſſimè ac individualiter afficit, ut doctiſſimè ratiocinatur noſter Lezana in conſultis ſuis.

II. Si Chriſtus creavit Paulum Collegam Petri in monarchico regimine, debet aſſignari tempus & locus conceſſæ hujus gratiæ & privilegii, utpotè de ipſius ſubſtantiâ, l. *non ſolum, §. ſciendum, ff de oper. non nunciat.* & aliis Juriſtis, at nullum tempus, nullus locus talis privilegii conceſſi Paulo aſſignari poteſt. Non ante converſionem, tunc enim Paulus erat hoſtis infenſiſſimus Eccleſiæ & fidelium, ut patet Actorum cap. 9, verſ. 1. *Act. c.9. v. 1.* *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini.* Vndè ſanctus Hieronymus in epiſt. ad Philemonem ait. *Dictus eſt Saulus, quod ad vexandam Eccleſiam fuiſſet à Diabolo poſtulatus,* & Arator de lapidantibus S. Stephanum canit:

Ad Sauli poſuêre pedes velamina ſævi
Infernum quod Hebræus ait.

Non etiam poſt converſionem, quæ contigit ſecundùm Euſebium in Chronico, Guilelmum Durandum lib. 7. rationalis Divinorum officiorum cap. 4. Adrichomium in Chronolog. Chriſtophorum à Caſtro in chronologiâ Deiparæ contigit anno proximo à Paſſione Chriſti, qui fuit à Nativitate Chriſti 35. Nam anno 34. paſſus eſt in Martio, & eodem in Decembri lapidatus eſt Stephanus, & ferè poſt menſem ſcilicet anno 35. Chriſti die 25. Ianuarii Paulus converſus eſt. Vel ſecundùm OEcumeniũ, Iſidorum, lib. de vitâ & morte Sanctorum cap. 71. Martyrologium Romanũ & Vſuardi, Lorinum, Sanchez, Baronium, Pererium in prologom. epiſt. ad Roman. diſp. 1. num. 34. Cornelium in cap. 9. act. fuit anno ſecundo à morte Chriſti: ita ut à die mortis Chriſti uſque ad diem converſionis S. Pauli intercefſerit biennium exceptis duobus menſibus qui fluxerunt à die 25. Januarii, quo Paulus converſus eſt, uſque ad 25. Martii, quo Chriſtus paſſus eſt. Vel ſecundùm Hippolytum Tebanum, & Evodium anno ſeptimo à morte Chriſti. Vel denique ſecundùm Chronicon Alexandrinum anno à Chriſti nativitate 43. qui fuit à morte & Aſcenſione Chriſti nonus. Ratio eſt quia Paulus in ſuâ converſione nullum munus Collegæ monarchicè regendi accepit, ut patet ex his verbis Chriſti ad Ananiam Actorum cap. 9. *Act. c.9. v. 15.* verſ. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael & ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* Cornelius explicat undecim modis cur Paulus dictus ſit à Chriſto Vas electionis, in quorũ nullo modo eſt privilegium regẽdi Eccleſiam cum Petro. Imò ex verſ. 24. *v. 24.* *Cùm veniſſet Ieruſalem tentabat ſe iungere diſcipulis, & omnes timebant eum non credentes, quod eſſet diſcipulus.* Cornelius. *Cornel.* *Tentabat ſe iungere Chriſtianis, præſertim Petro, & Apoſtolis, videndi enim Petri, ut potè Apoſtolorum & Eccleſiæ Principis causâ fatetur ſe iviſſe Ieroſolymam. Galat. cap. 1. verſ. 18. &c. Licet enim triennium jam à Pauli converſione eſſet exactum: tamen quia ipſe toto eo tempore delituerat in Arabiâ, idcircò ejus cõverſio & mens multis adhuc erat incognita, & ſuſpecta ob priorem eius vitam, acremque fidelium perſecutionem, nè fortè fingeret ſe converſum ad explorandos & divexandos Chriſtianos, uti faciunt proditores Chriſtianorum in Angliâ.* Vndè Barnabas debuit apprehenſum ducere ad

ad Apoſtolos, ut vetus Chriſtianus ab
v. 27. ipſis reciperetur. Verſ. 27. *Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos, & narravit illis quomodo in viâ vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine IESV.* Cornelius. *Duxit Saulum ad Apoſtolos, ut ab eis non tantum inter Chriſtianos, ſed & inter Apoſtolos admitteretur, ut potè à Deo creatus Apoſtolus, imò electus in vas electionis,* ſcilicet modis ſupracitatis.

III. Quod item regimini monarchico Petri aſſociari non potuit ante annum Chriſti 39. quo venit Jeroſolymam, ut videret Petrum, 2. Corinth. cap. 11. verſ. 32. Galat. cap. 1, verſ. 18. ut cum
Galat. c. 2. v. 2. ipſo Evangelium communicaret, ratio eſt, nè (ut ipſe ſubdit ad Galat. cap. 2. verſ. 2.) *in vacuum currerem*, ideſt, nè Pſeudo-Apoſtolis jactantibus meam doctrinam Apoſtolis diſſentaneam eſſe, fideles mihi, fideique meæ non credant, & ſic omnis meus labor reddatur caſſus & inanis. Ita poſt ſanctum Auguſtinum lib. 28. contra Fauſtum cap. 4. S. Hieronymum epiſt. 11. ad Auguſtinum, quæ eſt inter epiſtolas Auguſtini. Tertullianus libr. 4. contra Marcionem. Quo itinere, & colloquio innuit Apoſtolus ſe non fuiſſe æqualẽ Petro, ſed ejus ſubditum & inferio-
Hieron. rem. Audi S. Hieronymum in epiſt. ad Galatas. *Venit Paulus videre Petrũ, honoris priori Apoſtolo deferendi.* Idem epiſt. 89. ad Auguſtinum. *Tanta Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in epiſtolâ ſuâ ſcripſerit. Deinde poſt annos tres, veni Jeroſolymam videre Petrum, oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem prædicandi Evangelium, niſi Petri & aliorum Apoſtolorum, qui cum eo erant fuiſſet ſententiâ*
S. Amb. *roboratus.* S. Ambroſius in epiſt. ad Galatas. *Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apoſtolos, cui delegaverat Salvator curam Eccleſiarum.* Oecumenius in eundem locum. *Poſt tot, tantoſq́; agones pergit ad Petrũ, tanquam majorem viſurus.* Et Theophi-
Theoph. lactus. *Honoravit eum ceu majorem.*
Theodoretus. Theodoretus ibidem. *Cum humanâ doctrinâ non indigeret, ut qui ab univerſorum Deo eam accepiſſet, Apoſtolorum Principi, quem, par eſt, honorem tribuit.* Et epiſt. ad Leonem. *Paulus præco veritatis, tuba ſancti Spiritus ad magnum Petrum accurrit, ut iis, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionẽ.* S. Chryſoſtomus S. Chryſ.
homiliâ 87. in Joannem. *Petrus os erat Apoſtolorum & Princeps, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit.* Tertullianus de præſcriptione prope Tertull.
finem. *Aſcendit videre Petrum ex officio & de jure.* Ait de jure & officio, ideſt non ex titulo amicitiæ, ſed ex juſtitiâ, & obligatione tanquam ſubditus. Gre- Gregor. IX.
gorius IX. epiſt. ad Germanum Patriarcham. *Ad Petrum tanquam ad primatem & Evangelii fontem aſcendit.*

Si Paulus æquale regimen cum Pe- IV.
tro accepiſſet, maximè quando raptus in paradiſum, *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Sivè per paradiſum intelligas locum beatorum Deum intuentium, ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 175. art. 5. & alii. Sivè aliquem alium locum amœnum. Sed nec hac occaſione illud privilegium accepit, quia ille raptus contigit anno 44. quando Paulus profecturus erat ad gentes, ut Chriſtum evangeliſaret. At ex Pauli verbis conijci non poteſt hanc gratiam fuiſſe illi communicatam, quæ declaratio neceſſaria erat ut ejus prædicatio haberet majus pondus & auctoritatem, ſed illa arcana, quæ audivit, ſunt de naturâ, dotibus, gratiâ, gloriâ, ordinibus Angelorum, ut docet S. Gregorius homili. 4. in Ezechielem, vndè S. Dionyſius lib. de cœleſti hierarchiâ ita deſcribit ex doctrinâ S. Pauli ordines Angelorum, quaſi illos oculis intueretur. Vel audivit mira de divinis quibuſdam attributis nobis incognitis. Vel gloriam Chriſti. Vel à Chriſto didicit Evangelium, nè minor eſſet aliis diſcipulis, qui Chriſtum in carne viderant, & ab eo edocti erant. Vel vidit paradiſi pulchritudinem, Sanctorum choreas, tripudia, gaudia, ac modulatam hymnorum cœleſtium harmoniam, ut exiſtimat Theodoretus. Vel ſecundùm Baronium didicit ordinem divinæ prædeſtinationis ſeu reprobationis maximè gentium ac provinciarum ſibi cõmendatarum, quod arcanum paſſim miratur Apoſtolus Rom. c. 11. verſ. 33. & alibi. Vel ſecundùm alios, audivit

de arcanis myſteriis redemptionis ac Evangelicæ prædicationis. Vnde anno ſequenti miſſus eſt ab aliis Chriſti diſcipulis cum Barnabâ ad evangeliſandum gentibus, ut patet ex Actor. cap. 13. verſ. 2. *Miniſtrantibus illis*

Actor. c. 13. v. 2.

Domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos, verſ. 3. *Tunc jejunantes & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.* Quæ verba nullo modo ſignificant Paulum fuiſſe collegam Petri in regimine monarchico Eccleſiæ, ſed potius fuiſſe ſubditum ac inferiorem, ut patet ex ſingulorum examine. Dicitur enim primò *Miniſtrantibus illis Domino,* Græcus & Eraſmus, *Sacrificantibus.* Vel (quod idem eſt) Tigurina. *Cùm operarentur Domino.* Nam operari Domino eſt ſacrificare, quo tempore eis manus impoſuerunt ordinantes eos Epiſcopos ſecundùm morem Apoſtolorum, ut tradit S. Dionyſius Eccleſ. Hierar. part. 1. cap. 2. Dicitur ſecundò *jejunantibus,* juxta traditionẽ Apoſtolorũ (inquit S. Chryſoſtomus) qui præmittebant jejunium, ut fideles gratiam Dei implorarent ad idoneos miniſtros ordinandos, vel ut ordinandi ſe jejunio diſponerent, ad recipiendam gratiã ordinationis. *Dixit illis Spiritus ſanctus,* ſcilicet interno inſtinctu, quem Eliæ & Eliſeo paſſim lib. 4. Reg. & aliis Prophetis ingeſſit, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus,* ſcilicet evangeliſandi ubique gẽtium. Vnde Paulus ad Galat. cap. 1. verſ. 15. vocat ſe ſegregatum ab initio ſuæ converſionis Actor. cap. 9. verſ. 15. Paulus fuit quidem à Deo deſignatus & auctoratus Doctor gentium ſecretò & in actu primo, at cap. 13. deſignatur publicè & in actu ſecundo. Prædicaverat quidem Paulus antea, ſed tantùm Damaſci & Antiochiæ. At poſtea deſignatur ad ubique evangeliſandum, verſ. 3. *Tunc jejunantes.* Syrus. *Poſtquã igitur jejunaſſent, orantes: imponenteſq́ eis manus.* Syrus. *Preces auſpicati fuiſſent impoſuerunt.* Vatablus, Pagninus, & alii, *& impoſuiſſent eis manus, & dimiſerunt eos.* Ordinatione non ordinariâ, ſed precatoriâ (ut aſſerunt Arias in cap. 3. Actuum. Cajetanus in cap. 6. verſ. 6. Suarez tomo 3. in part. 3. diſput. 54. ſect. 1.) ſeu impoſitione conferente illis executionem Apoſtolatus, ſeu miſſione ad evangeliſandum, ad quam non erat neceſſaria nova ordinatio, ſicut Paulus 2. Corinth. cap. 8. verſ. 19. ait ſocium ſuum fuiſſe ordinatum, ideſt conſtitutum comitem peregrinationis ſuæ. Deinde quia Paulus videtur ordinatus Præsbyter à S. Petro & Apoſtolis, quorum neuter hic nominatur. Vel (ut volunt Turrianus lib. 1. de Hierarch. ordinat. cap. 20. & alii) per impoſitionẽ manus poteſt intelligi ordinatio Epiſcopalis. Aiuntq́; eſſe veriſimile, quod ante ordinati fuerant præsbyteri, cùm ex cap. 11. verſ. 26. jam per annum multam turbam docuiſſent, quod proprium eſt præsbyterorum. Huic ordinationi Epiſcopali nunc factæ favent multæ rationes. Prima fundatur in circũſtantiis liturgiæ, jejunii prævii & impoſitionis manuum, quæ ex praxi & more Apoſtolorum Eccleſia ſolet præmittere cõſecrationi ordinandorũ faciendæ in Miſſâ. Secunda, nullibi legimus, quod Saulus & Barnabas fuerint ordinati Epiſcopi niſi cap. 13. Vnde c. 14. munia Epiſcopalia obierunt ordinantes præsbyteros per civitates, verſ. 22. *Et cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Præsbyteros, &c.* & cap. ſeq. Tertia, quia cap. 13. manuum impoſitio facto eſt circa annum Chriſti 45. ex Baronio, quod etiam colligit Cornelius in cap. 12. verſ. 1. Actuumq́, ex raptu Pauli ad tertium cœlum, & audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui, 2. Corinth. cap. 12. verſ. 2. Congruum igitur fuit, ut tunc Paulus conſecraretur in Epiſcopum. Denique Chriſtus ordinavit Apoſtolos Epiſcopos: hi alios & alios, igitur & Paulus ab aliis fuit ordinatus. Hoc enim exigit ordo hierarchicus, quem Chriſtus inſtituit, ut Petrus & Apoſtoli à Chriſto ordinati, cœteros omnes ordinarent, & alii ab eorum ſucceſſoribus. Sic nonnulli apud Henriquez lib. de ordinat. Sacram. cap. 5. exiſtimant S. Iacobum Minorem fuiſſe à S. Petro ordinatum Epiſcopum Ieroſolymorũ, ſic S. Paulus fuit ordinatus ex S. Chryſoſtomo in cap. 13. Actuum. S. Leo epiſt.

epiſt. 81, vel. 79. ad Dioſcorum Alexandrinum ſancit, ut obſervetur ritus obſervatus in ordinatione Sauli & Barnabæ, quæ ſecundùm Bedam contigit anno 13. ab Aſcenſione Chriſti, ſeu ſecundùm Chronicon Alexandrinum anno Chriſti 46. qui fuit annus quintus Claudii Imperatoris, ſeu potius ex Baronio anno Chriſti 45. quando Petrus liber è carcere venit Romam, ibique Cathedram inſtituit.

V. Nec obſtat quod Paulus Galatis cap. 2. verſ. 6 ſcribat de Apoſtolis. *Mihi nihil contulerunt.* Loquitur Apoſtolus de doctrinâ & Evangelio, quod non ab Apoſtolis, ſed à Chriſto didicit. Cœterum OEcumenius exiſtimat Paulum fuiſſe ordinatum impoſitione manuum à Lucio, & Manahen. Lyranus Antiochiæ fuiſſe Epiſcopos ab Apoſtolis ordinatos, qui Paulum & Barnabam ordinarunt. S. Leo epiſtolâ citata ad Dioſcorum Alexandrinum putat fuiſſe ordinatos ab Apoſtolis: & Cornelius ait potuiſſe ex Judæâ advocari S. Jacobum Epiſcopum Jeroſolymorum, S. Joannem, S Matthæū, aut alium vicimorem Apoſtolum. Ex quibus patet Apoſtolo Paulo regimen Eccleſiaſticum Monarchicum ſupremum, vel æquale Petro non fuiſſe communicatum.

Galat. c. 2 v. 6.

VI. Tandem ſolum Petrum dignitatem capitis exercuiſſe patet ex Baronio ſcribente Petrum ex Antiochiâ veniſſe Romam anno Chriſti 45. ibique Cathedram conſtituiſſe Cui arridet Optatus Milevitanus libr, 2. contra Parmenianum. *Igitur negare non potes, ſcire te in urbe Româ Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe locatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus. Unde & Cephas eſt appellatus, in quâ una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, nè cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderet, ut jam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret, Ergò Cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c.* Non dicit Petro cum Paulo cathedram Epiſcopalem eſſe locatam, non dicit, in quâ ſederit Paulus cum Petro Apoſtolorum caput: nec item ſedit prior Petrus cum Paulo. Infra. *Unde eſt ergò, quod claves regni vobis uſurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus & audaciis ſacrilegio militatis.* Non ait contra cathedrā Petri & Pauli. Item paulò poſt, *Igitur de dotibus ſupradictis cathedra prima, quam probavimus per Petrum noſtram eſſe.* Non ait per Petrum & Paulum. Et S. Hieronymus epiſtolâ 57. ad Damaſum. *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior.* Nullam facit mentionem Pauli. Idem epiſt. 58. *Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Non dicit Cathedræ Pauli jungitur. S. Auguſtinus epiſt. 165. & contra epiſt. Manich. cap. 4. ſcribit ex Petri Cathedrâ per ſucceſſionem Romanorum Pontificum demonſtratam diſcriminat ab hæreticis. Si Paulus eſſet Petro æqualis in regimine monarchico Eccleſiæ deberet dicere, ex Petri & Pauli Cathedrâ. Præfatam Petri Cathedram quæ lignea eſt, vidi Romæ, eamque Alexander VII. in loco honoratiori locari juſſit. Baronius ad annum citatum refert, quod Petrus primam epiſtolam ſcripſerit ad fideles diſperſos per Pontum, Galatiam Cappadociam, Aſiam & Bythiniam, quam concludit his verbis. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone.* Cap. 5 verſ. 13. Ideſt Romæ (inquiunt Tertullianus libro 3. contra Marcionem cap. 11. Papias diſcipulus S. Joannis apud Euſebium lib. 2 hiſtor. cap. 14. S. Hieronymus in cap. 14. Iſaiæ, & lib. 2. contra Iovinianum circa finem, Beda, OEcumenius, Andræas Cæſarienſis in epiſt. Petri. Ribera, Aretas, Viegas, Alcazar, Pererius & alii in cap. 17. & 18. Apoc. Baronius ſupra. Noſter Lezana in ſuis conſultis & alii, quibus ſubſcribit Cornelius in 1. epiſt. Petri referens ſex Analogias, ſeu cauſas, ob quas Roma nominetur Babylon. Eodem anno Marcus poſt conſcriptum Romæ Evangelium & approbatum a Petro, miſſus fuit Alexandriam, quam Eccleſiam excoluit. At tunc Paulus erat occupatus in Syriâ munus prædicationis tantùm exercens, ut teſtatur Baronius anno citato &

Optatus Mil.

Hieron.

1. epiſt. Petr. c 5. v. 13.

& quinque ſequentibus.

VII. Ex Concilio Ieroſolymitano patet
etiam Paulum non fuiſſe caput Eccle-
Actor. c. 15. v 4 ſiæ. Nam Actorum cap. 15. verſ. 4.
fertur quod Paulus & Barnabas ad il-
lud acceſſerint, verſ. 4. *Cum autem ve-
niſſent Ieroſolymam ſuſcepti ſunt ab Ec-
cleſia, & Apoſtolis, & ſenioribus, &c.*
Non dicit ſuſceptus eſt Paulus priva-
to ac ſingulari honore præ Barnabâ,
ſed ſuſcepti ſunt pari cultu. Verſ. 7.
*Surgens Petrus dixit ad eos, Viri fratres
vos ſcitis, &c.* Cur ait ſurgens Petrus?
ut innuat ſolum Petrum eſſe princi-
pem Apoſtolorum, & primatem Eccle-
ſiæ, qui auditâ diſceptatione contro-
verſiæ primus quaſi judex ſententiam
pronunciat, (inquit S. Hieronymus
epiſt. 89. quæ eſt 11. inter epiſtolas S.
Auguſtini cap. 3.) quaſi princeps hu-
jus decreti, quem ſequitur S. Jacobus
& reliqui. Theodoretus epiſtolâ ad
Theodoretus. Leonem Papam ſatis clarè exprimit
Paulum fuiſſe Petro inferiorem. *Si
Paulus* (inquit) *præco veritatis, tuba
Sancti Spiritus ad magnum Petrum cu-
currit, ut iis, qui Antiochiæ de legali-
bus inſtitutis contendebant ab ipſo affer-
ret ſolutionem, multò magis nos qui ab-
jectiſſimi & puſilli ad Apoſtolicam ve-
ſtram ſedem currimus, ut Eccleſiarum
vulneribus medicinam à vobis accipia-
mus, vobis enim per omnia primos eſſe
convenit.*

VIII. Sibi ſoli illud regimen monarchi-
cum Eccleſiæ eſſe commiſſum teſtatur
Petrus, dum verſ. 7. citato ait: *Vos
ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus
in nobis elegit per os meum audire gen-
tes verbum Evangelii & credere.* Quaſi
diceret Deus inter nos me primum A-
Auguſt. poſtolorum & principem totius Eccle-
ſiæ elegit, ut univerſæ nationes per os
meum audiant Evangelium, ſciantq;
Chryſoſt. qui ſcredere quid agere debeant. Si
Paulus parem cum Petro dignitatem
& auctoritatem poſſideret, cur non re-
clamat? cur non ait ſecum eo princi-
patum Eccleſiæ participare. Cur non
ait æquè per os ſuum ac per os Petri
*audire gentes verbum Evangelii & cre-
dere.* Cur non reſiſtit Petro in faciem,
& arguit temeritatis, & arrogantiæ?
quia ſubditus ejus eſt, audit. Vide
tom. 2. cap. 11.

Quomodò concluditur illud Conci- IX.
lium, v. 22. *Placuit Apoſtolis & ſenioribus
cũ omni Eccleſiâ eligere viros ex eis, &
mittere Antiochiam cum Paulo & Bar-
nabâ*, particula *mittere*, denotat juriſdi-
ctionem in mittentibus, & ſubjectio-
nem in Paulo & Barnabâ miſſis An-
tiochiam, & deferentibus, quæ à Con-
cilio deciſa erant.

Si regimen monarchicum fuiſſet X.
æqualiter communicatum Petro &
Paulo, Barnabas (qui erat humilis &
ſanctus) non auſus fuiſſet contende-
re cùm Paulo, & tamen utrumque a-
criter diſceptaſſe teſtantur acta Apo- *v. 39.*
ſtolorum cap 15. verſ. 36. *Dixit ad
Barnabam Paulus revertentes viſitemus
fratres per univerſas civitates, in quibus
prædicavimus verbum Domini, quemo-
do ſe habeant.* verſ. 37. *Barnabas autem* *v. 37.*
*volebat ſecum aſſumere & Ioannem, qui
cognominabatur Marcus.* verſ. 38. *Pau-* *v. 38.*
*lus autem rogabat eum, ut qui diſceſſiſſet
ab eis de Pamphyliâ, & non iiſſet cum eis
in opus, non deberet recipi.* verſ. 39. *v. 39.*
*Facta eſt autem diſſenſio, ita ut diſcederẽt
ab invicem: Barnabas autem aſſumpto
Marco navigaret Cyprum:* verſ. 40. *v. 40.*
*Paulus verò electo Silâ profectus eſt, tra-
ditus gratiæ Dei à fratribus.* Secundùm
Vatablum & Pagninum. *Facta eſt exa-
cerbatio.* Secundùm verſionem Ti-
gurinam, *Acris diſceptatio.* Secundùm
alios. *Animi incitatio.* Quamvis ex par-
te Pauli & Barnabæ iſta commotio nõ
fuerit vitioſa, ambo legitimâ ratione
moti fuerunt, ambo pro ſuo jure, vel
deſiderio ardenter contenderint ac
diſceptarint. Nihilominus S. Chryſo-
ſtomus ait factum eſſe nutu Dei, ut
ambo dividerentur, & diviſi pluribus
evangeliſarent. Deinde Deus hanc diſ-
putationem permiſit ut Joannes no-
mine Marcus ignominioſè accuſatus
à Paulo ſuam ignaviam cognoſcens
redderetur animoſior ac conſtantior,
ut contigit. Quare cum poſtea Paulus
reſumpſit, charumque ac fidum comi-
tem habuit. Ejuſmodi diſceptationem
fuiſſe tantùm deſiderii non fidei, ſeu
Evangelii teſtatur S. Hieronymus *Hieron.*
Apol. contra Ruffinum. *Non Apoſto-
li ſalvis inter ſe amicitiis diſſenſerunt,
cùm Paulus & Barnabas propter Ioannẽ,
cognomento Marcum ſtomachati ſunt,*
&

& ſeparavit eos navigatio, quos Evangelium copulabat. Ex quibus verbis cōcludo quod ſuppoſitâ tantùm animi contentione nihilominus S. Paulus æquale cum Petro regimen monarchicum exercuiſſet, potuiſſet Barnabæ prohibere nè talem ſocium aſſumeret.

XI. Scio Apoſtolum 1. Corinth. cap. 2. verſ. 2. Epheſi cap. 3. verſ. 8. de ſe affirmare. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, evangeliſare in gentibus inveſtigabiles divitias Chriſti & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, &c.* Scio Roman. cap. 15. verſ. 20. aſſerere. *Sic prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, nè ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſed ſicut ſcriptum eſt, quibus non eſt annunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent nominatum* Verſ. 19. *Ita ut ab Ieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti.* Ideſt annunciavi Evangelium in Arabiâ, Damaſco, Antiochiâ, Seleuciâ, in Cypro, in Phamphyliâ, Piſidiâ, Laconiâ, Syriâ, Ciliciâ, Phrygiâ, Galatiâ, Myſiâ, Troade, Achaiâ, Epiro, & aliis regionibus, quæ ſunt mediæ inter Jeruſalem & illyricum. Vnò verbo concedo Apoſtolum orbem terrarum ſuâ prædicatione peragraſſe, ubique gentium in Evangelii prædicatione laboraſſe, non tamen ſequitur æquale cum Petro regimē monarchicum Eccleſiæ habuiſſe.

XII. Quod Paulus Romam venerit Petro abſente anno Chriſti 59. nulla Monarchica prærogativa illi attribui poteſt, imò potiùs negari debet, ut patet ex textu Actor. cap. 28. verſ. 26. ubi
Actor c. 28. v. 16 Lucas ait: *Cum autem veniſſemus Romam permiſſum eſt Paulo manere ſibimet ipſi cum cuſtodiente ſe milite.* Ibi quaſi liber morans nullum omninò ſupremi Monarchæ officium exercuiſſe teſtantur Hiſtoriæ tam Sacræ quàm prophanæ: imò contrarium colligo ex verſ.
v. 17. 17. *Vbi poſt tertium diem convocavit primos Iudæorum, cumque conveniſſent dicebat eis: Ego viri fratres adverſus plebem nihil faciens, aut morem paternum vinctus ab Ieroſolymis traditus ſum in manus Romanorum, &c.* Debuerat ſanè abſque diſcrimine generis & nationis omnes fideles, ſeu gentiles converſos convocare, pro ratione officii ſui. Scio Baronium ad annum Chriſti 59. aſſerere Chriſtum Paulo tunc apparuiſſe. At nullam mentionem monarchiæ Eccleſiaſticæ fecit, ut patet ex verbis ipſis Apoſtoli 2. Timoth. cap. 4. verſ. *2. Tim c. 4. v. 17*
17. *Dominus mihi aſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore leonis.* Baronius. *Sic Neronem appellat ob immanem, ac prorſus feralem principis ſævitiam* Quæ verba tantùm probant Paulum ad extremas anguſtias redactum divinâ conſolatione ac ſpeciali adjutorio fuiſſe confortatum, non verò parem cum Petro in Eccleſiæ regimine poteſtatem accepiſſe, vel exercuiſſe, nec colligi poteſt ex aliis Apoſtolis.

Quod anno 68. Petrus & Paulus XIII.
venerunt Romam non ſequitur Paulum fuiſſe Petro æqualem. Quamvis enim ambo fuerint miſſi in carcerem, quia Simoni Mago, & Apollonio Thianeo adverſabantur: tamen hiſtorici ſolius Petri cum Simone Mago decertantis ac de eo triumphantis mētionem faciunt. Arnobius, qui claruit *Arnob.*
tempore Diocletiani libr. 2. adverſus Gentiles de Romanis. *Viderant* (inquit) *curſum Simonis Magi & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto evanuiſſe. Viderunt* (inquam) *fidentem Diis falſis, & ab iiſdem metuentibus proditum pondere præcipitatum ſuo, & cruribus jacuiſſe perfractis, &c.* Philaſtrius de hæreſ. cap. 3. *Cùm fugeret beatum Petrum Apoſtolum de Ieroſolymitanâ Civitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum beato Apoſtolo apud Neronem Regem, devinctus undique oratione beati Apoſtoli, atque percuſſus ab Angelo, ſic meruit interire, ut ejus magia evidens mendacium cunctis hominibus pateficeret.* S. Auguſtinus epiſtolâ 86. ad Caſulanum. *Eſt quidem opinio plurimorum; &c. quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridiè cum ejuſdem urbis Eccleſia jejunarit.* Idem de hæreſ. cap. 1. *Auguſt.*

In quâ urbe beatus Apoſtolus Petrus eum verâ omnipotentis Dei virtute extinxit. Idem aſſerit contra Fulgent. Donat cap. 23. Theodoretus hæretic. fabul. lib 1. cap. 1. [Theodoretus.] *Rurſum Romam veniens Divinus Petrus fraudis eum pennis nudavit, qui cum eum tandem in miraculorum certamen provocaſſet, omnibus Romanis videntibus, eum ex magnâ altitudine deturbavit cùm oraſſet, & qui miraculum viderant eos capit ad ſalutem.* [Clemens] Ante eos Clemens Romanus conſtit. lib 6. cap. 9. hanc hiſtoriam fuſius deducit, Petri perſonam agens. *Romam Simon cùm veniſſet Eccleſiam vehementer perturbavit, multos evertens, atque ad ſuam adducens ſententiam, gentes verò commouebat magicis artibus. Itaque quadam die in theatrum in meridie proceſſit, juſſitque ſuis operis, ut me in theatrum arriperent, pollicitus eſt ſe in aere volaturum. Cumq; omnes hac de re erecti eſſent, ego ſeorſus orabam. Itaque ſublatus à dæmonibus volabat ſublimis, dicens in cœlum ſe aſcendere, undè illis ſuppeditaturus eſſet. Populo illi velut Deo clamante optima. Attollens ego manus in cœlum totâ mente ſupplicabam Deo, ut per IESVM Chriſtum Dominum frangeret ſceleſtum illum, & dæmonum vim labefactaret in fraudem & perniciem hominum illo utentium, illumq; perfractum non occideret, ſed comminueret. Tuncque Simonem intuitus, ſi Dei (inquam) homo ſum, Apoſtolus verò IESV-Chriſti verus, Doctorque pietatis, non erroris cujuſmodi, ut tu Semon, impero improbis virtutibus, apoſtatis pietatis, quibus vehitur Simon Magus, ut remittant ſuas vires, & ab alto hic decidat in riſum eorum, qui ab ipſo decepti ſunt. Cumque hoc dicerem, deſertus à virtutibus Simon cum magno impetu corruit, vehementerque concuſſus fregit coxendicem & pedū talos, clamorq; plebis ortus eſt, quo ferebatur unum Deum eſſe, quem juſtè Petrus nuncuparet tantum veritate fretus, multique ab eo defecerunt.* Cur ſolius Petri meminerunt, cùm etiam Paulus ejuſmodi miraculo cooperatus fuerit? S. Proſper Aquitanus [S. Proſp.] de permiſſ dimid temp. cap. 13. *Contra Neronem duo Petrus & Paulus Apoſtoli, at contrariò Simon Magus, qui & ſe perdidit, & Neronem decepit.* Et Severus Sulpitius lib. 2. hiſtoriæ. *Tam illuſtris illa adverſus Simonem congreſſio fuit, cui cum magicis artibus, ut ſe Deum probaret duobus fulſultus demoniis evolaſſet, orationibus Apoſtolorum fugatis dæmonibus delapſus in terram, populo ſpectante diſruptus eſt.* Ideò Paulus hujus victoriæ palmam Petri cedit, quia totius Eccleſiæ Monarchiam gubernabat, & claves regni Cœlorum geſtabat. Paulus quidem Præſes Eccleſiæ etiam erat, ſed ſubordinatus Petro. Paulus in Eccleſiâ excellebat ſapientiâ, Petrus auctoritate. Id innuere videtur Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 6, qui floruit tempore Conſtantii Imperatoris. [S. Cirill.] *Dilatato autem Simonis errore par amicorum bonorum illam calamitatem correxit. Petrus & Paulus cum eſſent Præſides Eccleſiæ, & oſtentantem ſeſe iſtum Simonem ſtatim extinxit, cùm enim prædicaret Simon in cælos ſeſe aſcenſurum & vehiculo Dæmonum in aerem eſſet ſublatus, flexis genibus ſervi Dei, & concordiam oſtendentes, de quâ dixit IESVS. Quod ſi duo ex vobis conſenſerint, de quâcumque re, quam petierint, fiet ipſis. Concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum dejecerunt illum in terram. Nec mirum eſt, Petrus enim erat, qui claves regni cœlorum portabat. Non eſt mirandum, Paulus enim erat, qui in tertium cœlum raptus fuerat, & in Paradiſum, & audiverat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex aere in terram depreſſerunt eum, qui ſe appellabat Deum, deinceps ad inferos detrudendum.* Paucis id totum conciliat ſanctus Antoninus dum refert Paulum dixiſſe Petro. *Meum eſt orare: Tuum eſt imperare.* [S. Antoninus.] Quia ſcilicet tu es Monarchiæ Eccleſiaſticæ Præſes, claves regni cœleſtis tenes: Cui reſpondit Petrus. *Erige caput tuum, & vide.* Hæc Antoninus 1. part. cap. 4. tit. 6. §. 2. Solus igitur Petrus eſt Eccleſiæ Princeps.

§. I.

Probatur teſtimonio Pontificum Romanorum ſerie ſæculorum.

I. PRimo ſœculo occurrit S. Linus unus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti, & primus poſt S. Petrum Romanæ Eccleſiæ Pontifex, in hiſtoriá S. Petri Apoſtoli introducit adoleſcentes Romanos eum precibus & ejulatibus urgentes ut fugam atriperet, ac Agrippæ minas e-
S. Linus vaderet. *O bone Petre, Pater & paſtor poſt tuum Dominum clementia ſingularis, cur quos affectu materno recenter per ſacrum fontem Domino peperiſti, tam immaturo ſolatio, & animo crudeli, qui te antea nunquam attigerat nos immaniſſimorum morſibus luporum exponis?* Expende illa verba, *Et paſtor poſt tuum Dominum.* Infra in oratione, quam proximus morti Petrus fudit. *Tu es Paſtor æternus & ſummè bonus, verus Dei filius tibi commendo oves, quas tradidiſti mihi. Tu eas in ovile tuum aggrega, & conſerva: quia tu oſtium, ovile, & oſtiarius: tu paſcua & æterna refectio, &c.* Tomo 2, tractat. 4. cap. 14. Sancti Clementis III. poſt S. Petrum teſtimonia protulimus.

II. Secundo ſœculo floruit Anacletus teſtimonium eſt epiſtolâ 3. *Aliæ ci-*
S. Anac. *vitates* (inquit) *quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus à ſanctis Apoſtolis, & à Beato Clemente prædeceſſore noſtro, ſive à nobis primates prædicatores acceperunt. Hæc verò ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit & eminentiam poteſtatis ſuper univerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſic ut ipſe beato Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo*
S. Sixtus *Eccleſiam meam.* Sixtus I. epiſt. 2. vocat ſedem Romanam ut Petro ſuccedentem caput omnium fidelium. *Si quis veſtrũ pulſatus fuerit in aliqua adverſitate, licenter hanc ſanctam & apoſtolicam ſedem, & ad eam, quaſi ad caput ſuffugium habeat; nè innocens damnetur, aut Eccleſia ſua detrimentum patiatur.* Anicetus epiſt. ad Epiſcopos
Galliæ refert Anacletum prædeceſſorem ſuum quædam decreviſſe de Epiſcoporum ordinationibus, ipſeque decernit. *Ut Metropolitani alicuius contumacia referatur ad Apoſtolicam ſedem, vel penes primatem ejuſdem ſanctæ ſedis auctoritate judicetur.* Quod Soter ejus Soter.
ſucceſſor omnium fidelium, quaſi propriarum ovium curam geſſerit, refert Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus. *Ait enim Eccleſiam Romanam à primis ipſius fundamentis mittere conſuevisſe vitæ ſubſidia, tum omnibus fratribus in metalla damnatis, aut alioqui afflictis, tum Eccleſiis permultis quæ in quacumque civitate ſunt. Quod etiam Soterem feciſſe ait, dum fratres ad ipſum adventantes tanquam pater indulgens & clemens in liberos beato ac pio ſermone ad virtutem confortaretur.* De Eleuthe- Eleuth.
rio hæc narrat Euſebius lib. 5. cap. 5. *Martyres qui circa Lugdunum & Viennam mortem pro Chriſto ſubibant, cum adhuc timerentur in vinculis litteras exarabant Eleutherio Epiſcopo Romano, vehementer eum orantes, ut pax & concordia in Eccleſia conſtitueretur.* Cur potius ad Romanum Pontificem, quàm ad alium Præſulem? quia eſt totius Eccleſiæ caput, & illius eſt controverſias ortas dirimere, ſive in Galliâ, ſivè alibi. Idem innuit S. Hieronymus in Catalogo. *Irenæus Photini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Galliâ regebat Eccleſiam, Præsbyter à Martyribus ejuſdẽ loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones legatus Romam miſſus honorificas ſub nomine ſuo ad Eleutherum Epiſcopum perfert litteras.* In quadam epiſtolâ ſcribit. *Ut finitima Epiſcoporum tantùm judicia Romanæ ſedis auctoritate finiantur; ſicut ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus multorũ conſenſu Epiſcoporum jam definitum eſt.* Damaſus in Pontificali, & Beda hiſtor. Eccleſ. Angl. lib. 1. cap. 4. *Eleutherus* (inquiunt) *accepit epiſtolam à Lucio Britannico rege, ut Chriſtianus efficeretur, & mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt, ſuſceptamq́; fidem Britanni uſque in tempora Diocletiani principis inviolatam integramque quietâ pace ſervabant.* Cur prætermiſſis tot vicinarum regionum Epiſcopis Lucius Rex

ad Romanum Pontificem recurrit? quia ex fidelibus (qui Dei verbum in Angliá diſſeminabāt) didicerat Romæ Petrum principem Apoſtolorum ſedem Apoſtolicam collocaſſe, & ab eo ejuſque ſucceſſoribus omnes fideles dependere: ut clarè inſinuat Hector Boethius hiſtoriæ Scotorum libr. 6. Vbi vocat Victorem Pontificem non ſucceſſorem Pauli, ſed Petri. *Donaldus Scotiæ rex apud Victorem Pontificem Maximum, qui quintus decimus poſt Petrum Eccleſiæ præfuit, per legatos obtinuit, ut viri doctriná & religione inſignes in Scotiam ab eo miſſi, ſe cum liberis & conjuge Chriſti nomen profitentes baptiſmate inſignirent. Regis exemplum Scotica nobilitas ſecuta Chriſti religionē amplexa eſt anno Domini 203. à Scotorum reſtitutione 533. noſtri quâ fide & pietate inſtituti ſemel fuerunt, hactenus erroribus aſpernatis perſeverant.*

Victor.

III. Sæculo tertio Zepherinus Papa apud Euſebium lib. 5. cap. 27. teſtatus eſt ſe non Pauli, ſed Petri ſucceſſorem eſſe, dum hæreſibus ſui temporis reſtitit, ac fidem Catholicam propugnavit. Eandem Petri ſucceſſionem aſſerit Calixtus I. apud Damaſum in Pontificali. Nicephorus de Autherio ſeu Anthero poſtquam Cœleſtini verba laudavit, quo ad Translationem Epiſcoporum. *Eadem* (inquit) *& Antherius collega Cœleſtini refert, ita ad verbum dicens, tranſlationem Epiſcoporum communis utilitatis, aut neceſſitatis gratiâ ſcitote fieri licere: non autem cujuſlibet cupiditate aut dominationis affectione. Siquidem Petrus Doctor & Dux noſter Eccleſiaſticæ utilitatis cauſâ ex Antiochiâ Romam tranſlatus eſt.* Non ait Paulus Doctor & Dux noſter, ſed Petrus. Vide ejuſdem Antheri epiſtolam tomo I. Conciliorum, & alteram ad Epiſcopos provinciarum Bœticæ & Toletanæ in fine. Lucius epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ: *Litteras* (inquit) *dilectionis noſtræ, quas ad Beati Petri Apoſtoli ſedem pro veſtri cauſa negotii miſiſtis libenter ſuſcepimus.* Non dicit ad Beati Pauli Apoſtoli ſedem, ſed Petri. Stephanus I. Africanam Synodum direxit, quem S. Hieronymus Dialogo adverſus Luciferianos ait eſſe vigeſimum ſextum S. Petri ſucceſſorem. *Conatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aquâ alienâ, & idcirco hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Epiſcopum, qui à Beato Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac de re Africanam Synodum direxit.*

Stephan.

In quarto ſæculo S. Marcellinus epiſt. ad Epiſcopos Antiochenæ provinciæ vocat Petrum *totius Eccleſiæ caput*; ideſt *unicum*. Sicut enim argumenta, quæ probant Deum eſſe, probant eſſe unicum, ſic dum Petrus totius Eccleſiæ caput nominatur de unico intelligendum eſt. S. Melchiades epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ait. *Inter Beatos Apoſtolos fuit quædam diſcretio poteſtatis, ut licet cunctorum par electio foret, Beato tamen Petro conceſſum eſt, ut aliis præemineret.* Non tantùm Andreæ, Joanni, Jacobo Majori, Minori, &c. ſed etiam Paulo, ut patet ex verbis ipſius Marci Papæ, ad quem cùm Athanaſius & Epiſcopi Ægyptii poſtulaſſent ſeptuaginta capitula Synodi Nicænæ, quæ per Victorem & Vincentium Præsbyteros Apoſtolicæ Sedis Apocriſarios ad Silveſtrum miſſa erant his verbis. *Optamus ut à veſtrâ ſanctæ Sedis auctoritate; quæ eſt Mater & caput omnium Eccleſiarum ea capitula percipere per præſētes legatos mereamur.* Marcus Papa reſpondet ſe à ſuis, qui Nicęnæ Synodo interfuerant, didiciſſe omnia ſic fuiſſe comparata, ut in Ægyptiorum litteris perſcriptum erat. Accipe aliqua ejus verba, quibus aſſerit: *Sanctam Romanam Eccleſiam ſemper immaculatam manſiſſe, verùm etiam prædicit eandem Beato Petro Apoſtolo opem ferente in futuro firmam & immobilem omni tempore manſuram eſſe: quia Dominus fidem beati Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit. Quod* (inquit) *Apoſtolicos Pontifices mea exiguitatis prædeceſſores ſemper feciſſe cunctis eſt cognitum.* Si Paulus eſt collega Petri, cur non ait Beatis Petro & Paulo opem ferentibus. Cur non ſubdit: Quia Dominus fidem Beatorū Petri & Pauli non defecturam promiſit, & confirmare eos fratres ſuos admonuit? Hæretici reſpondent has epiſtolas Ægyptiorum & Marci Papæ eſſe conſictas affirmantque 1. ea ſeptuaginta

IV.

S. Marcellus.

S. Melc.

Marcus præsb.

ginta, ſed tantùm viginti capitula in Synodo Nicænâ fuiſſe edita. Sed illis opponimus diuturni temporis ac plurium ſœculorum præſcriptionem, quæ fidem meretur. Harum epiſtolarum meminerunt Gratianus ante quingentos annos. Iſidorus ante mille annos. Dicunt hæretici nunquam extitiſſe ſeptuaginta capitula Nicænæ Synodi, ſed tantùm viginti. Nec plures apud ſe fuiſſe Cyrillus Atticus, aliique Orientis & Occidentis auctores aſſirmarunt. Huic argumento reſpondet Ægyptiorum epiſtola, vera Synodi Nicænæ capitula fuiſſe ab Arianis combuſta, cõfirmaturque ex eo, quod in his viginti canonibus, qui reſidui ſunt, nihil eſt, quod ipſos Arianos impugnet, cum tamen conſtet ex omnibus hiſtoriis illam Synodum fuiſſe coactam ad Arianam hæreſim convellendam. Deindè veriſimile eſt confirmatos fuiſſe à Nicænâ Synodo verbaliter multos canones qui prius in aliis Conciliis fuerant promulgati. Julius epiſtolâ, quam conſcripſit ad Euſebianos in Concilio quinquaginta Epiſcoporum

Iulius. quæ extat apud S. Athanaſium apol. 2. *Si (ut dicitis, inquit) omninò in culpâ fuerunt, oportuit ſcribere omnibus nobis: ut ita ab omnibus, quod juſtum eſt, decerneretur. Epiſcopi enim erant, & non vulgares Eccleſiæ qui iſta patiebantur, ſed quam ipſi Apoſtoli ſuâmet operâ ad fidem inſtruxerant. Cur in primis nihil de Alexandriâ civitate ſcribere voluiſtis? an ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primum nobis ſcribatur, ut hinc, quod juſtum eſt, definiri poſſet? Quapropter ſi iſtic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum cõcepta fuerat id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit.* Quibus ſubjungit. *Quæ accepimus à Beato Apoſtolo, ea vobis ſignifico.* Cur non ait à beatis Petro & Paulo? quia Petrus ſolus eſt Eccleſiæ

Damaſ. caput. Cùm Epiſcopi Orientales Damaſo Papæ rationem reddidiſſent, cur non poſſent Romam venire, reſpondet illis Damaſus hoc modo, (ut videre eſt apud Theodoretũ lib. 5, c. 10. *Quod veſtra charitas debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam tribuit, Filii honoratiſſimi, vobis ipſis quoque maximo honori eſt. Nam tametſi in ſanctâ Eccleſiâ, (in quâ ſanctus Apoſtolus ſedens nos docuit) quo pacto illius gubernacula, quæ ſuſcepimus, tractanda ſunt, nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longè inferiores eſſe.* Expende illa verba. *In quâ ſanctus Petrus ſedens, nos docuit.* Non ait in quâ ſancti Apoſtoli ſedentes nos docuerunt. Ut excludat Paulum à dignitate capitis, & eam ſoli Petro collatam fuiſſe inſinuet, ut infrà confirmat his verbis. *In ſanctâ Eccleſiâ primæ partes Romano Pontifici ob honorem Divi Petri deferrentur.* Cur non dicit ob honorem DD. Petri & Pauli? quia Petrus ſolus eſt ſupremum Eccleſiæ caput.

In quinto ſœculo primus floruit IV. Innocentius, qui in epiſtolâ ad Decennium Epiſcopum Eugubinum ſignanter declarat S. Petrum fuiſſe ſolum & unicum Romanæ Eccleſiæ Præſulem. Innoc. I. *Quis neſciat? aut non advertat id, quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid quod aut authoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum: præſertim cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiã, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam; inſulaſq; interjacentes, nullam inſtituiſſe Eccleſiam, niſi eos quos, venerabilis Apoſtolus Petrus aut ejus ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes? aut legant ſi in iis Provinciis alius Apoſtolorum invenitur aut legitur docuiſſe.* Vocat Petrum principem Apoſtolorum. Ait Romanæ Eccleſiæ quidquid traditum eſt ſoli Petro debere acceptum referri. Subdit manifeſtum eſſe omnes Eccleſias fundatas in omni Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Africâ, Siciliâ, inſulis interjacentibus fuiſſe ex ordinatione Petri & ejus ſucceſſorum. Idem Innocentius reſpondens Patribus Concilii Milevitani apud S. Auguſtinum epiſt. 95. ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia. *Antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſervatam.* Et poſt. *Scientes quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur, quod arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, nonniſi ad Petrum,*

ideſt ad ſui nominis & honoris auctorem referre debet, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Expende illa verba, *Nonniſi ad Petrum, &c.* quæ ſanè unitatem capitis deſignant. S. Leo epiſt. 4. ita Epiſcopos Siciliæ affatur. *Divinis præceptis & Apoſtolicis incitamur, ut pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu, ac ſi quid uſquam reprehenſioni inveniatur obnoxium, celeri ſollicitudine, aut ab ignorantiæ imperitiâ, aut à præſumptionis uſurpatione revocemus. Monente enim Dominicæ vocis imperio, quo Beatiſſimus Apoſtolus Petrus trinâ repetitione myſticæ ſanctionis imbuitur, ut Chriſti oves, qui Chriſtum diligit, paſcat: ipſius Sedis, cui per abundantiam divinæ gratiæ præſumus, reverentiâ cohortamur, ut præſidium deſidiæ quantum poſſumus, declinemus, nec profeſſio ſummi Apoſtoli, qui ſe amatorem Domini eſſe teſtatus eſt, vana inveniatur in nobis, quia negligenter paſcere toties commendatum dominicum gregem convincitur ſummum non amare Paſtorem.* Expende illla verba. *Quo Beatiſſimus Petrus, &c. ut Chriſti oves paſcat.* Eundem infrà vocat ſummum Apoſtolum, & epiſt. 30. ad Martianum & Fauſtum aſſerit ſe non ſub Pauli, ſed Petri confeſſione præſidere. *Memor ſum, me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cujus à Domino IESV-Chriſto eſt glorificata confeſſio, & cujus fides omnes quidem hæreſes deſtruit.* Epiſtolâ 45. ad Synodum Chalcedonenſem. *Beatiſſimi Petri Apoſtoli ſedis iure atque honore ſervato: adeò ut nos quoque ſuis ad hoc litteris invitaret, ut Venerabili Synodo noſtram præſentiam præberemus, &c.* Cur non dicit Petri & Pauli Apoſtolorum ſedis? quia ſolus Petrus ſedem Romæ collocavit, ſolus toti Eccleſiæ præſidet. Quod confirmat ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum. *Petrus Apoſtolicum à Domino accepit principatum, & Romana Eccleſia in ejus permanet inſtitutis.* Eundem principatum unico Petro collatum inſinuat Martiano Auguſto, cui ſcribit ſe ægrè ferre antiquos Eccleſiæ & Nicęni Cõcilii canones violari epiſt. 52. *Multùm Anatolius Epiſcopus proprio detrahit merito ſi illicito creſcere optat argumento habeat, ſicut optamus Conſtantinopolitana Civitas gloriam ſuam, ac protegente gratiâ Dei diuturno clementiæ veſtræ fruatur imperio. Alia tamen ratio eſt rerum ſæcularium, alia divinarum, nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento poſuit ſtabilis erit ulla conſtructio, propria perdit, qui indebita concupiſcit, ſatisfit prædicto, quod veſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ urbis obtinuit.* Illæ particulæ. *Præter illam petram.* Vnitatem capitis denotant. Quod epiſt. 53. patentius declarat. *Conſenſiones Epiſcoporum, Canonum apud Nicænam conditorum regulis repugnantes unitâ nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.* Dicit ſe non Pauli, vel aliorum Apoſtolorum, ſed ſolâ auctoritate Petri definire. Epiſtolâ 75. ad Leonem Auguſtum vocat Anti-Chriſtũ qui adverſatur Pontifici Romano Petri ſucceſſori. *Cùm univerſalis Eccleſia per illius principalis petræ, ideſt Chriſti ædificationem facta ſic petra, & primus Apoſtolorum Beatiſſimus Petrus voce Domini audierit. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, quis eſt, niſi aut Anti-Chriſtus, aut Diabolus qui pulſare audeat inexpugnabilem veritatem.* Epiſt. 82. ſcribens Anaſtaſio Epiſcopo Theſſalonicenſi, *Cùm omnium Apoſtolorum eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret. De quâ formâ Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magnâ diſpoſitione proviſum eſt, nè omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis Provinciis, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſque à ſuo capite diſſideret.* Nihil clarius exprimere poteſt unitatem capitis quam hæc verba. *Vni tamen datum eſt ut cæteris præemineret.* Itẽ. *Ad unam ſedem Petri univerſalis Eccleſiæ conflueret.* Item. *Nihil uſque à ſuo capite diſſideret.* Epiſtolâ 87. ſcribens Epiſcopis per Viennenſem provinciam vocat Petrum omnium Apoſtolorum caput, *Prædicationis*

Evan-

S. Leo

Evangelii ſacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem myſteris intelligeret eſſe diuini qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Infra. *Hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem Deo ædificante conſtructam nimis impiâ vult præſumptione violare qui quis ejus poteſtatem tentat infringere.* Et poſt. *Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam ſedem pro ſui reverentiâ, à veſtra etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultum, & pro diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat appellatione cauſarum, aut retracta, aut confirmata fuiſſe judicia, adeò ut ſervatâ unitate ſpiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde litteris, quod ſancte agebatur, perpetuæ proficeret charitati, quam ſollicitudo noſtra, non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti dignitatem divinitus datam nec Eccleſiis, nec Eccleſiarum ſacerdotibus arrogabat, ſed hunc tramitem ſemper inter majores noſtros & benè tentum, & ſalubriter conſtitutum. Hilarius Eccleſiarum ſtatum & concordiam ſacerdotum novis præſumptionibus turbaturus exceſſit, iterum ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati. Vt ſe Beato Apoſtolo Petro non patiatur eſſe ſubjectum ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vendicans, & debitam Metropolitanis ſacerdotibus in ſuum jus transferens dignitatem, ipſius quoque Beatiſſimi Petri reverentiam verbis arrogantibus invidendo, cui quiſquis principatum æſtimat denegandum illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem: ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſemetipſum in inferna demergit.* Idem in Natali Petri ſerm. 1. *Roma per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta latius præſidet religione divinâ, quàm dominatione terrenâ.*

Hilarius

Cùm Hilarius Papa Concilio Romano præſideret, dixit: *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo vel divinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ ſedis decreta temerare. Acclamatum eſt ab Epiſcopis, Hilario vita. Iſta per ſanctum Petrum, ut in perpetuum ſerventur optamus.* Gelaſius ſcribens Epiſcopis per Lucaniã, Brutios, & Siliciam conſtitutis. *Indignum eſt* (inquit) *quempiam Pontificum hanc obſervantiam refutare, quam Beati Petri ſedem & ſequi videat & docere, ſatiſq; conveniens eſt, ut totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervantione cõcordet, quam illic vigere conſpiciat, ubi Dominus Eccleſiæ poſuit principatum.* Et ad Epiſcopos Dardaniæ. *Vnius cujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam exequi ſedem præ cæteris oportet, quam primam, quæ & unam quamque Synodum, & ſuâ auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem Beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum Eccleſia nihilominus ſubſequente & tenuit ſemper & retinet.* Idem in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum tradidit ſanctarum Scripturarum canonem, & declaravit, quæ ex Patrum opuſculis rara, & quæ Apocrypha forent habenda, damnavitque anathemate omnes hæreticos & eorum ſcripta. In hujus Concilio initio ſeptuaginta Epiſcopi profitentur. *Romana Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt. Sed Evangelicâ voce Dñi primatum obtinet. Cap. 16. Eſt ergò prima Petri Apoſtoli ſedes Romana Eccleſia non habẽs maculam, neque rugam, nec aliquid ejuſmodi.* Contra quæ verba *Prima Petri Apoſtoli ſedes*, Gelaſius non reclamavit.

Gelaſius

VI.

Symmachus.

In ſexto ſæculo Symmachus Papa in quinta Synodo ducentorum octodecim Patrum, dixit: *Sedes Apoſtolica, cui licet indigni præſumus, ſolidâ Petri confeſſione ſtabilita eſt.* Non dicit ſedem Apoſtolicam ſolidâ Petri & Pauli confeſſione ſolidatam. Vt Agapetus probaret ſe Petri ſucceſſorẽ eſſe, auſpiciis Petri claudum cũravit. *Dum* (inquit Gregorius lib. 3, Dialogorum cap. 3.) *Petrus ſanctæ Romanæ Pontifex ad Iuſtinianum Principem proficiſceretur in Græciarum partibus propinqui cujuſdam muti & claudi obtulerunt eum Agapeto curandum, dicentes ſe in virtute Dei, auctoritate Petri fixam illius ſpem habere. Protinus venerandus vir orationi incubuit, & miſſarum ſolemnia exorſus ſacrificium,*

Agapet.

in

in conſpectu Dei omnipotentis immolavit, quo peracto ab altari exiens claudi manum tenuit, atque aſſiſtente & aſpiciente populo eum mox à terrâ in propriis greſsibus erexit. Cùmq́; illi Dominicum Corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt, mirati omnes flere præ gaudio cæperunt, eorumque gentes illicò metus & reverentia invaſit, cùm videlicet cernerent quod Agapetus facere in virtute Domini ex adjutorio Petri potuiſſet. Vigilius apud Evagrium libr. 4. cap. 37. condemnavit

Vigilius. tria capitula, ideſt Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum, libroſque ejus, Theodoriti ſcripta contra Cyrillum, & epiſtolam Ibæ ſcriptam ad Marium Perſam, imò Ruſticum & Sebaſtianũ. *Ex perſonâ & auctoritate Beati Petri Apoſtoli, cujus, licet exigui, nos locum gerimus cum Datio Mediolanenſi Theodorum Cæſareæ civitatis quondam Epiſcopum hâc ſententiæ promulgatione tam ſacerdotali honore, & communione Catholicâ, quàm vel omni officio Epiſcopali ſeu poteſtate ſpoliatum eſſe decernimus, &c.* Si Pauli perſona auctoritate æqualis eſt Petri perſonæ & auctoritati, cur illa ſuppreſsâ hujus mentionem facis? Solus Petrus ſupremâ auctoritate pollet. Vt Pelagius I. ejus ſucceſ-

Pelag. ſor affirmat apud Gregorium libr. 4. epiſt. 36. qua pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam damnat his verbis. *Vniverſis Epiſcopis illegitimè convocatis Pelagius. Relatum eſt ad Apoſtolicam ſedem Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum univerſalem ſe ſcribere, vos qui ex hac ſuâ præſumptione ad Synodum convocare generalem, cùm generalium Synodorum convocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi Beati Petri ſingulari privilegio ſit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolicâ auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in prædicto veſtro conventiculo (quia Synodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ſtatuiſtis ex auctoritate S. Petri Principis, & Domini Salvatoris voce, quæ Beato Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi ipſe Salvator dedit, &c.* Cur non ait præfatum Præſulem, & præfatam auctoritatẽ Apoſtolicæ ſedi Beati Pauli ſingulari privilegio eſſe traditam, Vel non eum vocat Apoſtolorum principem, & beato Paulo poteſtatem ligandi atque ſolvendi conceſſam? quia nullibi legitur par poteſtas Paulo communicata. Vndè ſubdit Petri poteſtatem in ſucceſſoribus tranſiiſſe. *Quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus ejus indubitanter tranſivit.* Eodem ſæculo Gregorius I. *Gregor.*

ſolus Petri ut ſupremi Eccleſiæ capitis meminit Libro 1. indict. 9. epiſt. 16. *Ad Beati Petri Apoſtoli limina cur cum ſuis ſequacibus venire Aquileienſem Epiſcopum jubet, ut in Synodo quod juſtum eſt judicetur.* lib. 3. indict. 12. epiſt. 33. ad Theodelindam Longobardorum Reginam. *Cùm integritatem noſtram ex apertâ meâ traditione ſeu profeſſione cognoſcitis, dignum eſt, ut de Eccleſiâ Beati Petri Apoſtolorum principis nullum ulterius ſcrupulum dubietatis habeatis, ſed in verâ fide perſiſtite, & vitam veſtram in petrâ Eccleſiæ, hoc eſt in confeſſione Beati Petri Apoſtolorum principis ſolidate.* Non monet ut de Pauli, ſed Petri Eccleſia nullum ſcrupulum dubietatis habeat, huncq́ue principem Apoſtolorum nuncupat, hortaturque ut in ejus confeſſione ſolidetur. Eundem aſſerit principatum lib. 10. epiſt. 75. ſcribens univerſis Epiſcopis Numidiæ. *Per Hilarium Chartuiarium noſtrum petiiſtis à Beatæ memoriæ prædeceſſore noſtro, ut omnes vobis retro temporum conſuetudines ſervarentur quas à Beati Petri Apoſtolorum Principis ordinationum initiis hactenus vetuſtas longa ſervavit.* Idem dum ſcribit Epiſcopis Hiberniæ ac præcipuè Quirino Epiſcopo. *Lator præſentium ad Beati Petri Apoſtolorum principis Eccleſiam veniens, fraternitatis veſtræ ſe aſſeruit ad nos Epiſtolas accepiſſe.* Libr. 3. indict. 12. epiſtol. 41. ſcribens Bonifacio Africæ Epiſcopo. *A Beati Petri Eccleſiâ (cui claves regni cæleſtis commiſſæ ſunt, & ligandi atque ſolvendi poteſtas attributa) veſtra anima non inveniatur diviſa: nè ſi hoc beneficium ejus deſpicitur, illic vitæ aditũ claudat.* Libr. 7. epiſt. 95. ſcribens ad Magiſtratum Equitum in Hyſtriâ. *Nullum illic ab Apoſtolicâ ſegregatum remanere vultis Eccleſiâ, tantusque vos beati Petri Apoſtolorum principis amor accendit, ut ovile ipſum à Domino omnes creaturæ*

creaturæ ſunt tradita ſũmo redintegrare cum deſiderio cupiatis. Eodem libr. 7. cap. 97. Gallicano Exarcho Italiæ. *Petimus ut pro bono deſiderii, quo ad Apoſtolorum Principis petram ſolidam cucurrerent habere dignemini commendatos.* Lib. 4. epiſt. 44. innuit quantoperè omnes populi Romanam Eccleſiam coluerint velut Petri ſedem. *Indignos pro beati Petri Apoſtoli reverentiâ mens fidelium veneratur. Ex amore quippe fidelium hujus ſedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda deferuntur dalmaticas pro ſanctitatis reverentia ſibimet partiendas populus ſcindat.* Libr. 6. epiſt. 37. indict. 15. refert Eulogium Patriarcham Alexandrinum ſcripſiſſe. *Quod beatus Petrus Apoſtolorum Princeps in Cathedrâ ſuâ* (ſcilicet Romæ) *nunc uſque in ſuis ſucceſſoribus ſederet.* Quod Synodi auctoritas non à ſede Pauli, ſed Petri dependeat docet eodem lib. 7. indict. 2. epiſt. 69. *Sine Apoſtolicæ ſedis auctoritate atque conſenſu nullas quæcumque acta fuerint vires habent.* Infra. *Si quis ſcripta præſentia aliquâ in parte neglexerit, à beati Petri Apoſtolorum Principis pace ſe noverit ſegregatum.* Lib. 10. indict. 5. epiſt. 97. commendat Exarcho Italiæ quoſdam de Hyſtriæ partibus à ſchiſmaticorum errore ad unitatem Eccleſiæ revertentes, ſoliusque Petri, ut principis Apoſtolorum meminit. *Pro bono deſiderii, quò ad Apoſtolorum principis petram ſolidam concurrerunt.* Libr. 10. indict. 5. epiſt. 38. Firmino Epiſcopo Hyſtriæ. *Credimus* (inquit) *de Dei noſtri potentiâ, quia ſanctus Petrus, ad quem reverſi eſtis, vos deſerere non debet.* Dum eodem libro & indictione epiſt. 31. formam abjurandi Schiſmatis præſcribit, non Paulum, ſed Petrum exprimit. *Ego Civitatis iſtius Epiſcopus comperto diviſionis laqueo, quo tenebar, diutinâ mecum cogitatione pertractans, pronâ & ſpontaneâ voluntate ad unitatem ſedis Apoſtolicæ divinâ gratiâ duce reverſus ſum, & nè pravâ mente, ſeu ſimulatè reverſus exiſtimer, ſub mei ordinis caſu ſpondeo & anathemate obligatione, atque promitto tibi, & per te S. Petro Apoſtolorũ principi atque ejus Vicario Beatiſſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ipſius, me nunquam quorumlibet ſuaſionibus, vel quocumque alio modo ad ſciſma, de quo Redemptoris noſtri miſericordiâ liberante ereptus ſum, reverſurum, &c.* Lib. 7. epiſtol 1. proteſtans ſe nunquam ab Eccleſiâ receſſurum. *Ante* (inquit) *paratior ſum mori, quàm beati Petri Eccleſiam meis diebus degenerare.* Et in pſalmum 4. pœnitentialem loquens de quodam rege Simoniaco. *In tantùm ſua temeritatem extendit veſania ut caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vindicet, & in Domina gentium terrena jus poteſtatis uſurpet quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens: Tibi dabo Eccleſiam meam.* De hoc primatu ſoli Petro competente, ita ſcribit lib. 11. epiſt. 55. *Denique Romanam Eccleſiam ab eâ, quæ Chriſtus eſt, petram dixit Matthæi cap.* 16. *Omnium Eccleſiarum eſſe caput.* Plura alibi maximè homiliâ 21. in Evangelia.

Septimo ſæculo claruit Agatho Papa epiſt. ad Conſtantinum IV. Imperatorem, cui poſtquam expoſuit veram fidem, ſubdit. *Hæc Apoſtoli Petri Eccleſia nunquam à viâ veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt: ut pote Apoſtolorum omnium principis, &c.* VII. Agath.

Cùm verò Agatho obiiſſet priuſquam legati à Synodo ſextâ generali reverſi eſſent, Leo Papa II. Agathoni ſuccedens litteras Imperatoris Conſtantini & geſta Synodi accepit, eaque confirmavit his verbis, quæ extant in actione 18. ſextæ Synodi celebratæ Conſtantinopoli. *Quia* (inquit) *ſancta, univerſalis, & magna ſexta Synodus definitionem rectæ fidei, ut dictum eſt, pleniſſimè prædicavit, quam & Apoſtolica Sedes Beati Petri Apoſtoli (cujus licet impares miniſterio fungimur) veneranter ſuſcipit; idcircò & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer ac unanimiter his verbis, quæ definita ſunt ab eâ conſentit, & beati Petri auctoritate confirmat; ſicut ſupra ſolidatam petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptus firmitatem.* Non Pauli, ſed ſolius Petri ſedis & auctoritatis mentionem facit.

Octavo ſæculo Gregorius II. mittens S. Bonifacium Præsbyterum VIII.

Anglum ad Verbum Dei gentibus diſſeminandum, ita ſcribit apud Baronium ad annum 719. *Ideò in nomine indiviſibilis Trinitatis per inconcuſſam auctoritatem Beati Petri Apoſtoli, doctrinâ & magiſterio fungimur, & locum ſacræ Sedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus.* Non dicit per inconcuſſam auctoritatem Beati Pauli Apoſtoli, ſed Petri. Ejuſdem auctoritatis meminit Zacharias papa confirmans tres Epiſcopatus inſtitutos à S. Bonifacio, Bambergenſem, Herbipolenſem, & Erpfordienſem. *Flagitavit à nobis per Apoſtolicam dignitatem veſtras confirmari ſedes pro quo & nos ardenti animo, & divino juvamine, ac auctoritate Beati Petri Apoſtolorum principis, cui data eſt à Deo & Salvatore noſtro IESV-Chriſto, ligandi ſolvendiq; poteſtas, peccata hominum in cælo & in terrà confirmans, atque ſolidas permanere Epiſcopales ſedes ſancimus, intercedente ipſius Principis Apoſtolorum auctoritate, à præſente in futuras omnes generationes, ut nullus audeat contra eandem veſtram venire ordinationem.* Hadrianus apud eundem Baronium epiſtolá ad Conſtantinum & Irenem Auguſtos anno Chriſti 785. Vocat Petrum principem Apoſtolorum, protectorem Imperii, cœleſtem clavigerum. *Ipſe princeps Apoſtolorum, cui à Deo ligandi, ſolvendiq́ue poteſtas data eſt, crebrò vobis protector exiſtens, omnesq́ue barbaras nationes ſub veſtris proſternens pedibus; ubique vos victores oſtendet. Etenim ejus inſignia dignitatis ſacra pandit auctoritas quantaq; veneratio ejus ſummæ Sedi exhibenda ſit à fidelibus cunctis per orbem. Dominus enim eundem clavigerum regni cælorum cunctis propoſuit principem, & hoc ab iſto honoratur privilegio, quo ei claves collatæ ſunt regni cælorum.* Quod etiam Romani Pontifices ſint non Pauli, ſed Petri ſucceſſores verbis ſequentibus declarat. *Nam* (inquit) *ipſe Princeps Apoſtolorum Beatus Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi primitus præſedit, Apoſtolatus principatum, ac principalis curæ ſucceſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſimâ ſede perenniter ſeſſuri ſunt dereliquit. quibus et auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à Salvatore noſtro Domino Deo ei conceſſa eſt, ipſe quoque ſuis contulit, ac tradidit divino juſſu ſucceſſoribus Pontificibus.*

Hadrianus.

Idem Hadrianus Berterico Archiepiſcopo Viennenſi. *Auctoritate Beati Petri Principis Apoſtolorum ſingulis Metropolitanis antiquo more poteſtatem ſuam reddidimus, & filium noſtrum glorioſum & inclytum Regem ante corpus beati Petri indè rogavimus, ut antiquam poteſtatem omnes Metropolitani, qui in regno ejus ſunt, haberent: ideò hanc epiſtolam auctoritatis noſtræ omnibus miſimus, quam & tu haberes per tuum Clericum, qui orationis gratiâ ad S. Petrum venerat,* Ita Baronius in appendice ad annum 787.

Nono ſœculo Leo III. variorum criminum accuſatus publico juramento ſe purgat hac formulá. „Ego Leo Pontifex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ à nemine judicatus, neque coactus, ſed meâ voluntate impulſus purgo me præſentibus vobis coram Deo, & Angelis ejus, qui conſcientiam novit, & Beato Petro principe Apoſtolorum, in cujus cōſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi objiciunt perpetraſſe, neque perpetrari juſſiſſe, &c. IX.

Gregorius IV. ſcribens omnibus Epiſcopis Galliç, Germaniç, & Europç. Gregor. „Divinis (inquit) præceptis & Apoſtolicis ſaluberrimis incitamur monitis; ut per omnium ſtatum impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum divinâ diſpenſatione Eccleſiarum curam gerimus, omnibus noſtra poſcentibus ſuffragia Apoſtolicâ auctoritate ſubvenire optamus. Quoniam divinæ virtutis ac: infirmitatis humanæ ſanctio eſt, ac ſi diceret Dei & Hominis Chriſti JESU, eo quod dixit Petro Lucæ cap. 22. Confirma fratres tuos, ut omnium Eccleſiarum negotia ad noſtræ reparationis tendant affectum, &c. Infrà. „Nec alicui fratri gravia aut inutilia videri debent, quoniã prædicto fratri ſancti Petri & noſtræ ſedis auctoritate ſuccurrimus, ita omnibus quibus neceſſe fuerit & debemus ſubvenire & impigrè volumus. Infrà. „Si quo pacto converſationes non habet

„amabiles

„ amabiles, habendus tamen pro reverentia S. Petri cujus eſt munitus „ auctoritate dilectus. Paſchalis Papa anno 817. apud Baronium mittens pallium Archiepiſcopo Viennenſi apud Baronium in appendice gregem Domini, gregem Petri vocat. Idem præſtat Eugenius II. præfato Archiepiſcopo ſcribens.

X. Decimo ſœculo Leo VIII. (prout ſcribit Luitprandus in vitâ Othonis I. in fine lib. 6. rerum per Europam geſtarum.) *Venerabilis in ſede Beati Petri Apoſtolorum nunc vicarius.* Anno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo octavo Agapitus II. mittit in Gallias Legatum à latere Marinum Epiſcopũ auctoritate ſancti Petri Apoſtolorum principis ad ſtabiliendum regnum Ludovici regis, quod factione Hugonis ducis variis nutabat tumultibus, tum etiam ad cognoſcendam cauſam Remenſis Eccleſiæ quiſnam eſſet legitimus ejus Epiſcopus Artaldus vel Hugo, ita Baronius anno 947. Eodem Marino Legato celebrata eſt Synodus Generalis Epiſcoporum Germaniæ, & quorundam Galliæ in palatio regio *Englehem* ratione maximarũ cõtroverſiarũ inter Ludovicum Francorum Regem, & Hugonem Ducem. Anno Domini 964. celebrata eſt Synodus Romæ non tantùm auctoritate ſancti Petri, ſed etiam in Baſilicâ ſancti Petri poſitis in medio ſacroſanctis Chriſti Evangeliis, præſidente verò ipſius ſummo Pontifice Joanne IX. præſentibusque pluribus Epiſcopis ac Cardinalibus tam Præsbyteris, quàm Diaconis.

XI. Sœculo undecimo Leo Papa IX. epiſtolâ adverſus præſumptiones Michaelis Patriarchæ Conſtantinopolitani & Accidani Bulgarorum Epiſcopi cap. 32. *Romana* (inquit) *Eccleſia fides per Petrum ſuper petram ædificata,*
Leo 9. *nec hactenus defecit, nec deficiet in ſæcula, Chriſto ejus Domino rogante pro eâ, ceu teſtatur ab ipſa paſſione ſua. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Quo dicto demonſtravit fidem fratrum vario defectu periclitandam, ſed inconcuſſâ & indeficiente fide Petri, velut firmæ ancoræ ſubſidio figendam, & in fundamento univerſalis Eccleſiæ confirmandam.* Cur non dicit per Petrum & Paulum ſuper petram ædificata? quia ſolus Petrus Eccleſiæ principatum poſſidet. Idem videre eſt in epiſtolâ ejuſdem Leonis ad duos Epiſcopos Africæ, & in alia ad Petrum Patriarcham Antiochenum Paſchalis legationem mittens in Orientem; inter alia hæc ſcribit. *Plurima vobis per chartam & atramentum ſuperſedemus, quoniam ex Apoſtolicæ ſedis gremio charisſimum fratrem Mauritium Portuenſem Epiſcopum deſtinamus. Ut per beati Petri vicarium ſanctæ in Chriſto memoriæ prædeceſſorem noſtrum Urbanum tanti peregrinationem itineris aſſumpſiſtis, Beati Petri ſolatiis ſemper abundetis, & quem fundamentum tanti operis habuiſtis, ipſum quoque ad finem caput in fide & obedientiâ teneatis. Vices etiam noſtrâs eidem fratri Mauritio, & Epiſcopo commiſimus, ut eum in omnibus reverenter excipere, audire, & per ipſum nobis, imò beato Petro obſequi debeatis.*

Sœculo duodecimo Paſchalis excõmunicat Epiſcopos ſubdolos qui falſa de rebus Anglorum retulerant. „ Epiſ- XII.
„ copos qui veritatem in mendacium „ commutaverunt ipsâ veritate, quæ „ Deus eſt, in medium introductâ, à „ B. Petri gratiâ, & noſtrâ ſocietate „ excludimus. Ita Baronius ad an- Paſch.
num Chriſti 1101. Apud eundem anno 1102. ſcribens Archiepiſcopo Poloniæ. „ Cùm Dominus JESUS „ Chriſtus, ut omnium ovium ſuarum curam Simoni Petro committeret conditionem poſuit dicens, „ diligis me Simon Petre, &c. Et infrà oſtendens Sedem Romanam eſſe ſupra concilium. „ Ante omnia quidem primatus honorem præcipuum „ ſecundùm canones antiquæ Romæ „ reverendiſſimo Archiepiſcopo conſervari. Itaque quod cenſuerunt „ Rex & Magnates à ſupradicti Sacramenti conditione te quieſcere, „ videtur nè vobis judicium Evangelicum? videtur ne primatus noſtri „ honor præcipuus? nunquid animo „ cecidit illa ſententia Domini Matthæi cap. 10. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum? Nunquid Hungarico principi dictum eſt: Et tu con-

 „ verſus

Gelaſius „ verſus confirma fratres tuos. Nun-
„ quid hæc nos commodi noſtri pro-
„ fectione requirimus, & non unita-
„ tis Catholicæ ſtatuimus firmamen-
„ tum. Poſſunt Apoſtolicam Sedem
„ contemnere: poſſunt adverſum nos
„ calcaneum elevare, datum à Deo
„ privilegium evertere, vel auferre
„ non poſſunt. Quo Petro dictum eſt,
„ Tu es Petrus, & ſuper hanc petram
„ ædificabo Eccleſiam meam, & tibi
„ dabo claves regni Cœlorum, &c.
„ Cùm igitur à Sede Apoſtolicâ ve-
„ ſtræ inſignia dignitatis exigitis, quę
„ à beati tantùm Petri corpore aſſu-
„ muntur, juſtum eſt, ut vos quoque
„ Sedi Apoſtolicæ ſubjectionis debi-
„ tæ ſigna ſolvatis, quæ vos cum bea-
„ to Petro, tanquã membra de mem-
„ bris hærere & Catholicæ capitis u-
„ nitatem ſervare declarent, &c. Idem
Paſchalis ad Eccleſiam Bambergenſẽ
de Ottone Epiſcopo. „ Nos cum de-
„ bitæ benignitatis affectione ſuſce-
„ pimus, & juxta veſtræ dilectionis
„ deſiderium noſtris, tanquam Beati
„ Petri, ſalvo Metropolitani jure, vo-
„ bis per Dei gratiam Præſulem ordi-
„ navimus. Scribens Bernardo Patri-
archæ Antiocheno. *Quamvis inter cæ-
teras ſedes Apoſtolica illa ſedes emineat,
quam Petri Apoſtoli morte in corpore
dignatio ſuperna clarificavit. Inter Ro-
manum tamen & Antiochenum Epiſ-
copos, tanta quondam legitur charitas
extitiſſe, ut nulla inter eos diverſitas
videretur. Eadem Petri perſona utraſq;
illuſtravit Eccleſias, &c.* Baronius ad
annum Chriſti 1108. Calliſtus II. item
apud eundem Baronium ad annum
Chriſti 1124. Caliſtus privilegium
Monaſterii Ottonis Bambergenſis E-
piſcopi conceſſit his verbis. *Bonis fra-
trum ſtudiis, non ſolum favere, ſed ad ea
ipſorum etiam debemus animos incitare.
Tuis ergò Chariſſime & Venerabilis Fra-
ter Otto Bambergenſis Epiſcope ſupplica-
tionibus inclinati Monaſteria, quæ ip-
ſe propriis ſumptibus extruxiſti, & Bã-
bergenſi Eccleſiæ conferens Apoſtolicæ
Sedis roborari munimine quæſiviſti, in
beati Petri, ejusque Romanæ Eccleſiæ
protectione ſuſcipimus contra pravorum
hominum nequitiam defenſanda, &c.*
Innoc. 2. Innocentius II. Papa Lothario Im-
peratori Auguſto & Riget Imperato-
ri apud Baronium ad annum Chriſti
1133. *Si auctoritas* (inquit) *ſacra Pon-
tificum & poteſtas imperialis vero glu-
tino charitatis ad invicem complentur,
omnipotenti debitus famulatus liberè
poterit exhiberi, & Chriſtianus populus
gratâ pace gaudebit. Nihil enim in præ-
ſenti ſæculo eſt Pontifice clarius, nihil re-
ge ſublimius: nihil eſt quod lumine cla-
riore præfulgeat, quàm recta fides in
Principe. Nihil eſt quod ita nequeat oc-
caſui ſubjacere, quàm vera religio. Quæ
nimirùm omnia tantò manifeſtius, Deo
gratias in perſona tua clareſcunt, quan-
tò ab ineunte ætate noſceris, & noviſſimè
diebus iſtis, nec perſonæ tuæ, nec propria
parcendo pecunia, pro Beati Petri ſervi-
tio multos labores & immenſa pericula
pertuliſti.* Non dicit pro Beati Pauli
ſervitio, ſed Petri: quia hic caput eſt
Eccleſiæ, non ille. Idem Innocentius
apud Surium tomo 2. die 1. Aprilis in
canoniſatione S. Hugonis. *Auctori-
tate Beati Petri & noſtrâ tibi manda-
mus, quatenus ea quæ tibi ſuper hoc nota
fuerint deſcribendo poſterorum memoriæ
tradas, &c.* Scribens Wilelmo Hiero-
ſolymitano Patriarchæ. *Magiſterium
totius Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ inſtitu-
tionis beato Petro Apoſtolorum Principi
cœleſti privilegio eſſe collatum Evange-
lica declarat auctoritas.* Rogerio Sici-
liæ Regi. *Manifeſtum probatum eſt ar-
gumentis, quod egregiæ memoriæ ſtre-
nuus & fidelis miles beati Petri Robertus
Guiſcardus prædeceſſor tuus, dux Apuliæ
magnificos & potentes hoſtes Eccleſiæ
viriliter expugnavit, &c.* Infrà. *Ut ad
amorem & obſequium beati Petri Apo-
ſtolorum Principis, & noſtrûm ac ſucceſ-
ſorum noſtrorum vehementius aſtringa-
ris, &c.* Ita Baronius ad annum 1139.
& ad annum 1140. in appendice ad
Henricum Senonenſem, Raynaldum
Rhemenſem Archiepiſcopos, eorũq;
Suffraganeos, ac Bernardo Claræval-
lenſi Abbati. *Teſtante Apoſtolo, ſicut
unus Deus, una fides, eſſe dignoſcitur,
in quâ tanquam immobili fundamento,
præter quod nemo aliud poteſt ponere,
firmitas Catholicæ Eccleſiæ inviolata cõ-
ſiſtit. Indè eſt quod beatus Petrus Apo-
ſtolorum princeps pro eximiâ hujus fidei
confeſſione audire meruit: Tu es, inquam,*

beatus

beatus Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Eugenius III. apud Baronium anno Chriſti 1145. in bullâ Cruciatæ. *Peccatorum remiſſionē & abſolutionem juxta prædeceſſoris noſtri inſtitutionem, omnipotentis Dei, & beati Petri Apoſtolorum principis auctoritate nobis à Deo conceſſâ talem concedimus, ut qui tam ſanctum iter devotè inceperit, & perfecerit, &c.* Idem ad annum Chriſti 1149. Conrado Romanorum Regi in fine. *Nobilitatem tuam monemus, atque exhortamur in Domino, quatenus ea, quæ circa te & ipſum gerantur, & ſtatum regni, eundem Franconem nobis ſtudeas intimare, & hoc tempore devotionem quam erga Matrem tuam S.R.E. geris, oſtendas, ut noſtro reſpondere affectui congruè videaris, & beati Petri Apoſtolorum Principis interceſſionibus, cui te totum debes exponere, Creatoris noſtri largiorem debeas gratiam promereri.* Anno 1152. apud Baronium ſcribens Egelberto Bambergenſi Epiſcopo, & Canonicis, de Henrico Imperatore Sanctorum faſtis adſcripto in fine. *Veſtra itaque intereſt ſic in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia & fidelitate perſiſtere, & ei digna devotionis obſequiis reſpõdere, ut ampliori beati Petri & noſtrâ gratiâ digni inveniamini.* Hadrianus IV. ſcribens Henrico Anglorum regi de rebus Hiberniæ. *Pro Chriſtianæ religionis augmento inſulam illam ingrediaris, & quod ad honorem Dei & ſalutem illius terræ ſpectaverit exequaris, & illius terræ populus honorificè te recipiat, & ſicut Dominum veneretur, jure nimirùm Eccleſiaſtico illibato & integro permanente, & ſalvâ beato Petro, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ de ſingulis domibus annuâ unius denarii penſione.* Eius ſucceſſor Alexander III. apud eundem Baronium ad annum Chriſti 1159. Bononienſibus in hæc verba ſcribit. *Æterna, & incommutabilis providentia conditoris ſanctam & immaculatam Eccleſiam à ſuæ fundationis exordio eâ ratione voluit, & ordine gubernari, ut unus ei paſtor & inſtitutor exiſteret, cui univerſi Eccleſiarum Prælati abſque repugnantia ſubjacerent, & membra tanquam ſuo capiti cohærentia ei mirabili quadam unitate conjungerent, & ab ipſo nullatenus diſſiderent, &c.* Idem ſcribens Regi Indorum ſecundùm Baronium ad annum Chriſti 1177. *Apoſtolica* (inquit) *Sedis, cui licet immeriti præſidemus, omnium in Chriſto credentium caput & magiſtra, Domino atteſtante, qui ait beato Petro, cui licet indigni ſucceſſimus, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hanc ſiquidem petram Chriſtus eſſe voluit in Eccleſiâ fundamentum, quam præconiſat nullis ventorum turbinibus, nulliſque tempeſtatibus quatiendam. Et ideò non immeritò beatus Petrus, ſuper quem fundavit Eccleſiam ligandi atque ſolvendi ſpecialiter & præcipuè inter Apoſtolos alios meruit accipere poteſtatem, cui dictum eſt à Domino, Tibi dabo claves, &c.* Non ait ſe ſucceſſorem Petri & Pauli: ſed Petri eumque fundamentum Eccleſiæ eſſe voluiſſe, & accipere meruiſſe ſpecialiter & præcipuè inter Apoſtolos poteſtatem. Quem principatum iterùm infra inſinuat. *Nos, qui licet inſufficientibus meritis in beati Petri cathedrâ poſiti juxta Apoſtolum ſapientibus & inſipientibus, divitibus & pauperibus nos recognoſcimus debitores, de ſalute tuâ & tuorum omnimodam ſollicitudinem gerimus, & vos ab his articulis in quibus erratis à Chriſtianâ & Catholicâ fide prompto animo prout tenemur ex ſuſcepti miniſterio regiminis volumus revocare. Cùm ipſe Dominus beato Petro, quem omnium Apoſtolum principem fecit, dixit: Et tu aliquando, &c.* Infrà. *Rogamus itaque excellentiam tuã, monemus, & hortamur in Domino quatenus Philippum pro reverentiâ beati Petri, & noſtri, &c. à noſtro latere deſtinatum debitâ benignitate recipias.* Eodem anno refertur Innocentii III. epiſtola ad Regem Luſitaniæ. *Attendentes tuam perſonã ornatam prudentiâ, juſtitiâ præditam, atque ad regni gubernationem idoneam, eam ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, &c. Vt autem ad devotionem & obſequium beati Petri Apoſtolorum principis, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ vehementius accendaris, hæc ipſi & eius hæredibus duximus concedenda.* Vrbanus III. ſcribens Regi Scotiæ de causâ, quæ vertebatur inter Joannem Dunkeldenſem Epiſcopum & Hugonem Epiſcopũ ſancti

Hadrianus 4.

Alex. 3.

Innoc. 3.

Vrban. 3

Andreæ ex Baronio ad annum Chriſti 1186. *Monemus regiam excellentiam, & hortamur in Domino, atque in remiſſionem peccatorum injungimus, quatenus pro amore juſtitiæ, & reverentiâ Beati Petri & noſtrâ, in negotio illo juxta mandati noſtri tenorem procedi permittas.* Ex eodem Baronio ad
Cœleſt.3 annum Chriſti 1195. Cœleſtinus III. Lincolnienſi Epiſcopo, &c. hanc miſit epiſtolam. *Cùm ſacroſancta Romana Eccleſia ſuper immobile fundamentum, lapidem ſcilicet angularem & verum perpetuâ ſtabilitate fundata, de ſeipsâ veritate dicente, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, per beati Petri merita Eccleſiarum omnium magiſteriū cœpit, & primatum ad Principem Apoſtolorum Domino proteſtante. Si diligis me, paſce oves meas, & non ſolum corporum, ſed etiam animarum, Iudiciariam accepit poteſtatem, eodem Apoſtolorum Principe audiente à Domino, quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, nos, quos non propria merita ſed ſola divina miſeratio ad ſummi Pontificatus apicem evocavit, &c.* Sequentia ſœcula breviter percurramus.

XIII. Sœculo decimo tertio Innocentius IV. hanc ſententiam in Fredericum II. Imperatorem tulit inſertam ſexto decretalium ſub titulo de ſententiâ & re judicatâ cap. *Ad Apoſtolicæ.* (Innoc.4.) Vbi poſtquam graviſſima crimina quæ Fredericus perpetraverat cōmemoravit, ſubdit. *Nos ſemper præmiſſis & quamplurıbus aliis ejus nefandis exceſſibus cum fratribus noſtris & ſancto Concilio, deliberatione præhabitâ diligenti, cùm IESV-Chriſti vices licet immeritò teneamus in terris, nobisque in Beati Petri perſonâ ſit dictum: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Memoratum principem qui ſe imperio & regnis, omnique honore & dignitate reddit tam indignū, quique propter ſuas iniquitates à Deo nè regnet vel imperet, eſt abjectus, ſuis peccatis ligatum & abjectum, omnique honore ac dignitate privatum à Domino oſtendimus, denunciamus, &c.* Bonifa-
Bonif.8 cius VIII. in extravagante. *Vnam ſanctam, ait, ſivè Græci, ſive alii ſe dicant Petro, ejusque ſucceſſoribus non eſſe cōmiſſos, fateantur neceſſe eſt, ſe de ovibus Chriſti non eſſe: dicente Domino in Ioanne, Vnum ovile, & unicum eſſe paſtorem.* Greg.9.
Gregorius IX. ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ait: *Primum & præcipuum Eccleſiæ fundamentum, in quo ſicut in capite alii omnes continentur, Petrum eſſe.*

Sœculo decimo quarto Benedictus XIV.
XII. apud Alphonſum à Caſtro lib. 3. de hæreſibus. *Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui ſacroſanctam Romanam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, quam ut unicam plantavit dexterâ ſuâ, quamque ut præcipuam in Eccleſiarum omnium caput erexit, & victricem Domino ad Petrum. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Sœculo decimo quinto Pius II. XV.
(antea dictus Æneas Sylvius) in Bullâ retractationum ſuarum. „ His omnibus conſideratis recognovimus errorem noſtrum, Baſilienſe dogma rejecimus, Eugenio Pontifici maximo caput ſubmiſimus, illud Hieronymi diximus, Cathedræ Petri cōmunione conſocior, ſuper illam fundatam Eccleſiam ſcio. (Pius 2.) Infrà. „ In cœleſti aulâ unus eſt omnium Rex æternus Deus, cujus unigenitus Filius, Chriſtus JESUS ſervili formâ in Eccleſiâ tanquam dux verus corporaliter præſedit, & cùm aſcendiſſet in cœlum, Petrum indubitanter ſui gregis paſtorē reliquit, cui dixerat: Paſce oves meas, quem omni poteſtate donavit, quæ ad benè regendum oves neceſſaria dicatur, alioqui ſapientia Patris Eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter providiſſet. Petrus ab Antiochiâ Romam veniens, ibi glorioſè martyrio vitam finivit ſucceſſore Clemente ſubſtituto, atque ita in hanc uſque diem ſervatum eſt, ut qui Romæ ſederit ritè inſtitutus per legitimum electionis tramitem, tanquam Aaron vocatus à Domino. Hunc omnes plebes, populi, reges, Clerici, Epiſcopi JESU-Chriſti, & Beati Petri ſucceſſores, univerſalis Eccleſiæ caput ac rectorem, ducem venerati ſunt, &c. Idem in Bullâ anno 1463. „ Paſtor primus ipſe Chriſtus fuit, & paſtor bonus, qui poſuit animam pro ovibus ſuis. Secundus

„ cundus Paſtor Petrus extitit ab ipſo
„ Domino inſtitutus, atque omni po.
„ teſtate donatus quæ ad benè regen-
„ dum commiſſas oves neceſſaria di-
„ citur. Plura ibi & epiſt. 288. priuſquam ad Pontificatum eveheretur. *Cùm neceſſe ſit ad perfectum regimen unum præeſſe, à quo cæteri dependeant. Minimè dubitandum eſt, quin ex ordinatione Chriſti unus Eccleſiæ præſit; dixit enim Petro, Paſce oves meas. Nec fas eſt dicere hanc dignitatem Petro datam ad ſucceſſores ejus non derivari. Matth. cap. 28. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Itaque poſt Chriſtum Petrus fuit Pontifex unus qui Eccleſiæ præfuit. Petro autem vitâ functo ſucceſſores ejus uſque ad Caliſtum III. Chriſti Vicariatum tenuêre. Nam Chriſtus cùm Vicarium ſuum elegit, eo loco hanc dignitatem conceſſit, quam Petrus ſuo ſanguine conſecraret. Romana igitur Eccleſia, ut ſacri Canones aiunt,*
Calliſt. 3 *caput omnium eſt.* Calliſtus III. immediatus ejus prædeceſſor epiſt. ad Fredericum Imperatorem, quam refert idē Æneas Sylvius. *Nota eſt omnibus Apoſtolica Sedis auctoritas, manifeſta cuique prima Sedis dignitas, vulgata per orbem Vicarii Dei poteſtas; cui dictum eſt à Domino: Paſce oves meas, nec hujus, aut illius provinciæ ſed univerſi orbis præſulatum in Apoſtolicæ Sedis ſpecula conſecuti ſunt.*

XVI. Sæculo decimo ſexto Paulus III. Carolum V. Cæſarem hortatur, ut in
Paul. 3. unitate Eccleſiæ perſiſtat, & ab obſervantiâ ſupremi Eccleſiæ capitis non deflectat. *Omnia fili in eo ſunt, ſi ab unitate Eccleſiæ te abduci non ſinas, à conſuetudine majorum tuorum religioſiſſimorum principum non recedas: ſed eundem ut debes morem in omnibus quæ ad Eccleſiæ diſciplinam, ordinem & inſtituta pertinent, obſerves. Quem multos annos ſummâ cum pietatis animi tui ſignificatione edidiſti.* Infra. *Qui verò hujus Sedis auctoritati reſtitêre à Deo ſic caſtigatos conſtat, ut manifeſtè appareat, quàm grata ſit ac ſemper fuerit Deo hujus Sedis auctoritas, &c.* Varia hujus inobedientiæ exempla profert clarè Gregorius in Põtificali Romano ſuo juſſu
Greg. 13. edito in quadam collectâ pro conſideratione ſummi Pontificis. *Deus, qui Apoſtolum tuum Petrum inter cæteros Apoſtolos primatum tenere voluiſti, atque univerſæ Chriſtianitatis molem ſuper humeros impoſuiſti.* Poſteà. *In thronum ejuſdem Apoſtolorum Principis ſublimamus.*

Sæculo decimo ſeptimo producam tantùm decretum ſeu cenſuram XVII.
Innocentii X. cum Sacrâ Congregatione S. Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, feria 5. die 24. Januarii 1647. Innoc. 10
hoc tenore. „ In Congregatione ge-
„ nerali Sacræ Romanæ & univerſa-
„ lis Inquiſitionis habitâ in Palatio
„ Apoſtolico Montis Quirinalis corā
„ Sanctiſſimo Domino noſtro Inno-
„ centio divinâ providentiâ Papâ X,
„ ac Eminentiſſimis & Reverendiſſi-
„ mis Dominis Sacræ Romanæ Ec-
„ cleſiæ Cardinalibus in univerſâ Re-
„ publicâ Chriſtianâ adverſus hære-
„ ticam pravitatem Inquiſitoribus
„ generalibus à Sanctâ Sede Apoſto-
„ licâ ſpecialiter deputatis. Editus eſt
„ anno 1645. liber Gallico idiomate
„ impreſſus, cui titulus *De l'Authorité*
„ *de S. Pierre, & de S. Paul qui reſide*
„ *dans le Pape Succeſſeur de ces deux A-*
„ *poſtres*, abſque nomine auctoris &
„ impreſſionis loco hujus libri evul-
„ gationem. Subſecuta eſt editio al-
„ terius libri anonymi eodem idio-
„ mate impreſſi cui titulus: *La gran-*
„ *deur de l'Egliſe Romaine eſtablie ſur*
„ *l'authorité de S. Pierre, & de S. Paul*,
„ necnon epiſtolæ ejuſdem argumen-
„ ti Latino idiomate conſcriptæ, ac
„ typis excuſæ, plurimis adductis, at-
„ que congeſtis ſanctorum Patrum,
„ ſummorum Pontificum, ſacrorum
„ Conciliorum, & Doctorum locis,
„ Quocirca nè in re tanti ponderis
„ error aliquis mentibus Chriſti fide-
„ lium irreperet. Libris prædictis, de
„ mandato Sanctiſſimi maturè exa-
„ minatis; locíſque adductis diligen-
„ ter inſpectis, ac ponderatis, Sanctiſ-
„ ſimus relatâ unanimi Theologorū
„ ad hoc ſpecialiter deputatorum cē-
„ ſurâ, & auditis votis Eminentiſſimo-
„ rum & Reverendiſſimorum Domi-
„ norum Cardinalium, Generalium
„ Inquiſitorum propoſitionem hanc
„ ſcilicet S. Petrus & S. Paulus ſunt
„ duo Eccleſiæ Principes, qui unicum
„ efficiunt

„ efficiunt. Vel ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coryphæi, ac ſupremi Duces, ſummâ inter ſe unitate conjuncti; vel ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt. Vel ſunt duo ſummi Eccleſiæ Paſtores ac Præſides qui unicum caput conſtituunt, ita explicatam: ut ponat omnimodam æqualitatem inter Sanctum Petrum & Sanctum Paulum, ſine ſubordinatione & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſupremâ, & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticum cenſuit & declaravit. Epiſtolam verò ac libros prædictos, aliosque, in quibus propoſitio, ut ſupra explicata & damnata aſſeritur & defenditur, tam impreſſos, quàm imprimendos quocumque idiomate, aut quomolibet, etiam in ſcriptis evulgatos vel in poſterùm evulgandos: Sanctitas ſua omninò damnatos & prohibitos eſſe voluit, prout præſenti decreto damnat, & prohibet, mandans, ut nemo cujuſcumque gradus & conditionis exiſtat, ſpeciali, ſeu ſpecialiſsimâ notâ dignos, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud ſe retineat, aut legat, nec imprimere, nec imprimi curare audeat, ſub cenſuris & pœnis contra hujuſmodi delinquentes ſtatutis: ſed ſtatim à præſentis decreti notitiâ quicumque illos habuerit, locorum ordinariis ſeu Inquiſitoribus conſignare teneatur. Ex his patet, quod quamvis Sedes Apoſtolica ſingulari honore & cultu proſequatur S. Apoſtolum Paulum: tamen negat eum S. Petro æqualem eſſe in poteſtate, quibus nonnullorum Conciliorum mens ſuffragatur.

§. 2.

Teſtimonium Conciliorum.

1\. PRoferemus teſtimonium Conciliorum à tempore Apoſtolorum celebratorum. Coccius libro 7. de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ art. 4. refert Concilium Nicænum I. ſub Sylveſtro Papâ anno 325. can. 39. ſecundùm tranſlationem ex codice Arabico factam, ſoli Petro primatum Eccleſiæ attribuiſſe. Baronius in Fragmentis tomo 8. aſſerit idem Concilium Nicænum agnoviſſe Petrum eſſe unicum Eccleſiæ principem, refertq; Fœlicem III. in epiſt. 4. ſynodali. *Domino ad Beatum Petrum Apoſtolum dicente: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Eam vocem ſequentes trecenti decem & octo ſancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* Concilii Nicæni. Oſius Epiſcopus in Concilio Sardicenſi celebrato ſub Julio I. anno 347. dixit Canone 3. aliàs 4. *Quod ſi aliquis Epiſcopus adjudicatus fuerit in aliquâ cauſâ, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterùm judicium revocetur. Si vobis placet, ſancti Petri memoriam honoremus, ut ſcribatur, vel ab his qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Epiſcopis, qui in propinquo morantur, Iulio Romano Epiſcopo. Et ſi judicaverit revocandum eſſe judicium, renovetur, & det judices, ſi autem probaverit talem cauſam, ut ea non refricentur, quæ acta ſunt: quæ decreverit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt. Si ergò omnibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpondet. Placet.* Concilii Sardic. Cur in ſancti Petri memoriam & honorem ad Julium Papam ſcribi poſtulat? quia Julius ſoli Petro ſucceſſit in regimine Monarchico Eccleſiæ. Concilium Chalcedonenſe OEcumenicũ 630 Epiſcoporum contra Eutychen & Dioſcorum Alexandrinum Patriarchã ſub Leone I. Valentiano & Martiano Imperatoribus, de quo Baronius anno 451. act. 3. *Unde Sanctiſſimus Archiepiſcopus magnæ Romæ per præſentem ſanctam Synodum unà cum ter Beatiſſimo & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido Eccleſiæ Catholicæ, & ille qui eſt rectæ fidei fundamentum nudavit eum, tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio.* Concilii Chalced. Ibi nullam facit mentionem Pauli. Concilium Toletanum I. celebratum ſub Anaſtaſio Papâ, Honorio & Arcadio Imperatoribus ex Baronio anno 405. ſub finem aſſertionis fidei. *Si quis (inquit) in errore, Priſciliani ſectam ſequitur, vel profitetur, ut alium in ſalubri* Concilii Toletan.

Baptiſmo

baptiſmo contra ſedem S. Petri faciat, anathema ſit. Solius ſedis Petri mentionem facit, quia ſolus Petrus eſt caput Eccleſiæ. In Synodo III. Romanâ ſub
Synod.3. Symmacho Papâ Eulalius Syracuſanus dixit, *Apoſtolicæ Sedis præſul prærogativâ Beati meritis Apoſtoli Petri per univerſum orbem primatum obtinẽs ſacerdotii, ſtatutis Synodalibus conſue-*
Synod.4. *vit tribuere firmitatem.* In Synodo IV. Romanâ ſub eodem Symmacho Papâ pluſquam 70. Epiſcopi à Rege Theodorico Romam convocati, ut acta Symmachi diſcuterent: dixerunt regi, *Papam debuiſſe Synodum convocare, ſcientes, quia ejus ſedis primum Petri Apoſtoli meritum, vel principatus. Deindè ſecutâ juſſione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec antedictum Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio in propoſitione ſimili facile*
Synod.5 *forma ſervaretur.* In Synodo V. ducentorum Patrum, idem Symmachus dixit. *Quoniam fraternitas veſtra ſingulari charitatis ſtudio, pio ac vigilanti affectu, indefeſſis laboribus, ac ſpiritu vivaci ſtuduiſtis venerandi Patres tutelâ rerum Eccleſiaſticarum favere, Sedem Apoſtolicam (quæ ſolidâ Petri confeſſione ſtabilita eſt) tueri viriliter, cui licet indigni Domino ſic diſponente præ-*
Synod.6. *ſumus, &c.* In VI. Synodo generali celebratâ Romæ Agatho Papa ſcribens Conſtantino IV. ſeu Pogonato Imperatori, vocat S. Petrum Apoſtolorum principem apud Baronium ad annum Chriſti 680. *Quia ipſe conditor omnium, ac Redemptor, cùm poſſet in ſuæ divinitatis majeſtate in ſæculum veniendo mortales perterrere humanitate magis inæſtimabilis clementiæ humiliter ad noſtra deſcendens, quos creavit, dignatus eſt & redimere. Qui & ſpontaneã de nobis vera de ſe fidei confeſſionem expectat, quod & beatus Petrus Apoſtolorum princeps commonet,* 1. *Pet. cap.* 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Chriſti, non coactè ſed ſpontè ſecundùm Deum exhortantes.* Infrà. *Quia ejus vera confeſſio à Patre de cælis eſt revelata Matth. cap.* 16. *pro quâ à Domino omnium beatus eſſe pronunciatus eſt. Petrus qui & ſpiritales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium ternâ commendatione paſcendas ſuſcepit. Cujus adnitente præſidio hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam à viâ veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cujus auctoritatem utpote omnium Apoſtolorum principis ſemper omnis Catholica Chriſti & univerſales Synodi fideliter amplectentes ſecuti ſunt.* Poſtea oſtendens omnes Romanos Pontifices ab hæreſi eſſe immunes. *Secundùm ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorũ principi in ſacris Evangeliis fatus eſt. Petre, Petre, inquiens ecce ſatanas, &c,* Infrà. *Exhortantes eos in orthodoxæ fidei unanimitate remeantes amplecti, eorumque converſionem ad integram ortodoxæ fidei rectitudinem præſtolantes, quatenus noſtro conſortio, imò beati Petri Apoſtoli, cujus licet indigni miniſterio fungimur, &c. ſeipſos non facerent alienos.* In ultimâ Seſſione ejuſdem ſanctæ Synodi, acclamationem omnium Patrum factam Imperatori refert his verbis. *Summus nobiſcum concertabat Apoſtolorum princeps. Illius enim imitatorem & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti myſterium illuſtrantem, &c. Per Agathonem Chriſtus loquebatur.*

In Concilio Nicæno II. ſecundùm II.
Baronium celebrato anno 787, Adrianus I. ſcribẽns Tharaſio Patriarchæ, Concilii Nicæ.2.
Veſtra (inquit) *Sanctitas piiſſimis & triumphatoribus noſtris Imperatoribus ſine trepidatione inducat in animum, ut &c. cognoſcat, quo omne zizanium ab Eccleſiâ eradicetur, & IESV Chriſti Domini noſtri verbum impleatur, cùm ait: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Cujus etiam Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Unde & ipſe Beatus Petrus Apoſtolus Dei juſſu Eccleſiam paſcens nihil omnino prætermiſit, ſed ubique primatum obtinuit & obtinet cui etiam noſtræ beatæ & Apoſtolicæ Sedi, quæ eſt omnium Eccleſiarum Dei caput velim veſtra Sanctitas ex ſincerâ mente & toto corde agglutinetur.* Idem Concilium Canone 4. vocat Petrum *Summum Apoſtolorum.* Concilio III.
Conſtantinopolitano epiſtola Leonis Concilii
II. Papæ ad Conſtantinum Auguſtum Conſt.3.
inſerta, hæc habet. *Sancta & magna*

Synodus Domini & veſtro favore celebrata ſuſcepit, & in omnibus nobiſcum amplexa eſt, utpotè beati Apoſtolorum principis, &c. Infrà. *Quia definitionem rectæ fidei pleniſſimè prædicavit, quàm & Apoſtolica Sedes beati Petri Apoſtoli, cujus licet impares auctoritate fungimur, veneranter ſuſcipit. Idcircò & nos, & per noſtrum officium, hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer, ac unanimiter his, quæ definita ſunt ab eâ conſentit, & beati Petri auctoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidam petram, qui Chriſtus eſt ab ipſo Domino adeptus firmitatem.* In Concilio octavo generali ſeu quarto Conſtantinopolitano

Concilii Conſt.4. celebrato anno 869. ſub Hadriano II. Vbi de Photio & Dioſcoro. *Quiſquis tale facinus contra ſedem Petri principis Apoſtolorum auſus fuerit intentare, æqualem & eandem, quam illi condemnationem recipiat.*

Concilii Brac. 2. Secundum Concilium celebratum ſub Gregorio I. anno 572. canone 23. ſtatuit. *Nullus ordinem baptizandi prætermittat, quem pro amputandâ aliquorum dubietate prædictus. Profuturus ſibi decretum à Sede Beatiſſimi Petri Apoſtoli ſuſcipit.*

Concilii Conſtan. Concilium Conſtantienſe univerſale anno 1414. ſub Joanne XXIV. damnant 5. articulos Joannis Wiclef, & Joannis Hus. *Petrus non fuit, neque eſt caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ.* Item. *Papa non eſt manifeſtus & verus ſucceſſor Apoſtolorum principis, ſi vivit contrariis Petro, &c.*

III. Eundem Petri principatum profitentur tam Græci, quàm Latini in

Concilii Lugdun. Viennen. Floren. Concilio Florentino, & Viennenſi, quorum acta continentur in quinto decretalium. Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. anno 1439. *Definimus* (inquit) *ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere principatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorũ patrem, & doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino IESV. Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam Oecumenicorum conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.* Anno 1548. in Concilio Trevirenſi. *Pelagius Petri naviculam fluctibus concuti, nihil aliud per naviculam Petri, quàm Catholicam Eccleſiam intelligit.* Et anno 1549 *Quando verò in IESV Chriſto fides fundamentum eſt, & petra illa, de quâ Salvator noſter dixit Matthæi cap. 16. Super eam ædificandam eſſe Eccleſiam, adverſus quam inferorum portæ nunquam prævalituræ eſſent, &c.* Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis editum in Concilio Colonienſi agens de Sacramento *Concilii Colon.* ordinis. *Patriarcharum* (inquit) *ſummus eſt Romanus. Non quod ordine ſacerdotii cæteros antecellat, ſed magis plenitudine adminiſtrationis, regiminis ac poteſtatis. Hanc enim apud unũ oportet eſſe in Eccleſiâ, ut Eccleſiæ unitas monſtretur ac conſervetur. Sacerdotii poteſtatem, quæ dividi non poteſt ſinguli Epiſcopi, in ſuum quiſque gregem in ſolidum poſſident: ſed Romanus, veluti ſucceſſor illius, in cujus perſonâ Chriſtus hanc poteſtatem Eccleſiæ tradidit, hanc in univerſum ſuper totum orbem Chriſtianum tenet. In hoc enim conſtitutus eſt, ut fratrum ſuorum negligentiam ſuppleat Lucæ cap.* 22. Non dicit ſucceſſor illorum, nec in his conſtituti ſunt, quia ſoli Petro ſuccedit, ſoli Petro dixit Chriſtus. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quoad Concilium Tridentinum Paulus III. bullâ illud *Trident.* convocans. *In tantâ hæreſum, diſſenſionum, bellorumque tempeſtate, tantiſque excitatis fluctibus, cum eſſemus ad moderandam & gubernandam Petri naviculam vocati.* Joannes Moronus Cardinalis Præſes Concili Tridentini in generali cœtu hæc verba habuit. *Parendum fuit Vicario Chriſti, qui Petro & ſucceſſoribus oves paſcendas regendasque commendavit.*

Hoc ſæculo decimo ſeptimo celebratum eſt Concilium Provinciale Senonenſe cui præfuit Eminentiſſimus Jacobus Cardinalis du Perron Archiepiſcopus Senonenſis ac primas Galliæ & Germaniæ, interfuerunt Henricus Epiſcopus Pariſienſis, Franciſcus Epiſcopus Antiſiodorenſis, Joannes Epiſcopus Meldenſis, Gabriel Epiſcopus Aurelianenſis, Renatus Epiſcopus Trecenſis, Euſtachius Epiſcopus Ni- IV.

pus Nivernenſis, Philippus Epiſcopus Carnotenſis, in quo damnatus eſt liber anonymus, cui titulus eſt *De Eccleſiaſticâ & politicâ poteſtate*, quia primatum Petri deſtruebat. Eodem anno præfuit Comitiis Provincialibus in Provinciâ Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Paulus Archiepiſcopus Aquenſis, adfuerunt Epiſcopus Regenſis, Bartholomæus Epiſcopus Forojulienſis, Tuſſanus Epiſcopus Siſtarienſis, ubi idem error damnatus eſt. Horum amborum Comitiorum meminerunt Spondanus Chron. anno 1612. Jacobus Gualterus in tabulâ chronographicâ ſœculo 17. Vtramque cenſurã refert Andreas Duvallius Theologus Pariſienſis in libro de ſupremâ Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate, non longè ab initio edito Pariſiis per Dionyſium Langleum. Anno 1653. Julii 15. Clerus Galliæ ſcilicet Cardinalis Mazarinus Epiſcopus Metenſis electus, ſex Archiepiſcopi, Victor Archiepiſcopus Turonenſis, De Grignan Archiepiſcopus Arelatenſis, Henricus Archiepiſcopus Burdegalenſis, C. Daubuſſon Archiepiſcopus Ebrodunenſis, Franciſcus Archiepiſcopus Rothomagenſis, Petrus de Marca Archiepiſcopus Toloſanus nominatus: viginti quatuor Epiſcopi, Lebeton Epiſcopus Valentinus & Dienſis, Ægidius Epiſcopus Ebroicenſis, Anthymius Dionyſius Epiſcopus Dolenſis, Petrus Epiſcopus Montis albanenſis, Antonius Epiſcopus Graſſenſis & Vencienſis, P. Du Broc Epiſcopus Antiſiodorenſis, Robertus Jacobus Epiſcopus Tolonenſis, Fœlix Epiſcopus Cathaulenſis, Dionyſius Epiſcopus Briocenſis, Henricus Epiſcopus Anicienſis, Ferdinandus Epiſcopus Maclovienſis, Claudius Epiſcopus Conſtantienſis, Jacobus Epiſcopus S. Flori, Hiacynthus Epiſcopus Arauſicenſis, Hardovinus Epiſcopus Ruthenenſis, Philebertus Emanuel Epiſcopus Cenomacenſis, Franciſcus Epiſcopus Madaurenſis, Coadjutor Coriſopitenſis, Franciſcus Epiſcopus Glandevenſis, Ambianenſis Epiſcopus nominatus, Gabriel Epiſcopus Abrincenſis, Joannes Epiſcopus Oloronenſis, Abbas de Servient Epiſcopus Carcaſſonenſis nominatus, Abbas Tubeuf Epiſcopus Pontii Tomeriarum nominatus, in epiſtolâ ad Innocentium X. *Enim verò* (inquit) *vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica ſolâ Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta.* Infrà, *Perſpectum habeat, non ſolùm ex Chriſti Domini pollicitatione Petro factâ, ſed etiam ex actis piorum Pontificum.* In fine. *Porrò nos Innocentio X. cujus ore Petrus locutus eſt, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, &c.* Quæ verba ſatis patenter denotant à cœtu Eccleſiæ Gallicanæ Petrum eſſe unicum univerſalis Eccleſiæ caput agnitum.

§. 3.

Teſtimonium Patrum & Theologorum ſerie ſæculorum.

PRimo ſœculo floruit S. Dionyſius Areopagita, S. Pauli diſcipulus teſte S. Lucâ Act cap. 17. lib. de divinis nominibus cap. 3. *Petrus* (inquit) *ſupremum, & maximè venerandum Theologorum ſeu Apoſtolorum faſtigium.* I.

Sœculo ſecundo Papias apud Euſebium lib. 2. cap. 14. ait quod: *Poſtquã veſana Simonis Magi potentia extincta eſt, ac homo ipſe actu tum uno penitus profligatus, tanta pietatis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant affulſit, ut à Marco Petri comite contenderent, quo monumentum illius doctrinæ, quam verbo illis tradidiſſet, etiam ſcriptis mandatum apud eos relinqueret, quam ſcripturam ferunt D. Petrum auctoritate ſuam ratam feciſſe, quo in Eccleſia paſſim perlegeretur.* Non dicit Paulum vel alios Apoſtolos ratam feciſſe, ſed Petrum ut caput. S. Theophilus Archiepiſcopus Antiochenus lib. 2. commentariorum, ſive allegoriarum in Evangelium ſecundùm Marcum, ad illa verba Lucæ cap. 4. & Marci cap. 1. *Et cùm veniſſet IESVS in domum Petri invenit ſocrum ejus febricitantem.* Subdit. *Socrus Petri Synagoga eſt, filiaque ejus Eccleſia, quam regendam Petrus Apoſtolus accepit.* Tertullianus de Monogamia cap. 8. *Petrum* (inquit) *ſolum* II. *Papias.* *Theoph.* *Luc. c. 4.* *Tertull.*

invenio Maritum, per ſocrum Monogamium præſumo per Eccleſiam, ſuper illũ omnem gradum ordinis ſui de Monogamis erat collaturus. Si Eccleſia & Petrus ſunt monogami, ſolus igitur Petrus eſt Eccleſię ſponſus. Idem innuere videtur S. Cyprianus lib. de velandis virginibus c. 2. dum ait. *Vna nobis & illis fides, unus Deus, idem Chriſtus, eadem ſpes, eadem lavacri ſacramenta: ſemel dixerim una Eccleſia ſumus.* Si una Eccleſia, igitur unus Pontifex, ſicut unum regnum dicitur, dum ab uno rege, unum ovile dum ab uno paſtore gubernatur. Sic intelligẽdus eſt S. Irenæus Martyr lib. 3. adverſus hæreſes cap 1 & 3.

Cyprian.

III. Sœculo tertio S. Hippolitus Epiſcopus & Martyr Oratione de conſummatione mundi ac de Antichriſto & ſecundo adventu Chriſti, hæc præclarè de Petro effatur. *Princeps Petrus, fidei petra, quem beatum judicavit Chriſtus Deus noſter, ille Doctor Eccleſiæ, ille primus Diſcipulorum, ille qui regni claves habet.* S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 8. *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una, per Petrum Domini voce fundata, aliud altare conſtitui, aliud ſacerdotium novum fieri præter unum altare, & unũ ſacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit ſpargit.* Ideſt, quiſquis extra unam Petri Cathedram collegerit, ſpargit. Eandem, & unicam Petri Cathedram inſinuat lib. 1. epiſt. 3. *Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæretico conſtituto navigare audent, & ad Petri Cathedram atque Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt à ſchiſmaticis & prophanis litteras ferre nec cogitare eis eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poteſt acceſſum.* Vocat Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem undè unitas ſacerdotalis ſumpſit originem. Quod ſi Petri & Pauli eſſet Cathedra & Eccleſia, eſſet non unitas, ſed duplicitas ſacerdotalis; non eſſet unus Pontifex, ſed duo. Idem innuit lib. 3. epiſt. 13. *Corpus ſacerdotum & Epiſcoporum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut ſi quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri.* Quale concordiæ glutinum, qualis unitas eſſe poteſt, cujus vinculo Sacerdotes & Epiſcopi copulantur, ſi Cathedra Petri non ſit una, ſed diviſa. Cùm igitur Romana Eccleſia ſola vocetur Petri Cathedra, vocetur principalis, vocetur fons & origo, ſolus Petrus eſt princeps ſeu principium Eccleſiæ Romanæ. Nam principalis dicitur, vel à principe vel à principio. Eandem unitatem Eccleſiæ & paſtoris premit lib. de unitate Eccleſiæ.

S. Hipp.

Cyprian.

,, Epiſcopatus
,, unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum
,, pars tenetur. Eccleſia una eſt, quæ
,, in multitudinem latius incremento
,, fœcunditatis extenditur, quomodò
,, ſolis multi radii, ſed lumen unum
,, eſt: & rami arboris multi, ſed robur
,, unum tenaci radice fundatum. Et
,, cùm de fonte uno rivi plurimi de-
,, fluunt. Numeroſitas, licet diffuſa
,, videatur, exundantis copiæ largita-
,, te, unitas tamen ſervatur in origine.
,, Avelle radium ſolis à corpore divi-
,, ſionem lucis unitas non capit. Ab
,, arbore frange ramum, fractus ger-
,, minare non poterit: à fonte præci-
,, de rivum, præciſus areſcet. Sic &
,, Eccleſia Domini luce perfuſa per
,, orbem totum radios ſuos porrigit,
,, unum tamen lumen eſt, quod ubi-
,, que diffunditur, nec unitas corporis
,, ſeparatur. Ramos ſuos in univerſam
,, terram copia ubertatis extendit;
,, profluentes largiter rivos latius ex-
,, pandit, unum tamen caput eſt, &
,, origo una, & una mater fœcundita-
,, tis ſucceſſibus copioſa, illius fœtu
,, naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpi-
,, ritu ejus animamur.

Ex quibus patet Eccleſiam Romanam eſſe unam in origine, radice, in capite, in Epiſcopatu, in Papatu, licet ſit multiplex in propagatione. Patet Petrum eſſe unicum Epiſcopum, à quo velut omnium fonte & capite reliqui omnes Epiſcopatus profluxerunt. Ab eo unitatem & fundatam & incœptam eſſe ibidem teſtatur. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et idem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oves meas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem parem poteſtatem tribuat, & dicat*

ſicut

ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſeu cui tenueritis, tenebuntur: tamen, ut unitatem manifeſtaret unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſub auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod erat Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur ut Eccleſia una monſtretur. Quaſi diceret, quamvis alii Apoſtoli in ordine ac officio Epiſcopali ſunt pares, ut omnes homines in veritate naturæ humanæ ſunt pares primo parenti. Nunquam tamen vel naturæ vel officii primam originem ſubſecuta ipſi origini penitùs adæquabitur. Quod de Petro dicitur, idem de ejus ſucceſſoribus philoſophandum eſt: ut patenter innuit S. Cyprianus, dicens Cornelium aſcendiſſe ad ſublime faſtigium ſacerdotii. *Cùm Fabiani* (inquit) *locus, id eſt cum locus Petri & gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret.* Eccleſiam eſſe à Chriſto fundatam ſuper Petrum frequenter inculcat præſertim lib. 1. epiſt. 3. lib. 4. epiſt. 9. & ad Jubaianū. Euſebius Alexandrinus homiliâ de

Euſebius Alexan. Reſurrectione apud Cocc. libr. de ſummis Pontificibus art. 4. introducit Chriſtum exequentem, quod Petro fuerat pollicitus ſcilicet Eccleſiæ primatum. Eundem & unicum principatum Petri aſſerit Origenes homiliâ 5. in exodum lib. 5. explanat. in Evangel. Joannis apud Euſebium libr.

Origenes 6. in Evangel. ſecundùm editionem Latinam Colonienſem & homiliâ 17. in Lucam, & in epiſt. Pauli ad Romanos lib. 5. quibus locis vocat Petrum *Magnum Eccleſiæ fundamentum, petram ſolidiſſimam, & Apoſtolorum principem.*

IV. Sæculo quarto Euſebius Cæſarienſis ad annum Chriſti 44. ait *Sanctum Petrum fuiſſe primum Pontificem Chriſtianorum*, additque eundem Petrum perſeveraſſe annis 25. urbis Romæ

Euſebius Epiſcopum, & in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ lib. 3. cap. 4. ſcribit. *Linum Romanū primum poſt Petrum rexiſſe.* lib. 2. cap. 13. ſecundùm editionem Latinam, & cap. 14. ſecundùm Græcam compellat principem Apoſtolorum. Sanctus Ephrem Syrus ſermone de tranſfiguratione Domini, ubi ait Montem *S. Ephr.* Tabor eſſe typum Eccleſiæ. *Factus eſt mons in figuram Eccleſiæ, & vidit in eo IESVS duo teſtamenta, quæ ſuſcepit Eccleſia, nobisq; indicavit ipſum datorem eſſe duorum. Vnum accipit ejus myſteria, alterum verò gloriam ſuorum ſanctorum manifeſtam reddit, dixitque Simon: Domine bonum eſt nobis hic eſſe: Quid dicis ô Simon? ſi hic permanſerimus, quis verba adimplebit Prophetarū? quis verba abſignabit præconum? quis juſtorum myſteria perficiet? Si hic manſerimus, illud foderunt manus meas, & pedes meos? in quorum adimplebitur iſtud, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam, &c. Si hic manſerimus, quæ dixi tibi, quo pacto fient? Eccleſia quo pacto ſuper te ædificabitur? & claves regni cælorum quo pacti à me accipies? quem ligabis? quemvè ſolves?* S. Baſilius magnus in cap. 2. Iſaiæ de *Baſilius.* Petro. *Super quam petram pollicitus fuerat, ſe ædificaturum Eccleſiam. Intellectus enim in ſublime erecto à terrenis iſtis diſparati, ſupràque hæc ſuſtollentes ſe jure optimo montes appellantur. Omnia autem Beati Petri nominata meritò eſt petra ſublimis quod in fide radices ſolidè defixerit*, Idem oratione 3. de peccato. *Beatus Petrus aliis diſcipulis ante poſitus fuit, & qui teſtimonium majus, & beatitudinem longè ampliorem cæteris omnibus adeptus erat. Cui denique claves regni cælorum erant concredita.* Idem de judicio Dei *Petrus ille beatus, qui & cæteris ante latus diſcipulis fuit, cuique magnificentius quàm reliqui omnes beatus appellatus eſt, cui claves regni cæleſtis commiſſæ.* Et libr. 2. contra Ennomium *Quoniam fide præſtabat Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcipit.* Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. quâ ſe excuſat, cur tamdiu à functione Eccleſiaſticâ abſtinuerit, vocat Petrum diſcipulorum honoratiſſimum. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 2. quæ eſt de pœnitentiâ in fine. *Petrus* (inquit) *Princeps Apoſtolorum excellentiſſimus.* *S Cyrill. Hieroſ.* Catecheſi 11. illuminatorum Hieroſolymis. *Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco.* De iiſdem illuminatis homiliâ 17. *Divinus Apo-*

ſtolorum , & regni cœlorum claviger Pacian. *Petrus.* S.Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus epiſt. 3. ad Sympronianum cōtra tractatus Novatianorum. *Ad Petrum locutus eſt Dominus ad unum: ideò ut unitatem fundaret ex uno.* Quibus paulò poſt ſubjicit hæc verba Matthæi cap. 16. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quibus verbis innuit non fore unam Eccleſiam, ſi non unus Hilarius ſed plures præeſſent. S.Hilarius canone 16. in Matthæum, vocat Petrum cœli janitorem. *O Beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves regni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſunt aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cœlo.* Et in pſalm. 131. ad illa verba. *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Iacob.* Subdit quod Chriſtus de Paſſione ſuâ diſſereret. *Et Petrus tanquam hoc Dei filio deteſtatus eſſet, Petro cui ſuperius claves regni cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat, adverſus quam portæ inferi non valerēt, qui quæ in terris vel ſolviſſet, vel ligaſſet, ea in cœlis vel ſoluta perſiſterent, vel ligata.* Eum tamen graviter corripuit. *Tanta enim ei religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, ut Petrum primum Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni janitorem, & in terreno judicio judicem, cœli, ſatanæ cōvitio nuncuparet.* S.Ambroſius in pſalmum 40. S.Amb. *Ipſe eſt Petrus, cui dixit, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vbi Petrus, ibi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna. Et ideo addit & portæ inferi, &c.* Non dicit ubi Paulus, ibi Eccleſia. In cap. 24. Lucæ. *Oves paſcere jubetur perfectiores, ut perfectior gubernaret.* Sermone 11 de morabilibus, *Solam Eccleſiæ navem aſcendit Dominus in quâ Petrus Magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quæ navis in altum ſæculi iſtius ita natat, ut pereunte mundo, omnes quos ſuſcipit ſervet illæſos.* Id probat per figuram. *Sicut enim Noe Arca naufragante mundo, cunctos, quos ſuſceperat, incolumes reſervavit, ita & Petri Eccleſia conflagrante ſæculo, omnes quos amplectitur, reſervabit illæſos.* Non dicit Pauli, ſed Petri Eccleſia, & mox ait in ſolâ Petri naviculâ fidei ſacramenta recondi, & de eâ depromi dicens. *Hanc eandem naviculam Petri, de quâ nunc Dominus cœleſtis doctrinæ ſuæ ſacramenta depromit.* Sermone 47, de fide Petri vocat Petrum omnium *Firmamentum.* Subditque. *Pro ſoliditate devotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus Matthæi cap. 16. Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemque contineat, &c,* Plura ibi, & ſermone 68. in Natali SS. Petri & Pauli. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. Optatus Mil. *Cephas (inquit) appellatus eſt, in quo una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur.* Et infrà. *Ergò Cathedra unica, quæ eſt prima de dotibus, ſed & prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c.* Videndus etiam Epiphanius hæreſ. 51, in Ancorato circa medium, & Egeſippus lib. 3. de excidio Jeroſolymitano cap. 2. S. Hieronymus in cap. 2. epiſt ad Galatas, epiſt. 89. & lib. 2, contra Iovinianum. Quibus accinit Aurelius Prudentius in hymno S. Laurentii.

Hic nempè jam regnant duo
Apoſtolorum Principes,
Alter vocatur gentium,
Alter Cathedram poſſidens.
Primus recludit creditas
Æternitatis jannas, &c.

Idem introducit S. Hippolitum Martyrem canentem:

Vna fides vigeat priſco, quæ condita templo eſt,
Quam Paulus retinet, quamq; Cathedra Petri.

Quintum ſæculum abundat hujus V.
unici capitis propugnatoribus. Horū nonnullos audiamus. Noſter S.Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus (inquit Martyrologium Romanum die 27. Ianuarii,) Catholicæ fidei propugnator, doctrinâ & ſanctitate illuſtris, quem (inquit Menologium Græcum 9. Iunii) ſummus Pontifex Cœleſtinus idoneum judicavit, cui ſuas vices in Epheſino Concilio delegaret, ut Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum

Epiſcopum refutaret, prædicantem Chriſtum ex Mariâ, non etiam Deum natum (inquit Proſper Aquitanus in Chronico libr. de Trinitate, dialogo 4. explicans illa verba Chriſti

S Cyrill. Alex.

Matthæi cap. 16. *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Subdit. *Petram opinor, quaſi denominativè, nihil aliud quam inconcuſſam & firmiſſimam diſcipuli fidem appellans, ſuper quam etiam citra caſus periculum firmata eſt, ac fundata Chriſti Eccleſia, & ipſis inferorum portis perpetuò manet inexpugnabilis.*

Matt. c. 16.

Lib. 2. in Joannem ad illa verba. *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur petra:* ait, *Simonem eum non jam vocari patitur, eum ſibi pro ſuâ poteſtate, jam ut ſuum vendicans: ſed congruâ ſimilitudine Petrum à petrâ vocari placuit; putà ſuper quem fundaturus erat ſuam Eccleſiam.* Lib. 12. ad illa verba. *Stabat autem juxta crucem.* Joannis c. 19. verſ. 25. *Petrus ille ſanctorum Apoſtolorum princeps.* Et alibi S. Chryſoſtomus S. Pauli Encomiaſtes ait homiliâ 4. de laudibus S. Pauli.

Chryſoſ.

Paulus Archetypus bonorum; cui omnem prædicationem, res orbis, myſteria cuncta, univerſamq́; diſpenſationem Deus conceſſit. Ipſe cœlum ſolem habens juſtitiæ, ipſe mare ſapientiæ puriſſimum & profundiſſimum. Non vocat illum Eccleſiæ caput & columnam, ſed Petrum ut homiliâ 2. in pſalmum 50. *Columna illa Eccleſiæ, illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori caput Petrus.* Homiliâ 83. in Mathæum vocat. *Apoſtolorum verticem.* Homiliâ 77. in Joannem. *Os erat Apoſtolorum & princeps, & vertex ipſius cœtus, propterea & Paulus præter alios viſurus aſcendit.* Oratione Encomiaſticâ in SS. Petrum & Paulū. *Petrus Apoſtolorum dux, Petrus Orthodoxæ fidei principium, magnus atque illuſtris Eccleſiæ ſacerdos, &c. Dulce ſpectaculum eſt Eccleſiæ, ſplendor totius mundi, columba caſtiſſima, Apoſtolorū Doctor, Apoſtolus ardens, ſpiritu fervens, Angelus & homo, gratiâ plenus, firma fidei petra, ſenilis Eccleſiæ ſapientia, &c. Qui claves regni cœlorum ab ipſo Domino accepit.* Homiliâ 88. ad populum quæ eſt de Pœnitentiâ. *Ei per totum orbem terrarum Eccleſiæ præſidentiam tradidit, & quod majus eſt, illum nobis majorem omnibus Apoſtolis in Dominum habere charitatem oſtendit.* Similia habet homiliâ 6. adverſus Judæos, homiliâ 9. de pœnitentiâ, & alibi, maximè homiliâ in Sanctos Petrum & Eliam, ubi nuncupatur *Eccleſiæ columna ac propugnaculum, &c. Cui Eccleſia credenda erat, illa videlicet Eccleſiarum columna, portus fidei, Petrus orbis terrarum magiſter, &c.* S. Nilus Monachus Conſtantinopolitanus ejus diſcipulus epiſt. ad Magnum, nominat Petrum *Primatem Apoſtolorum.* Theodoretus in cap. 1. ad Galatas, loquens de Apoſtolo Paulo.

Theodoretus.

Cum humanâ doctrinâ non indigeret, ut qui ab univerſorum Deo eam accepiſſet, Apoſtolorum principi, ut par eſt, honorem tribuit. Et epiſt. ad Leonem. *Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus ad magnum Petrum accurrit, ut iis, qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebāt ab ipſo afferret ſolutionem.* Sozomenus lib. 4. hiſtor. cap. 14. *Liberius Eccleſiæ præeſt. Quod quidem ſine divina providentiâ factum eſt nè ſedes Petri à duobus Præſulibus gubernata, quæ eſt planè nota diſſidii, à ſacroſanctis Eccleſiæ legibus aliena, ullâ infamiæ notâ aſpergeretur.* S. Auguſtinus contra epiſtolas fundamenti cap. 14.

Auguſt.

In Eccleſia (inquit) *me tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.* Epiſt. 156. *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certius, & verò ſalubriter ab ipſo Petro numeraremus, cui totius Eccleſiæ figurā propter Apoſtolatus ſui primatum.* Tractatu 124. *Dominus ait ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, Petro enim ſucceſſit Linus.* Sermone 13. de verbis Domini dicitur. *Apoſtolatus principatum tenens.* Serm. 124. de tempore. *Credendæ erant Petro claves Eccleſiæ, imò creditæ ſunt ei claves regni cœlorū, &c. Totius corporis membrum & in ipſa vertice componit membrorum omnium ſanitatem, in ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento; in Petro ſcilicet illo, qui dixerat: Etiamſi oporteat me mori tecum non*

te ne-

te negabo, &c. Conſule eundem lib, 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas. Enarratione in pſalm. 13. & in pſalmum 108. In quæſtionibus novi teſtamenti quæſt. 75. ſerm. 5. de Sanctis, de Cathedrâ S. Petri, ſerm. 16. de eodē. ſerm. 26. de Sanctis, ſerm. 29. de Sanctis. Proſper Aquitanicus tum in aliis tum etiam in hoc ſequitur mentem Sancti Augnſtini in carminibus de ingratis agens de Pelagio act. 1. ſcribit:

S. Proſp.

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Romæ Petri, quæ paſtoralis honoris,
Facta caput mundi quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

Paulin. S. Paulinus Epiſcopus Nolanus Natali 4. S. Felicis:

Princeps ſuper agmine diſcipulorum Petrus.

S. Max. S. Maximus Epiſcopus Taurinenſis homiliâ 1. de Natali Petri & Pauli explicans illa verba Matthæi cap. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Subdit: *Hæc illi confeſſio dedit, ut ante claves regni cælorum acciperet, quam cæli januas introiret.* & homiliâ 3. *Quanti meriti apud Deum ſuum Petrus erat, ut ei poſt naviculæ parvæ remigium, totius Eccleſiæ gubernacula traderentur.* Infra *Quid de Petro referam, cujus tanta à Deo eſt approbata juſtitia, tantaque ei poteſtas attributa eſt judicandi, ut in arbitrio ejus poneretur cæleſte judicium. Perſpicite ergò & æſtimate quanto nobis ſit Petrus Apoſtolus honore reverendus, cujus ſententiam in terris prolatam ſempiterni judicis æquitas non repellit. Et ideò diligenter attendite, quæ ſit ejus gloriæ magnitudo, cui dum claves regni cōmittuntur æterni, Cælum illi claudere, & aperire permiſſum eſt.* Omitto Arnobium in pſal. 38. Caſſianum lib. 3. de Incarnatione cap, 12, S. Iſidorum Peluſiotam lib. 1. epiſt. 142. ad Ironem, & libr. 2. epiſt. 58. ad Schirionem epiſt. 96. ad Aphrodiſeum.

VI. Sexto ſœculo Arator Poeta, qui floruit ſub Iuſtiniano Imperatore à ſtrepitu aulæ ſœcularis in Eccleſiaſticam militiam aſcitus, & Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus ordinatus Vigilio Papæ canit:

Eccleſiā ſubeo dimiſsâ naufragus aulâ,
Perfida mundani deſero vela freti. Arator.
Transferor ad niveas Petri ſine turbine caulas
Et fruor optati jam ſtatione ſoli.

Lib. 1. Hiſtoriæ Apoſtolicæ.

Primus Apoſtolico parvâ de puppe vocatus
Petrus erat, &c.
—— Cui tradidit Agnus
Quas paſſus ſalvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget paſtore gregem, quo munere ſummus
Surgit, &c.

Infra.

Primus at ille Petrus quod figit in æquore greſſus,
Retia jam cupiens hominum vibrare ſaluti, &c.

De claudo ſanato ad portam Salomonis quæ dicitur Speciosa.

—Quis ſemper in orbe
Pacificus niſi Chriſtus erit? hic protegit omnem, (ſurgit
Qui Petro ductore placet, quo præſule
Agmine jam niveo per millia quinque virorum
Eccleſiæ creſcebat apex.

Poſt multa de poteſtate Petri.

—— Regit agmen utrumque
Petrus, & huic ductis ſorti, dat ſidera turmis,
Vt potuit per verba Dei, quod ſolveris (inquit) (ſolutum
Quodq; ligas terris ſic vinctum, ſive
Æthere perdurat, culta hæc, quæ cernimus arvis.
Ergo figura foret, firma eſt, quam nubilage ſtant,
Petrus utramque regens, &c.

Poſtea de curatione Æneæ. (vilis.
Pervigil excubiis cōmiſsi Petrus o-

De vaſe porrecto ita canit:

Claviger Æthereus cælum conſpexit apertum. Lib. 2.
— Quæ gloria rerum
Contulit ut Petro Paulum gerat ordo ſecundum.

In fine diſſerens de Martyrio Petri.

Petrus in Eccleſia ſacrato corpore princeps. Venant.

Venantius Honorius Epiſcopus Pictavienſis ſcribens Martino Epiſcopo Galliciæ de Romanâ Civitate per Petrum converſâ canit.

Vrbs

— *Vrbs Romula princeps*
Principis egregii vomere culta Petri,

Libr. 9. ad Chilpericum Regem & Fredegundem reginam.

Princeps clave Petrus, primus quoque
dogmate Paulus.

Libr. 3. vitæ S. Martini, *(regnat,*
Ac ſuper hac petrâ fundata Eccleſia
Quam nec flabra movent, neque ver-
tit turba procella,
Nec trahit undivagam pluvialibus
imber arenam.
Hæc quia viva tenet petra funda-
menta ſalutis,
Contra quam portæ inferni nunquam
arma tenebunt.

Elpis. Elpis uxor Boetii hymno quem canit Eccleſia, Petri & Pauli diſcrimen hoc verſu exprimit.

Ianitor cæli, Doctor orbis pariter.

Item.

Iambone Paſtor Petre clemens accipe
Vota precantûm, & peccati vincula
Reſolve tibi poteſtate traditâ
Quâ cunctis cœlû verbo claudis, aperis.
Doctor egregie Paule mores inſtrue,
Et mente polum nos transferre ſatage.

Vide Caſſiodorum libr. de amicitiâ cap. *Qualis diſcretione.*

VII. Septimo ſœculo Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, cùm propter incurſionem Saracenorum non poſſet venire Romam, ita affatur Stephanum Diœceſis Hieroſolymitanæ primum Epiſcopum. *De finibus ejus terræ ad terminos ejus ambula, donec ad Apoſtolicam ſedem, ubi orthodoxorũ dogmatum fundamenta exiſtunt, pervenias.* Clarius Adhelmus Schireburgenſis. epiſt. ad Geruntium. S. Iſidorus Hiſpalenſis libr. de vitâ & morte Sanctorum cap. 69. & lib. 2, de officiis Eccleſiaſticis cap. 5, Sophron.

VIII. Octavo ſœculo Venerabilis Beda hiſtoriæ Anglicanæ cap. 25. cùm Colmannus cum Clericis ſuis Scotis ex unâ, & alterâ parte contenderent. Beda *Walfridus* (inquit) *dixit, Si tu Colmanne, & ſocii tui audita decreta Sedis Apoſtolicæ, imò univerſalis Eccleſiæ, & hæc ſacris litteris confirmata, ſequi contemnitis, abſque ulla dubietate, peccatis. Etſi ſanctus erat columba veſter, imò & noſter & Chriſti erat, num præferri potuit Beatiſſimo Apoſtolorũ principi? cui Dominus ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Hæc perorante Walfrido. Beda. *Oſwi rex Saxonum,* ait: *An utrique veſtrûm in hoc conſentiunt, quod hæc principaliter Petro dicta, & ei claves Cælorum ſint datæ à Domino.* Reſponderunt: *Etiam utrique.* At ille ita cõcluſit. *Et ego vobis dico, quia hic eſt oſtiarius, cui ego contradicere nolo, ſed in quantum novi, vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire ſtatutis, nè fortè me adveniente ad fores regni cælorum, non ſit, qui reſeret, averſo illo, qui claves tenere probatur.* Cap. 29. Vitalianus ſic ſcribit Oſwi. *Oportet veſtram Celſitudinem, utpote membrum exiſtens Chriſti, in omnibus piam regulam ſequi perenniter principis Apoſtolorum.* Similia habet lib. de ſex ætatibus mundi in cap. 13. Ioannis, homiliâ de Vigiliâ SS. Petri & Pauli, homiliâ de eorum feſto in vitâ S. Euſtatii Abbatis. Paulus Diaconus lib 6. cap. 4 de geſtis Longobardorum *Cedoal dux Rex Anglorum, Saxonum ad Chriſtum conver-* Paulus Diacon. *ſus Romam properavit, ubi à Papa Sergio baptiſatus ad cælum tranſiit hoc Epitaphio tumulo inſcripto.*

Culmen, opes, ſobolem, pollentia reg-
na, triumphos
Armipotẽs Cedoal liquit amore Dei,
Vt Petrum, ſedemque Petri Rex cer-
neret hoſpes, (quas,
Cujus fonte ſacras ſumeret albus a-

Albinus, alias Alcuinus præceptor Alcuin. Caroli Magni lib. de divinis officiis. *Religionis cultum ſic Dominus inſtituit, ut in Beatiſſimo Apoſtolorum ſummo collocaret; atque ab ipſo, quaſi quodam capite dona ſua vellet in corpus omne manare. Vnde conſtat ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe, ſicut docet B. Pelagius, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundùm conſuetudinem non frequentant.* S. Ioannes Damaſcenus in oratione de Transfiguratione Domini, & in o- Ioannes ratione de Aſſumptione B Mariæ, & Damaſ. in hiſtoriâ Barlaam, ubi patenter vocatur Petrus *Diſcipulorum princeps, fidei petra, totius orbis Magiſter inſtitutus.* Germanus Conſtantinopolitanus in bibliothecâ Patrum ait: *Duodecim lapides Apoſtoli, Petra Apoſtolus Chri-*

ſti , Archicharra , ſeu Hierarcharum princeps.

IX. Nono ſœculo Ionas Aurelianenſis Epiſcopus Ludovici Imperatoris ad *Ionas Aurel.* Eugenium Pontificem Orator aſſerit Petrum eſſe Eminentiſſimum ſanctæ Eccleſiæ membrum, cui traditæ fuerunt claves regni cœlorum. De quo tomo 2. tractat. 4. cap 17. numer. 9. Ioannes Turpinus Rhemenſis Archiepiſcopus de vitâ Caroli Magni c.19. *Ioannes Turpin.* *Iure Roma ſedes Apoſtolica prima præponitur: quia eam princeps Apoſtolorum Petrus prædicatione & proprio ſanguine & ſepulturâ dedicavit.* Theodoretus Cœnobii Studienſis Conſtantinopoli Archimandrita in dogmaticâ de adoratione Sanctis exhibendâ, ait: *Theodor. Studita.* *Intelligo aſſervari Romæ clavem Petri Apoſtolici Senatus principis, honoris gratiâ, etiamſi claves nullas ſenſibiles dederit Dominus Petro. Tanta eſt eorum fides, ut & illic infracta videatur eſſe petra fidei, nimirum juxta verbum Domini fundata.* Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis epiſtolâ 6. ad Epiſcopos Diœceſis Rhemenſis, cap. 4. „Quia „(inquit) ſancta Romana Eccleſia, *Hincmarus.* „cui ſollicitudo omnium Eccleſiarũ „in Beato Petro principe Apoſtolorũ „eſt commiſſa, &c. Cap. 5. „Ex an„tiquâ conſuetudinis lege, à ſede A„poſtolicâ, cui ſollicitudo & prælatio „omnium Eccleſiarum in primatu eſt „ſancti Petri collata, &c. Cap. 25. „Primas Rhemorum provinciæ Apo„ſtolici Papæ judicio reſervari Beati „Petri Apoſtoli auctoritate cum ana„thematis interdictione præcipitur, „& nec alicui cujuſcumque juri vel „judicio ſubmitti permittitur excep„tâ poteſtate Sedis Romanæ Pontifi„cum. Epiſtola 8. „Sanctus Anacle„tus Papa ab ipſo Petro Apoſtolo „Præsbyter ordinatus poſtea in Sede „Romanâ ſucceſſor illius factus. Epiſt 9. ad Ioannem VIII. Pontificem Maximum cap. 25. „Quanta „Vicariis Beatiſſimi Petri Apoſtoli „judicabitur eſſe reverentia, ſi quæ „in Sacerdotio præcipiunt ea iiſdem „tranſeuntibus diſſolvantur. Idem ad Hadrianum II. „Quantùm ſcivi & „& potui ſemper Apoſtolicæ Sedis „privilegium extuli, &c. Hæc meæ „ſuggeſtionis humillimam ſubjectio„nem eâ benignitate ſuſcipite, quâ „primus Apoſtolorum non ſolùm ju„nioris ſui Apoſtoli redargutionem „pro ſimulatione ſuſcepit: verum & „juniorum ſuorum quæſtionem, cur „ad præputiatos intraverit, lenire cu„ravit. Expende illa verba. „Non „ſolùm junioris ſui Apoſtoli, &c. ſcilicet Pauli. Et ſupra ait: „Poteſta„tem à Chriſto ſancto Petro primo „Apoſtolorum, & in eo ſucceſſoribus „datam. Ado Viennenſis in chronico circa annum Domini 877. & Aimoinus lib. 5. cap. 37. Ferunt Ioannẽ *Ado* in Gallias profectũ apud Trecas Sy- *Vienn.* nodum celebraſſe Epiſcoporum, eiq; porrectum diploma in hæc verba: „Domine Sanctiſſime ac Reveren„diſſime Pater patrum Ioannes Ca„tholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, „ſanctæ videlicet Romanæ primæ ſe„dis Papa. Nos famuli ac diſcipuli „veſtræ auctoritatis Galliarum & „Belgicarum Epiſcopi his, quæ ſuper „vulnera dolorum veſtrorum malig„ni homines ac miniſtri diaboli ad„dentes, in ſanctam Matrem noſtrã, „ac magiſtram omnium Eccleſiarum „commiſerunt, compatimur, & do„lori veſtro conſentes condolemus, „atque judicium veſtræ auctoritatis „quod privilegio beati Petri & ſedis „Apoſtolicæ in eos, & complices eo„rum juxta ſacros canones Spiritu „Dei conditos, & totius mundi re„verentia conſecratos, ac ſecundùm „ejuſdem ſanctæ Romanæ Sedis Põ„tificum, prædeceſſorem veſtrorum „decreta protuliſtis voto, voce & u„nanimitate noſtrâ, atque auctorita„te ſancti Spiritus (cujus gratiâ) in „Epiſcopali ordine ſumus conſecra„ti, gladio Spiritus ſancti, quod eſt „verbum Dei, eos intermentes per„ſequimur. Vide Rabanum in cap. ultimum Ioannis, Haymonem Dom. 2. poſt Paſcha, Metaphraſtem in encomio ſancti Joannis Baptiſtæ, & in vitâ ſancti Jacobi Apoſtoli.

Decimo ſœculo Regino Abbas anno 864. X. *Stultitia denotandi, qui illam Petri ſedem aliquo pravo dogmate falle-* *Regino.* *re arbitrati ſunt, &c.* Non dicit illam Petri & Pauli ſedẽ. Anno 872. *Ioannes Papa*

Papa Imperatorem à juramento, quo ſe ob mortis periculum evadendum Adalgyſo tyranno obligaverat, auctoritate Dei & S. Petri abſolvit, Anno 896. *Arnulphus à Formoſo Apoſtolicæ Sedis Præſule ante confeſſionem S. Petri coronatus eſt.* Luitprandus Papienſis lib. 4. Hiſtoriæ cap. 3. *Petrus* (inquit) *dimiſſâ Antiochenâ Eccleſiâ ad Romanam urbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus imperabat, poſtmodum tranſvolavit, ubi cum diſponente Deo ſanctam toto orbe venerandam fundavit Eccleſiam.* Et lib. 6. cap. 8. nuncupat Petrum *Apoſtolorum principem.* Luitpr.

XI. Vndecimo ſæculo Berno in libro de rebus ad Miſſam ſpectantibus. *Cùm Romanorum* (inquit) *presbyteri ab Henrico Imperatore* (*ut in aliis Eccleſiis fiebat*) *ſymbolum non canerent. Me* (inquit Berno) *aſſiſtente audivi eos hujuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ullâ hæreſeos fæce infecta: ſed ſecundùm ſancti Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa, & ideò magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ullâ hæreſi potuerunt maculari.* S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus lib. de fermentato & azimo ad Waltrannum Naumburgenſem Epiſcopum, de quo dubitabat, nè Imperatori contra Romanum Pontificem faveret. *Si certus eſſem* (inquit) *prudentiam veſtram non favere ſucceſſori Iulii Cæſaris & Neronis, & Iuliani Apoſtatæ contra ſucceſſorem & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſſimè vos, & amiciſſimum & reverendum Epiſcopum ſalutarem.* Non minùs clarè ſuam de primatu Petri mentem aperit in cap. 1. epiſtol. ad Romanos. Theophilactus ad illa verba Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma frates tuos.* Subdit. *Quia te habeo diſcipulorum principem poſtquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es & fundamentũ.* Vocat Petrum principẽ, vocat poſt ſe Eccleſiæ petram & fundamentum. Et ad illa verba Ioannis cap. 21. verſ. 17. *Paſce oves meas*, ait, *ſuper multa conſtituit, nempè ſuper eos pro quibus ſanguinem ſuum fudit.* At quod Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, & ſpecialiter pro Paulo, Ipſemet Apoſtolus frequenter inſinuat in ſuis epiſtolis. S. Petrus Damianus ſerm. 26. ita exclamat: *O potens dignitas! Petri judicia confirmat omnipotens. Eſt in manu Petri manus altiſſimi: ſolus ille efficitur familiaris Chriſti, qui Petri familiaritatem habuerit.* Et iterùm. *Adeſt Petrus, & ad ejus arbitrium orbis univerſus ſolvitur & ligatur. Et præcedit Petri ſententia ſententiam Redemptoris, quia non quod Chriſtus, hoc ligat Petrus, ſed quod Petrus, hoc ligat Chriſtus.* Similia de Paulo vel alio Apoſtolo non pronunciat. Vide quæ ſcribit epiſt. 12. ad Nicolaũ Papam cap. 5. Quid Œcumenius ſentiat in cap. 1. Act. & in c. 1. ad Galatas.

Berno. Anſelm. Luc. 22. v. 32. Theoph. Ioann. cap. 21 v. 17. S. Petr. Damia.

XII. Duodecimum ſæculum plurimos propugnatores primatus Petri produxit. S. Bernardus epiſt. 237. ita Eugenium Papam affatur. *Locus, in quo ſtas terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus principis Apoſtolorum, locus illius quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ejus. Conſtitutus es ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, & ædifices & plantes.* Lib. 2. de conſideratione ad eundem Eugenium Papam cap 8. epiſt. 185. ad Conradum regem Romanorum, epiſt. 190. ad Innocentium Papam, & alibi vocat Papam Petri Vicarium; Petri ſucceſſorem, paſtorẽ ovium non illius vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut regni, ſed omniũ: vocat poteſtate Petrum, unctione Chriſtũ, &c. Vide tomum 2. cap. 17. num. 14. Rupertus lib 2. de officiis divinis cap. 22. vocat petram fundamenti Romanæ Eccleſiæ, lib. 3. cap. 10. ait *Petro primo poſt Chriſtum Eccleſiæ ſummum collatum Pontificium.* Lib. 2. in Jonam *Roma* (inquit) *eo quod principis Apoſtolorum Petri ſedes facta ſit.* Lib. 11. in Apocal. ad illa verba cap. 20. *Et vidi ſedes, &c.* ait. *Iſtæ ſedes Eccleſiaſticæ ſunt dignitates quibus datum eſt judiciũ ligandi & ſolvendi. Summum hujus judicii tribunal in Eccleſia paratum eſt Romana, Vbi ſedes Apoſtolica Beati Petri & nomine, & corpore fundata eſt, cui ſpeciã-*

Bernar. Rupert.

ſpecialiter dictum eſt, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorũ. Vide tomum 2. cap. 17. num. 12. Gotfridus Claræ vallenſis Monachus lib. 3. vitæ S. Bernardi fidem ſuam de Rom. Eccleſiâ profitetur his verbis.

Gotfrid Claræv. *Petrus Abailardus ſedem Apoſtolicam appellavit quando verò Petrus ille refugium inveniret in ſede Petri, tam longè diſſidens à fide Petri. Et ipſum ergò auctorem eâdem ſententiâ cum erroribus ſuis Apoſtolicus Præſul involvens, ſcripta incendio, ſcriptorem ſilentio condemnavit.*

Joannes Sarisb. Joannes Sarisberienſis natione Anglus in Policratico libr. 7. cap. 21. agens de hypocritis *Ad Eccleſiam* (inquit) *Romanam confugiunt, quæ mater pietatis religioni conſuevit providere quietem.* Et poſt. *Claves Eccleſiæ uſurpantes, aut ſurripientes Petro.*

Gratian. Gratianus diſtinct. 63. liberalitatem Ludovici Imperatoris his verbis refert. *Ego Ludovicus Imperator concedo tibi Beato Petro principi Apoſtolorum Vicario tuo Domino Paſchali, ſummo Pontifici, & ſucceſſoribus ejus, in perpetuum ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtrâ poteſtate tenuiſtis, Romanam civitatem, cum ducatu ſuo, ſeu cunctis civitatibus, oppidis, caſtellis, & villis in Tuſcia partibus.*

Petrus Lõbard. Petrus Lombardus lib. 4. ſentent. diſt. 24. *Petri Vicarius & ſucceſſor eſt Pontifex ſummus, unde dicitur Apoſtolicus & Papa.*

Martin. Polonus. Martinus Polonus anno Domini 1156. *Honorius Papa deſcendit in Aquileiam, ut eam, quia juris eſt beati Petri, tueretur à Comite Rogerio Siculo.*

Petr. Bl. Petrus Bleſenſis epiſt. 144. vocat Cæleſtinum Papam Petri ſucceſſorem. *Cùm ſitis Vicarius Crucifixi, ſucceſſor Petri, ſacerdos Chriſti, Chriſtus Domini, Deus etiam Pharaonis.* Vide alios tomo 2. tract. 4. cap. 17. ferè per totum.

XIII. Sæculo decimo tertio Gulielmus Pariſienſis tractat. de ſacramento Ordinis.

Guliel. Pariſ. *Papa* (inquit) *eſt ſucceſſor Petri quantum ad poteſtatem & dignitatem.*

Durand. Gulielmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus in rationali divinorum officiorum lib. 6. cap. 55. agens de cæremonia Roſæ aureæ Dom. 4. Quadrag. *Hujus floris bajulus eſt Romanus Pontifex, ſucceſſor utique Petri, & Vicarius IESV Chriſti.* Nicolaus de Lyrâ in cap. 6. Matthæi. *Poteſtate clavium data Petro intelligitur dari aliis licet Petro principalius, in quantùm erat aliorum capitaneus.* Et ad illa verba Lucæ c. 22. *Vt non deficiat fides tua, & tu converſus confirma fratres tuos. Ex hoc, inquit, patet fidem non deficere ad finem mundi potiſſimum in Eccleſiâ Romanâ, quæ à Petro poſt Chriſtum fundata eſt.*

Tractat. Pariſ. Tractatus Pariſiis editus contra errores Joannis de Monteſonio qui extat in fine libri ſentent. Petri Lombardi. „Præſentem tractatum ſub Apoſtolicæ ſedis Petri & ſedentis in eâ ſummi Pontificis correctione duximus compilandum. Et poſt. „Prima cõcluſio eſt. Ad ſanctam Sedem Apoſtolicam pertinet auctoritate judiciali ſupremâ, circa ea, quæ ſunt fidei judicialiter definire. Et hæc probatur, quia ad illius tanquam ad ſupremam judicis authoritatem pertinet in fide judicialiter finire, cujus fides nunquam deficit, ſed ſanctæ Apoſtolicæ ſedis fides nunquam deficit. Major eſt nota, ſed minor probatur, quia de hac ſanctâ Sede in perſonâ Petri Apoſtoli, in eâ præſidentis, dictum eſt, Petre rogavi pro te ut non deficiat fides tua.

Joannes Pariſ. Joannes de Pariſiis tractat. de poteſtate regiâ, & Papali cap. 3. „Manifeſtum eſt quod licet populi diſtinguantur per diverſas diœceſes & civitates, in quibus præſunt Epiſcopi diverſi in ſpiritualibus, tamen una eſt omnium fidelium Eccleſia, & unus populus Chriſtianus. Et ideò ſicut in qualibet Diœceſi eſt unus Epiſcopus, qui eſt caput Eccleſiæ in illo loco, vel populo: ita in totâ Eccleſiâ, & in toto populo Chriſtiano eſt unus ſummus Papa ſcilicet Romanus, Petri ſucceſſor, ut ſic Eccleſia militans per ſimilitudinem à triumphante derivetur ubi unus præſidet, qui præſidet toti univerſo.

Henric. Gand. Henricus Gandavenſis quodlibeto 6. quæſt 23. *In Eccleſia militante ſub Deo Chriſtus, ſecundum quod homo, caput eſt & monarcha. Hierarcha primus poſt Chriſtum Petrus erat, cui ambas claves tradidit & duos gladios commiſit, unde Papa habet utrumque gladium ſpiritualem & temporalem in auctori-*

auctoritate quadam prima & ſuperiore. Præſertim D. Thomas quem retuli tomo 2. tract. 4. cap. 17. num 16. item 2. 2. quæſt. 33. art. 4, & Sanctus Bonaventura.

XIV. Sœculo decimo-quarto Auguſtinus de Anchonâ edidit inſignem librum de poteſtate Eccleſiaſticâ quem dedicavit Joanni XXII. paſſim & præcipuè in ejus proëmio. *Error eſt*(inquit) *ut puto, pertinaci mente non credere Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ paſtorem, Petri ſucceſſorem, & Chriſti legitimum vicarium.* Cur non ait error eſt non credere Romanum Pontificē Petri & Pauli ſucceſſorem? quia ſolus Petrus ſedit Romæ, ſolus Petrus eſt caput Eccleſiæ, ut docet Durandus de S. Portiano lib. 4, ſentent. diſtinct. 24. quæſt. 5. *Poteſtas juriſdictionis, quæ eſt ad regendum populum, tota & in ſuo fonte data fuit ſoli Petro & ſucceſſoribus ejus Ioannis cap. 21. Paſce oves meas.* Plura ibi & præclara. Petrus de Palude diſtinct. 24, quæſt. 6. *Poteſtas jurisdictionis, quæ ad regendum populum tota & in ſuo fonte data fuit ſoli Petro & in eo ſucceſſoribus ejus, quando cura Eccleſiæ ſibi ſoli commiſſa fuit, dicente Domino Ioannis cap. 21. Paſce oves meas, hoc nulli aliorum Apoſtolorum dictum fuit, nec tunc, nec ante, nec poſt. Ergò talem poteſtatem plenam & perfectam habet ſolus ſucceſſor Petri, qui ab hoc Papa dicitur, quaſi Pater patrum.* Expende illa verba, *Nec tunc, nec ante, nec poſt.* Rudolphus de Saxoniâ Carthuſianus in vitâ Chriſti 2. part. cap. 1. *Petrus tanquam ſenior ac princeps & caput aliorum ſit os totius Collegii, præ omnibus, & pro omnibus præeſſe & prodeſſe debuit. Ex quo patet quod præcipuè ad Petri ſucceſſorem pertinet certificatio dubitationū de fide, & pertinentibus ad eandem.* Raynerus Piſanus 2. part. Pantheologiæ Verbo. *Ordinis*, ait, *ſupra poteſtatem Epiſcopalem debet eſſe in Eccleſiâ poteſtas papalis; primò quia cùm regimen Eccleſiæ ſit optimum, utpotè per eum diſpoſitum, per quem reges regnant. Pax autem & unitas ſit finis optimi regiminis, unitas regentis eſt convenientior cauſa unitatis in republicâ, quàm multitudo: ſecundò, quia in Triumphante Eccleſiâ, quæ Militantis exemplar eſt. Exod. cap. 25. Apocal. cap. 21. Unus præſidet Deus: Tertiò, quia unus paſtor Chriſtus principaliter ſoli Petro immediatè promiſit claves regni cœlorum, Matthæi cap. 16. &c.* Alvarus, Pelagius de planctu Eccleſiæ art. 68. Cardinalis Bertrandus tract. de origine & uſu juriſdict. quæſt. 2. & alii, quos retuli tomo 2. tractatu 4. cap. 17. numer. 18. Ex noſtris addo Guidonem Perpinanum Epiſcopum Elvenſem in ſumma de hæreſibus, primo errore Waldenſium. „Conſtat(inquit) quod „Dominus Petrum, & in Petro Petri ſucceſſores poſuit omnium fidelium caput, Lucæ c. 22. Rogavi pro te, „ut non deficiat fides tua. Tu autem „aliquando converſus confirma fratres tuos; ità quod in directione & „confirmatione fidei Petro, & Petri „ſucceſſoribus eſt ſtandum & obediendum: ſed quod Petri fides non „deficiet à Sede Apoſtolicâ, nec à „Romanâ Eccleſiâ, Chriſti ſponsâ, „quæ tota pulchra eſt, & labes hæreſis, ſeu macula non eſt in eâ. Item „nolentes obedire Romano Pontifi. „paſtori ovium Chriſti, cui in Petro „Dominus ait Joannis ultimo: Paſce „oves meas, deſinunt eſſe oves Chriſti, quia oves Chriſti vocem ejus libenter in doctrinâ fidei audiunt, „Joannis cap. 10. Et Chriſtus, cum „Petri ſucceſſoribus adeſt, per ſuam „gratiam eos dirigens, & confirmans „in fide, ut eorū doctrinâ & regimine „perſeveret Sedes Apoſt. & Rom. Eccleſia ſine rugâ aut maculâ hæreticæ „pravitatis. Noſter Thomas Waldenſis Doctor Pariſienſis tomo 1. Doctrinalis fidei lib. 2, art. 1. cap. 1. ingeniosè comparat Wicleffum duobus Herodibus, quorum alter infantes mactavit, alter Jacobum fratrem Domini. Ille ut Chriſtum de medio tollat, hic ut Petro dignitatem auferat, juxta Actorum cap. 12. verſ. 3 *Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit ut apprehenderet & Petrum.* Quibus ſubdit Waldenſis. *Rectè verò, ut ſicut primus Herodes tot occidit innocentes, ut tandem veniat ad Chriſtum; ita ſecundus Herodes Iacobum percutit, ut tandem Vicarium Chriſti proſcribat. Porrò jam tertius Herodes Wicleff omnem cœtū*

Marginalia: *Auguſt. de Anc.* — *Durand. de s. Por.* — *Rayner. Piſan.* — *Guido.* — *Thomas Walden.*

Paparum exterminat, ut tandem rectâ lineâ Petrum decollet, ſed quid intereſt ſi Petrum non decollet, qui eum rationē capitis habere non ſinit, ſed abnegat, & non Petrum ſolum, ſed totam iſtam decollat Eccleſiam. Sed ſicut ab eo id fruſtra tentatum fuiſſe probat, ita & Antonius de Dominis & alii in vanum contendunt formare Eccleſiam multicipitem quaſi hydram. art. 3. cap. 30. num. 4. Idem Doctor probat ex Clemente epiſt. ad Jacobum, Hieronymo libr. de geſtis Romanorum Pontificum, Damaſo lib. 1. non Paulum, ſed Petrum morti proximum exuiſſe ſe ſummi Pontificatus poteſtate. *Quã Clementem inſtituit, ad formam & ritū legitimi ſucceſſoris.* Cap. 31. per totum ait nullum dubium reſtare de immediatâ inſtitutione ſucceſſoris à Petro factâ. Cap. 32. oſtendit Wicleffum eſſe ſeditioſum, dum *contra Cathedram Petri & eminentiam ejus, quam ſucceſſoribus ſuis ſanctus Petrus inſtituit, ſcripturas, quas pervertit, inſtaurat probatque.* Ex ſancto Auguſtino ſcribente. *Nam ordinem ab Apoſtolo Petro cœptum, & uſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſervatum perturbant ordinem ſibi ſine origine vendicantes, hoc eſt corpus ſine capite profitentes. Vndè congruit etiam eorum ſedes cathedram peſtilentiæ appellare, &c.* Cap. 33. improbat Wicleffum affirmantem. *Hunc primatum non à Petro, ſed ex Conſtantino Cæſare derivari.* Itē cap. 34. aſtruit nullâ factâ mentione Pauli. *Poteſtatem quandam moderatiſſimæ caſtionis ad ceſſandum de vitiis, & corruptivis Eccleſiæ conceſſum beato Petro, & ejus ſucceſſoribus in Eccleſiâ IESV Chriſti, cum Matthæi cap. 16. Quidquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Vnde, qui concedunt beato Petro potentiam, ſolutionem, potentiam in grattis indulgendis, ſed negant illi diſtrictivam, in obdurationem retinendis criminibus, it dimidiant potentiam ſancti Petri, & Chriſti capitis invident largitati.* Cap. 35. refutat errorem Wicleffi dicentis, *Quod quiſquis Petro in officio, ſuccedat in merito, ita ut quiſquis Petri caruerit moribus, careat & poteſtate.* Cap. 37 demonſtrat quod exemplo Petri Apoſtoli meritò Romanus Pontifex Beatiſſimus nuncupetur. Cap. 41. refutat errorem Wicleffi dicentis locum Papalis ſedis à Petro electum non eſſe Romam, probatque quod *Petrus Romam accepit in ſortem omni ſpurcitiâ demonū, & idolorum catervâ ſordentem, &c. non ut illius tantùm: ſed magis orbis ſit Antiſtes. Sedeat Romæ placet, dummodò non ſolis Romanis præſideat, Anglicis relictis & Francis, ſi Romæ ſit, ibi eſt Epiſcopus, ubicumque ſit, Anglicis erit Papa.* Quod probat auctoritate ſancti Hieronymi. Cap. 48, appellantis Petrum primum Eccleſiæ Pontificem. *Sed interrogat quis, unde Romanæ Eccleſiæ tanta auctoritas? mihi videtur ex conceſſione Chriſti ad confeſſionem Petri primi ibi pontificis. Primus enim confeſſor fuit divinæ generationis, dicens: Tu es Chriſtus filius Dei vivi, Matthæi cap. 16. Et idcirco primus à Chriſto prærogativam auctoritatis accepit, ut ſuper fidem ejus præ aliis Apoſtolis fundaretur Eccleſia.* Infra docet auctoritate ſancti Cyrilli ob promiſſionem Petro factā Eccleſiam nullâ hæreſeos labe poſſe infici. Cyrillus, *Petro* (inquit) *dictum eſt, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Secundùm hanc Domini promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione & hæreticâ circumventione immaculata manet. Super omnes præpoſitos & Epiſcopos, & ſuper omnes primates Eccleſiarum & Apoſtolorum in ſuis Pontificibus, in fide pleniſſimâ, & auctoritate Petri.* Cap. 52. Bona Eccleſiæ vocat. *Res beati Petri.* Cap. 53. *Ianitori ſcilicet Petro, cui præcipuè tradidit claves regni cælorum, præcepit, ut vigilet, dicens Simon dormis.* Infrà: *Iudicavit expediens, ut ipſo* ſcilicet Chriſto, *ſic ſubſtracto ſubſtitueret Vicarium ſuum Petrum, qui corporali præſentiâ paſceret oves Chriſti, & confirmaret fratres ſuos.* Cap. 54. ait Eccleſiam Romanam figuratam in grano ſynapis. *Arbor* (inquit) *robuſta ex parvo grano proceſſit, Papatus ex Petro & Chriſto cultore crevit in ramos Patriarcharū, &c.* Infra ex Stephano Papâ. *Oportebat ut hæc ſacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia juxta quod à beato Petro & eius ſucceſſoribus inſtitutum eſt, ritè ordinaretur, & in Apoſtolatus culmen unus* Matt. c. 16.

de

de Cardinalibus presbyteris aut Diaconibus conſervaretur. Ex quibus infert Waldenſis. *Hoc è Sancti Petri & ſucceſſorum ejus inſtitutione manaſſe, quod ſi ita eſt, nec ſancto Petro defuerant Cardinales.* Idem tomo 2. cap. 18. citat S. Ambroſium dicentem: *Prior ſecutus eſt Andraas Salvatorem quam Petrus, & non tamen primatum accepit Andreas, ſed Petrus.* Quibus verbis ſubdit. *Hoc planè monſtrat eos ſcripturarum ignaros, qui tollunt inter Apoſtolos omnem primatum Petro, niſi forſitan vocationis, aut temporis, cùm conſtet Andræam Petro ſuo germano vocatione priorem, & tamen non primatum accepit Andreas, ſed Petrus, dicit Ambroſius Ergo velint, nolint, Petrus primitatem dignitatis accepit, nec tantùm virtutis primatum, ut dicit Wicleff, quia humilior, aut aliis ſervitioſior, quia ad probandum indubiè ipſi deficit fundamentum, cùm inter omnes Apoſtolos Andraas laudetur, ut ſummè mitis; Paulus ut ſummè laborioſus: & tamen ultra utrumq́ eſt Petrus primus.* Paulò poſt de gradibus & ordine Eccleſiaſtico *Ipſe hos gradus invenit, quando Petro primatum dedit ſuper Apoſtolos, & omnes Apoſtolos prætulit Timotheo, & Tito, & Apollo devotis Epiſcopis. Ipſisque jam factus Epiſcopis ſubjecit Lucam & Marcum, Stephanum, Nicolaum Philippum, & alios Diaconos comminiſtros.* Cap. 44, ex Hugone. *Petro principi Apoſtolorũ dicitur, tibi dabo claves regni cœlorum, &c.* Plura ibi, cap. 147 auctoritati S. Auguſtini ſubjicit. *Ecce reges & nationes famulantur Petro, & Chriſtus præpoſuit regibus piſcatorem.* Tomo 3. titulo 9. cap. 81. num. 7. *Cui, niſi Petro mandat paſcere oves? ſuper Petrum igitur ædificavit Eccleſiam.* Paulò poſt. *Ipſa ergò Eccleſia Petri Apoſtolica eſt, per totum orbem una, non numerata cum aliis, & una cum ſingulis.* Et cap. 137. in fine. *Ergo Petrus caput Apoſtolorum Eccleſia primitivorum. Caput ergò capitalis, nonnè dignè caput totius Eccleſiæ.* Et conſequenter poſtquam ex Auguſtino dixit. *primatum, ut acciperet inter Apoſtolos non ei obſtitit generatio filiorum.* Subjungit. *Si primatus, quid diſtet à capite, & altius quid inſinuet? utrumque tam primatum quam capita-*

neitatem in ſigno ſenſibilis verbi Chriſtus accepit. Etſi ſufficiat teſtimonium hujus Auctoris toto orbe celeberrimi qui hoc argumentum ex profeſſo agitavit, cujus etiam mentionem feci tomo 2. cap. 17, num. 18, tamen exiſtimavi non omittendum Joannem Bacconium etiam ex Sixto Senenſi lib 4. bibliothecæ ſanctæ Theologorum ſui temporis principem. Hic in 4. ſentent. quæſt. 10. art. 1. prologi impugnans errorem Græcorum aſſerentium Papam non plus habere poteſtatis quàm Patriarchas, & Marſilii *Joannes* ac Joannis de Gandavo docentium, *Bacc.* quod Beatus Petrus nec plus fuerit caput Eccleſiæ, quàm quilibet aliorum Apoſtolorum, ait hoc dogma condamnatum fuiſſe tanquam hæreticum per Joannem XXII. in Conſt. t. quæ incipit. „ Licet ſecundum Apoſtolum. Et addit. „ Vbi contra Hæreticos Marſilium de Paduâ & Joannem de Gandavo oſtendit Petrum „ eſſe verum caput omnium, caput „ Chriſti ſingulare. Quod probat. „ Quia in ſingulari dicitur Matthæi *Matt. c.* „ cap. 16. Tu es Petrus & ſuper hanc *16.* „ petram ædificabo Eccleſiam, &c. „ Joannis cap. 21. Singulariter dici- *Ioan. c.* „ tur: Paſce agnos meos. Et iterùm *20.* „ Ioannis cap. 1. Tu vocaberis Cephas quod interpretatur caput. Et „ iterùm Matthæi cap 16 dicitur: Tibi dabo claves regni cœlorum, &c. „ & omnia quæ ſequuntur in ſingulari. Et Lucæ cap. 5. dicitur Petro: „ Duc in altum, & dixit aliis qui cum „ eo erant: Laxate retia veſtra in capturam. Ex his manif. ſtat Papa, quod „ Petrus fuit Vicarius & caput omnium, ſic cui commiſſa eſt poteſtas „ in ſpeciali & ſingulari cum clauſulâ „ generali ſubſequente habet plenam „ commiſſionem Vicarialem, tanquã „ caput omnium, quibus ſolùm committitur in generali. Petro facta eſt „ commiſſio ſpecialiter & ſingulariter cum clauſulâ: Quodcumque ligaveris, &c. & aliis Apoſtolis ſolùm in generali cùm dicitur: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c. Et poſtmo ſũ „ Petro in ſingulari dicit: Paſce agnos „ meos, &c. Infrà. „ Licet omnes

„ eſſent

„ eſſent Apoſtoli. Petro tamen conceſſum eſt à Domino, & idipſum inter ſe Apoſtoli voluerunt, ut reliquis omnibus præeſſet, & Cephas & caput principatum teneret Apoſtolatus. Et Apoſtoli hanc formam in ſuis ſucceſſoribus, & reliquis Epiſcopis tenendam tradiderant, &c. Art. 2. arg. 2. „ In ſingulari ſuper Petrum, tanquam ſuper ejus Vicarium „ ædificavit Chriſtus Eccleſiam ſuam. „ Secundò in ſingulari adjecit, quod „ portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Tertiò in ſingulari illi „ dedit claves regni cœlorum. Quartò in ſingulari generalem clauſulam „ appoſuit: Quodcumque ligaveris, „ &c. Matthæi cap. 16. Sed quando in „ commiſſione poſt clauſulas ſpeciales ſubſequitur clauſula generalis, „ commiſſario plena poteſtas eſt generaliter conceſſa: maximè ſi concedens jus habet tollendi legem, „ vel condendi, ad hoc in 6. de reſcriptis licet canon ſecundùm Guidonē. Infrà. „ In ſingulari dicitur Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni „ ſimul & cæleſtis imperii jura cōmiſit. Idem docet art. 4. & quæſt 11. & lib. 4. diſt. 17. art. 1. per totum, diſt. 24. art. 2. Quibus accinit noſter Ioannes Mantuanus in opere de ſacris diebus in menſe Iunio.

Mantuanus.

Nomen erat Petro Simon ab origine, ſed cum [illegible] *(ſicando*
Vellet eum Deus eſſe baſim templo ædi-
Fecit ei ſolidæ nomē de nomine petræ
Poſteritas, quia rector erat clavemq́ tenebat
Appellare Cepham voluit.

Et ad Iulium II. Pontificem maximū.

Non Italæ ſolum gentes, ſed tota per orbem (ſolvit.
Sparſa tibi, æternas grates Eccleſia
Nam poſtquam in Petri ſolium te Roma levavit,
In decus antiquum, majeſtatemque vetuſtam
Publica res Chriſti tandem renovata, tyrannis (ctis.
Reſpirare poteſt, & ducere gaudia vi-

XV. Sæculum decimum quintum produxit inſignes Petri unici capitis Eccleſiæ defenſores. Patriarcha Venetus S. Laurentius Iuſtinianus lib. de obedientiâ cap. 12. *Redemptor noſter poſt aſcenſionem ſuam principem in terra vicem ſuam gerentem voluit habere in Eccleſia, ad quem univerſi confluerent, ut ad patrem, apud quem totius Eccleſiæ eſſet auctoritas. Hujus Apoſtolicæ Sedis arcem, hujuſq́; Eccleſiæ Catholicæ Monarchiam Petrus primus accepit Matthæi cap. 16. Hanc poteſtatem ſortiti ſunt quotquot poſt illum canonicè in ipsâ Cathedrâ reſederunt, qui reſpectu cæterorum ſummi ſunt nominati, &c.* Ioannes de Turrecrematâ Cardinalis in ſummâ de Eccleſia lib. 3. cap. 28. *Romano Pontifici cura totius Eccleſiæ commiſſa eſt, & non alteri perſonæ, aut congregationi, cùm dictum ſit ſoli Petro pro ſe & ſuis ſucceſſoribus Petre paſce oves meas, Ioannis cap. 21.* Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus in Theoremate 13. *Ad Romanam Eccleſiam caput & magiſtram Eccleſiarum mentis acies dirigenda eſt, atque huic ipſi Eccleſiæ, hoc eſt Apoſtolicæ ſedi Petri Chriſti Vicarii, Sanctiſſimi viri adhæſerunt ſemper, & dictis ſcriptiſque faverunt. apud Areopagitam obſervavimus Petrum Apoſtolum, cui ſuccedunt Romani Pontifices ſupremum diſcipulorum fuiſſe.* S. Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 13. *Cùm ſecundùm Catholicam fidem Romana Eccleſia ſit Mater omnium Eccleſiarum & Magiſtra, & Petro, & ſucceſſoribus ejus canonicè intrantibus in ſedem omnes Chriſticolæ Imperatores, Reges, & alii Principes, & Domini temporales, necnon Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi, ac Religioſi cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant; ſint Pontifici Romano ſubjecti; ut ſucceſſori Petri & Vicario IESV Chriſti, & omnes teneantur ei obedire. Quam auctoritatem & poteſtatem non accepit Petrus, & quilibet ſucceſſor ejus ab homine: ſed à Deo IESV Chriſto promittente: Tibi dabo claves regni cælorum, Matthæi cap. 16. Et poſt reſurrectionem exhibente cùm ait ter; paſce oves meas.* Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis tract. de appellat. *Conſtat, quod Petrus erat ſummus Pontifex.* Infrà. *Ex quibus patet quod ſummus Pontifex ſuccedit in Apoſtolatu.* Idem in quodam ſermone de Circumciſione, ait Petrum fuiſſe Papam, Paulum verò Cardinalem

S. Laur. Iuſtin. *Ioan. de Turrecr.* *Pic. Mirandul.* *Antonin.* *Ioannes Gerſon.*

Dionyſ. Carthuſ.

dinalem. Dionyſius Carthuſianus in Lucam art. 48. *Chriſtus oravit pro Petro, ut non deficeret fides ſua; quoniam Petro ſpecialiter fuit Eccleſia committenda, &c.* Nicolaus de Cuſa epiſt. 2. ad Bohemos de uſu communionis.

Nicol. de Cuſa.

Si ſcire vis, an in Eccleſia exiſtas, hac veſtiges ratione, ſi Cathedræ Romanæ pontificis adhæreas, quæ per continuas ſucceſſiones bonorum, malorumque in Petrum principem continuatur. Credendum eſt hanc ſedem ſacratiſſimam, quoad locum etiam inexterminabilem. Et tamen ſi caſu Roma deficeret, ibi veritas Eccleſiæ remanebit, ubi erit principatus, & Petri ſedes modo prædicto. Joannes Randens tractat. de formulis diſpenſationum

Joannes Rand.

Papa tenet locum beati Petri & eſt Vicarius IESV-Chriſti. Joannes Nauclerus in volumine 2. generat. 21 *Petrus Apoſtolorũ princeps ſucceſſoribus ſuis Romanis claves regni cœlorũ à Deo ſibi conceſſas reliquit.* Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in cap. 16. Matthæi quæſt. 68. in cap. 18. quæſt. 68, & alii alias à nobis citati, & infrà citandi idem aſſerunt.

XVI. Sœculum decimum-ſextum innumeros edidit propugnatores ſolius & unici inter Apoſtolos Eccleſiæ capitis Cardinalem Cajetanum, Cardinalem Baronium, Cardinalem Hoſium Hieronymũ Seripandum qui in epiſt. Pauli ad Galatas refutat. 14. hujus accipe mentem. *Tu es Simon* (inquit) *Chriſtus Ioannis cap. 1. Tu vocaberis Cephas.*

Hieron. Seripan.

Cephas autem auctore Ioanne eſt Græcè πέτρος quæ Græca dictio Latinè petram & ſaxum omnibus ſignificat. Quâ quidem voce & appellatione cum eodem Simone alium longo poſt intervallo ſermonem habens, hanc ipſam metaphoram petræ ſecutus, uſus es; Tu es Petrus (inquit) *ideòque rectè intulit, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & hac brevi oratione tria potiſſimum ſunt, quæ Chriſti mentem atque ſententiam palam & apertè demonſtrent. Primum eſt cognomentum ipſum, & novum nomen Petri Simoni inditum, quod petram ſonat. Alterum quod quam petram intelligit; quaſi digito oſtendens, ſuper hanc* (inquit) *petram cum quâ loquor, ideſt, ſuper te ipſum ô Simon, quem petræ cognomento cohoneſtans, ad ſoliditatem & firmitudinem tuam oſtendendã. Tertium eſt verbum ædificabo, quod & metaphoram explet, & Chriſti conſilium atque animum omnibus aperit, planèque ſub aſpectum ponit.* Joannes Roſſenſis Epiſcopus, Gulielmus Lindanus Ruremundis Epiſcopus in Panopliâ lib. 4. c. 83.

Lindan.

Cum (inquit hic) *D. Petrus Apoſtolus Rom. Eccleſiæ Epiſcopus Romæ 25. annis* (*ait Hieronymus in Catalogo*) *Cathedram ſacerdotalem tenuerit, fieri non poteſt, quin Epiſcopus illi mortuo ſuccedens in eadem Cathedra ſacerdotali in iis prorſus ſuccedat privilegiis, atque prærogativis, &c.* Honuphrius, Thomas Stapletonus, Nicolaus Sanderus, Thomas Elyſius, Gryſaldus, Dominicus Bannez, Driedo, Dominicus Soto, Azorius, Franciſcus Turrianus, Petrus Caniſius, Laurentius Arturus, Michael de Medina, hic de ſacrorum hominum continentia lib. 5. cap. 43.

Medi.

Conſtat Chriſtum quendam principatum inſtituiſſe, cui omnes parerent. Hunc autem principatum, non paucorum, aut multorum, ſed unius dumtaxat, qui ſuo loco Eccleſiæ præſideret, fuiſſe Catholici omnes planè confitemur. Reliquit eum Petrum, ac ejus ſucceſſores Romanos Põtifices Regiæ cujuſdam ac Pontificalis poteſtatis hæredes. Expende illa verba, *Non paucorum aut multorum, ſed unius dumtaxat,* ſcilicet Petri. Cui arridet Marianus Victorius lib. de Confeſſionis ſacramento, quem Pio IV. Põtifici Maximo dedicavit, ubi aſſerit.

Marian. Victori.

Divinam & ab ipſo Chriſto ad nos uſque manantem doctrinam eſſe quâ hodie Romana Eccleſia utitur, quâque ſemper uſa eſt, cum ei in Petro promiſſum fuerit defuturam nunquam eſſe illius fidem, nec portas inferi adverſus eam prævalituras, ſed ab eâ potius veluti omnium Matrè cæteras in fide confirmandas fore Eccleſias.

XVII. Quoad ſœculum decimum-ſeptimum innumeros ſui ac unici principatus propugnatores S. Petrus habuit Cardinalem Bellarminum, Nicolaum Coeffeteau Epiſcopum, Andræam Duvallium, Franciſcum Suarez, Hectorem Pintum in Ezechielẽ cap. 36. & 44. & alios tam ſcripturæ, quam Divi Thomæ Interpretes, ac poteſtatis Eccleſiaſticæ Defenſores quos retuli

tomo 2, tract. 4. cap. 17. num. 21. præſertim noſtrum P. Joannem Baptiſtam Lezana in conſulto de ſingulariſſimo Divi Petri primatu; Ludovicum Abelly libro Gallico Pariſiis impreſſo 1654. *De l'obeiſſance & ſoubsmiſſion qui eſt deuë à noſtre S. Pere le Pape en ce qui regarde les choſes de la Foy*: quem dedicat S. Petro hoc titulo. *Au tres heureux Prince des Apoſtres Saint Pierre, premier Vicaire de IESV S-Chriſt, & premier Paſteur ſouverain eſtably par ſon auctorité ſur toute l'Egliſe.* Paſſim in illâ epiſtolâ, & in toto opere. Denique Facultatem Pariſienſem, quæ damnavit Marcum Antonium de Dominis lib. 1. de Republicâ Eccleſiaſticâ cap. 2. num. 18. & lib. 4. cap. 6. dicentem quod *Petrus non habuit quidquam peculiare, in quo ei dari debeat magis quàm cæteris ſucceſſio & diſparitas poteſtatis inter Apoſtolos eſt humanum inventum.* Declaravitque hanc doctrinam eſſe ſchiſmaticam, ſcandaloſam, blaſphemam, & hæreticam. Quod ſit ſchiſmatica, ſeu hierarchici ordinis perturbativa etiã docuit Andræas Molfeſius in ſummâ tom. 1. tractat. 11. cap. 2. num. 62, Ludovicus à Paramo de origine ſacræ Inquiſitionis lib. 4. quæſt. 3. num. 111. Simancas cath. inſtit. tit. 54. num. 14. Ricciulius de jure perſonarum extra Eccleſiæ gremium lib. 5. cap. 8. num. 18, Carena de officio S. Inquiſit. part. 2. tit. 16. § 3. num. 9. Ratio eſt quia hæc capitis Eccleſiaſtici duplicitas introducit diviſionem in Eccleſiâ. Quod ſit ſcandaloſa docent Suarez de fide diſput. 10. ſect. 2. num. 19, Molfeſius ſupra num. 60. Ricciulius num. 14, Lezana num. 2. Ratio eſt, quia præbet fidelibus occaſionem errandi in materiâ gravi doctrinæ, & exiſtimandi poſſe dari ſimul duos Romanos Pontifices, vel duo Eccleſiæ capita. Eſſe blaſphemam aſſerit Matthæus Caryophylon Archiepiſcopus Iconienſis in refutatione pſeudochriſtianæ Cathec. editæ Græco idiomate à Zachariâ Gargano blaſphem. 35. Quamvis enim apud Patres & Theologos blaſphema ordinariè ſumatur dumtaxat pro contumeliâ in Deum, qui eſt ſummæ excellentiæ & dignitatis, tamen latè ſumitur pro convitio & maledicto in perſonam alicujus dignitatis & excellentiæ, ut patet ex Apoſtolo 1. Corinth. cap. 4. verſ. 13. *Blaſphemamur & obſecramus.* ideſt (inquit Cornelius) probris afficimur, vocamur magi & malefici. Et ad Titum cap. 3. verſ. 2. *Admone illos neminem blaſphemare.* ideſt conviciari. Cùm igitur hæc doctrina Antonii & aliorum ſit convitioſa & deroget honori & dignitati capitis, ratione cujus præeſt Paulo & cæteris Apoſtolis. Secundùm Leſſium lib. de juſtitiâ & jure, libr. 2. cap. 45. dubio 5. num 23. Navarrum & Lezanam ſupra num. 4. blaſphema cenſeri poteſt cùm injuria in ſanctum illum Apoſtolum redundet in Deum. Quod Facultas Theologica Pariſienſis meritò hæreticam exiſtimet cum Soto in 4. diſtinct. 24 quæſt. 2. artic. 5. Bannez 2. 2. quæſt. 2. art. 10. dub. 4. concluſ. 1. Clario Paulo Gryſaldo in deciſ. fidei Cath. verbo *Petrus.* Azorio part. 2. lib. 4. cap. 12, Gloſsâ can. *Sin autem*, 7. quæſt. 1. Gerſone. Ratio eſt, licet enim non loquatur de Petro & Paulo tamen hæretica eſt, quia pugnat cum jure Divino, inſtitutione Chriſti, & deſtruit regimen Monarchicum Eccleſiæ.

1. Corin. 4. v. 13.

Tit. c. 3. v. 2.

§. 4.

Teſtimonium Principum.

I. NOn ſolùm Eliam, & ſucceſſorem ejus Eliſeum nomine Patris compellarunt: ſed etiam ipſe Rex Joas lib. 4, Regum cap. 13. verſ. 14. *Pater mi, Pater mi currus Iſrael, & auriga ejus*, Sic non tantùm Patres & Prælati, Scriptores Eccleſiaſtici aſſerunt Petrum eſſe Apoſtolum & Apoſtolorum principem, ac totius Eccleſiæ patrem & caput; ſed etiam Principes & eorum oratores, Valentinianus Imperator ante Synodum Chalcedonenſem ſcribens Theodoſio Auguſto. *Fidem (inquit) à noſtris majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Petro Apoſtolo intemeratam noſtris temporibus conſervare.* Carolus Magnus apud

l. 4. reg. cap. 14. v. 14.

apud Gratianum diſtinct. 19. *In memoriam* (inquit) *Beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam Eccleſiam & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis Eccleſiaſticæ debeat eſſe magiſtra rationis.* Et in opere ſub nomine Caroli Magni edito contra Synodum in partibus Græciæ habitam ſub ficto titulo Eli-Phili lib. 1. cap. 6. Primatum Petri ita commendat. *Sicut cæteris diſcipulis Apoſtoli & Apoſtolis omnibus Petrus eminet: ita nimirum cæteris ſedibus Apoſtolica, & Apoſtolicis Romana eminere dignoſcitur. Hæc enim nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed ipſius Domini auctoritate primatum tenet, dicentis: Tu es Petrus &c.* Infrà. *Non ſolùm omnium Galliarũ provinciæ, & Germaniæ, ſive Italiæ, ſed etiam Saxones, & quædam aquilonaris plagæ gentes Deo annuente ad Beatæ fidei rudimenta converſæ Beati Petri ſedem in omnibus ſequi curant.* Idem afferit Joannes Turpinus Archiepiſcopus Rhemenſis in vitâ Caroli Magni cap. 19.

Carolus Mag.

Ludovicus Pius Imperator apud Gratianum diſtinct. 63. *Ego* (inquit) *Ludovicus Imperator concedo tibi Beato Petro Principi Apoſtolorum, Vicario tuo Paſchali, ſummo Pontifici & ſucceſſoribus ejus in perpetuum ſicut à prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtrâ poteſtate & ditione tenuiſtis Romanam civitatem &c.* Ottho (teſte Luitprando) *Leo* (inquit) *Venerabilis in ſede B. Petri Apoſtolorũ principis nunc Vicarius.* Lotharius apud Rheginonem anno Domini 868. Hadriano II. Papæ ſcribens, *Quia Deus omnipotens* (inquit) *princeps paſtorum in illa ſancta Sede veſtri Pontificatus apicem ſublimavit veſtrum multipliciter deſideramus conſpectum, ad hæc ſupradictus Papa reſcripſit ſedem ſancti Petri ſemper paratam eſſe dignam ſatisfactionem ſuſcipere, &c.* Idem Rhegino anno Domini 872. narrat, quod *Ioannes Papa Imperatorẽ Baſilium à juramento, quo ſe ob mortis periculum evadendum Adalgyſo tyranno obligaverat auctoritate Dei, & ſancti Petri abſolvit.*

Ludouicus Pius

Lothar.

Ludovicus XI. Rex Franciæ Turonis degens anno 1561. in hæc verba ſcribit Romano Pontifici. *Beatiſſimo Patri noſtro Pio Papæ II, obedientiam filialem. Te Vicarium Dei viventis eâ veneratione ut ſacra, præſertim in Eccleſiaſticis rebus tua monita, veluti vocem paſtoris audire, illiſque parere volumus. Te principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem ſacrorum, Te Dominici gregis paſtorem profitemur & ſcimus, teque jubentem ſequimur, tibi & Beatiſſimi Petri Cathedræ conſentimus, & jungimur, &c.*

Ludouicus Rex Franc.

II. Rodericus lib. 5. rerum Hiſpanicarum cap. 16. & 17. ait quod. *Cùm Rex Alphonſus duos præsbyteros ad Ioannem Papam deſtinaſſet, iis reſcripſit in ſui rex. hæc verba. In curâ totius Chriſtianitatis Beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſores Eccleſiam Oventenſem veſtro conſenſu & aſſiduâ petitione Metropolitanam conſtituimus, cui omnes vos ſubditos eſſe mandamus, &c.*

Alphonſus rex.

III. Quoad ſanctum Regem Hungariæ Antonius Bonfinus, qui res Hungaricas litteris mandavit, id ſpeciale recenſet. *Stephanus cùm bello contra Cupam pro fide Catholicâ inito victor evaſiſſet, Aſtricum virum ſanctitate conſpicuum Romam ad ſummum Pontificem mittendum eſſe cenſuit, mandata dat ut à Chriſti Vicario in Vngaros, qui ejus fidem nuper iniverint Apoſtolicam benedictionem imploret, & inter oves Chriſti annumeret, &c.*

S. Stephanus Rex.

VI. Sancti Regis Anglorum Eduardi epiſtolam ad Nicolaum Papam ita refert Alredus in ejus vitâ. *Summo univerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus gratiâ Dei Anglorum Rex debitam & ſubjectionem & obedientiam. Glorificamus Deum, quia curam habet ſuæ electæ Eccleſiæ, quoniam in loco boni prædeceſſoris vos optimum ſucceſſorem conſtituit: quapropter juſtum judicamus, quod vos velut ad ſolidam petram acuere & probare omnes bonas actiones noſtras, & veſtram notitiam, atque ſocietatem in bono habere, quatenus eas donationes & privilegia, quæ obtinuimus apud prædeceſſorem veſtrum renovetis & augeatis nobis, videlicet, ut quod illi injunxerant nobis ſub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ propter votum quod voveram ire Romam, & in remiſſionem peccatorum meorum conſtituere Cœnobium Monachorum in honore Apoſtoli Petri, ratum faciatis, privilegia poſſeſſionum & dignitatum ejuſdem loci confirmetis,*

S. Eduar. Rex.

renovetis & decernatis. Solius Apoſtoli Petri facit mentionem, quia Eccleſiæ caput eſt, & ſedē Romanam illius ſolius ſedem eſſe exiſtimat inſtar Cedoaldi prædeceſſoris, de quo Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. 6. cap. 4, ait quod ad fidem converſus, ad ſedem Petri acceſsit, ibique piè occubuit, ut canit ejus Epitaphium.

V. *Miesco-ne.* *Vt Petrum, Sedemque Petri Rex cerneret hoſpes.*

De Mieſcone ait Staniſlaus Orichonius Roxolanus in Chimæra. *Admonitu piorum virorum quorundam Mieſcone Monarcha: Cùm audiviſſemus eſſe civitatem quandam Dei, cujus Antiſtes eſſet Romanus Petrus, penes quem auctoritas eſſet ſumma, ex ſervitute diaboli in libertatem Chriſti homines vindicandi, ab hoc ipſo iſtius civitatis antiſtite Mieſcone Monarcha opem adverſus diaboli vim imploravimus. Itaque Ioannes XIII. Vicarius IESV-Chriſti, Simonis autem Petri ſucceſſor exoratus à Monarchâ, ſenatu ac populo doctiſsimos viros Italos Wilibaldum, &c. ad nos Wandalos ac Lechitas doctúm miſit, qui & Mieſconem Monarcham & genus noſtrum illi ſubjectum ſacri baptiſmatis undis ab originali culpâ abluerent.*

VI. *Albertus Carpor. princeps.* Albertus Pius Carporum Princeps in reſponſione ad primam Eraſmi epiſtolam. *Cùm Eccleſia Chriſtum in terris habuerit Pontificem, jamque intraverit in ipſum cœlum, ubi militans Eccleſia non eſt conſtituta, quæ proprio & terreno miniſtro indiget, convincitur quod & terras relinquens alium ſibi in terris ſubſtituerit, qui pontificia munera loco illius in Eccleſia perageret. Hunc autem fuiſſe Petrum ſacræ litteræ atteſtantur Matthæi cap. 16. & Ioannis cap. 21, His igitur verbis paſce oves meas. Sacerdotes tùm Græci tùm Latini Petrum teſtantur Apoſtolorum principem, ſummumque præſulem fuiſſe conſtitutum. Hoc receptum eſt ab univerſo orbe Chriſtiano, hoc decretis publicis definitum & declaratum & ſine controverſia retentum. A quo ſcopo, & certiſsimâ regulâ quotquot delineaverunt in errores inexplicabiles prolapſi ſunt. Itaque præclariſſimæ nationes & populi perſiſtentes in antiquâ & ſolidâ pietate fidei Epiſcopum Romanum agnoſcunt Pontificem Maximum, & tanquam Chriſti vicarium, Petrique ſucceſſorem (ut par eſt) reverentur, ejusque decretis obtemperant, quod omnes Catholici ſemper fecerunt.* Aliquorum Principum Legatos proferamus.

§. 5.

Teſtimonium Legatorum.

I. *Orator. Galliæ.* Petrus Daneſius Legatus Franciſci Regis Francorū in oratione, quam ad Synodum Tridentinā „ habuit. Cùm Franci (inquit) Rom. „ Eccleſiam, cui ille Apoſtolorum „ Princeps præſediſſet Petrus, orbis „ terrarum Princeps principatū ſem„ per obtinuiſſe, ejuſque Epiſcopum „ capitis loco reliquis magno con„ ſenſu Epiſcopis habitum fuiſſe didi„ ciſſem, piè hoc quoque ac præclarè „ fecerunt, ut qui Eccleſiam aut Epiſ„ copum præcipuè ſibi colendos pro„ poſuiſſent, utriuſque & opes opibus „ ſuis augerent: & cùm res poſceret, „ pericula periculis, item ſuis propul„ ſarent. Infra „ Ab his profectus ma„ joribus Chriſtianiſsimus Rex Fran„ ciſcus, cùm animadverteret quan„ tam ſemper vim habuiſſet ad res cō„ tinendas eſſe unum in Eccleſiâ Ro„ manum Epiſcopum, ut potè Petri „ ſucceſſorem, reliquorum & digni„ tate & auctoritate principem, ad „ quem cœteri, ut ad caput referren„ tur, quâ maximè re noſtrâ hæc in „ terris militans Eccleſia, illius in cæ„ lo triumphantis effigies quædam ag„ noſcerent, non minori curâ ac ſtu„ dio providit, nè quâ inde ſeceſsio „ defectiove ullam ob cauſam acci„ deret. Eorundem Gallorū rex Carolus ad idem Concilium Tridentinū miſit Guidonem Fabrum, qui ſuâ oratione Patres Concilii affatus, teſtatus eſt Petrum eſſe unicum ac legitimum Petri ſucceſſorem. Raynaldus Fererius ejuſdem regni Orator oratione ad idem Concilium habitâ: *Vos* (inquit) *Itali, vos Hiſpani Patres appello, periculum ex aliis facite vobis, quod ex uſu fiet, cujus magis interſit*

hanc

hanc veram & ſeriam diſciplinæ Eccleſiaſticæ emendationem fieri, quam Romani Epiſcopi Pontificis Maximi ſummi Chriſti Vicarii, Petri ſucceſſoris in Eccleſiâ Dei ſupremam poteſtatem habentis,

II. Oratores Hiſp. Philippus Hiſpaniarum Rex non tantùm Oratorem miſit, qui Patribus Concilii Tridentini congratularetur; ſed ejus continuationem urgeret his verbis. *Cùm Beatiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Pius IV. Divinâ providentiâ ſacroſanctæ Romanæ ſedis Pontifex Maximus univerſale Concilium Tridentinum continuandum indixerit, illuſtrem Dominum N. noſtrum Procuratorem conſtituimus, ut coram Reverendiſsimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, à Beatiſſimo Pontifice Legatis nominatis, aliiſque Patribus ibidem congregatis noſtro nomine compareant.*

III. Orator. Florent. Magnus Dux Hetruriæ nomine ſuo & Florentinorum miſit Illuſtriſsimũ Dominum Gentiles Epiſcopum Aretinum ad Alexandrum VI. ad quem hãc orationem habuit. *Locus, in quo ſanctitas ſtas, beatiſſime Pater, terra ſancta eſt, locus Petri principis Apoſtolorum, ubi ſteterunt pedes ejus, locus illius, quem conſtituit Dominus principem omnis poſſeſsionis ejus. Stat inconcuſſum privilegium tuum tibi. Tu hæres Apoſtolorum. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt.* Iidem Florentini, ut in ſeſſione 6 habetur, mandarunt ſuis Oratoribus miſsis ad Concilium Lateranenſe ut nomine ſuo aſſererẽt, *Julium II. fuiſſe verum & indubitatum Chriſti Vicarium, Catholicæ Eccleſiæ Pontificem Maximum, Petri ſucceſſorem.*

IV. Orator. Sabaud. Carolus Dux Subaudiæ miſit ad Concilium Lateranenſe Oratores: *Qui obedientiam exhibeant Leoni, tanquam Vicario Chriſti, & Beati Petri Apoſtolorum Principis vero ſucceſſori.*

V. Orator. Senenſ. Angelus Politianus Oratione ad Alexandrũ VI. nomine Senenſiũ. *Meritò de Petro Mater decantat Eccleſia. Tu es paſtor ovium, princeps Apoſtolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi, ſed quando Eccleſiam ſuam Chriſtus ita inſtituit, ut non protinus evaneſceret, ſed ad conſummationem ſæculi uſque perduraret. Dubitandum non eſt, quin poteſtas illa tanta in ipſius quoque Petri ſucceſſorem, quaſique e poteſtate deſcenderet. Sed quis, rogo, verus Petri ſucceſſor? an alius, quàm Romanus Pontifex.*

VI. Orator. Venetor. Bernardus Juſtinianus Oratione quam ad Xiſtum IV. habuit nomine Venetorum. *Cùm viderent* (inquit) *Illuſtriſsimus Princeps noſter, atque Senatus diligentiæ tuæ dilectiſsimam Chriſti ſponſam totius orbis Eccleſiam eſſe commiſſam miſere nos Legatos ut tuæ beatitudini humilem, devotamque obedientiam ſuo nomine deferamus, te primum paſtorem, ſummum ſacerdotem, Petri ſucceſſorem, Chriſti vicarium omni cultu venerationis proſequamur.*

VII. Orator. Genuen. Iacobus Spinola Genuenſium nomine hanc ad Alexandrum VI. Orationem fecit. *Tu ad tantæ gloriam ſanctitatis admitteris, qui totius Dominici gregis paſtor unicus, eum ad honeſtatem, ad pacem, & ad gloriam æternam dirigas, inſtruas, & promoveas.* Infrà. *Quis tam veſaniæ mentis & vecordiæ animi, qui te primum ſacerdotem, ac ſummum pontificem non agnoſcat? qui te Dominici gregis paſtorem totius naviculæ Petri gubernatorem neſciat? eundemque ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ baſim ac fundamentum, Petrique ſucceſſorem, ac optimi Dei Vicarium non honoret?*

VIII. Orator. ord. Eq. Martinus Royas Fortalenibeus magni Magiſtri ac totius Ordinis Hieroſolymitani Orator ad Conciliũ Tridentinum hæc effatus eſt. *De Magiſtro & ſocietate noſtrâ, id vobis, ampliſsimi Patres ſancti promitto, quæ ab hoc ſanctiſsimo conventu decreta emanabunt pro iis omnibus non fortunas modò & facultates, ſed etiam vitam & ſanguinem, (ſi opus fuerit) eſſe effuſuros, &c.*

IX. Orator. Crem. Maximianus Benianus Orator Cremenſium, ita in Concilio Tridentino peroravit. *Cæci ſunt omnes qui ab Eccleſia Romana deficientes, non ſolùm ſuis legibus vivunt ſed adverſus eam armatas acies inſtruxerunt, paſtoribus grex non obtemperat, Pontificibus principes non parent, nec ſacerdotes populus veneratur. Tu Pontifex Maxime à Deo tanquam Aaron vocatus, ſuper gentes & regna poſitus, quod cœpiſti, iam perfice,*

Tu verò Chriſte Salvator noſter in nobis effice, ut una tandem ſit Petri domus à te electa & dilecta, tantoq; ſtudio complexa.

X. *Orator. Sueſſ.* Gaſpar Ferrantius pro Sueſſanis agens Tridenti. „ In Cœlum Salvator „ noſter aſcenſurus, agnos & oves ſuas „ Petro Apoſtolorum Principi cœle„ ſtis doctrinæ pabulo paſcendas ter „ commendavit, apertè oſtendens „ quantùm illas diligeret, ac Petrum „ ipſum, cui ſoli antequam Cruci pro „ noſtrâ ſalute affigeretur, ſe claves „ regni cœlorum daturum, & ſuper „ illum Eccleſiam ſuam ædificaturum „ promiſerat, pro quo patrem quo„ que oraverat, nè illius unquam fi„ des deficeret, quò alios docere, & „ in verâ religione confirmare poſſet „ orbis univerſi magiſtrum ac paſto„ rem præpoſuit, & ab eo ſublimi „ ſapientiâ Eccleſiam ſuam unã, gre„ gemque unum monſtrari voluit, ut „ omnis perturbatio & confuſio ab „ Eccleſiâ tolleretur & ordo ſervare„ tur, noſque cum capite noſtro Ro„ mano Pontifice, Petrique ſucceſſore „ quaſi membra cõpacti Chriſti cor„ pus in terrâ referremus.

XI. Neſtoriani miſerunt ad Romanum Pontificem Oratorem cum hac epiſtolâ, quam Andræas Maſius Bruxellanus ex autographo Syriaco traduxit his terminis. „ Pater noſter excelſe, „ quod Sacerdotium noſtrum à priſ„ cis temporibus ex Româ ſit, quæ „ eſt ſedes Petri Principis Apoſtolo„ rum, &c. Et in alterâ epiſtolâ ad eundem Pontificem Romanum. „ Pater Patrum, & Apoſtolorum ma„ xime, Petrus temporis noſtri, & „ Paulus dierum noſtrorum, qui es „ loco Dei & Domini noſtri, ſe„ densque ſuper ſedem Petri Apo„ ſtoli. Infrà. „ Gregem ſuum tradi„ dit tibi Chriſtus, nè perturbetur „ per lupos. Tu es Pater univerſi po„ puli Chriſtiani, ſicut Petrus caput „ omnium diſcipulorum, &c.

§. 6.

Teſtimonium Heroïnarum.

Galla Placidia Theodoſio Auguſto ita ſcribit. *In Apoſtolicâ ſede primus ille qui cœleſtes claves dignus fuit accipere primatum Epiſcopatus ordinavit.* I. *Galla Placidia*

Cùm Richardus Rex Angliæ ab expeditione Hieroſolymitanâ reverteretur ab æmulis ſuis captus & in carcerem conjectus fuit, pro cujus libertate Mater Cœleſtinum Papam interpellans hac epiſtolâ, quæ eſt apud Petrum Bleſenſem 144. ait: *Cùm ſitis Vicarius Crucifixi, ſucceſſor Petri, ſacerdos Chriſti, Chriſtus Domini, Deus etiam Pharaonis.* Infrà. *Tantò conſtantius deberetis aperire gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei: ſcriptum eſt enim, qui vos ſpernit me ſpernit, ideò ſi veſtram non vultis, aut Eccleſiæ Romanæ injuriam perſequi, vobis tamen diſſimulare non licet Petri opprobrium, & injuriam Chriſti.* II. *Mater Richar.*

Sancta Brigitta non minùs inſignis genere, quàm virtute: Nam Ulfoni Nericiæ principi nupta eſt. Hæc lib. 1. revelationum cap. 49. ſcribit ſe audiviſſe hæc verba ad Deum effuſa. *Ecce Vicarius tuus, qui ſedet in ſede tuâ in mundo, reduxit jam ſedem ſuam in antiquam & priorem locum, ubi ſedit primus Papa Petrus, qui fuit princeps Apoſtolorum.* Ibi cap. 137. introducitur filius Dei, qui Urbanum V. ita affatur. *Regulam religionis, quæ fundari & incipi debet in loco Watzſteno, volo, ut non ſolùm auctoritate confirmetur, ſed & benedictione tuâ, qui Vicarius meus es in terris, roboretur.* III. *S. Brig.*

§. 7.

Teſtimonium ex Iure.

Baldus in l. fin. in fine C. D. 11 num. 2. *Nullum eſt majus, ſive ſanctius imperio, intellige niſi Apoſtolatus Beati Petri. Cùm enim Apoſtolus confirmet principem, iſtud eſt manifeſtum ſignum ſuperioritatis. Vt in authenticâ de defenſore civitatis, §. Interim.* I. *Jur.*

Et

Et ideò Imperator jurat Domino Papæ fidelitatem.

II. Henricus Boicius in rubricâ Decretalium de conſtitut. *Cùm Papa non recipiat poteſtatem ab homine, ſed à Deo, & eſt ſucceſſor Petri, & Vicarius veri Dei, nulla regula, ſeu conſtitutio Apoſtolica illum ligat, &c.* Vide l. *cunctos*, 1. Cod. de Sanctâ Trinitate, l. *inter claras*, 8. & Novellam 9. Quibus adde Paulum de Caſtro conſilio 414. num. 2. & ſeq. in 1. part. conſiliorum ſuorũ. *Certũ eſt* (inquit) *quod ſolus Papa eſt immediatus Vicarius Chriſti, & quod ipſe fecit ab ipſo Domino fieri. Ipſe enim ſolus Dominus Romanam fundavit Eccleſiam, cujus ipſe Papa caput eſt, cap. 1. diſtinct. 22. Aliæ verò Eccleſiæ particulares fundatæ fuerunt non immediatè à Chriſto, ſed à Petro, & ejus ſucceſſoribus, &c.* Antonius de Roſellis tract. de concil. num. 40. ait, *Principale fundamentum fuit in Chriſto, & deinde non in Eccleſiâ univerſali (alioqui Eccleſia fuiſſet fundamentum ſuiipſius, quod eſt ridiculum) ſed in Petro, & hodie in Papâ.* Et num 52 & ſeq. *Chriſtus, cum ſit caput Eccleſiæ, ſola poteſtas ejus major eſt, quam totius reliqui corporis: & tamen fatetur poteſtatem fuiſſe conceſſam toti Eccleſiæ, ſed ſub Petro, quodque Petri & Eccleſiæ poteſtas una eſt, non duæ.*

§. 8.

Teſtimonium Hæreticorum.

I. Calvin. CAlvinus in ſuis inſtitutionibus cap. 8. num. 103. fatetur fuiſſe inter veteres receptam opinionem, quod Eccleſia Romana fuerit Petri miniſterio fundata. *Non nego quin magnum Romanæ Eccleſiæ honorem ubique deferant veteres, reverenterq́ de eâ loquantur. Quod tribus maximè cauſis fieri arbitror. Opinio enim illa, quæ neſcio quomodo invaluerat, fundatã & conſtitutam eam fuiſſe Petri miniſterio ad conciliandam gratiam & auctoritatem plurimùm valebat, &c.* Bucerus

Bucerus. in præparatoriis ad concilium. *Ingenuè confitemur, quod veteris Eccleſiæ Patres Rom. Eccleſiam præ cæteris primatum obtinuiſſe aſſerunt, ut quæ Cathedrã D. Petri habeat, cujuſque Epiſcopi ſucceſſores Petri ferè ſemper habiti ſunt.* Eraſmus Roterodamus valde de hæreſi ſuſpectus in ſcholiis ſuis ad epiſtolam Hieronymi, quam ille ad Damaſum ſcripſit, fatetur Epiſcopum Romanum ex mẽte Hieronymi. „ Tùm „ D. Petri ſucceſſorem eſſe, tùm Crucifixi, hoc eſt Chriſti Quibus ſubdit. Eraſm.
„ Eccleſia ædificata eſt, non ſuper Romam, ut arbitror: nam fieri poteſt, „ ut Roma quoque degeneret: ſed „ ſuper fidem quam Petrus profeſſus „ eſt, & quam hactenus Romana quoque ſervavit Eccleſia. Idem proſequens ait. „ Hieronymus omninò videtur ſentire omnes Eccleſias ſubeſſe Romanæ ſedi, aut certè ab hac „ non alienas, quæ peculariter hoc Apoſtolo gloriatur, qui inter Apoſtolos primas tenuit, & hic eſt orthodoxa, ut ſit orthodoxarum prima „ dignitate. In Spongiâ adverſus Huttenũ m. „ Etſi principatus Pontificis non eſſet à Chriſto: tamen expediret unum eſſe qui cæteris auctoritate præemineret. Chriſtum agnoſco, Lutherum non agnoſco, Eccleſiam Romanam agnoſco„ Non ait, expediret duos eſſe, ſed unum eſſe. Cùm igitur principatus Põtificis Eccleſiæ Romanæ ſit, ſequitur non duobus, ſed uni ſoli ſcilicet Petro fuiſſe à Chriſto communicatum: quod innuit idem Eraſmus in annotationibus in priorem Petri epiſtolam. *Frivolum eſt* (inquit) *quod quidam cavillantur, vacilare principatum Romanæ ſedis, ſi Petrus hanc epiſtolam ſcripſit Babylone quaſi fieri non potuerit, ut Petrus hæc ſcribens egerit Babylone, ac poſtea Romæ ſederit, ecce principatum Romanæ ſedis.* Ex his concludo SS. Petrum & Paulum nõ conſtituiſſe unum Eccleſiæ caput abſque ullâ dependentiâ vel ſubordinatione ab invicem, ſed cum omnimodâ æqualitate. *Sed* (ut ait Catechiſmus Tridentinus de Catech.
Sacramento Ordinis) *Catholica Eccleſia Romanum Pontificem, Maximum totius orbis terrarum patrem, & patriarcham ſemper veneratæ eſt. Cùm enim in Petri Apoſtolorum principis cathedrâ ſedeat, in quâ uſque ad finem vitæ ſediſſe conſtat, ſummum in eo dignitatis* Trident.

iatis gradum & juriſdictionis amplitudinem divinitùs datam agnoſcit, quamobrem omnium fidelium & Epiſcoporum, cæterorumque Antiſtitum, quocumque illi munere & poteſtate præditi ſint, Pater ac Moderator univerſalis Eccleſiæ, ut Petri ſucceſſor, Chriſtique Domini verus ac legitimus Vicarius præſidet.

§. 9.

Solvitur objectio petita ex epiſtolâ S. Pauli ad Galatas.

I. ANtonius de Dominis, & alii primatum Petri deſtruere nituntur, eo quod Paulus reſtiterit Petro in faciem. Galat. cap. 2. verſ. 11. *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat*, Et verſ. 14. *Cùm vidiſſem, quod non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ, quomodo gentes cogis judaizare?* Scilicet ſimulatione tuâ, quia incautè ſimulabat Judaiſmum. Reſpondeo Petrum non erraſſe, nec errare potuiſſe in aliquo fidei articulo juxta illam Chriſti promiſſionem, Lucæ cap. 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Sed tantùm in facto cum aliquo ſcandalo gentilium: fuit (inquam) reprehenſio, non fidei, vel doctrinæ, ſed tantùm converſationis, & facti ſimulati. Nam (inquit Sanderus lib. 6. de viſibili Monarchiâ.) Idem prorſus & docuit Paulus, quod Petrus Nam Petrus docuit Actor. cap. 14. in primo Concilio Apoſtolorum Hieroſolymis celebrato legalia non eſſe neceſſaria: & tamen Paulus caput aliquando raſit, Timotheum circumcidit, Actor. cap. 16. & omnia omnibus factus eſt, ut omnes lucrifaceret. Cùm igitur Petrus & Paulus docerent illas cæremonias non eſſe neceſſarias, ſcirent eas brevi ceſſaturas, ſcirent eas omittendas cùm opportunum videretur: Paulus rectè judicavit illud tempus jam adveniſſe, in quo ſtatim deberent ceſſare ac omitti. Petro exiſtimante eas cæremonias adhuc aliquantò diutius poſſe tolerari ob Iudæorum conciliationem. Propter hoc igitur Petrus fuit à Paulo reprehenſus, ſicut olim David à Ioab lib. 2. Regum cap. 19. verſ. 5. Nec ideò ſequitur Paulum & Ioab fuiſſe arrogantes & procaces, quod auſi fuerint ſuperioribus in faciem reſiſtere, ſeu corripere. Reprehendit ergò Paulus Petrum, non ut ſuperior inferiorẽ, vel æqualis æqualem, ſed modeſtè, humiliter, ut inferior. Eo modo, quo inferiores poſſunt reprehendere ſuos ſuperiores humili ſcilicet charitate, quam correctionem æquo animo accepit. *Tacuit* (inquit S. Gregorius homiliâ 18. in Ezechielem) *Petrus ut qui primus eſſet in humilitate.* Et Sanctus Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum. *Rarius* (inquit) *& ſanctius exemplum, Petrus poſteris præbuit, quo non dedignarentur à poſterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus prò defendenda veritate, ſalvâ charitate reſiſtere.* Idem aſſerunt S. Cyprianus epiſt. ad Quintum. Toſtatus in cap. 18. Matthæi quæſt. 86. & S. Thomas 2. 2. quæſt. 33. art. 4. Vbi docet duplicem eſſe correctionem. Vnam juſtitiæ quæ fit per inflictionem pœnæ legitimæ: Alteram charitatis, quæ fit per fraternam correptionem. Prior convenit ſolis Prælatis reſpectu ſubditorum, requiritque juriſdictionem, quæ eſt in ſolis Prælatis. Poſterior convenit tam ſubditis, quàm Prælatis, quia eſt actus charitatis, quæ ſe extendit ad omnes proximos, ſive ſint Prælati, ſive ſubditi. Nam ex charitate tenemur omnes diligere, proindeque omnes peccantes corripere ſervatis circumſtantiis, quam poſtulat charitas. Charitas autem non poſtulat, ut corripiamus Prælatos eâdem auctoritate & libertate quâ ſubditos, ſed ſubditos corripiamus cum manſuetudine & patientiâ, quantũ fieri poteſt: Prælatos autem cum ſubjectione & reverentiâ. Noſter Thomas Waldenſis tomo 1. doctrinalis fidei lib. 2. art. 1. cap. 5. *Quod ſi* (inquit) *velit ex hoc colore Petrum à principatu dejicere & æquare illi Paulum, ſciat à veris Eccleſiæ paſtoribus nihil auctoritativa poteſtatis imminui; quod ſubditorum ſuorum interdum increpationibus humiliter ſint ſubjecti, ſponte proſtrati. Nihil ergo derogavit*

Galat. c. 2. v. 11.
Luc. 22.
Gregor.
Auguſt.
S. Thom.
Thomas Wald.

gavit Paulus majori ſuo Petro, quod enim charitativè correxit in nullo Petrus minuit poteſtatem, quia junioris correptioni ex humilitate ſuccubuit. Non ergò Paulus par Petro, quia legitimus reprehenſor, nec quia humiliter ſuſtinens Petrus, indè deſinit eſſe major. Imò ſignificans Petrus majoritatem ſuam ſimul & humilitatem eſſe conjunctas, poſtmodùm epiſtolâ ſuâ ſecundâ, Pauli auctoriſat & defendit epiſtolas, tanquam major mitis, & prælatus ſponte dejectus, etiam illas, in quibus eum Paulus commemorat reprehenſum. Quod cõfirmat auctoritate S. Gregorii loco citato dicentis. *Idem Apoſtolorum primus, cùm multa diſcipulos admoneret, atque à quibuſdã detrahi Pauli ſcripta agnoſceret, dixit, ſicut chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, loquens in eis, de his, in quibus ſunt quædam difficiliora intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam perditionem. Ecce Paulus in epiſtolis ſuis ſcribit Petrum reprehenſibilem, & ecce in epiſtolis ſuis Petrus aſſerit Paulum in his, quæ ſcripſerit admirandum. Certè enim niſi legiſſet Petrus Pauli epiſtolas non laudaſſet, ſi autem legit, quod illic reprehenſibilis diceretur, invenit ergò amicus veritatis, laudavit etiam quod reprehenſus eſt, &c. Seque minori fratri eò conſenſum dedit; atque in eadem re factus eſt ſectator junioris ſui. Vt etiam in hoc præiret quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine eſſet etiam primus in humilitate.* Quibus S. Gregorii verbis ſubdit. *Attendat Wicleff Petrum majorem, Paulũ minorem fratrem.* In quo minorem? *Eſt minor frater in comparatione culminis, attendat iterùm duplicem Petri primatum dicente Gregorio, quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine eſſet etiam primus in humilitate. Aliter ergò Petrus humilitate Petrus, aliter culmine Apoſtolatus primus.* Et poſt ſatis prolixam probationem S. Gregorii citati primatum Petri aſſerentis, iterùm ſubjungit Waldenſis, *Ecce quod ubique minorem fratrem Paulum appellat, Petrum majorem, & Apoſtolorum principem, qui tantâ ſe humilitate depreſſit, ut quaſi à memoriâ ſuâ omnia dona quæ acceperat repulerit.* Pluribus ibi commendat primatum Petri, nulloque modo Paulo competere oſtendit.

Alii reſpondent Paulum per diſpen- II.
ſationem Petro reſtitiſſe in faciem, & ſic intelligendos Patres Orthodoxos. Quam reſponſionem approbat Gregorius IX. epiſt. ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Hæc verò diſpenſatio in eo conſiſtit, ut qui non erat ſuperior, nec æqualis ſuum ſuperiorem ac ſummum Paſtorem reprehenderet. Ex hoc patet quomodo Prælati & Principes poſſunt & debent à ſuis reprehendi.

§. 10.

Satisfit objectioni ex Epiſtolâ S. Pauli 2. ad Corinthios Cap. 11.

Quemadmodum Chriſtus di- I.
xit Petro Ioannis cap. 21. verſ. 17. *Paſce oves meas*, ideſt Ioann.
tibi commendo meum cap. 21.
ovile, tibi Eccleſiam meam commit- v. 17.
to. Sic Paulus 2. Corinth. cap. 11. 2. Corin.
verſ. 28. de ſe ait, *Mihi incumbit ſol-* 11. v. 28.
licitudo omnium Eccleſiarum. Theophilactus & Anſelmus ibi. *Tolerat infirmitates ſingulorum, & ſimul de communi ſalute, & de toto orbe ſollicitus eſt.* Igitur primatus Eccleſiæ æquè competit Paulo ac Petro. Reſpondeo duplicem eſſe curam & ſollicitudinem omnium Eccleſiarum. Vnam ex Iuſtitiâ, alteram ex zelo & charitate. Prima eſt in Prælatis Eccleſiæ habentibus juriſdictionem Eccleſiaſticam. Secunda eſſe poteſt in omnibus charitate præditis. Prima fuit in Petro ratione juriſdictionis in totam Eccleſiam expreſſa per verba illa, *Paſce oves*, quæ ſoli Petro ſingulariter & perſonaliter cõpetit excludendo alios Apoſtolos, non autem ſucceſſores ejus. Per *oves meas*, intelliguntur omnes fideles totius mundi, ſeu totus grex Chriſti, ideſt Eccleſia, ad quem gregem ſeu Eccleſiam etiam Apoſtoli ſpectant. Ratio eſt quia Chriſtus non dixit, paſce has oves, aut illas: ſed abſque ullâ reſtrictione omnes. Vt ingenioſè ac mellifluè notavit S. Bernardus lib. 2.

de conſideratione ad Eugenium cap. 8. *Bernar.* *Habent illi ſibi aſsignatos greges, ſinguli ſingulos. Tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modò ovium, ſed & paſtorum, tu unus omnium paſtor. Unde id probem quaris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè tota commiſſæ ſunt oves? Si me amas Petre, paſce oves meas. Quas? illius, vel illius populi? civitatis, aut regionis, aut certi regni? oves meas (inquit) cui non planum deſignaſſe aliquas, ſed aſsignaſſe omnes, nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil.* Particula paſcere denotat officium paſtorale, cujus actus tres præcipui ſunt. Primus eſt pabulum præbere, & ad paſcua ducere, ut patet ex pſalmo 22. verſ. 2. *Dominus regit me.*
Pſal. 22. verſ. 2. Græcus, *Paſcit me.* Et Ezechielis cap. 34 verſ. 2. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Nonnè greges à paſtoribus paſcuntur.* *Ezech. 34. v. 12.* Secundus actus eſt diſperſas oves colligere, errantes
verſ. 5. reducere, infirmas curare, defendere à lupo. Ezechielis cap. 34. verſ. 5. *Diſperſæ ſunt oves meæ eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Erraverunt greges mei & non erat; qui*
v. 15. *requireret.* Verſ. 15. *Ego paſcam oves meas & ego accubare faciam dicit Dominus meus, quod perierat, requiram; & quod abjectum erat reducam; & quod confractum erat alligabo: & quod infirmum fuerat conſolidabo; & quod pingue & forte erat cuſtodiã.* Tertius actus, eſt gubernare, regere, præeſſe, diſcerne-
l. 4. Reg. re, caſtigare, libr. 2, Regum cap. 5.
2. v. 12. verſ. 2. *Tu paſce populum meum Iſrael,*
cap. 13. ideſt (inquit Dionyſius.) *Reges, re-*
v. 11. *ficies Iſraeliticum populum.* Ut innuunt verba ſequentia. *Et tu eris dux ſuper Iſrael,* ideſt, ductor, rex. Sic S. Parens Elias dicitur ab Eliſeo, & Eliſeus vocatur à Rege Joas currus Iſrael & auriga ejus. Quia non tantùm bajulant & portant populum, ſed etiam illi præſident, illum dirigunt.

II. Ezechielis cap. 34. citato verſ. 17. Deus iterùm ait. *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego judico inter pecus arietum & hircorum.* Verſ.
verſ. 20. 20. *Ecce ego ipſe judico inter pecus pingue & macilentum.* Illis accinens Vates Regius pſal. 2. verſ. 9. *Reges eos* (inquit) *in virgâ ferreâ.* Pſalm. 45. verſ. 8. *Virga directionis, virga regni tui.* Ex quibus infero, quod cùm Chriſtus Perto dixit: *Paſce oves meas.* Ioannis cap. 21. Dedit illi officium Paſtorale reſpectu omnium Chriſtianorum, nullo excepto, deditque ei poteſtatem exercendi officium paſtorale. At munus paſtorale, eſt ducere oves ad paſcua, ſanare infirmas, colligere infirmas, judicare inter ſcabioſas & ſanas, cogere contumaces, & compellere ad ovile, lupos arcere, ut patet ſcripturis jam citatis, loquentibus non tantùm de paſtore ovium brutarũ ſed etiam hominum fidelium. Igitur Petrus habuit poteſtatem præſtandi hæc, prædicare poteſt Evangelium, adminiſtrare Sacramenta, peccantes corrigere, errantes reducere, diſcernere inter veram & falſam doctrinam, ad unitatem Eccleſiæ, hoſtes arcere, ſive per ſe ſive per alios, & quidem amplius quàm alii. Nam poſtquam Chriſtus Ioannis cap. 20. verſ. *Ioan. c.*
21. Petro & aliis Apoſtolis, dixit: *Si- 20. v. 21*
cut me miſit Pater & ego mitto vos.
Cap. 21. verſ. 17. ait ſingulariter Pe- *cap. 21.*
tro. *Paſce oves meas,* ideſt do tibi po- *v. 17.*
teſtatem, quã antea carebas, meliorẽ & ampliorem, uno verbo peculiarem. Undè collationi hujus poteſtatis ſpecialis præmittit trinam interrogationem. Verſ. 15, *Petre diligis me plus his.* *verſ. 15.*
Verſ. 16. *Diligis me.* Verſ. 17. *Amas* *verſ. 16.*
me. S. Ambroſius in cap. 9. epiſt. 2, ad
Corinth. *Ut ſciat magnâ ſe cum dili-* *S. Amb.*
gentiâ debere curare; quod frequenter mandatur. Dicit debere, ideſt ex juſtitiâ. Cui ſubſcribens ſanctus Bernardus ſerm, 76. *Non otiosè ter repeti-* *Bernar.*
tum eſt Petre in commiſsione ovium? ego id ſignificatum puto, ac ſi dixiſſet IESUS, niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientiâ, quod me ames, & valdè, perfectèque ames, hoc eſt pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam te, nequaquam ſuſcipias curam hanc. Nec intromittas de ovibus meis, pro quibus utique meus effuſus eſt ſanguis. Quam trinam interrogationẽ ſubſequitur trina cõmiſſio. *Paſce agnos meos, paſce agnos meos, paſce oves meas.* Nè igitur hæc otiosè à Chriſto dicta cenſeantur, de-

buit

buit aliquid ſpeciale conferri Petro, quod prius collatum non erat, dum Chriſtus totum collegium Apoſtolorum alloquebatur. Id ſingulare beneficium clarè innuit S. Hieronymus
Hieron. lib. 1. contra Iovinianũ. *Propterea* (inquit) *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* S. Auguſtinus lib. de Paſtoribus,
Auguſt. cap. 13. *In ipſo Petro unitatem commendavit. Multi erant Apoſtoli, & uni dicitur, paſce oves meas.* Et Optatus
Optatus Mil. Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, paulò poſt initium, loquens de Romanâ Cathedrâ. *In quâ* (inquit) *ſedit omnium Apoſtolorum caput Petrus. Vnde & Cephas appellatus est. In quâ unâ Cathedrâ unitas ab omnibus ſervaretur, nè cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent. Vt jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret, ergò Cathedra unica eſt.* Ex quibus patet eſſe plures paſtores Eccleſiarum particularium. Eccleſiæ verò univerſalis loco Chriſti eſſe Petrum, vel Petri ſucceſſorem. Quem ideo S. Chryſoſtomus homiliâ in SS. Petrum & Eliam. Origenes homiliâ 2. in locos diverſos novi teſtamenti vocant *Verticem Apoſtolorum.* S. Baſilius in proœmio regularum latius diſputatarum. S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 2. & 11. S Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum vocant *Principem Apoſtolorum.* Iterùm Chryſoſtomus homiliâ 11. in Matthæum. Philo Carphatius in Canticâ. S. Hieronymus in pſal. 13. *Caput Eccleſiæ.* Synodus Chalcedonenſis act. 3. *Crepidinem Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ fideì fundamentum.* S. Ephrem Syrus ſermone de transfiguratione Domini. *Principē Eccleſiæ Chriſtianorum.* S. Epiphanius hæreſi 51. *Ducem diſcipulorũ Chriſti.* S. Iſidorus Peluſiota libr. 2. epiſt. 58. *Anteſignanum Apoſtolorum.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1 & Theſauri cap. 2. *Apicem Apoſtolorum,* Eucherius Lugdunenſis in Vigiliâ S. Petri. S. Bernardus lib. 2. de conſiderat. ad Eugenium. *Paſtorem paſtorum.* S. Auguſtinus lib. qq. veteris & novi teſtamenti quæſt. 75. *Caput fidelium, & paſtorem paſtorum.* Quæ Epitheta, & ſignanter particula *Paſce*, ſignificant Petri juriſdictionem in univerſalem Eccleſiam, eamque Petrum curaſſe ex juſtitiâ.

At cura & ſollicitudo omnium Eccleſiarum quæ fuit in Paulo, provenit ex zelo & charitate. Cùm enim recenſiſſet labores, vincula, plagas, ſitim, famem, aliasque calamitates, quas pro Chriſto patiebatur 2. Corin. cap. 11. verſ. 28. ſtatim ſubjicit. *Præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandaliſatur, & ego non uror? &c.* Quibus ultimis verbis inſinuat undè proveniat illa Eccleſiarum cura, ſcilicet ex dolore charitatis, quem ex afflictione proximi percipiebat. *Quis* (inquit) *infirmatur, & ego non infirmor, &c.* Quaſi dicat, ita compatior infirmitatibus, doloribus, lacrymis proximi, ut cum eis infirmitantibus infirmer, cum dolentibus doleam, cum flentibus fleam, &c. Ex quibus patet curam Eccleſiarum, quæ Paulo inerat, non proceſſiſſe ex obligatione juſtitiæ, ſed ex charitate, ſeu ex dolore, & amore. Vt ipſemet Antonius de Dominis aſſerit de ſeipſo quaſi altero Paulo: ait enim ſe *Semper habuiſſe deſiderium unionis omnium Eccleſiarum; & anxiè perſpexiſſe an poſſit aliqua excogitari via omnes Chriſti Eccleſias ad veram antiquam unionem componendi.* Hoc autem ejus prætenſum deſiderium non oriebatur ex obligatione juſtitiæ, ſed ex zelo & fervore charitatis. Talis fuit Pauli cura.

§. 11.

Reſpondetur argumento deprompto ex cap. 12. epiſt. 2. & ex epiſt. 1. cap. 9. ad Corinth:

Cap. 12. epiſtolæ citatæ verſ. 11. pauca pronunciat, quæ tamen maximè videntur nocere primatui Petri. *Nihil minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.* ideſt nihilo inferior fui in Apoſtolatu, ſeu in laboribus Apoſtolicis, in gratiis, paſ- I.

ſionibus ab iis, qui eximii ſunt, & excellentiſſimi ſunt Apoſtoli. Ex quibus verbis Antonius de Dominis & ſequaces malè colligunt juriſdictionē Pauli fuiſſe æqualem juriſdictioni Petri, ſeu nulli Apoſtolorum cedere in poteſtate juriſdictionis. Sed contra loquitur Apoſtolus partim de laboribus & miſeriis pro Chriſto ſuſceptis, partim de prodigiis & miraculis à ſe patratis, quorum intuitu, affirmat ſe nemini imparem eſſe, ut patet ex verſ. 1. & ſequentibus. *Si gloriari oportet*

Verſ. 1. *(non expedit quidem) veniam autem ad viſiones & revelationes Domini, ſcio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore, neſcio, ſive extra corpus, neſcio, &c.* Quibus ſubjungit verſ. 10, *Propter quod placeo*

v. 10. *mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potens ſum, factus ſum inſipiens vos me coegiſtis. Ego enim à vobis debui commendari. Nihil enim minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum. Signa tamen Apoſtolatus mei ſuper vos in omni patientiá in ſignis & prodigiis & virtutibus.* Ubi nulla prorſus fit mentio juriſdictionis, ſed tantùm patientiæ, ſeu eorum quæ paſſus eſt pro Chriſto.

II. Apoſtolus 1. Corinth. cap. 9. verſ. 16. *Si* (inquit) *evangeliſavero non eſt*

1. Cor. c. 9. v. 26. *mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit, Væ mihi eſt, ſi non evangeliſavero.* Reſpondet D. Thomas ibi lectione 3. gloriam tot modis amitti, quot ſunt vitia; At ſunt ſeptem vitia. *Omnis ergò per gulam evacuatur gloria ſobrietatis, per luxuriam maculatur gloria caſtitatis, per ſuperbiam captivatur gloria humilitatis, per iracundiam interimitur gloria manſuetudinis, per invidiam excluditur gloria charitatis, per avaritiam annihilatur gloria liberalitatis, per accediam culpatur gloria ſtrenuitatis. De illis dicitur Oſeæ cap. 4. verſ. 7. Gloriam*

Thom. *eorum in ignominiam commutabo. De primo exemplum Geneſ. cap. 25. in Holoferne, Judith cap. 13. De ſecundo in Salomone lib. 2. Reg. cap. 11. De tertio in Lucifero, Iſaiæ cap. 14. De quarto in Architophel, lib. 2. Reg. cap. 16. De quinto in Cain, Geneſ. cap. 4. De ſexto in Giezi lib. 4. Reg. cap. 5. De ſeptimo in Exploratoribus, Num. cap. 13. & 14.* Alterā evacuationem adjicit, ſcilicet ſe gloriam operibus ſuperogatoriis acquiri ſolitam amiſſurum, ſi Evangelium prædicaret propter lucrum & ſumptus, *Bonum eſt enim magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam ſi evangeliſavero non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt ſi non evangeliſavero.* D. Thomas. *Hic* (inquit) *oſtendit, quod accipiendo ſumptus evacuaretur gloria ejus, quia non ſuperogaret. Ratio* (inquit) *eſt, gloria, quæ eſt præmium ſuperogationis non debetur operibus neceſſitatis, ad quæ tenemur ex præcepto, ſed evangeliſare tenebatur ex præcepto: ergò ex hoc non habebat gloriam ſuperogationis, ſed potius ex hoc, quod non accipebat ſumptus. Primò ergò tangit gloriæ evacuationem. Secundò evacuationis rationem. Tertiò rationis declarationem,* Ibi. *Væ mihi. Quartò rectè evangeliſantium mercedem. Si enim hoc ago mercedem habeo. Dicit ergò: nam ſi evangeliſavero. Quaſi diceret: Verè evacuaretur gloria mea. Nam ſi evangeliſavero, ita quod ſumptus accipiam, non eſt mihi gloria, id eſt, ſuperogationis præmium,* quia tenetur prædicare. Actor. cap. 13. *Vade quoniam ad nationes longè mittam te.* Quod teneatur patet ſibi ipſi minante. *Væ enim mihi eſt, id eſt pœna tranſgreſſionis in me manet, ſi non evangeliſavero. Iſaiæ cap. 6. Væ mihi quia tacui.* Alteram explicationem affert ex Gloſſâ. *Nam ſi evangeliſavero, &c. Quaſi diceret, utique evacuaretur gloria mea cœleſtis; ſi ideò prædicarem, ut ſumptus acciperem. Nam ſi evangeliſavero tantùm, ita quod non ex dilectione Dei & proximi hoc faciam, nec liberâ voluntate, non eſt mihi gloria apud Deum. Neceſſitas enim præcepti quod non audeo omittere mihi incumbit. Unde ſi ſolo timore ſervili prædico. Væ enim, &c. id eſt æterna damnatio mihi eſt, ſi non evangeliſavero, ſicut mihi injunctum eſt, ſi autem volens, &c. Quaſi diceret, ſi neceſſitate hoc facio, non eſt mihi gloria: ſi autem volens hoc ago, id eſt, ſi voluntatem adjungo neceſſitati, mercedem æternam habeo. Ideò Pſalmiſta dicit: Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor, &c.* Pluribus ibi oſtendit

Apoſtolum

Apoſtolum loqui de munere prædicationis, non autem de regimine Eccleſiæ, nec diſſerere de neceſſitate juſtitiæ, ſed obedientiæ. Sic Miſſionarii ex obligatione præcepti tenentur Gentilibus prædicare Evangelium, quando ex virtute obedientiæ mittuntur. Apoſtolus igitur non tenebatur ex obligatione regere Eccleſiam univerſalem, cùm non eſſet illi commiſſa, ſicut nec modernis Miſſionariis eſt commiſſa, quamvis ex obedientiâ teneantur verbum Dei annuntiare cunctis gentibus.

§. 12.

Satisfit Argumento petito ex Imaginibus & Picturis.

I. ÆQualitatem Petri cum Paulo, vel hujus ab altero independentiam adſtruit colligunt ex picturis & imaginibus, in quibus Paulus ad dexteram Petri collocatur. Reſpondeo primò, non in omnibus antiquis imaginibus S. Paulo partem dexteram aſſumi, aliæ enim habent Paulum dextrum, aliæ ſiniſtrum. Sic in diplomatibus locum dextrum tenet, & in numiſmatibus ſiniſtrum. Rationes hujus indiſcriminatæ præcedentiæ modò unius, modò alterius afferri poſſunt: Prima eſt, Veteres oportunè ac conſultè id feciſſe, ut innuerent Petrum & Paulum tantos eſſe, ut ignoretur, vel vix percipi poſſit, uter alterum præcedat: quamvis enim Petrus ſit major auctoritate, tamen Paulus major eſt ſapientiâ. Vndè vocatur à S. Chryſoſtomo homiliâ 4. de laudibus S. Pauli. S. Chryſ. *Archetypus bonorum, cui omnem prædicationem, res orbis, myſteria cuncta, univerſamque diſpenſationem Deus conceſſit. Ipſe cælum, ſolem habens juſtitiæ, ipſe mare ſapientiæ puriſſimum & profundiſſimum.* S. Hieronymus epiſt. 61. Hieron. ad Pammachium. *Paulus vas electionis, tuba Evangelii, rugitus Leonis noſtri, flumen eloquentiæ Chriſtianæ, qui myſterium retrò generationibus ignoratum, & profundum divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei magis miratur quàm loquitur, &c.* Hinc S. Maximus ſerm. de SS. Petro & Paulo, ait Petro datam clavem potentiæ, Paulo clavem ſapientiæ, dubitatque uter alterum præcedat. S. Max. *Ergò Beatus Petrus & Paulus eminent inter univerſos, & peculiari quadam prærogativâ præcellunt. Puto enim illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione.* Sanctus Leo ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum. *Hos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum, de quorum meritis atque virtutibus nihil diverſum nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* Sanctus Gregorius S. Greg. lib. 1. Dialogorum cap. ult. *Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in principatu Apoſtolico frater eſt.*

II. Secunda ratio cur Paulus Petro nonnunquam anteponatur, eſt, quia Paulus eſt ſpecialis Chriſti legatus à latere pro converſione gentilitatis, cujus caput erat Roma. S. Leo ſupra. S. Leo *Cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatē. Petrus verò erat Paſtor ordinarius.* Quare non immeritò ipſi quaſi hoſpiti dextrum locum honoris & hoſpitii causâ conceſſit. Nam ex cap. *Sanè de officio delegati* Stephano Gratiano diſceptat. Forenſ. cap. 3. num. 65. Franciſco Molino *de brachio ſæculari*, cap. 6. num. 12. Jacobo Sbrozio *de officio vicarii*, lib. 2. quæſt. 62. num. 10. Joſepho Ald. *de Relig.* diſcept. tuen. lib. 1. cap. 3. num. 33. Bartholomæo Bellencino *de Charit. ſubſeq.* quæſt. 71. num. 1. Joanne Gutierez. *de Matrimonio*, cap. 63. numer. 29. Bobadillâ in ſuâ politicâ lib. 2. num. 59. Molinâ *de Iuſtitiâ*, tomo 6. tract. 5. diſput. 26. num. 1. Auguſtino Barboſâ *de Iure Eccleſiaſtico*, lib. 1. cap. 2. num. 83. noſtro Ioanne Baptiſtâ de Lezanâ ſup. num. 82. Legatus debet præcedere ordinarium.

III. Tertia ratio eſt quod dexter locus non ſemper arguit majorem dignitatem, nec æqualem, ut probant Barboſa in collect. Doctorum in cap.

ſolita de majoritate & obedientiâ, ex multis deciſionibus Rotæ, Stephanus Gratianus *diſceptat. Forenſ.* cap. 106. num. 43. Bellarminus lib. *1. de Romano Pontifice*, cap. 27. Antonius Nebriſſenſis *in Annotationibus ad quinquaginta loca ſcripturæ.* Baronius ad annum Chriſti 213. 325. 451. Noſter Lezana ſupra. Ita ut cùm olim duo intercederent, ſenior & honorabilior ſiniſtrum latus teneret, junior dextrũ, ſenioremque præcederet in ſignum obſequii; more Romano videmus miniſtros & ſtatieros præcedere Dominum, & Pariſiis in aliiſque Galliæ regionibus ſuperior & dignior partẽ domorum ſivè ſit dextra, ſivè ſiniſtra, accipit, inferior propè canales publicos ſeu piſcinas incedit. Vndè dicitur latero; quia digniorem quaſi tegit, & arcet ab incommoditatibus. Nebriſſenſis id probat multis argumentis, præcipuè Virgilio, qui lib. 5. Æneidos canit de Cloantho navigante ad ſiniſtram partem Gyæ.

Virgil.

Cum clamore Gyas revocabat, & ecce Cloanthum (nentem,
Reſpicit inſtantem tergo, propiora tenere inter navemque Gyæ, ſcopuloſque ſonantes (priorem
Radit iter lævum interior ſubituſque
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.

Partem lævam vocat inferiorem, de quâ etiam Ovidius lib. 5. Faſtorum.

Ovid.

Nomẽ & ætatis mite Senatus habet,
Iura dabat populo ſenior, finitaq; certis
Legibus eſt ætas. Vnde petatur honos,
Et medius juvenum non indignantibus ipſis
Ibat & interior ſi comes unus erat.

Id confirmat Euſebius lib. 1. de vitâ Conſtantini ſcribens ſe vidiſſe in Palæſtinâ Conſtantinum ſeniorem Auguſtum obeuntem provinciam, ad cujus dexteram incedebat junior Cõſtantinus adhuc adoleſcens. Non eſt dubium quin Conſtantinus junior adoleſcens ac puer primatus locum honoratiorem Auguſto ſeniori concellerit. Huic opinioni favet Sacer Text. lib. 3. reg. c. 2. ubi Salomon rex Matri ſuæ Berſabée introeunti occurrit, & eam ad dexteram throni ſui collocavit, verſ. 19. *Poſituſque eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus.* Vates Regius ſponſum Regem ita affatur pſal. 44. verſ. 12. *Aſtitit Regina à dextris tuis.*

l. 3. reg. cap. 3. v. 19.

Pſal 44 v. 12.

IV. Satis autem compertum eſt eſſe indecens, ut perſona publica primum locum deferat Patri & Matri in actionibus publicis. Vndè meritò Veteres laudarunt ac celebrarunt Fabium, qui dum Conſulatus officio fungeretur, intuitus Patrem ſuum equitantem ſibi obvium (quod apud Romanos præſentibus Conſulibus vetitum erat equitare.) per ſatellitem juſſit ex equo continuò deſcendere, cui mandato filii ſui libenter obtemperavit, cumque Conſulari dignitate digniſſimum cenſuit. Cùm ergo (inquiunt) Matrem in actu publico ad dextram regni ſui collocavit, non primarium, ſed inferiorem locum ei detulit, ex quâ doctrinâ patet quomodo Pater æternus Filio aſcendenti dexteram, ſibi verò ſiniſtram retinuerit, Marci c. 16. verſ. 19. *Aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei.* In ſymbolo Apoſtolorum. *Sedet ad dextram Patris.*

Epheſ. c. 1. v. 20. Coloſſ. c. 3. v. 1. Hebr. c. 1. v. 9.

V. Quarta ratio, ideò Imagines & picturæ Paulum collocant ad dextram Petri, quia ad Galatas cap. 2. verſ. 9. *Dextras dederunt mihi.* (inquit Apoſtolus.) Nam ſecundùm uſum Eccleſiæ Imagines ſeu picturæ conformes eſſe debent veritati in ſacris litteris expreſſæ. Sic Joannes Apoſtolus depingitur in Cœnâ ſuper pectus Domini recumbere, quia id in Evangelio continetur. Sic Petrus claves manu geſtat, quia Chriſtus eas in Evangelio pollicitus eſt & contulit. Ideò Ioannes Baptiſta agnum demonſtrat, quia habetur in Evangelio.

Galat. c. 2. v. 9.

VI. Quinta ratio, ideò Paulus à dextris Petri ponitur in Imaginibus, picturis & ſigillis, quia eſt Doctor gentium, plures ex gentibus ad Chriſtum convertit, plures provincias cum ſummo labore peragravit, plura poſteris ſcripta reliquit, Roman. cap. 15. verſ. 19. *Ita ut ab Ieruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti*, id eſt prædicaverim Evangelium. Ita ut (inquit Toletus) quaſi rete impleverim multitudinem gentium, quam gremio Eccleſiæ aggregav.

Rom. 15 v. 19.

gavi

gavi convertendo homines & regiones medias inter Jeruſalem & Illyricum, ſcilicet Arabiam, Damaſcum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphyliam, Piſidiam, Lycaoniam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Myſiam, Troadem, Achaiam, Epirum, & alias, quaſi fulmen omnes Chriſti fideles illuſtrans, & charitate inflammans paucis annis pervaſeram. Vndè Eccleſia in officio S. Pauli orat: *Deus qui univerſum mundum S. Pauli prædicatione docuiſti.* Et Sanctus Chryſoſtomus homiliâ 4. de laudibus Pauli. *In tantum virtute progreſſus eſt, ut vix triginta annorum ſpatio Romanos & Perſas, & Medos, & Iudæos, & Scytas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Saracenos, omne prorſus humanum genus ſub jugum mitteret veritatis.* Eccleſia autem dum memoriam Sanctorum recolit, potiùs reſpicit utilitatem quam poſteris attulerunt, quàm honoris gradum, quem in terris habuerunt, cùm enim eos colat, causâ gratitudinis, illos magis colit, à quibus plura beneficia accepit. Sic S. Linus, S. Cletus, S. Clemens, S. Anacletus, S. Evariſtus, S. Pius, S. Soter, S. Zepherinus, S. Caliſtus, S. Pontianus, S. Fabianus, S. Cornelius, S. Stephanus, S. Marcellinus, S. Marcellus Pontifices Martyrium ſubierunt, & tamen eorum feſtum Eccleſia celebrat cum ſemiduplici officio, vel ſimplici. Vel S. Teleſphori, S. Hygini, S. Eleutherii, S. Antheri, S. Lucii, S. Dionyſii, S. Eutychiani, S. Euſebii etiam Pontificum Martyrum, vel nullam vel brevem commemorationem agit. Plurimorum aliorum Pontificum & Confeſſorũm nullam prorſus mentionem facit nec in officio, nec in miſsâ: & tamen ſanctorum Epiſcoporum Chryſoſtomi, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Baſilii Magni, Auguſtini, Ambroſii, Martini, Bonaventuræ feſta colit ſub officio duplici. Sanctorum Confeſſorũ nullâ dignitate Epiſcopi illuſtrium, Hieronymi, Benedicti, Bernardi, Dominici, Franciſci, Thomæ Aquinatis, Franciſci de Paulâ, Hyacinthi natalitia celebrat. S. Hilarii, Nicolai, Gregorii Thaumaturgi Epiſcoporum feſtum agit officio ſemiduplici. Similiter Vincentium & Anaſtaſium, &c. Martyres honorat feſto ſemiduplici: & tamen pari officio ſemiduplici proſequuntur ſanctos Paulum Eremitam, Romualdum, Antonium de Paduâ, Nicolaum Tolentinum, Brunonem, Ignatium, Xaverium, Bernardinum. Sanctæ Claræ Virginis feſto duplici. Sanctarum Brigittæ, Catharinæ Senenſis, Thereſiæ, &c. Cultu ſemiduplici. Imo ſanctorum Martyrum Laurentii & Stephani dies Natales cum octavis ſolemnes habet, non ſic Apoſtolum Jacobum, & Xiſtum, quibus reſpectivè inſervierunt. Cur tot Pontificibus, tot Epiſcopis, & Martyribus in cultu & officio ab Eccleſiâ præferuntur? quia vel ſcriptis, vel Ordinum Religioſorum inſtitutione, prædicationibus Eccleſiam plurimùm illuſtrarunt, ac plurimos converterunt.

VII. Sexta ratio, ideò S. Paulus S. Petro anteponitur, quia Petrus Judæorum, Paulus Gentium præcipuè Apoſtolus fuit. Vndè ſanctus Chryſoſtomus illum comparat ſoli, homiliâ 4. de laudibus Pauli. *Sicut radiis Solis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitãt, recondunt ſe fures & latrones, ſic prædicatione fulgente, & Evangelium diſſeminante Paulo fugabatur error, veritaſq́; remeabat, idololatria, ebrietates, commeſſationes, ſtupra, adulteria, aliaq́; dictu fœda defecerunt atque conſumpta ſunt inſtar ceræ ignis vapore pereuntis, & inſtar palearum, quæ ſubito cremantur incendio.* Teſtantur Lycaonii, quos Pauli Evangelium & vox tanto ſtupore percuſſit, ut cùm hoſtiam Diis immolare pararent, acri objurgatione eos Paulus cohibuit, ita ut dixerint Actor. cap. 14. verſ. 11. *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos & vocabant Paulum Mercurium, quoniam ipſe dux erat verbi.* Teſtantur Dionyſius, & Damaris & alii, qui ad primam ejus concionem factam Athenis, Actor. cap. 17. verſ. 34. *Adhærentes ei crediderunt.* Vndè tam ſubitam converſionem admirans Arator exclamat, & Paulum ita affatur.

Chryſoſ.

Actor. c. 14. v. 11.

Actor. c. 17. v. 34.

O lupe Paule rapax, quid jam remanebit in orbe (Grata
Quod non ore trahas? poſtquam ſolertia
Ceſſit

Arator.

Ceſsit & indoctas in dogmate vincis Athenas.

Actor. c. 26. v. 28 Teſtatur Rex Agrippa cap. 26. verſ. 28. qui Paulo dixit. *In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Cui Apoſtolus: *Opto apud Deum & in modico & in magno non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales, qualis ego ſum,*

S. Cyrill. Hieroſ. Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 17. *Parum abeſt quin me feceris Chriſtianum.* Alii ex Græco. *Per modicum tempus & ſermonem.* Teſtatur ſanctus Auguſtinus, qui refert libr. 8. confeſſ. cap. 12. tantùm fuiſſe animi ſui æſtum & duellum, cùm in carnis voluptatibus & Manichæorum erroribus retineretur compedibus, inveteratæ conſuetudinis, à quibus timore, gratiâ, ac divinâ inſpiratione retrahebatur, audivit vocem inclamantem: Tolle, lege: Tolle, lege. Mox aperto libro conjecit oculos in illa verba Apoſtoli ad Romanos cap. 13 verſ. 13.
Rom. 13 v. 13. *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini IESUM Chriſtum.* Quibus verbis, quaſi fulmine percuſſus, ſtatim converſus eſt, hæreſim abjuravit, ſcortationes deſeruit, mundo valedixit, cœlibemque ac religioſam vitæ rationẽ amplexus eſt. Vno verbo de illo effari licet, quod ſapiens Eccleſiaſticus cap. 48.
Eccl. c. 48. v. 1 verſ. 1. de ſanctiſsimo parente Eliâ ait. *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat, qui dejeciſti reges ad perniciem, & confregiſti facile potentiam illorum, &c.* Quare ut Eccleſia innueret Gentiles Judæis fuiſſe prælatos Paulum Petrò antepoſuit juxta illud ad Romanos cap.
Rom. c. 9. v. 13 9. verſ. 13. *Major ſerviet minori.* Sic Joannes cap. 20. verſ. 4 narrat de ſe quod cum Petro curreret ad monu-
Ioan. c. 20. v. 4. mentum. *Ioannes præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.* Syriacus. *Ille diſcipulus curſu præceſſit Simonem, venitque prior ad monumentum.* Qui præcurſus non ſignificat Joannem eſſe Petro ſuperiorem ſed virginitate clariorem. Sanctus Hieronymus in cap. 56. Iſaiæ. Petro tardius ambulante. *Ioannes elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum.* Præcucurrit elatus non alis majoris auctoritatis, ſed majoris puritatis.

VIII Septima ratio, dari poteſt in tempore vocationis utriuſque. Certum eſt apud omnes ſtatum immortalitatis eſſe perfectiorem ſtatu mortalitatis, illi dexterã ſedem, huic lævam eſſe aſſignandam. Sanctus Gregorius homiliâ 21. in Evangelia. S. Greg. *Quid namque per ſiniſtram niſi vita præſens, quid verò per dextram niſi perpetua vita deſignatur? Vndè in Canticis Canticorum ſcriptum eſt lava ejus ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* Quando ſanctus Petrus fuit à Chriſto vocatus? dum in hâc vitâ mortali degeret, Paulus autem à Chriſto immortalitatis ſtolâ induto, à Chriſto regnante & ſedente in dexterâ Patris. Hanc rationem mihi ſubminiſtrat Apoſtolus ad Galatas cap. 1. verſ. 1. *Paulus Apoſtolus non ab homine, neque per hominẽ,* Galat. c. 1. v. 1. *ſed per IESUM Chriſtum & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis,* id eſt Paulus vocatus, non inſtar aliorum Apoſtolorum, qui vocati ſunt à Chriſto adhuc in corpore mortali exiſtente, ſed ex omni parte immortali. Ita cum S. Auguſtino, Petro Damiano epiſt. ad Deſiderium, Innocentio ſermone de Evangeliſtis, ſanctus Thomas lectione primâ in epiſt. ad Galatas his verbis. *Apoſtolus ſum, non ab hominibus ſcilicet collegio Apoſtolorum, nec per hominem ſcilicet Chriſtum* S. Thom. *in mortali carne viventem, ſed ſum Apoſtolus per Chriſtum jam ſuſcitatum & glorificatum. Roman. cap. 6. verſ. 9. Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, &c. Et quia præſens vita ſignificatur per ſiniſtram, futura verò per dextram, in quantùm iſta eſt cæleſtis & ſpiritualis, illa verò temporalis: ideò Petrus, qui vocatus fuit à Chriſto adhuc in carne mortali poſito, ponitur in bullâ Papa in ſiniſtrâ parte, Paulus verò, qui vocatus fuit à Chriſto jam glorificato ponitur in parte dexterâ.*

IX. Octavam rationem colligo ex eodem Petro Damiano, ſcilicet Paulum ideò dextram partem tenere, quia oriundus erat ex tribu *Benjamin*, qui ex interpretatione idem eſt ac *Filius dexteræ*, & per Benjamin fuit demõſtratus ac typicè delineatus in ſcrip-

turis

turis: ſicut enim Benjamin natu minor, tamen appellatus fuit à Patre, *filius dexteræ*, & reliquis fratribus Geneſis cap. 39. & 42. præpoſitus à Joſepho. Sic quamvis Paulus ſit vocatione ultimus, tamen ob ſapientiam aliasque dotes fuit Petro & aliis Apoſtolis antepoſitus.

X. Nonam rationem colligo ex comparatione Eliæ cum Petro & Moyſis cum Paulo. Suppeditat S. Chryſoſtomus tomo 5. homiliâ in ſanctos Petrum & Eliam. Cornelius in proœmio epiſtolarũ cap. 3. n. 11. Quamvis apud Camartum lib. de geſtis Eliæ cap. 6. ſect. 9. Elias aliquam excellentiam habeat ſupra Moyſem, nihilominus ab ipſis Evangeliſtis Moyſes anteponitur Eliæ, Matthæi cap. 17. verſ. 3.

Matt. c. 17. v. 3. *Et Ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Vatablus. *Ecce conſpecti ſunt Moyſes & Elias cum illo colloquentes.* Lucæ cap. 9. verſ. 30. *Ecce duo viri loquebantur cum eo; erant autem Moyſes & Elias.* Elias poſtponitur Moyſi alias cõjugato, Elias Monaſticæ vitæ (quæ Eccleſiaſtici germinis flos eſt) Profeſſor & Inſtitutor ſequitur Moyſem, populi Iſraelitici rebellis ducem comitatur. Elias innocens futuri adventus Chriſti præcurſor, inſignis præco & generoſus Martyr, poſterior eſt Moyſi, qui Numerorum cap. 20. verſ. 12. deliquit ad aquas contradictionis. Lævam partẽ tenet primò, quia Elias adhuc in mortali corpore erat, Moyſes immortalis. Secundò quia Moyſes mitis, Elias ſeverus erat, & apud Deum clementia primas tenet. Tertiò, quia Moyſes Eliâ antiquior, ac veneratione dignior. Sic ob rationes allatas ipſe Petrus Moyſi primum locum aſſignat, verſ. 4.

verſ. 4. *Reſpondens dixit ad IESVM, Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula tibi unum Moyſi unum, & Eliæ unum.*

XI. Decimam iterùm ſuggerit hiſtoria Moyſis & Aaronis. Aaron & poſteri ejus ſummum Pontificatum, poteſtatemque ordinariam illi debitam poſſederunt, & tamen apud populum Hebræum majori veneratione colitur: quia huic inerat poteſtas extraordinaria. Sic ſupremo Pontificatui Petri, ejusque poteſtati ordinariæ in omnem Eccleſiam non officit extraordinarium privilegium ac poteſtas collata Paulo ratione cujus locum dexterum Paulus obtineat.

Vndecimam rationem colligo ex P. Lezana ſupra, & Petro Marca in opuſculo de hâc re. In Imagine Paulus Petri dexteram occupans, ſi ad intuentium aſpectum referatur, ſiniſtrũ latus obtinebit. At dextera vel ſiniſtra pars ex inſpicientium obtutu dimetienda eſt, ut pluribus exemplis probat Marca. XII.

Duodecima petitur ex Actor. cap. 15 ubi Paulus & Barnabas modo primo loco, modò ſecundo indiſcriminatim collocantur. Verſ. 2. *Statuerunt, ut aſcenderent Paulus & Barnabas.* Item. *Facta eſt ſeditio non minima Paulo & Barnabæ.* Verſ. 12. *Audiebant Barnabam & Paulum.* Verſ. 22 *Placuit Apoſtolis, &c. mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba.* Verſ. 25. *Placuit mittere ad vos cum chariſſimis Barnabâ & Paulo.* Item depromitur ex Apoſtolo ad Galatas cap. 2. verſ. 9. ubi præponit Iacobum Petro. *Et cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi Iacobus & Cephas.* XIII.

Decima tertia fundatur in raptu: ideſt extaſi ob quam Petrus & Eccleſia ceſſerunt Paulo locũ honoratiorem, non quia majori auctoritate pollebat, ſed quia raptus fuit uſque ad tertium cœlum, de ipſe 2. Corin. cap. 12. verſ. 2. ſcribit. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum hujuſmodi uſque ad tertium cælum, &c.* Quem raptum ad tertium cœlũ explicat D. Thomas 2. 2. quæſt. 175. art. 5. ad 4. XIV.

XV. Ex quibus facile poſſunt explicari loca ſcripturæ & Patrum loquentium de dexterâ, ut cum pſalmo 109. v. 1. Pater dixit filio ſuo. *Sede à dextris meis*, Ibi enim, *Chriſto filio ſuo* (inquit Titelmannus) *totius humani generis Salvatori juſſit morte devictâ, & opere laborioſiſſimo redemptionis humanæ, ad quod exierat, conſummato in dexterâ ſuâ conſidere, atque in æqualitatem paternæ gloriæ conſcendere, dans illi poteſtatem ſuper omnia, quæ in cælo, &* Pſ. 109. v. 1. Titelm.

O quæ

quæ in terrâ, judicemque conſtituens vivorum & mortuorum. Cùm S. Marcus cap. 16. verſ. 19. de Chriſto ſcribit. *Aſſumptus eſt in cælum & ſedet à dextris Dei.* Arabicus. *Sedet à dexterâ Patris.* Syriacus. *Conſcendit à dexterâ Dei.* S. Epiphanius. *Sedet in dextris Dei.* Actor. cap. 7. verſ. 55. *Video* (inquit S. Stephanus) *cælos apertos & Filium Dei ſtantem à dextris Dei.* Symbolum Apoſtolorum, Nycænum, ſancti Athanaſii, ſedet ad dexteram Patris, ideſt (inquit noſter Sylveira tomo 5. lib. 9. cap. 10. quæſt. 20. num. 134) in gloriâ & beatitudine ſibi plurimùm benè placet, ſummoque gaudio perfunditur. Vel (ut S. Athanaſius, S. Chryſoſtomus, S. Ioannes Damaſcenus exponunt) dextera Divinam Chriſti Majeſtatem, & cum æterno Patre æqualitatem denotat, qui (inquit Apoſtolus ad Philippenſes cap 2. verſ. 6) *Non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo.* Hebr. cap. 1. v. 3. *Sedet ad dexteram Patris in excelſis.* ideſt ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 12. theſauri cap. 7. tantùm honoris, tantùm majeſtatis ei tribuit, ut propter univerſale dominium ei in omnes creaturas conceſſum in proprio ſuæ maieſtatis throno collocarit, ipſumque latriæ cultu adorari voluerit. Vel ſeſſio illa ad dexteram ſignificat Chriſtum in aſcenſione ſuâ divinæ excellentiæ, ac ſupremæ ſuæ dignitatis ſingularem manifeſtationem & claritatem recepiſſe, quam ipſe prius à Patre poſtulaverat Ioannis cap. 17. verſ. 1. *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet. Apud te.* Ideſt, manifeſta hominibus me tibi æqualem eſſe, & Deum verum de Deo vero. Ita ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioannem cap. 14. S. Hilarius lib. 3. de Trinitat. S. Baſilius lib 4. adverſus Eunomium in fine, ſanctus Cyprianus lib. de duplici Martyrio. Sic ſancti Paulus & Petrus ſibi dextri ſunt & ſiniſtri, quia (ut ſupra dictum eſt) ex ſancto Leone ſermone primo de Natali Apoſtolorum *Illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis meritis fecit æquales.* & ſanctus Maximus ſupra. *Æquales meritis, quia æquales ſunt paſſione.* Sic D. Ambroſius ait dexteram partem denotare non tantùm paritatem, ſed etiam præcedentiam ſermone 60. *Licet dignitatis gradus non ſit, ubi plenitudo Divinitatis eſt: tamen ideò ad dexteram ſedet filius, non quo præferatur Patri; ſed nè inferior eſſe credatur.* Et ſermon. 62. in fine. *Nec miremini, quod ad dexteram Patris reſidere dixi filium, ad dexteram enim reſidet, non quia major Patre, ſed nè minor Patre eſſe credatur, ſicut hæretici blaſphemare conſueverunt.* S. Petrus ceſſit dexteram Paulo, ut dictum eſt, ex humilitate, undè humillimum illum titulum *Servus ſervorum Dei*, ſibi attribuit. Vel quia ſecundùm ſanctum Maximum Paulus clavem ſapientiæ poſſidet, & ſecundùm ſanctum Chryſoſtomum homiliâ 4. de laudibus Pauli, eſt *Mare ſapientiæ puriſſimum & profundiſſimum.* Licet Petrus præcedat poteſtate.

Marc. c. 16. v. 19.
Actor c. 7. v. 55.
Philipp. c. 2, v. 6.
S. Amb.

§. 13.

Diluuntur Argumenta petita ex Conciliis.

I. QVædam Concilia videntur attribuere Paulo ſuperioritatem in poteſtate, vel paritatem aut æqualitatem abſque ſubordinatione, vel dependentiâ Pauli à Petro. In Concilio Conſtantinopolitano, ſeu quintâ Synodo act. 1. Mennas Patriarcha in ſententiâ contra Severum & Zoaram *Contempſerunt quidem* (inquit) *Eccleſiam Romanam ſucceſſorem Apoſtolorum, quæ ſententiam contra ipſos protulit.*

Concilii Conſtan.

II. In octavâ Synodo univerſali, ſeu Conſtantinopolitanâ quartâ ſub Adriano II. Pontifice, & Baſilio Imperatore, actione primâ præſentibus Legatis Apoſtolicis. *Precamur* (inquit Papa) *ut eos ob amorem præcipuorum Apoſtolorum Petri & Pauli, à quorum ſede mittuntur ſuſcipias, & tanquam nobiſmetipſis aures credulitatis accommodes.* Eadem actione productus eſt libellus à S. Romanorum Eccleſiâ miſſus & lectus audiente totâ Synodo, ubi

Conc. 4. Conſt.

ubi inter alia. *Sequimur* (inquiunt) *ſanctam Synodum & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus (cui & ipſe Domine Coangelice ſumme Pontifex Adriane ſubſcripſiſti ante ſacratiſſimum Petri & Pauli Apoſtolorum eximiis corpus) celebravit.* Actione ſeptimâ contra Photium. *Statuimus ipſius execranda geſta, quibuſcumque habeantur monumentis inſerta, ſummi judicis Domini noſtri IESV-Chriſti, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis auctoritate penitus abolenda decernimus, &c.*

III. Synodus Trevirenſis celebrata anno 1549. *In confeſſo eſt apud omnes, teſtantibus nimirùm ſanctæ Eccleſiæ Patribus, ac re ipſa clamante Chriſti Apoſtolos Petrum & Paulum Dei ſanctum Evangelium, in ſanguine ipſorum ſignatum Romanæ Eccleſiæ reliquiſſe, atque in illius fidem Eccleſias omnes, quæ ubique ſunt, fideles in toto orbe terrarum religiosè conſpiraſſe, atque in ſocietate ſacramenti confœderatas & conjunctas eſſe. Itaque cùm ad nos per Epiſcoporum ſucceſſionem perpetuò continuas tam ea fides pervenerit, non dubitamus hanc unam eandemque eſſe, atque adeo veram fidem, quæ ab Apoſtolis ipſis in veritate eſt tradita, & uſque nunc religiosè ſemper cuſtodita, & in Catholicâ Eccleſiâ ſemper conſervata, &c.*

Synodus Trevir.

IV. Similia proferunt adverſarii ex Conciliis Lateranenſi, Aquiſgranenſi, Conſtantienſi, & Florentino: quibus omnibus breviter reſpondeo nullatenus primatum regiminis Paulo attribui, ſed dumtaxat Apoſtolicam dignitatem, munus, doctrinam, ſapientiam, gratiam prędicandi præ cæteris in eo fulgere, vel Petrum & Paulum ſuis meritis Romanam Civitatem honoraſſe, proprioque cruore purpuraſſe: ita tamen ut Petrus ſupremâ auctoritate & poteſtate in omnem Eccleſiam fulgeret.

§. 14.

Explicatur mens Romanorum Pontificum pro adverſariis citatorum.

I. Paulini primatus aſſertores citant librum Apoſtolicarum cōſtitutionum ſancti Clementis martyrio affecti anno Chriſti 102, ſed perperam: nam per illa verba lib. 7. cap. 47. quæ allegant juxta verſionem Turriani. *Eccleſiæ vero Romanæ Linus Claudiæ filius primus à Paulo, Clemens verò poſt mortem Lini, ſecundus à me Petro ordinatus eſt.* Primò innuit dumtaxat ſanctum Linum fuiſſe à Paulo ordinatum Epiſcopum, coadjutorem Petri in adminiſtratione Pōtificatus, præcipuè dum Petrus à Româ abeſſet. Petrum autem ordinaſſe Clementē vel ad illud officium obeundum, vel in ſucceſſorem. Quod Linus, Cletus, & Clemens fuerint Romæ Petri coadjutores, teſtantur Scriptores Eccleſiaſtici, & maximè Baronius ſub anno Chriſti 69. num. 30. *Invaluit penes nonnullos ea ſententia Linum nequaquam poſt obitum Petri illi ſucceſſorem ſuffectum, Romanæ urbis Epiſcopum ſediſſe: ſed tantùm vivente adhuc Petro, dum illum univerſalis Eccleſiæ ſollicitudo ab urbe in diverſas Chriſtiani orbis provincias evocaret, ordinatum eſſe coadjutorem Epiſcopum unà cum Cleto, qui ambo ſimul loco ipſius Petri obirent Eccleſiaſticas functiones.* Citatque Metaphraſtem 29. Iulii. *Clemen.*
Infrà. *Sic igitur videos ejuſdem ſcriptionis auctoritate ratum haberi poſt Petrum ſediſſe Linum continuantem ſedem ſuam, qui olim non ut Pontifex, ſed ut correpiſcopus, dum vixit Petrus, ſedere cæpit.* Et poſt multa. *Quamobrem quæ habentur in Epiſtolâ Ioannis Papæ III, ad Epiſcopos Germaniæ inſcripta, & alia Leonis nomine Papæ II. quam citat Marianus Scotus cùm agit de Clemente, quibus declaratur non fuiſſe à Petro Linum & Cletum inſtitutos Romanæ Sedis Epiſcopos, ſed tantùm Coadjutores, non aliter quidem ſunt intelligenda, niſi quod ſic ſederunt, dum Petrus vixit,*

ut non æquale Petro Pontificium nacti Baron. *ſunt, coadjutores tantummodò illius exſtiterunt, quod & nos profitemur.* Paulò poſt concludit. *Satis igitur ex his narratis ſtabilis, firmaque remanet Eccleſiæ Romanæ ſententia de Petri ſucceſſoribus, conſenſuque antiquorum Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum ſtabilita, Lino & Cleto, etſi tempore ſedis Petri, eo abſente munere Pontificio ut coadjutores ſunt functi, ac etſi Clemens à vivente Petro fuerit Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ prælectus, & ordinatus; eundem Clementem ceſſiſſe, iiſdemque altero poſt alterum uſque ad obitum Pôtificatu ſummo perfunctis & Romanum Epiſcopatum duodecim annis tenentibus, demùm tertio loco ſuffectum eſſe Clementem.* Cæterùm Lini ordinatio, & Ignatii Paulo competebat, ob Apoſtolicam dignitatem, ſicut Ioannem in Aſiâ, Jacobum in Hiſpaniâ, imò eundem Paulum, Titum, Timotheum, Paulum, Sergium ordinaſſe, vel volente, vel conſentiente Petro, vel ſaltem cum ſub ordinatione ad ipſum ut ſupremum Eccleſiæ Paſtorem, teſtatur hiſtoria Eccleſiaſtica.

II. Secundò ſi ex eo quod Paulus Romæ Linum Epiſcopum ordinaverit, ſequitur Paulum Epiſcopum Roſſanum fuiſſe, poterit ſimiliter inferri Paulum fuiſſe Epiſcopum Antiochenum, quia Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit à Paulo ordinatus, at nullus unquam aſſeruit Paulum ſedem Antiochenam occupaſſe. Nec refert quod lib. 8. cap. 53. apud Turrianum dicatur. *Ego Paulus & ego Petrus conſtituimus*: ibique nomen Pauli præponatur nomini Petri id fit ex modeſtiâ, humilitate, urbanitate, & œconomiâ, juxta ipſius Apoſtoli con- Rom c. 10.v.12. Cornel. ſilium, Roman. cap. 12. verſ. 10. *Honore invicem prævenientes.* Cornelius. *Quò majores ſunt; eò magis ſe demittant, & aliis ſubmittant, eiſque primas deferant in inceſſu, in menſâ, in conceſſu, aliiſque rebus omnibus.*

III. Tertiò, S. Clemens ſuam mentem aperit cap. 4. ubi Petrum ſic loquentem introducit: *Nos igitur duodecim Apoſtoli Domini, qui unà ſumus his vobis conſtitutiones de omni Eccleſiaſticâ formâ indicimus præſente Paulo vaſe electionis, & Coapoſtolo noſtro, & Iacobo Epiſcopo, ac reliquis Presbyteris, & ſeptem Diaconis. Ego igitur primus Petrus, dico.* Vbi Petrus primus loquitur, & ſe primum vocat.

Quartò Clemens ipſe epiſt. 1. ad IV. Jacobum fratrem Domini ab omnibus receptâ, ita de primatu Petri præ reliquis Apoſtolis loquitur. *Notum tibi facio Domine, quia Simon Petrus, qui veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt, quâ de cauſâ etiam Domini ore divino cognominatus eſt Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apoſtolorum primus.* Plura alibi de hoc primatu Petri profert. Nec obſtat, quod libr. 7. conſtitut. Apoſtol, cap. 1. inducat Apoſtolos de Petro ſic loquentes. *Ananias & Saphira Petri Coapoſtoli noſtri ſententiâ morte ſunt affecti.* Non dicunt Principis vel Monarchæ noſtri: ſed Coapoſtoli, & æqualis. Nam verum eſt Petrum eſſe Coapoſtolum, & non tantùm Paulo, ſed etiam aliis Apoſtolis parem, ſi præcisè ſpectes Apoſtolatum. Denique reſpondet Baronius S. Clementis libros de recognitionibus & conſtitutionibus Apoſtolicis fuiſſe ab hæreticis corruptos ac vitiatos, ſic enim ſcribit ad annum Chriſti 42. *Quod ſpectat ad res Petri Cæſarea geſtas multa alia ſunt in apocryphis inſignitis, quæ ut* Baron. *mendaciis conferta indigna ſanè exiſtimamus, quæ unà cum his, quæ vera, certaque, ac in omnibus denique haberentur explorata jungantur, &c.* Idem ſcribit ad annum Chriſti 74. & 102. quem ſequitur Cardinalis Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente Romano. Cornelius in cap. 15. act. Apoſt. Noſter Lezana ſupra num. 38. & alii. Ratio autem cur iſti libri Clementis cenſurâ afficiuntur, eſt: quia narrat duodecim Apoſtolos per orbem diſperſos interfuiſſe Concilio Hieroſolymitano, ubi de obſervantiâ legalium agebatur, negat Mariam Magdalenam fuiſſe ſororem Lazarii, aſſerit Jacobum fratrem Domini eſſe extra numerum Apoſtolorum, affirmavit quartas nuptias eſſe libidinem & manifeſtam impudicitiam, item ſervandum eſſe Sabbathum ſicut diem

diem Dominicum, & multa alia abſurda. Quoad epiſtolam ejuſdem Clementis de quâ ſupra, hæc ſcribit Euſebius apud Baronium ad annum Chriſti 95. citans Hegeſippum auctorem antiquiſſimum. *Hujus Clementis una fertur eſſe epiſtola omnium judicio approbata, illuſtris illa quidem & digna admiratione, quam tanquam ex Romanæ Eccleſiæ perſonâ ad Corinthiorum Eccleſiam tunc quidem exaravit, cùm jam Corinthi gravis eſſet conflata ſeditio. Hanc ſanè cum veterum tum noſtra ipſorum memoria plurimis in Eccleſiis publicè lectam, publicatamque cognovimus.* Eandem epiſtolam approbat & laudat Irenæus lib. 3. cap. 3. citatus ab eodem Baronio ſupra.

Euſebius

V. Citant adverſarii Anacletum Papã qui martyrio occubuit anno Chriſti 112. epiſtolâ 3. dicentem. *Prima ergò ſedes eſt cæleſti beneficio Romanæ Eccleſia quam Petrus & Paulus ſuo martyrio conſecrarunt.* Item, *Adhibita eſt etiam ſocietas in eadem Romanâ Vrbe Beatiſſimi Apoſtoli Pauli Vaſis electionis, qui uno die, uno quoque tempore glorioſa morte cum Petro ſub principe Nerone agoniſans coronatus eſt, & ambo ſanctam Romanam Eccleſiam conſecrarunt, aliiſque omnibus urbibus in univerſo mundo eam ſuâ præſentiâ, atque venerando triumpho prætulerunt.* Ex hoc conſortio Petri & Pauli perperam infertur æqualitas primatus & Pontificatus Romani ſocietas & communio; ſed tantùm identitas præſentiæ, doctrinæ, obitus, & triumphi: ut colligere eſt ex versbi Anacleti anterioribus, ubi ait ſe nihil diſcernere, niſi conformiter ad ordinationes à S. Petro & aliis Apoſtolis editas ſupprimendo nomen Pauli. Accipe ejus verba. *Quantùm hactenus de his à Beato Petro Apoſtolo, & à reliquis Apoſtolis, ac beato Clemente noſtro ſancto Prædeceſſore & Martyre novimus ſtatutum.* Quibus innuit Eccleſiam Romanam aliter fuiſſe conſervatam à Sancto Petro, quàm ab aliis Apoſtolis.

Anacletus

VI. Objiciunt auctoritatem Victoris Papæ Martyrium paſſi anno Chriſti 203. qui epiſt. 1. ita ſcribit. *Licet Eccleſia in quâ ſanctis Apoſtolis reſidẽs docuit, quemadmodum nos gubernacula teneamus; tamen profitemur nos honore & ſanctitate minores eſſe.* Reſpondet primò P. Lezana, ea verba in epiſtolis Victoris non reperiri, nec ullo modo probare intentum. Secundò, ſi in verbis ejuſdem epiſtolæ addat. *Niſi Apoſtolorum, ſuorumque ſucceſſorum terminos tranſgredi, &c.* Tantùm denotabunt Pontifices Romanos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores non verò Pauli unius, quæ reſponſio colligitur ex antecedentibus. *Ita conſtitutum liquet à tempore Apoſtolorum.* Et ſic concludetur non Petrum & Paulum, ſed duodecim Apoſtolos fuiſſe Romanos Pontifices.

Victor.

VII. Vrgent verba S. Lucii Papæ, qui Martyrii lauream adeptus eſt anno 257. in Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ. *Hæc ſancta (inquit) & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit; ſed ut in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit ab auctoribus Apoſtolorum Chriſti principibus.* Hæc verba ſolummodò ſignificant normam fidei Apoſtolicæ, non tantùm à Petro, ſed etiam à Paulo fuiſſe Romanæ Eccleſiæ communicatam, ſed diverſimodè, à Petro quidem ut paſtore primario, à Paulo autem ut inſigni Prædicatore: à Petro poteſtatem & auctoritatem habente, à Paulo ſummâ ſapientiâ & doctrinâ pollente. Et confirmatur ex eodem Pontifice, qui in initio epiſtolæ Eccleſiæ primatum unico & ſoli Petro attribuit. *Litteras (inquit) dilectionis veſtræ, quaſi ad Beati Petri Apoſtoli ſedem pro veſtri causâ negotii miſiſtis, libenter ſuſcepimus.* Non vocat Petri & Pauli *ſedem*, ſed ſolius Petri.

S. Lucius

VIII. Opponunt Siricium Papam, qui martyrio coronatus eſt anno Chriſti 398, hic epiſt. ad Humer. Tarraconenſem Epiſcopum, ſeu in epiſtolâ 9. Simplicii Papæ ad Zenonem Imperatorem ait. *Si ergò beatus Propheta ad lugenda populi peccata, non ſibi ait lacrymas poſſe ſufficere, quanto nos dolore percelli, cùm eorum, qui in noſtro ſunt cor-*

Siricius.

pore compellimur facinora deplorare? præcipuè quibus ſecundùm beatum Paulum inſtantia quotidiana, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum indeſinenter incumbit. Ex quibus non poſſunt inferre quod ſit Summus Pontifex Eccleſiæ Romanæ, alioquin eâ facilitate poterit concludi Joannem, Jacobum, & Judam Apoſtolos primatum Romanæ Eccleſiæ obtinuiſſe, cùm Romani Præſules etiam eorum inſtitutis & ſcriptis inhæreant. Cœterùm quod Siricius Papa adverſariis non faveat, idem Pontifex teſtatur in principio ſuæ epiſtolæ. *Portamus* (inquit) *onera omnium qui gravantur, quin imò hæc portat in nobis beatus Apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit & tuetur hæredes.* Ait Romanos Pontifices hæredes adminiſtrationis Petri, non Pauli.

IX. Quod ſi allegent S. Innocentium I, qui occubuit anno 417. decidere, definire & communicari ex parte, auctoritate & in perſonâ Apoſtolorum Petri & Pauli, non ſequitur Petrum & Paulum eſſe auctores poteſtatis & auctoritatis quâ funguntur Rom. Pōtifices, quod vel eam ipſis contulerint, cùm conſtet Romanos pontifices legitimè electos, ſuam poteſtatem & auctoritatem immediatè accipere à Chriſto, ut in ſimili colligi poteſt, l. *Unum ex familiâ. §. ſed, 4 de fiduciâ, ff. de legat.* 2. & probat Cardinalis à Turrecrematâ de poteſt. Eccleſ. libr. 2. cap. 42 intendit igitur Innocentius auctoritatem Romanis pontificibus eſſe collatam, orationibus, defenſione & protectione SS. Petri & Pauli. Porrò Innocentius I. ſuam de primatu Petri mentem aperit in reſponſione ad Patres Cōcilii Milevitani Generalis apud ſanctum Auguſtinum epiſt. 93. *Conſulitis ſuper anxiis rebus, quæ ſit ſententia tenenda.* Poſt

S. Innoc. nonnulla. *Scientes* (inquit) *quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim fidei ratio ventilatur, quod arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, id eſt, ad ſui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe.*

X. Multò minus favet adverſariæ opinioni Sanctus Leo defunctus anno Chriſti 461. hic ſermone in Natali Apoſtolorū Petri & Pauli cap. 1. ait *Iſti ſunt Viri per quos tibi Evangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, veriqùe paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multò melius, multoque fœlicius condiderunt, quam illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt, &c. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, &c.* S. Leo

caput orbis effecta latius præſideres religione divinâ, quàm dominatione terrenâ. Et cap. 4. ita S. Petrum affatur. *Ad hanc ergò urbem tu Beatiſſime Petre Apoſtole venire non metuis, & conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus ſylvā iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceanum conſtantior quàm cum ſupra mare gradereris, ingrederis.* Cap. 6. *Ad quam beatus Coapoſtolus tuus Vas electionis, & ſpecialis Magiſter gentium Paulus occurrens eodem tibi conſociatus eſt tempore, quo jam omnis innocentia, omnis pudor, omniſque libertas ſub Neronis laborabat imperio.* Infra. *Undè duo iſta præclara divini ſeminis germina in quantam ſobolem germinarunt beatorum millia Martyrum proteſtantur, &c.* Cap. 7. *In horum excellentiâ Patrum meritò eſt excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantùm apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum.* Vocat præcipuos Apoſtolos, Romæ Patres, veros paſtores, per quos Roma præſidet religione Divinâ, nominat Paulū conſortem Petri, coapoſtolum, conſocium ejus, & utrumque præclara divini ſeminis germine, & ad tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provectos, ut eos Chriſtus caput in corpore Eccleſiæ quaſi geminum conſtituerit lumen oculorum. Undè concludit. *De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant facultatem, nihil diverſum, nihil*

nihil debemus ſentire diſcretum: quia illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales. Ad hoc dico Petrum & Paulum poſſe comparari, primò quoad ſapientiam, zelum, laborem, ſanctitatem, honorem, ex illis provenientem, & ſic Paulus potuit eſſe par Petro, ut apertè innuit his verbis. *De quorum meritis atque virtutibus nihil debemus ſentire diſcretum.* Secundò quoad juriſdictionem, & ſic Petrus erat major Paulo. Tertiò (inquit Becanus lib. 2. de Republicâ in fine) poſſunt inter duo lumina unum eſſe majus altero, ut patet in Sole & Lunâ quæ ſcriptura Geneſis cap. 1. vocat duo luminaria. Etſi etiam ſint pares quoad ſanctitatem, quoad converſationem, quoad ſanguinis effuſionem; tamen ſunt impares quoad poteſtatem & auctoritatem, quoad doctrinam & prædicationem. Petrus quoad auctoritatem ſuperat Paulum; Paulus quoad prædicationem eſt excellentior Petro. Quoad munus paſtorale Paulus eo modo præeſt, quo alij Apoſtoli, de quibus Eccleſia canit: *Eiſdem contuliſti eſſe Paſtores.* In quo tamen munere ſunt inferiores Petro. Vt teſtatur ipſe Leo ſermone citato cap. 1, dicens. *Per ſacram beati Petri ſedem caput orbis effecta.* Non ait per ſacram Beati Petri & Pauli ſedem. Cap. 3. ab eodem. *Petrus nuncupatur princeps Apoſtolici ordinis*, & ſermone in utriuſque Apoſtoli natali cap. 1. S. Pontifex vocat *Apoſtolici ordinis primum beatum Petrum.* Et paulò poſt hæc de eo pronunciat. *Iſte primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolicâ dignitate.* Infra hujus Apoſtoli confeſſionē ponderans. *Sicut pater meus tibi manifeſtavit divinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus; id eſt cùm ego ſum inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, & quæ mihi poteſtate ſunt propria; ſunt tibi mecum participatione cōmunia.* Cap. 3. ponderans illa verba. *Tibi dabo claves regni cælorum, &c.* Occurrit objectioni. *Tranſivit quidem in Apoſtolos alios vis iſtius poteſtatis, ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur.* Eum vocat principem. *Pro Petri fide propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit.* In fine. *Gratias agentes ſempiterno Regi & Redemptori noſtro IESV Chriſto, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ principem fecit.* Et paulò ante nomen ducis illi tribuit. *Rationabiliter & juſtè in ducis noſtri meritis & dignitate lætamur.* Sermone 2. in anniverſario ſuæ aſſumptionis ad ſupremum Eccleſiæ regimen, appellat Eccleſiæ Gubernatorem præ cæteris ordinatum, ac regni cœlorum janitorem. *Petrus in acceptâ fortitudine petra perſeverans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum janitor conſtituitur, dum ligandorum, ſolvendorumque arbiter, manſura etiam in cælis judiciorum ſuorum defenſione præficitur.* Sermone 3. in anniverſario ejuſdem aſſumptionis. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Paucis interjectis. *Primus eſt in Domini confeſſione, qui primus in Apoſtolicâ dignitate.* Infra. *Quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſunt tibi mecum participatione communia.* Plura ibi. Similia habet epiſtolâ ad Epiſcopos Siciliæ epiſt. 30. ad Martianum & Fauſtum, epiſt. 45. ad Synodum Chalcedonenſem. Epiſtolâ 89. cap. 1. ad Epiſcopos Provinciæ Vienenſis. Quæ epiſtolâ 81, ſcribit Dioſcoro Epiſcopo tantummodò audiamus. *Cum enim Beatiſſimus Petrus Apoſtolorum à Domino acceperit principatum, &c.* Vide apud noſtrum Lezanam ſupra num. 46. varia Apoſtolorum privilegia, quibus omnibus Petrus ſupereminet.

Nec contra nos militat Gelaſius I. qui deceſsit 496. dicens. *Sancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis* XI. *Gelaſius*

nodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es Petrus, &c. Cui data eſt etiam ſocietas Beati Pauli Apoſtoli vaſis electionis, qui non diverſo, ſicut Hæretici garriunt, ſed uno tempore, uno eodemque die glorioſâ morte cum Petro in urbe Româ coronatus eſt, & pariter ſupradictam ſanctam Romanam Eccleſiam Christo Domino conſecrarunt, talemq; omnibus urbibus in univerſo mundo ſuâ præſentiâ, atque venerando triumpho prætulerunt. Hujus loci ſolutio patet ex dictis, ſcilicet Paulum fuiſſe Petro æqualem, ſi præcisè ſpectetur Apoſtolatus: nam uterque fuit Apoſtolus Chriſti. Reſpondet ſecundò P. Lezana citata verba in canon. *Sacroſancta*, diſt. 22. non tribui Gelaſio, ſed Anacleto epiſt. 3. cap. 3 Tertiò, cujuſcumque ſint, parum inſerviunt adverſariis: nam æqualitas & ſocietas non denotant eandem auctoritatem fuiſſe in utroque, quod probatur à ſimili, Exodi cap. 31. dicitur Ooliab ſocius Beſeleel
Exod. c. in fabricâ tabernaculi verſ. 6. *Dedi ei*
cap. 31. *ſocium Ooliab*; & tamen verſ. 2. con-
verſ. 6. ſtat Beſeleel fuiſſe præfectum operis
verſ. 2. & architectum. *Ecce vocavi ex nomine Beſeleel, &c. & implevi eum ſpiritu Dei, ſapientiâ, & intelligentiâ, & ſcientiâ in omni opere ad excitandum quidquid fabrifieri poteſt ex auro.* Et Gloſſa ait per
Gloſſa. Beſeleel Petrum, per Ooliab Paulum denotari. *Beſeleel & Ooliab ſunt Petrus & Paulus qui duo poſt Chriſtum ædificaverunt Eccleſiam Iudæorum. Beſeleel enim, qui interpretatur umbra Dei ſignificat Petrum: nam ad tactum umbræ ejus virtute divinâ ſanabantur infirmi. Act. cap. 5. Ooliab qui interpretatur protectio vel habitatio mea Pater, eſt Paulus, qui mente habitabat in Deo Patre omnium. Vnde ait ipſe Philipp. cap. 3 Noſtra converſatio in cælis eſt.* Similiter
Luc. 5. v. 7. Lucæ cap. 5. verſ. 7. Apoſtoli vocantur ſocii Petri, cùm tamen eſſent illi inferiores. *Et annuerunt ſociis, qui erant in aliâ navi, ut venirent & adjuvarent eos.* Specialiter Jacobus & Jo-
v. 10. annes verſ. 10. *Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis.*

XII. Quamvis S. Gregorii papæ, qui floruit anno 606. auctoritas ſit magni facienda: tamen citatus ab adverſariis parùm eos juvat lib. 1. Dialogo- Gregor. Magni
rum cap. 12. *Quidnam neſcis, quoniam Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo, in principatu Apoſtolico frater eſt? Petr. Diac. Scio planè nec dubium eſt.* Item ex lib. de Sacram. in Vigiliâ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. *Deus qui ligandi, ſolvendique licentiam tuis Apoſtolis contuliſti.* Item in eorundem octavâ. *Beatorum Apoſtolorum tuorum Domine Petri & Pauli deſiderata ſolemnia recenſentes, præſta quæſumus, ut eorum ſupplicationibus muniamur, quorũ regimur principatu.* Homiliâ 18. in Ezechielem. *De duobus ducibus cœleſtis exercitus loquor.* Lib. 4. in lib. 1. reg. cap. 10 *Qui talis extitit Chriſtum perſequens converſus caput effectus eſt nationum, quia obtinuit totius Eccleſiæ principatum. Dum ergo tam magnum peccatorem converſum, tam ſublimi dignitate à Domino honoratum conſpicimus, peccatorum noſtrorum invenire nõ poſſe remiſſionem, præſumamus.* Vocat Paulum in principatu Apoſtolico fratrem Petri, habuiſſe cum Petro licentiam ligandi atque ſolvendi. Rectorẽ principatus cum Petro, caput Nationum, totius Eccleſiæ principatum obtinens, ſublimi dignitate à Deo honoratum. Vocatur frater Petri ratione regionis, quia erat Iudæus, ratione religionis, quia uterque Chriſtianus, ratione doctrinæ quæ in utroque eſt orthodoxa, ratione principatus, quia uterque eſt Apoſtolorum princeps, ita tamen ut Paulus ſit Petro ſubordinatus, ratione mortis & paſſionis, ex illa tamen fraternitate nequit colligi paritas poteſtatis, alioqui Cardinales & Epiſcopi quos Romanus pontifex vocat fratres, eſſent ipſi Petro æquales, eos enim Chriſtus vocat Petri fratres. Lucæ cap. 22. verſ. Luc. 22. v. 32.
32. *Confirma fratres tuos*, ideſt meos Apoſtolos. Vel ut Theophilactus & Euthymius, omnes in me credentes. Ipſemet Petrus nominat Sylvanum fratrem 1. epiſt. cap. 5. verſ. 12. *Per Sylvanum fidelem fratrem.* 2. epiſt. cap.
1. verſ. 10. *Quapropter fratres magis* 2. epiſt. 1. v. 10.
ſatagite, &c. Cap. 3. verſ. 15. de Paulo. *Frater noſter Paulus ſecundùm datã*

ſibi ſapientiam ſcripſit vobis. Eundem titulum fidelibus tribuit verſ. 17. *Vos igitur fratres præſcientes cuſtodite.* Et tamen nec à fidelibus, imò nec à Paulo Petrus unquam frater appellatur: ſed Petrus. Galat. cap. 1. verſ. 16. *Veni Ieroſolymam videre Petrum.* cap. 2. verſ. 8. *Cùm vidiſſem quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* Vel ab eodem nuncupatur *Cephas*, ut 1. Corint. cap. 1. verſ. 12. *Ego verò Cephas.* Cap. 3. verſ. 22. *Sivè Apollo, ſivè Cephas.* Cap. 9. verſ. 5. *Fratres Domini & Cephas*, Cap. 18. verſ. 5. *Viſus eſt Cephæ.* Galat. cap. 2. verſ. 9. *Iacobus & Cephas & Ioannes*, verſ. 14. *Dixi Cephæ coram omnibus.* Vocat Petrum & Cepham honoris gratiâ, Petrum quia eſt baſis & fundamentum inconcuſſum. Cepham quia eſt Eccleſiæ caput. Nam ſecundùm Gregorium 9. epiſtol. ad Germanum Patriarcham. Cephas idem eſt ac caput. Vocat Gregorius Petrum & Paulum *Duces exercitus cæleſtis.* Quem titulum ſanctus Ambroſius in officio Apoſtolorum, omnibus Apoſtolis concedit *Eccleſiarum principes, & belli triumphales duces.* Appellat Paulum *Caput Nationum*; quia doctrinam ſuam cœleſtem ſcribendo & docendo communicavit toti orbi. Si dicatur ab eodem princeps, ex dictis Apoſtolis idem nomen attribuitur, *Eccleſiarum principes.* Eccleſia cum Pſalte Regio. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, Item. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.* Item. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Nec refert quod à Tagione Epiſcopo ante lib. 1. moral. Romani Pontifices Petri & Pauli ſucceſſores nominentur. *Duo illi* (inquit) *quos præcedentes, ſeq. invicem manu inſertâ vides complectentes. Beati Apoſtoli ſunt Petrus & Paulus. Reliqui verò, quos poſt eos cernis ſtantes, ipſi ſunt ſucceſſores eorum, hujus Apoſtolicæ ſedis pontifices, & eodem ordine quo eos in Epiſcopatu ſecuti etiamnum eos ſequitur.* Verùm eſt eſſe ſucceſſores Petri & Pauli, ſed diverſimodè. Sunt

Galat. c. 1. v. 16. cap. 2, v. 8.

1. Corin. 1. v. 12.

Galat. c. 1. v. 9.

enim ſucceſſores Petri quoad primatum & juriſdictionem in Eccleſiâ: Pauli vero quoad doctrinam. Nec aſtipulatur adverſariis tabula marmorea, quæ parieti porticus Sancti Petri fertur affixa à ſancto Gregorio cum hac inſcriptione. *Dominis ſanctis Petro & Paulo Apoſtolorum principibus, Gregorius indignus ſervus. Quoties laudis veſtræ uſibus ſervitura, quædam licet parva conquirimus, veſtra vobis reddimus non noſtra largimur, ut hæc agentes non ſimus elati de munere, ſed de ſolutione ſecuri. Nam quid (inquam) ſine vobis noſtrum eſt? qui non poſſumus accepta reddere, niſi quia per vos iterum, & ipſum hoc, ut redderemus accipimus. Unde ego veſter ſervus reducens ad animum multum me vobis beati Apoſtoli Petri & Pauli eſſe debitorē, propter quod ab uberibus Matris meæ divinæ potentiæ gratiâ protegente, intra gremium Eccleſiæ aluiſtis, & ad incrementum per ſingulos gradus uſque ad ſummum apicem ſacerdotii, licet immeritum producere eſtis dignati, ideoque hoc privilegii munuſculum humili interim offerre devotione providi.* His verbis teſtatur Petrum & Paulum Apoſtolorū principes eſſe, protectores Civitatis Romanæ, ac pro eâ apud Deum continuis orationibus patrocinari, ut ipſe Apoſtolus Paulus innuit Romanis cap. 1. verſ. 9. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio filii ejus, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis.* Sanctus Thomas lect. 5. *Oſtendit affectum ſuum ad eos ex oratione, quam pro eis fundit, &c. quia ſemper in orationibus ſuis pro eis orabat propter utilitatem communem, quæ ex eorum converſione proveniebat.* Libr. 1. Regum cap. 12. *Abſit hoc peccatum à me in Domino, ut ceſſem orare pro vobis. Quod autem dicit memoriam veſtri facio dupliciter poteſt intelligi, uno modo ſit, memoriam veſtri habeo, ſecundùm illud pſalm. 21. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Alio modo memoriam veſtri facio, ſcilicet coram Deo qui reſpicit orationes humilium, & ſic dum ſancti pro aliquibus orant, quodammodo divino aſpectui proponuntur, ſicut & cætera ſanctorum facta. Undè libr. 3. Regum*

Rom. c. 1. v. 9.

Thomas

cap. 17, *verſ.* 18. *Ingreſſus es ad me, ut* l.3.reg. 17.v.18 *rememorarentur iniquitates meæ, quaſi illud ſit memoria, & in oculis Dei, quod contra juſtos agitur. Quod autem dicit orationes ſine intermiſſione ſe habere, congruit ei, quod dicit* 2. *Theſſal. cap. ult. Sine intermiſſione orate, &c.* Porrò Sanctus Gregorius ſuam mentem de ſede, auctoritate ſupremâ, & primatu Petri paſſim aperit, præcipuè libr. 4 epiſt. 36. Vbi ait illam Synodum ratam non eſſe, quæ à Romanâ ſede non eſſet approbata. *Ante hos annos octo ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagii tempore Frater & Coepiſcopus noſter in Conſtantinopolitanâ urbe ex causâ aliâ occaſionem quærens Synodum fecit, in quâ ſe univerſalem appellare conatus eſt, quod mox idem deceſſor meus, ut agnovit, directis litteris ex auctoritate Petri Apoſtoli ejuſdem Synodi acta caſſavit.* Verba autem Pelagii prædeceſſoris hæc ſunt. „ Vniverſis Epiſcopis: illegitimè Pelagius. Relatū eſt ad Apoſtolicam ſedem Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum univerſalem ſe ſcribere, vosque ex hac ſua præſumptione ad Synodum cōvocare generalem, cùm generalium Synodorum convocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi beati Petri ſingulari privilegio ſit tradita, &c. Quapropter &c. Ex auctoritate Sancti Petri Apoſtolorum principis & Domini Salvatoris voce, quâ Beato Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi ipſe Salvator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus ejus indubitanter tranſivit, præcipio omnia, quæ ibi ſtatuiſtis vana, & caſſata: ita ut deinceps nunquam appareant, nec ventilentur. Idem Gregorius lib. 1. indict. 9. epiſt. 16. *Ad beati Petri Apoſtoli limina cum ſuis ſequacibus venire Aquileienſem Epiſcopum jubet, ut in Synodo, quod juſtum eſt, judicetur.* Lib. 3. indict. 12. epiſt. 55 ad Theodelindam Longobardorum Reginam. *Cùm integritatem noſtram ex apertâ meâ traditione, ſeu profeſſione cognoſcitis, dignum eſt, ut de Eccleſiâ Beati Petri Apoſtolorum principis nullum ulterius ſcrupulum dubietatis habeatis, ſed in verâ fide perſiſtite, & vitam veſtram, in petrâ Eccleſiæ, hoc eſt, in confeſſione beati Petri Apoſtolorum principis ſolidate.* Lib. 1. epiſt. 75. ita ſcribit cunctis Epiſcopis Numidiæ. *Per Hilarium Chartularium noſtrum petiiſtis à beatæ memoriæ prædeceſſore noſtro, ut omnes vobis retro temporum conſuetudines ſervarentur, quas à beati Petri Apoſtolorum principis ordinationum initiis hactenus vetuſtas lōga ſervavit.* Lib. 9 indict. 4. epiſt. 61. ad Quirinū Epiſcopum & reliquos Epiſcopos Catholicos Hiberniæ. *Lator præſentium ad beati Petri Apoſtolorum principis Eccleſiam veniens fraternitatis veſtræ ſe aſſerit ad nos epiſtolas accepiſſe.* Ad Epiſcopos Græciæ lib. 2. epiſt. 6, hæc exarat. *Caſſatis Ioannis Epiſcopi primæ Iuſtinianæ decretis, ex beatorum Apoſtolorum principis auctoritate decrevit, &c.* Conſtantiam Auguſtam ita affatur. *Sicut parentes priores veſtri principes S. Petri Apoſtoli gratiam quæſierunt, ita apud vos ejus honor nullatenus minuatur.* Lib. 3. indict, 12. Magnifico Africæ ita loquitur. *A Beati Petri Eccleſia (cui claves regni cœleſtis commiſſæ ſunt, ligandi atque ſolvendi poteſtas attributa) veſtra anima non inveniatur diviſa.* Lib. 7. epiſt. 95 Magiſtro militum in Hyſtria vocat Eccleſiam Romanam ovile Petri, atque omnes fideles ubique diffuſos illi traditos fuiſſe. *Nullum illic ab Apoſtolicâ ſegregatū remanere vultis Eccleſiâ, tantusque vos Beati Petri Apoſtolorum principis amor accendit, ut ovile ipſius, cui à Domino omnes creaturæ ſunt traditæ, ſummo redintegrare deſiderio cupiatis.* Et Gallinico Exarcho Italiæ lib. 7. epiſt. 97. hæc habet. *Petimus ut pro bono deſiderii, quo Hyſtrici, ad Apoſtolorum principis petram ſolidam cucurrerunt habere dignimini commendatos.* Libr. 4, epiſt. 44. narrat quantoperè omnes fideles factis ſuis demonſtrarint ſuam obſervantiam erga ſedem Petri & Eccleſiam Romanam. *Indignos nos pro beati Petri Apoſtoli reverentia mens fideliū veneratur. Ex amore quippe fideliū hujus ſedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda deferuntur, dalmaticas pro ſanctitatis reverentiâ ſibimet patiendos pòpulus ſcindat.* Lib. Dialogorum cap. 3. refert in partibus Græciæ propinquos cujuſdam

dam muti & claudi. *Ex auctoritate Petri, ut ſanitati redderetur, quod factum eſt poſt miſſarum ſolemnia celebrata.* Cùm Eulogius Patriarcha Alexandrinus lib. 6. epiſt. 37. indictione 18. ſcripſiſſet ſancto Gregorio, quod *Beatus Petrus Apoſtolorum princeps in Cathedrâ ſuâ nunc uſque in ſuis ſucceſſoribus ſederet.* Sanctus Pontifex non improbat, ſed lib. 5. epiſt. 60. ei reſcribit *Semper ad Magiſtri ſui gremium unde illi prædicatio ſalutis exorta eſt totâ ſe conferre devotione ſentimus.* Libr 7, indictione 2, epiſt. 69. commendat Exarcho Italiæ quoſdam de Hyſtriæ partibus à ſchiſmaticorum errore ad unitatem Eccleſiæ revertentes & Romanæ Eccleſiæ nomẽ dare deſiderantes. *Pro bono Deſideriis, quo ad Apoſtolorum principis petram, ſolidam cucurrerunt.* Et lib. 10. indict. 5. epiſt. 38, ad Firminum epiſcopum Hyſtriæ. *Credimus de Dei noſtri potentiâ, quia ſanctus Petrus, ad quem reverſi eſtis vos deſerere non debet.* Eodem lib. & indict. epiſt. 31. præſcribit Epiſcopo ſchiſmatico formulam abjurationis. *Ego civitatis illius Epiſcopus comperto diviſionis laqueo, quo tenebar, diutinâ mecum cogitatione pertractans pronâ & ſpontaneâ voluntate ad unitatem ſedis Apoſtolicæ divinâ gratiâ duce reverſus ſum. Et nè pravâ mente, ſeu ſimulatè reverſus exiſtimer, ſub mei ordinis caſu ſpondeo atque anathematis obligatione; atque promitto, tibi & per te S. Petro Apoſtolorum principi, atque ejus vicario beatiſſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ipſius, &c.* De quodam Simoniaco rege in pſalm. 4. pœnitentialem hæc pronunciat. *In tantùm ſuæ temeritatem extendit veſania, ut caput omnium Eccleſiarũ Romanam Eccleſiam ſibi vindicet, & in domina gentium terrenæ jus poteſtatis uſurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit qui hanc Beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens: Tibi dabo Eccleſiã meam.* Lib. 12. epiſt. 55. ait Chriſtum aſſeruiſſe Romanam Eccleſiam, quia Chriſtus id Petro pollicitus eſt. *Denique Romanam Eccleſiam ob ea, quæ Chriſtus ad Petrum dixit Matthæi cap. 16. Omnium Eccleſiarum eſſe caput.* Suum ipſe zelum ac fervens ſtudium pro Eccleſiæ Romanæ primatu per ſanctum Petrum ſtabilito exprimit lib. 7. epiſt. 1. *Ante paratior ſum mori, quàm beati Petri Eccleſiam meis diebus degenerare.*

XVII. *Agatho.* Agathonis Papæ mortui anno 682. verba epiſtolâ ad Imperatorem non multùm roboris habent, dum ait: *Hæc ſpiritualis Mater veſtri tranquilliſſimi Imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia per omnipotentis gratiã à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquã erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata fine tenus permanſit.* Item. *Catholicæ fidei lumen ex veri luminis fonte, tanquam de radio viviſici fulgoris per miniſtros beatos Petrum & Paulum Apoſtolorum, eorumque diſcipulos, & Apoſtolicos ſucceſſores gradatim uſque ad noſtram parvitatem Dei opitulatione ſervatum eſt.* Vocat Petrum & Paulũ Chriſti principes, auctores fidei Catholicæ, ſeu Eccleſiæ Romanæ, miniſtros Chriſtianæ fidei, Apoſtolorum principes, & quorum Romani Pontifices ſucceſſores ſunt. Primò ſolvuntur omnia iſta epitheta ex dictis. Secundò ſuam de primatu Petri mentem aperit epiſtolâ ad Conſtantinum IV. Imperatorem dum veram profitetur fidem; tum de Trinitate, tum de Chriſti perſonâ unâ, & naturis ac voluntatibus. *Hæc Apoſtolica Petri Eccleſia nunquam à viâ veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cujus auctoritatem, ut potè Apoſtolorum omnium principis ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia & univerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſecuta ſunt, omneſque Venerabiles Patres Apoſtolicam ejus doctrinam amplexi.*

XIV. *Adrian. I.* Eodem modo ſatisfaciendum eſt auctoritati Adriani I. defuncti anno 795. dicentis Eccleſiam Romanam dici Petri & Pauli ſedem: Nam ambo ſederunt Romæ. Petrus ſedit ut Pontifex, Paulus ut Coadjutor, Coapoſtolus, ſocius: Petrus ſedit ut primatum poteſtatis habens, Paulus ut clavem ſapientiæ. Ambo ſederunt, quia ibi vitam finierunt, eamque proprio cruore ſanctificaverunt.

XV. Quod Sergius I. qui obiit anno 701.

Sergius. epiſt. ad Geolfridum Abbatem nuncupat Petrum & Paulum Apoſtolorũ principes, Dominos, protectores. Reſpondetur ita Paulum nuncupari quia ſuâ ſapientiâ, ſcriptis, numero gentium converſarum reliquos Apoſtolos ſuperat; vel quia ex cap. 1. verſ. 9. ad Romanos pro civitate Romanâ ſpecialiter orat.

XVI. Nicol. 1. Nicolaus I. qui ſpiritum Deo reddidit anno 867. videtur nonnihil difficultatis habere, reſpondet enim ad conſulta Bulgarorum cap. 92. Eccleſiam Romanam a Petri & Pauli prædicatione fuiſſe inſtitutam & epiſt. 32. aſſerit eoſdem Apoſtolos agone ſuo Romam conſecraſſe. Præcipuè epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem ſcribit ſanctum Paulum fuiſſe admiſſum in ſocietatem Petri, & ipſos quaſi duo magna lumina cœli in Eccleſiâ Romanâ divinitus conſtituta univerſo orbi illuxiſſe, ipſumque Nicolaum eſſe hæredem auctoritatis, quam acceperunt à Deo. Ex eo quod Paulus dicatur ſocius Petri, non ſequitur eſſe illi æqualem in juriſdictione & poteſtate, ſicut ex eo quod dicantur magna luminaria cœli, malè infertur eſſe pares in primatu Eccleſiæ. Primò quia alioquin idem dicendum eſſet de Apoſtolis, quos Eccleſia ita affatur indifferenter:

Et vera mundi lumina.

Matt. c. 5. v. 14. Et quibus ipſe Chriſtus ait Matthæi cap. 5. verſ. 14. *Vos eſtis lux mundi.* S. Auguſtinus lib. de ſermone Domini in monte. *Vos eſtis lumen mundi.* Imperfectus. *Lux ſunt gentium producentes eas ad ſcientiæ lumen.* Et Anſbertus in cap. 1. Apocal. *Dominus Apoſtolis ſuis dicit: Vos eſtis lux mundi, qui videlicet non ſolùm lucent, ſed & ardent. Quia verba eorum lumen ſcientiæ & amoris incendium præbent.* Secundò dicendum eſſet Lunam eſſe independentem à Sole. Dum enim Petrus & Paulus appellantur duo luminaria comparantur Soli & Lunæ, de quibus Geneſis cap. 1, verſ. 16. (Geneſ. c. 1. v. 16.) Sacer Textus ait: *Fecit duo luminaria.* At non ſolùm ſtellę hauriunt à Sole quidquid luminis habent, ſed etiam Luna (ut docent Anaximander, Cleomedes & alii,) & favent rationes. Prima, Nam deliquium Lunæ, eſt privatio luminis, quod aliàs emendicat à Sole. Secunda Luna pro vario ad Solem aſpectu variè illuſtratur, ac diverſas induit figuras, modò creſcens, modò ſeneſcens, modò curvata in cornua, modò æquâ proportione diviſa, modò orbe plena, prout haurit lumen à Sole. Sic Paulus quaſi Luna Eccleſiæ à Petro inſtar Solis eſt dependens. Quod Nicolaus papa agnoverit hunc Petri primatum unicum & à quo Paulus, & reliqui Apoſtoli dependent, ipſemet teſtatur epiſtolâ citatâ ad Michaelem Imperatorem. *Privilegia Eccleſiæ Romanæ Chriſti ore in beato Petro firmata, perpetua ſunt, divinitus radicata, atque plantata ſunt, impingi poſſunt, transferri non poſſunt, evelli non poſſunt.*

Joannes VIII. è vivis exceſſit anno 882. qui de Petro & Paulo hæc pronunciat *Petrus Apoſtolus ſanctam Romanam Eccleſiam in fide fundatã proprio ſanguine cum Paulo, qui ab Ieruſalem uſque ad Illyricum regionem ſcilicet, in quâ nunc vos habitatis Evangelio replevit, Domino Deo conſecravit & dedicavit.* Quæ verba non paritatem primatus, vel principalitatem denotant, ſed cooperationem. Vt patet ex diplomate apud Aimoinum lib. 5. cap. 37. porrecto illi à Prælatis Galliæ, ubi de *Privilegio Beati Petri & Sedis Apoſtolicæ* faciunt mentionem. Eodẽ modo explicanda eſt mens Nicolai II. defuncti anno 1061. Gregorii VII. mortui anno 1085. Quamvis enim hic Romanam Eccleſiam ſpecialem Apoſtolorum Petri & Pauli thronum nuncupet, hoc tamen non infert paritatem poteſtatis, ut patet ex Vrſpergenſi in Chronico, qui de illa hęc profert. *De Beato Gregorio patre noſtro dicam, quod de Cornelio ſcripſit beatus Cyprianus. Factus eſt Epiſcopus de Dei & Chriſti judicio, de Clericorum penè omnium, & (ut verius dicam) omninò omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc aderat ſuffragio, de ſacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Alexandri locus, id eſt cum locus Petri, & gradus ſacerdotalis Cathedra vacaret.* XVII Ioann. 8. Nicol. 2. Greg. 7.

De

XVIII De Paſchali II. defuncto anno
Paſch.2. 1118. qui ait. *Epiſcopos ſub obedientiâ*
principum Apoſtolorum perſiſtere. Di-
cendum loqui de cooperatione, non
autem de principatu, quam ſoli Petro
cõpetere affirmavit in Concilio Ro-
mæ celebrato apud Vrſpergenſem
anno 1116. *Fratres* (inquit) *& Domi-*
ni mei audite Eccleſia iſta nunquam ha-
buit hæreſim, imò hic omnes hæreſes cõ-
quaſſatæ ſunt. Pro hac Eccleſiâ Filius Dei
in paſſione ſuâ oravit, cum dixit, Ego
rogavi pro te Petre, ut non deficiat fi-
des tua.

XIX. Idem ſentiendum de Alexandro
Alex. 3. III. qui obiit anno 1181. qui in epi-
ſtolâ ad Archiepiſcopum Weſphalen-
ſem dum ſcribit ſe ſucceſſorem Apo-
ſtolorum, & in eorum Cathedrâ præ-
ſidere. Non loquitur determinatè de
Apoſtolis Petro & Paulo, ſed generi-
cè de cunctis Apoſtolis, quorum do-
ctrinâ fundata eſt & fulget Eccleſia.
De ejus fulgore cânit Vates Regius
pſalmo 18. verſ. 4. *In omnem terram*
Pſal.18. *exivit ſonus eorum, & in fines orbis*
verſ. 4. *terræ verba eorum.* Rudolphus. *In om-*
ni parte ambitus terræ exivit ſonus præ-
Rudol. *dicationis, & doctrina Apoſtolorum &*
Evangeliſtarum, & in terminos & fi-
nes mundi, vel in inſulas & angulos
terræ exierunt & ſonuerunt quæ dixe-
runt & ſcripſerunt: Publicata hæc enim
ſunt ubique per prædicationem Evan-
gelii & per epiſtolas eorum. Ideò & nos
hic loquimur, ſonus enim ille ad nos uſ-
que pervenit. Epheſiis cap. 2. verſ. 19.
de ejus fundatione ſcribit Apoſtolus
eſſe ſuperædificatos ſuper fundamen-
tum Apoſtolorum. *Eſtis cives ſancto-*
rum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſu-
per fundamentum Apoſtolorum. S. Au-
guſtinus in illud pſalm. 86. verſ. 1.
Fundamenta ejus in montibus ſanctis.
S. Chryſoſtomus, Theophilactus,
OEcumenius. Quod autem ipſe Alex-
ander III unicam Petri ſedem agno-
verit, patet ex epiſtolâ ejuſdem Alex-
andri ad Gerardum Epiſcopũ, & Ca-
nonicos Bononienſis. *Qui Apoſtolis*
ſuis pro eorum fidei firmitate promiſit,
Matthæi cap. 28. Ecce ego vobiſcum
ſum uſque ad conſummationem ſæculi,
ille procul dubio Eccleſiam cujus Apoſtoli
magiſterium aſſumpſerũt ſuâ promiſſione
fraudari nullo modo patietur, ſed eam in
ſuo ſtatu & ordine, licet adinſtar navi-
culæ Petri fluituare aliquando videatur,
perpetuò facit permanere. Idem apud
Baronium ad annum Chriſti 1162.
de nuntiis miſſis ad Regem Franco-
rum, & de ſuâ electione ſermonem
faciens. *Quos* (inquit) *idem Rex pro*
beati Petri reverentiâ reverenter ſuſce-
pit, & honeſtè tractavit. Clarius infra.
Dominus noſter IESVS Chriſtus, cùm
eſſet in terris Beato Petro, & per eum u-
niverſis ſucceſſoribus ejus oves ſuas paſ-
cendas commiſit. Nonne audivit in E-
vangelio ab eodem Dei filio eidem prin-
cipi Apoſtolorum dictum Ioannis cap 21.
Simon diligis me? Paſce oves meas.
Nunquid ſunt hic Francorum Reges,
vel aliqui Prælati excepti? an Epiſcopi
regni mei non ſunt de ovibus, quas Fi-
lius Dei Beato Petro commiſit? Anno
1177. ſcribens Archiepiſcopo Can-
tuarienſi & Suffraganeis ejus. „ Im-
„ menſas laudes & gratias agimus om-
„ nipotenti Deo, qui licet navem Pe-
„ tri permiſiſſet proceloſâ maris tẽ-
„ peſtate quaſſari, nunc tandem impe-
„ ravit ventis, & mari: & facta eſt
„ tranquillitas magna: ita ut pacatis
„ maris ſævientis fluctibus prædicta
„ navis ad portum quietis reducta ſit
„ & ſalutis. Et Regi Indorum. „ Apo-
„ ſtolica ſedes, cui licet immeriti
„ præſidemus, omnium in Chriſto
„ credentium caput eſt, & magiſtra,
„ Domino atteſtante, qui ait Beato
„ Petro, cui licet indigni ſucceſſimus,
„ Tu es Petrus & ſuper hanc petram
„ ædificabo Eccleſiam meam. Hanc
„ ſiquidem petram Chriſtus eſſe vo-
„ luit in Eccleſiâ fundamentum, quam
„ præconiſat nullis ventorũ turbini-
„ bus, nulliſque tempeſtatibus eſſe
„ quatiendam. Et ideò non immeritò
„ beatus Petrus, ſuper quem funda-
„ vit Eccleſiam, ligandi atque ſolven-
„ di ſpecialiter & præcipuè inter Apo-
„ ſtolos meruit accipere poteſtatem,
„ cui dictum eſt à Domino: Tibi da-
„ bo claves regni cælorum & portæ
„ inferi, &c. Expende illa verba. „ Su-
„ per quem fundavit Eccleſiam ligã-
„ di atque ſolvendi ſpecialiter & præ-
„ cipuè inter Apoſtolos alios meruit
„ accipere poteſtatem. Quæ ſpecialẽ

Petri poteſtatem præ cæteris denotat. De ejuſdem unicâ Cathedrâ & primatu hæc infra pronunciat. *Nos autem licet inſufficientibus meritis in beati Petri Cathedrâ poſiti juxta Apoſtolum Roman. cap. 1. Sapientibus & inſipientibus, divitibus & pauperibus nos recognoſcimus debitores; & de ſalute tuâ, & tuorum omnimodam ſollicitudinem gerimus & vos ab his articulis, in quibus erratis à Chriſtianâ & Catholicâ fide prompto animo pro ut tenemur ex ſuſcepti miniſterio regiminis, volumus revocare. Cùm ipſe Dominus beato Petro, quem omnium Apoſtolorum principē fecit, dixit Lucæ cap. 22. Et tu aliquandò converſus confirma fratres tuos.* Infra commendans Legatos ſolius Petri mentionem facit. *Rogamus itaque excellentiam regiam, monemus & hortamur in Domino quatenus eundem Philippum pro reverentiâ Beati Petri & noſtrâ, ſicut virum honeſtum, diſcretum & providum, & à noſtro latere deſtinatum, debitâ benignitate excipias.* Anno 1180. apud eundem Baronium hortans principes pro ſubſidio terræ ſanctæ. *Vxores & filios eorum, & bona, & poſſeſſiones ſuas ſub Beati Petri & noſtra, necnon Archiepiſcoporum. & Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum Eccleſiæ decernimus protectione manere.* Nec refert quod paulò poſt dicat. *Præterea quicumque de viris bellicoſis & ad illius terræ defenſionem idoneis illa ſancta loca fervore devotionis adierint, & ibi duobus annis contra Saracenos pro Chriſtiani nominis defenſione pugnaverint, de IESV Chriſti pietate, & de Beatorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, eis omnium ſuorum, de quibus corde contrito & humiliato confeſſionem ſuſceperint, abſolutionem facimus delictorum.* Ibi nomen auctoritatis ſumitur latæ pro eâ quæ communis eſt omnibus Apoſtolis, vel pro curâ & ſollicitudine omnium Eccleſiarum quam ſibi ineſſe ſupra dixit Apoſtolus.

XX. Vrban. 3. Quod ſi opponatur epiſtola Urbani III. qui anno 1187. ſuam electionem univerſo populo Chriſtiano manifeſtam faciens ait. *Pro reverentiâ beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum.* Tamen ſoli Petro primatum Eccleſiæ competere teſtatur paulò ante. *Sperantes dirigi greſſus noſtros qui beato Petro in fluctibus naviganti & fiduciam præſtitit, ut in mare deſcenderet & potenter occurrit, ut dubitans non periret.* Imò ſcribens regi Scotiæ reverentiæ ſoli Petro debitæ meminit. *Vt quæ mandamus valeant ſine difficultate quælibet adimpleri, monemus regiam excellentiam & hortamur in Domino, atque in remiſſionem peccatorum injungimus, pro amore juſtitiæ. & reverentiâ Beati Petri & noſtrâ, in negotio illo juxta mandati noſtri tenorem procedi permittas.*

XXI. Greg. 8. Eodem modo explicanda ſunt verba Gregorii VIII. in litteris, quas mandavit Chriſti fidelibus, ubi de Indulgentiarum lucro ait. *De omnipotentis Dei miſericordiâ & Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, & noſtrâ, ſe noverint habituros.* Item Cæleſtini III. Celeſt. 3 verba in canoniſatione ſancti Vbaldi Epiſcopi Eugubini, apud Baronium anno 1192. *Canoniſantes prædictum ſanctum auctoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli quâ fungimur.*

XXII. Clem. 3. Quod etiam verba Clementis III. epiſt. ad Regem Scotorum. *Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.* Et eadem Cœleſtini III. ad præfatum regem Scotorum, non attribuant ſingularem primatum Paulo, ſed tantùm defenſionem ac protectionem non eſt dubium, ideò illis explicandis non inhæremus, ſicut nec verbis Martini V. Pii II. Pauli III. Julii II. dicentium ſe facere, decidere, definire, cōminari quædam vel quodam in *perſonâ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.* Hæc enim non ſignificant Petrum & Paulum eſſe auctores auctoritatis quâ funguntur Romani Pontifices, ita ut eam ab ipſis acceperint, cùm conſtet Romanos Pontifices electos legitimè accipere ſuam auctoritatem & poteſtatem immediatè à ſolo Chriſto, ut docent Cardinales Turrecremata de poteſtate Eccleſiaſticâ lib. 2. cap. 32. Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 17. *Quamvis enim* (inquit hic) *Electores verè dicuntur creare pontificem, & eſſe in cauſa cur talis ſit pontifex: non tamen*

tamen dant ipſi eam poteſtatem, neque ſunt cauſa poteſtatis. Et probatur à ſimili. *Sicut in generatione hominis, quia anima infunditur à ſolo Deo, & tamẽ Pater generans diſponendo materiã eſt cauſa conjunctionis animæ cum corpore, dicitur homo generare hominem, & tamen non dicitur producere animam hominis.* Ex præfatis igitur teſtimoniis tantùm inferri poteſt auctoritatem ſummis Pontificibus fuiſſe collatam precibus, tutelâ, & patrocinio Apoſtolorum Petri & Pauli. Quod ſi illæ particulæ *auctoritate, ſub obedientiâ, &c.* non accipiantur cauſaliter (ut explicavimus) ſed formaliter: ita ut per illas ſignificetur quod Papa polleat eâdem auctoritate, quâ pollebant Petrus & Paulus, debent explicari relativè, proportionatè, & per diſtributionem accomodatam: ita ut ſenſus ſit quemadmodũ Petrus fuit princeps Apoſtolorum, paſtor & caput Eccleſiæ univerſalis, Chriſti Vicarius, & ſummus pontifex. Et quemadmodum Paulus fuit Doctor gentium, præco Evangelicus per univerſum mundum, Eccleſiarum fundator, &c. Sic Romanus Pontifex his omnibus præditus eſt. Malè tamen infertur Paulum nõ fuiſſe Petro ſubordinatum, in gradu Monarchico, Hierarchico, & ſupremo.

§. 15.

Elucidantur Patres Græci ab adverſariis citati.

I. MUltas Patrum Græcorum auctoritates producunt. S. Cyrilli Hieroſolymitani loquentis Catecheſi 6 de prælio Apoſtolico cum Simone Mago. *Errorem latius ſe proferentem coarguerunt duo viri boni,* S. Cyrill. Hieroſ. *huc perlati Petrus & Paulus Eccleſiæ præfecti.* Dicuntur ambo Eccleſiæ præfecti non eodem modo. Petrus dicitur præfectus primarius ob regimen & poteſtatem. Paulus ſecundarius ob ſummam ſapientiam & doctrinam quâ præditus erat. Deindè Timotheus, Titus, Polycarpus, &c. fuerunt Eccleſiæ præfecti, non tamẽ in eo genere æquales, inquit Becanus ſupra.

II. Addunt adverſarii ſanctum Chryſoſtomum, qui hom. 22. in epiſt. ad Romanos in morali vocat ſanctum Chryſoſt. Paulum ſanctorum Coryphæum. *Ubi Cherubim Deum glorificant, ubi Seraphim volant, illic Paulum videbimus Petro in ſanctorum choro coryphæum exiſtentem & præſidentem.* Paulò poſt vocat Petrum & Paulum urbis Romanæ oculos ac lampades. *Quemadmodum corpus magnum ac validum duos habet oculos illuſtres, ſanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cœlum ſplendeſcit quando radios ſuos ſol ex ſe dimittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundẽs.* Mox vocat iterùm eos columnas Eccleſiæ. *Qualibus coronis duabus ornatur urbs iſta? Qualibus catenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? propterea celebro hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, nec propter aliam phantaſiam, ſed propter illas columnas Eccleſiæ.* Homiliâ ſequente explicans illa verba Roman. cap. 16. verſ. 3. & epiſt. 2. ad Timoth. cap. 4. Rom 16 verſ. 19. *Salutate Priſcam & Aquilam.* verſ 3 Vocat præcipuos & primates Apoſtolorum. *Sed cum ipſi præcipui ſunt ac primates Apoſtolorum.* Et alibi, homiliâ 12. in 2. epiſt. ad Corinthios in moral. videtur plus tribuere Paulo, quàm Petro. *Imò vero* (inquit) *ille ſolus rerum ſuarum curam ac ſollicitudinem minimè gerebat, ſed univerſi terrarum orbis, ac tu quidem pro unicâ domo ſollicitudine afficeris: ille autem pro tot Hieroſolymitanis pauperibus, pro Macedonicis, pro omnibus denique egenis, qui ubique erant, nec minus pro iis, qui ipſis largiebantur, quàm pro iis, qui accipiebant. Duplex enim ipſum pro terrarum orbe cura tangebat; nempè & nè rebus ad vitam neceſſariis indigerent, & ut ſpiritualibus opibus abundarent.* Verum eſt, quod aliqua quæ tribuit Petro, etiam Paulo tribuat, ſed non omnia. Nam tribuit Petro primatum Eccleſiæ; non autem Paulo. Homiliâ 11. in Matthæum vocat Petrum *Caput Eccleſiæ.* Homiliâ in Petrum & Eliam appellat *Verticem Apoſtolorum.* Quoad curam omnium Eccleſiarum, quam Paulus ait ſe habere, dixi ſupra eſſe duplicem, unam ex juſtitiâ, alteram

II. alteram ex zelo & charitate. Priorem habuit Petrus, quia gaudebat juriſdictione in totam Eccleſiam: poſterior fuit in Paulo proveniens ex zelo & charitate, quâ flagrabat. Nec obſtant verba ejuſdem Chryſoſtomi homiliâ 11. in 2. epiſt. ad Corinth. ubi ad illa verba 2. Corinth. cap. 5. verſ. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur.* Vocat Petrum Legatum. *Miſit filium Pater exorari, & legatione fungi apud humanum genus pro ſe, quoniam autem ille occiſus abiit, nos legationem ſuſcipimus, & pro illo & patre exhortamur vos.* Et infrà. *Igitur pro Chriſto legatione fungimur, ideſt illius loco, nam nos, quæ illius officii ſunt, ſuſcepimus.* At Legatus repræſentat ſuum principalem, ab eoque immediatè mittitur, & eo abſente vices ejus ſupplet: Talisque fuit Paulus. Igitur fuit Vicarius Chriſti æquè ac Petrus. Eundem locum retorqueo in Antonium de Dominis & alios. Sanctus Chryſoſtomus ſupponit Chriſtum in hac vitâ fuiſſe functum officio capitis, paſtoris, Monarchæ, idque poſtea exercuiſſe per Vicarios. At Antonius de Dominis lib. 1. cap. 1. num. 22. negat Chriſtum unquam fuiſſe caput viſibile Eccleſiæ, ſed ait fuiſſe tantùm inviſibile. Deindè Sanctus Chryſoſtomus dicit primò non ſolos Apoſtolos, ſed etiam Chriſtum functum eſſe legatione pro Deo, & tamen fatetur Chriſtum eſſe majorē Legatum, quàm Apoſtolos. Econtrà Antonius de Dominis infert Paulum eſſe æqualē Petro in legatione, quod S. Chryſoſtomus non infert. Tertiò cùm ſanctus Chryſoſtomus dicit Apoſtolos ſuſcepiſſe, quæ erant officii Chriſti, non abſolutè loquitur, alioquin Apoſtolus redemiſſet genus humanum, inſtituiſſet Sacramenta: ſed cum limitatione. Sic cùm Paulus dicitur Legatus Chriſti, ſicut & Petrus: Intellige cum aliquâ limitatione. Nam Petrus fuit Chriſti in ratione capitis, & Pontificis, ſeu paſtoris univerſæ Eccleſiæ, Paulus autem in ratione doctoris & præconis. Sicut Legati Regum & Imperatorum ſunt quidem legati, ſed unus cum majori alius cum minori poteſtate, alius vocatur plenipotentiarius, alius non.

2. Corint. 5. v. 20

Deniqꝫ cum S. Chryſoſtomus exæquat Paulum Petro, non loquitur de æqualitate regiminis ac juriſdictione: ſed de Apoſtolatu, ſanctitate, paſſione. Vel loquitur encomiaſticè, panegyricè, exclamatoriè, qui modus docendi eſt ſatis familiaris S. Chryſoſtomo. Nec refert ſecundò quod idem ſanctus Chryſoſtomus appellet Petrum & Paulum fundatores Romanæ Eccleſiæ. Intellige eo modo, quo alii Apoſtoli, de quibus 1. Corinth. cap. 3. verſ. 11. ipſemet de Apoſtolis loquitur, & S. Joannes Apocal. cap. 21. verſ. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum.* Quia (inquit Cornelius) ipſorum humeris, quaſi innixus Eccleſiæ murus recumbit. Ideò enim eorum nomina fundamentis inſcripta ſunt, ut ſignificetur ipſos eſſe fundamenta & fundatores (hæc enim duo eodem recidunt) Eccleſiæ. Nec militat pro Antonio de Dominis & aſſeclis ſanctus Chryſoſtomus dicens Paulum fuiſſe honore parem Petro. *Nam* (inquit Xiſtus Senenſis lib. 6. Biblioth. annunt. 271.) *verborum ſenſus & occaſio palam arguunt eum loqui de honore Apoſtolatus & dignitate Evangelicæ prædicationis, quibus Paulus nihilo Petri inferior fuit. Non verò de Petri Monarchiâ, de primariâ Petri auctoritate ac juriſdictione ſuper omnes Apoſtolos & in omnem Eccleſiam.* Monetque cum eâ cautione legendum eſſe.

Cornel.

Xiſtus Senen.

III. Opponit Antonius de Dominis cum ſuis S. Gregorium Nazianzenum in Apologetico circa medium dicentem Petrum & Paulum *Verbi, & ſapientiæ, & gubernationis gratiam à Chriſto percipere meruiſſe.* Sed fruſtra, nam ſanctus Doctor diſſerens de vana gloriâ. *Hunc morbum* (inquit) *curare ac ſiſtere, Petri alicujus eſt aut Pauli magnificorum Chriſti diſcipulorum, eorum videlicet, qui unà cum ſermonis diſpenſatione, etiam chariſma acceperunt, & omnibus omnia fiunt, ut omnes lucrifaciant.* Ex quibus verbis non poteſt colligi Paulum Petro fuiſſe æqualem in juriſdictione. Quod ut magis pateat, ſubdit. *Quoniam autem Pauli & illi ſimilium mentionem fecimus, relictis*

Gregor. Naz.

omnibus

omnibus, qui vel ſecundùm legiſlationem, vel prophetiam; vel militarem ducatum, vel aliam conſimilem diſpenſationem populo profuerunt, quales fuerunt Moyſes, Aaron, Ioſue, Elias, Eliſeus, Iudices, Samuel, David, multitudo Prophetarum Ioannes, duodecim diſcipuli, & qui illos ſunt ſubſecuti, &c. his (inquam) relictis, ſolum Paulũ exempli gratiâ proponamus. Quæ verba nullo modo favent adverſariis, cùm nõ innuant æqualitatem Petri & Pauli in poteſtate & juriſdictione.

IV. Occurrit Origenes libr. I. contra Celſum qui vocat Paulum *Fundatorẽ Eccleſiarum poſt Chriſtum præcipuum.* Quæ verba deſtruunt potius errorem Antonii de Dominis quàm noſtræ aſſertionis veritatem. Cùm enim dicit Paulum eſſe præcipuum fundatorem Eccleſiarum poſt Chriſtum, aſſeverat Chriſtum eſſe principalem Eccleſiæ fundatorem, quod negat de Dominis, dicens Eccleſiam eſſe non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis poſt Chriſti aſcenſionem. Dum autem ait Paulum eſſe proximum poſt Chriſtum, eumque præfert aliis Apoſtolis in fundatione Eccleſiarum, non agit contra nos: fatemur enim quod Paulus plus laboraverit, quàm Petrus ſuâ prædicatione Evangelii, plures Eccleſias particulares fundaverit, quàm Petrus.

Origenes

V. Facile etiam explicari poteſt S. Epiphanius hæreſi 27. hæc verba pronuncians. *In Româ fuerunt primi Petrus & Paulus Apoſtoli iidem ac Epiſcopi, deinde Linus, deindè Cletus, deinde Clemens, qui contemporaneus fuit Petri & Pauli.* Iſta enim prioritas nullo modo ſignificat utriuſque æqualitatem juriſdictionis: cùm ipſemet in Anchorato appellet Petrum primum Apoſtolũ, petram ſolidam, ſuper quã Eccleſia eſt ædificata. Quod autem exaggerat Petrum Paulo dexteram dediſſe utriuſque inæqualitatem denotat. Hoc enim non magni faceret, ſi Paulus eſſet Petro æqualis. Ideò verò Linus & Cletus dicuntur Apoſtolis ſucceſſiſſe, quia Petrus fundavit Eccleſiam regendo, Paulus prædicando. Sic dum hæreſi 41. ait Hyginum papam habuiſſe novum locum ſucceſſionis à Petro & Paulo non poteſt concludi Paulum fuiſſe Petro æqualem: cùm etiam dicat ſucceſſiſſe Jacobo, quem tamẽ nemo aſſeruit fuiſſe Petro æqualem in Romano pontificatu. Particulæ citatæ *iidem ac Epiſcopi*, non ſignificant Petrum & Paulum fuiſſe non tantùm Apoſtolos, ſed etiam Epiſcopos. *Romæ*, hac particulâ ſumptâ in genitivo poſſeſſionis, ſed ſumptâ pro *in Româ*, quia certum eſt Paulum commoratum fuiſſe Romæ, & fuiſſe Epiſcopum dum ibi exiſteret, non illius civitatis, ſed alterius. Vel, dici poteſt etiam priori ſenſu Paulum fuiſſe Epiſcopum Romæ: quia commune fuit Apoſtolis, ut totius orbis Epiſcopi & paſtores dici poſſent habitualiter & in actu primo, non in actu ſecundo, ſeu exercito. Vel dici poſſunt Epiſcopi & paſtores cum ſubordinatione ad Petrũ ut primarium, paſtorem & Epiſcopum. Hoc ſenſu Vates Regius ait Apoſtolos fuiſſe à Chriſto conſtitutos principes orbis. Pſalm. 44. verſ. 17. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Hebræus. *Pones eos principes in terrâ.* Dionyſius ibi. *Nam in illis terris, quas ſancti Apoſtoli ad fidem converterunt, principatum ſortiti ſunt, ſicut Ioannes in Aſiâ, Andreas in Achaiâ, &c.*

S. Epiph.

Pſal. 44 verſ. 19

Dionyſ.

§. 16.

Explicantur Sancti Patres Latini quaſi adverſæ partis defenſores.

I. SAnctum Ignatium (qui primo ſęculo floruit) inter Patres Latinos recenſeo, quia Romę Martyrium ſubiit, hic epiſtolâ 6, ſcribens ad Magneſianos *Antiochia* (inquit) *primùm diſcipuli appellati ſunt Chriſtiani, cùm Petrus & Paulus fundarent Eccleſiam.* Hæc fundatio Eccleſiæ facta eſt à Petro & Paulo diverſimodè: à Petro ut habente auctoritatem ſupremam: à Paulo ut Doctore. Vt canit Eccleſia, *Deus qui univerſum mundum beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti, &c.* Vel à Paulo ut Petri Coapoſtolo, vel dependẽter à Petro. Sic intelligendus

Ignatius Mart.

eſt idem dum epiſt. 9. ad Philadelphienſes. *Vna prædicatio, & fides una, & unum baptiſma, & una Eccleſia, quam ſuis ſudoribus & laboribus fundarunt ſancti Apoſtoli à finibus terræ uſque ad fines in ſanguine Chriſti.* Item epiſt. 15. dum Romanis ait. *Non ut Petrus & Paulus hæc præcipio vobis. Illi Apoſtoli IESV Chriſti, ego verò etiamnum ſervus, &c.*

II. *S. Iren.* S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis & Martyrio affectus ſecundo ſæculo, multùm adverſæ parti auxiliatur, dum lib. 3. cap. 3. agens ſpecialiter de ſucceſſionibus Eccleſiarum, ait: *Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos judicantes confundimus eos omnes, qui quoquomodo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam præter quam oportet colligunt.* Infra. *Ego ad Eccleſiam Romanam, velut ad maximam & antiquiſſimam, & omnibus cognitam, & à glorioſiſſimis Apoſtolis fundatam neceſſe eſt omnem Eccleſiam, ideſt eos fideles, qui undique ſunt, convenire, idq́ propter potentiorem principalitatem.* Illam Eccleſiæ Romanæ fundationem eſſe diverſimodè à duobus illis Apoſtolis ſupra oſtendimus. Nec refert quod ſanctus Irenæus addat *Fundantes igitur & inſtituentes BB. Apoſtoli Eccleſiam Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt.* Cùm enim Petrus & Paulus eſſent Apoſtoli. Vtique (inquit noſter Lezana) competebat facultas ordinandi Epiſcopos. Quod ſi intelligatur de Epiſcopatu Romano, nonnulli probabiliter ſuſtinent Clementem, non verò Linum fuiſſe à Petro ordinatum ſucceſſorem. & caſu quo Paulus illum in ſucceſſorem ordinaſſet, id feciſſet annuente Petro; ex quo nihil evincunt adverſarii.

III. *S. Amb.* Sicut nec ex auctoritate ſancti Ambroſii, qui ſæculo quarto ſcribit in lib. de Spiritu ſancto cap. 12. *Vna gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat. Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens architectus, ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus indignus Apoſtolorum collegio cum primo facilè conferendus & nulli ſecundus. Nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.* Reſpondet Becanus ſupra ſanctum Ambroſium his verbis. *Vna enim gratia, &c.* Loqui de Paulo & Barnabâ qui electi ſimul erant à Spiritu ſancto ad miniſtrandum. Act. cap. 13. verſ. 2. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus dixit illis Spiritus ſanctus. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Quæ verba explanans ſanctus Ambroſius ita ſcribit. *Paruerunt ergò Paulus & Barnabas Spiritui ſancto imperanti.* Quibus poſtea ſubdit. *Vna ergò gratia, &c.* Factâ hac collatione inter Paulum & Barnabam, poſtea cōfert Paulum cum Petro, hoc modo. *Nec Paulus inferior Petro, &c.* Vbi Petrum & Paulum facit æquales in Apoſtolatu, non verò in juriſdictione Eccleſiaſticâ. Sicut Elias & Michæas fuerunt fortè æquales in dono Prophetiæ, ſed non in regimine Monarchico ordinis Prophetici, ſeu Carmelitici, nec populi ſeu Synagogæ, ut patet ex Joanne 44. libr. de conſtitut. Monach. paſſim, & verbis Eliſei libr. 4. reg. & dum S. Ambroſius pergit. *Nec Paulus indignus, &c.* Loquitur de laboribus, in quibus Paulus nulli cedit, 2. Corinth. cap. 11. verſ. 13 Seu (inquit noſter Lezana) confert S. Ambroſius Petrum & Paulum non tantùm quoad Apoſtolatus dignitatem, ſed etiam doctrinam & ſanctitatem, non verò quoad juriſdictionem & fundamentum Eccleſiæ, in quo Paulus eſt inferior Petro. Quod etiam Antonius de Dominis libr. 1. cap. 9. inſinuat, dum ait Petrum multis prærogativis reliquos Apoſtolos ſuperaſſe. Sic intelligendus eſt idem S. Ambroſius ſerm. 66. de natali Petri & Pauli, dicens. *Beati Petrus & Paulus eminent inter univerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogativâ præcellunt. Verùm inter ipſos, quis cui præponatur, incertum eſt: puto enim eos æquales eſſe meritis, qui ſunt æquales paſſione.*

Quod

IV. *Hilarius* Quod S. Hilarius, eodem ſœculo quarto.(quem adverſarii pro ſe citāt) non nobis adverſetur, manifeſtat ſatis frequenter ut lib. 6, de Trinitate. *Poſt Sacramenti confeſſionem Beatus Simon ædificationi Eccleſiæ ſubjacens, & claves regni cœli accipiens.* Canon. 7. in Matthæum. *Primus credidit, & Apoſtolatus eſt princeps.* Canone 16. in eundem Matthæū vocatur. *Fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque illius ædificatione petra. Beatus cœli janitor, &c.* In pſalmum 131. idem ſanctus Antiſtes nominat, *Primum Filii Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni janitorem.*

V. *Theodoretus.* Theodoretus (qui quinto ſœculo floruit) ab adverſariis etiam allegatus, explicandus eſt per ea, quæ ipſe ſcribit epiſtolá ad Renatum præsbyterum. *Tenet iſta Sedes gubernacula cuncti orbis Eccleſiarum, tum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris exors permanſit. Neque ullus unquam, qui contraria ſentiret in eā ſedit, quin potius Apoſtolicam gratiam inviolatam cuſtodivit.* Particula *ullus* denotat ſolum Petrum ex omnibus Apoſtolis in eâ ſediſſe. Idem innuit dialogo 1. cap. 12. nuncupans Petrum *Primum Apoſtolorum.* Paulò poſt. *Petrum magnum.* Idem explicans illa verba Apoſtoli ad Galatas cap. 2. verſ. 1. *Aſcendit Ieroſolymam,* vocat *Principem Apoſtolorum.* in pſalm. 116. & in cap. 2. ad Romanos iterùm nominat illum *Magnum Petrum.* Quod epithetum repetit epiſt. ad Leonem.

VI. *S. Max.* Eodem ſœculo vixit Maximus Taurinenſis, quem fruſtra pro ſe citant Antagoniſtæ. Nam ipſemet homiliā 15. in Natali Martyris Laurentii appellat ſedem Romanam *Sedem glorioſiſſimi Patriarchæ.* Non dicit glorioſiſſimorum Patriarcharum, ſcilicet Petri & Pauli.

VII. *S. Petr. Chryſol.* Idem de S. Petro Chryſologo dicendum eſt, quandoquidem ſermone 175. dicat. *Edicto Cæſaris & Pagani Dominus IESVS obtemperaturus occurrit, & decreto beati Petri, decreto principis Chriſtiani ſervus adhuc aliquis irreverenter obſiſtit.* Non ait decreto beatorum Petri & Pauli, undè ſermone 107. *Verè* (inquit) *Petrus immobile fundamentum ſalutis.* Infra. *Ipſe eſt ergò cuſtos fidei, petra Eccleſiæ, janitorque cœlorum.*

VIII. *Auguſt.* Vrgent adverſarii auctoritatem S. Auguſtini dicentis in pſalm. 130. *Paulus Apoſtolus, quamvis ex perſecutore factus ſit prædicator abundantiorem gratiam conſecutus eſt in omni labore Apoſtolico, quàm cæteri Apoſtoli.* Libr. 2. de peccatorum meritis cap. 13. de eodem Apoſtolo hæc pronunciat. *Verùm etiam in ipſo Evangelio, ubi & tanti Apoſtolatus meruit principatum.* Et lib. 2. contra Donatiſtas cap. 4. vocat. *Collegam Petri.* Ideò Paulum præfert Petro, quia magis laboravit, ut ipſe Auguſtinus explicat. *Abundantiorem gratiam conſecutus eſt in omni labore Apoſtolico, quàm cæteri Apoſtoli.* Vt ipſemet Apoſtolus de ſe aſſerit 2. Corinth. cap. 11. verſ. 23. *Miniſtri Chriſti ſunt, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, &c.* Vocat æqualem Petro, ejus Collegam ratione Apoſtolatus, non verò ratione regiminis Eccleſiaſtici, ſedis, poteſtatis & juriſdictionis univerſalis; quam ad ſolum Petrum ſpectare teſtatur libr. contra epiſtolas fundamenti cap. 4. *Eccleſia me tenet ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.* Et epiſt. 165. *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certius, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram propter Apoſtolatus ſui primatum gerenti, ait; Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Petro enim ſucceſſit Linus.*

IX. *S. Proſp.* Quod Proſper Aquitanicus nullo modo faveat adverſariis, ſed eorum opinionem improbet, patefacit in Carmine de ingratis, ubi de Pelagio ita canit:

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

X. Quamvis S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis eodem ſœculo ſcribens

contra nos citetur, nihilominus ſatis clarè nobis favere teſtatur lib. de fide
Fulgent. ad Petrum, dum docet ſoli Petro claves fuiſſe à Chriſto traditas. *Pœnitentia peccatori tunc prodeſt, ſi eam in Eccleſia Catholicâ gerat. Cui Deus in perſonâ Petri ligandi ſolvendiq́ tribuit poteſtatem, dicens Matthæi cap. 16. Quæ alligaveris ſuper terram erunt ligata & in cœlis &c.* Quando igitur ſermone 58. de natali Apoſtolorum exclamat. *O beata Apoſtolorum merita, ut una duobus conceſſa ſit gratia, in tantùm, ut ambórum videaris appellare nomina. Si enim Paulum dicens, Petrum non taces, etſi Petrum dixeris Paulum non ſiles: denique utraque ſibi cognominibus habentur vocabula.* Hæc verba (ut ipſe Fulgentius indicat) accipienda ſunt quantùm ad merita, ita ut ſint quaſi pares quoad ſanctitatem, doctrinam, fidem, prædicationem, Apoſtolatum, & ſimilia: non autem quoad juriſdictionem ſeu primatum, cùm ſoli Petro præ aliis Chriſtus dixerit. *Super hanc petram, &c. Tibi dabo claves, &c. Paſce oves meas, &c. Confirma fratres tuos, &c.* Alioqui ſi verba illa nudè accipiantur, ſequetur, quod quæcumque de uno in Evangeliis, in actibus Apoſtolorum, hiſtoriis Eccleſiaſticis dicũtur, de alio etiam intelligi debeãt.

XI. Petrus Dam. Sœculo undecimo prodiit S. Petrus Damianus, qui hunc primatum communem fuiſſe Petro & Paulo aſſerere videtur. In vitâ S. Vitalis Martyris. *Roma (inquit) per duos ſummos Apoſtolos Petrum & Paulum totius orbis ſibi vendicat principatum.* Et opuſc. 35. cap. 4. ait Paulum Chriſtum referre in eo, *Quod uni dumtaxat Eccleſiæ, ſed omnibus præſidet.* Item. *Ipſe in toto terrarum orbe univerſalem fundavit Eccleſiam, dignum eſt ut ſicut in omnibus fidei ſemen ſparſit, ſic etiam in omnibus jus teneat præſidentis.* Iterùm. *Cùm omnes Apoſtoli diſtributi terrarum regionibus proprias obtineant cathedras, iſte dum nullam ſpecialiter teneat videtur aliquatenus communiter omnibus præſidere.* Quæ tamen verba intelligenda ſunt de Paulo, ut prædicatoris & doctoris gentiũ munus exercuit in toto orbe, quâ ratione Eccleſias fundare, & Epiſcopos conſecrare poterat, & dici poterat habitualiter & in actu primo Epiſcopus orbis univerſi: non autem actualiter, ſeu in actu ſecundo abſque dependentiâ, & ſubordinatione in præfatis muneribus ad Petrum, qui eſt communis paſtor ovium Chriſti. Cæterum quod S. Petrus Damianus primatum in ſolo Petro agnoſcat, patet ex epiſtolâ 12. quæ eſt ad Nicolaum papam, & epiſtola 16. ad Deſiderium.

Si quid ex S. Laurentio Juſtiniano XII. S. Laur. Juſtin.
proferatur in contrarium explicandũ eſt ut ſupra, maximè cùm in libro de obedientiâ. Unicum Petri primatum agnoſcat. *Hujus Eccleſiæ Catholicæ Monarchiam Petrus primus accepit, Matthæi cap. 16. Hanc poteſtatem ſortiti ſunt quotquot in ipsâ cathedrâ reſiderunt.*

§. 17.

Auctores Graviſſimi explicantur.

PRimatus Petri impugnatores I. Joannes Sarisb.
graviſſimorum Auctorum ſuffragiis ſuam opinionem firmare contendunt. Ut Joannis Sarisberienſis Angli. Sed refelluntur ab eodem libr. 7. Policratici cap. 21. dicente. *Claves Eccleſiæ uſurpantes, aut ſurripientes Petro.*

Gaſpar Cardinalis Contarenus II. Cardin. Cont.
(quem etiam citant) in libello de poteſtate Pontificis, clariſsimè primatum Petri profitetur. *Obteſtatur* (inquit) *Chriſtus Petrum Ioannis cap. 21. per eum amorem, quo præ aliis omnibus ab illo amabatur, ut paſceret oves ſuas. Si ergò Chriſtus ovium ſuarum paſtor & dominus Ioannis cap. 10. Petrum item conſtituit non dominum, ſed paſtorem ovium ſuarum, vicem Chriſti gerit Petrus. Proportio igitur Petri ejusque ſucceſſorum ad populum Chriſtianum eſt proportio paſtoris ad oves. Undè quæcumque pertinent ad inſtitutionem Chriſtiani gregis in vitâ Chriſtianâ, ſeu quæcumque ad gubernationem aut curationem ad Petrum & ſucceſſores Petri ſpectant.* Inter cœtera hæc ultima verba, pondera: *Ad Petrum & Petri ſucceſſores, &c.* Non dicit ad Petrum & Paulum, & Petri & Pauli ſucceſſores, ſpectant,

ſtant. Plura ibi: tandem concludit. *Semper à probis omnibus Chriſtianis Romanæ ſedi, ſedi (inquam) Petri ſumma veneratio, ſumma auctoritas delata eſt.* Non ait Romanæ ſedi, ſedi (inquam) Petri & Pauli ſumma auctoritas eſt delata, ſed ſedi Petri.

III. *Rhegino.* Eodem modo explicandus Rhegino (quem pro ſe allegant) per ea, quæ dicit ad annum Domini 872. *Ioannes Papa à juramento, quo ſe ob mortis periculum evadendum Adalgyſi tyranno obligaverat, auctoritate, & S. Petri abſolvit.*

IV. *Goffrid.* Goffridus Abbas Vindocinenſis, poſtea Cardinalis S. Priſcæ ab Vrbano VII. creatus videtur nobis contradicere, dum epiſtolâ 7. ad Paſchalem Pontificem ſcribit. *Firmiter credimus nec erramus Dominum noſtrum duobus diſcipulis, Petro videlicet & Paulo Eccleſiæ dediſſe principatum, Principem fidei Catholicæ Petrum fecit, Paulum doctrinæ.* Sed potius noſtram ſententiam confirmat, dum diſtinguit Petrum à Paulo, quod Petrus ſit princeps Catholicæ fidei, & ratione regiminis à Deo: Paulus autem ratione doctrinæ, & prædicationis. Secundò, dum paulò ante de ſolâ fide & ſede Petri mentionem facit. *Valde neceſſe eſt, ut nunc etiam fides B. Petri in ſuâ ſpeciali ſede, quæ nunquam errare conſuevit, tantùm vigeat quatenus in primis ſua ſancta Romana Eccleſia. & à colliſione provideat, & eam à ſubjectione defendat, ne fortè, quod abſit ſatanâ triumphante erroris fluctibus intolerabiliter oppreſſa ſuccumbat, & ſic omnium credentium multitudo ſyllam & charybdim cum illâ patiatur & pereat, & Beatus Petrus ſub undis latere credatur, qui olim ſuper undas ambulabat.* Vndè etiã alibi dum de Romanâ Eccleſiâ diſſerit ſolum Petrum nominat epiſt. 12. ad Calixtum Papam. *Interim humiliter rogo pium patrem & dominum quatenus, &c. excommunicationem confirmet, quam Epiſcopus ipſe litteris Apoſtolicæ ſedis coactus in Nivelonem & Archembaldum, qui plurima damna & multiplices injurias Monaſterio Vindocinenſi allodio B. Petri & ejus patrimonio fecerunt, & adhuc facere non deſinũt* Eidem Pontifici epiſt. 13. *Huic igitur mihi retribui deſidero bona pro bonis, quam retributionem Chriſtus beatum docuit Petrum, & beatus Petrus poſt ipſum hanc tenendam docet & præcipit.* Epiſt. 14. ad Honorium pontificem. *Multos labores & timores diu paſſus ſum; & quid ibi egerim pro fidelitate Romanæ Eccleſiæ, & quomodo pro acquiſitione Lateranenſis palatii ſeminaverim, novit Deus & B. Petrus.* Epiſtolâ 19. Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo ſanctæ Romanæ Sedis Vicario. *Vndè de ſinu Matris noſtræ Eccleſiæ mamellam juſtitiæ filiali dilectione requirentes veſtram bonitatem multùm ſuppliciter precamur, quatenus prædictis Epiſcopis miſſo ad eos veſtræ auctoritatis decreto præcipiatis, ut Vindocinenſe Monaſterium Beati Petri patrimonium nullatenus à parochianis ſuis vexari, vel rebus propriis expoliari conſentiant.* Epiſtolâ 21. ad eundem Gerardum Sedis Apoſtolicæ Legatũ, ita fatur. *Quicumque privilegio utitur Romanæ Eccleſiæ ſanctam ejus auctoritatem perverſis operibus non debet impugnare. Et cùm Chriſtus Dominus ſolùm beato Petro, quæ liganda erant, ligandi, & quæ ſolvenda, ſolvendi poteſtatem cõtulerit, vos amplius, vel aliud pro legatione vobis commiſſâ non debetis uſurpare.* Epiſt. 25. eundem his verbis compellat, loquens de Papâ. *Cujus judicii æquitatem, qui refugit audire Beatum Petrum ne ſentiat iratum, debet timere Monaſterium noſtrum patrimonium B. Petri, & ejus allodium noveritis.* Epiſtolâ 27. *Ad vos clamamus, à vobis, qui Apoſtolicæ ſedis vices habetis, & qui beati Petri allodium maximè defendere debetis.*

V. *Galat. c. 2. v. 11.* Neque etiam nobis adverſatur Liranus explicans illud Apoſtoli ad Galatas cap. 2. v. 11. *In faciem ei reſtiti.* Qui inferre videtur Paulum non fuiſſe Petro inferiorem. *In faciem ejus reſtitit, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret.* Quæ etiam habentur Canone Paulum Petrum 2. quæſt. 7. Vbi notatur non eſſe S. Auguſtini, nec S. Hieronymi. Vndè ſic ibi exponuntur. *Hoc non de officio Eccleſiaſticæ dignitatis ſed puritate vitæ & ſanctitate converſationis intelligitur. Solus enim Petrus inter Apoſtolos primatum gerebat.* Deinde hæc paritas utriuſque, quam aſſerit

Liranus eſt æqualitas non poteſtatis & juriſdictionis, ſed Apoſtolatus.

VI. Cardin. de Cusâ. Multò minus cõtrariæ opinionis eſt Nicolaus de Cusâ Cardinalis epiſt. 2. ad Bohemos de uſu communionis inſinuans Romanum Pontificem eſſe ſucceſſorem Petri reſpectu Judæorũ, & Paulum reſpectu Gentilium, & per illos unam ſedem & Epiſcopatum eſſe conſtitutum. Nam illius mens debet intelligi modo ſupra explicato, ſcilicet cum dependentiâ & ſubordinatione Pauli ad Petrum omnium Apoſtolorum verticem, apicem, & caput. Ut patet ex ipſius Cardinalis verbis, eâdem epiſtolâ. *Si ſcire velis an in Eccleſiâ exiſtas, hac veſtiges ratione. Si Cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas ſucceſſiones bonorum, malorumq. in Petrum principem continuatur. Credendum eſt, hanc ſedem ſacratiſſimam, quoad locum etiam inexterminabilem. Et tamen ſi caſu Roma deficeret, ibi veritas Eccleſiæ remanebit, ubi erit principatus & Petri ſedes modo prædicto. Cùm enim Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis. Primo Apoſtolo rectè primus ſuccedit Epiſcopus, ad quemcumque particularem locum alium à Romanâ urbe fuerit ſedes contracta.* Ibidem. *Per principatum fortiſſimum Petri debiles demùm confortati in fide ad ejus unionem redacti ſunt, undè infallibilitatis refugium eſt in unione eſſe cum principe Eccleſiæ.* Prætereà noſter Lezana animadvertit hunc auctorem non benè audire apud plures, eo quod fuerit adminiſter conciliabuli Baſilienſis.

VII. Bellar. Cardinalem Bellarminum in ſuas partes adducere conantur, quia libro 1. de Rom. Pontifice cap. 27. §. *Quod autem.* videtur non tantùm æqualitatem, ſed etiam præcedentiam Paulo concedere. *Etiamſi conſtaret Paulum Petro omnibus nominibus anteponendũ eſſe, nihil id Romanis Pontificibus officeret, aut ipſi etiam Petri ſummo pontificatui. Non quidem Pontificibus Romanis, quoniam ipſi tam Petrũ quàm Paulum prædeceſſorem & parentem agnoſcunt. Siquidem uterque Apoſtolus Romanam Eccleſiam fundavit, & gubernavit, ut præter alios teſtatur Irenæus lib. 3. cap. 3. Et in urbe Româ uterque per Martyrium vitam finivit. Itaque omnis Pauli gloria ad Romanos Pontifices pertinet. Nihil enim Petri pontificatui officeret ſumma dignitas & auctoritas Pauli, quoniam extraordinaria erat, quanta, quanta tandem. Quare, quemadmodum in populo Iudæorum major erat Moyſes Aarone: & nihilominus tamen Aaron verè ac propriè ſummus pontifex fuit, & non Moyſis, & non Aaronis poſteri in ſummâ illâ dignitate patri ſucceſſerunt: Quoniam poteſtas Moyſis extraordinaria, Aaronis ordinaria erat, ita quoque ſi admitteremus extraordinario privilegio Paulum Petro majorem fuiſſe: non propterea negaremus Petrum ordinarium, ac ſummum Eccleſiæ pontificem fuiſſe.* Reſpondeo his verbis Bellarminum nihil concludere: quia dumtaxat loquitur hypotheticè & conditionatè, hypothetica autem & conditionata verba non obſunt veritati. Ratio eſt quia ex regulâ Dialecticorum propoſitio conditionalis nihil ponit in re, unde Doctores diſputantes cum hæreticis aliqua admittunt, ſeu illis permittunt, non quia vera ſunt, ſed ut oſtendant inefficaciam argumentorum ejuſmodi. Deindè idem Bellarminus eodem libr, à cap. 9. uſque ad 25. incluſivè oſtendit primatum Eccleſiæ univerſalis ſoli Petro competere, eumque eſſe caput & paſtorẽ omnium Apoſtolorum.

Longè illis antiquiorem nobis opponunt Claudiũ Altiſidiorenſem, vel ſecundùm alios Taurinenſem Epiſcopum, natione Scotum, qui claruit in Galliâ ſub Carolo Magno anno 800. ex Tritemio de ſcriptoribus Eccleſiaſticis qui explicans illa verba Apoſtoli ad Galatas cap. 2. verſ. 8. *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum, operatus eſt & mihi inter gentes.* Subdit. *Ideſt non illi ſum inferior, quia ab uno ſumus ambo in unum miniſterium ordinati, ex quo perſpicimus propterea dextras datas Paulo, & Barnabæ à Petro, Iacobo & Ioanne, nè in obſervatione variâ diverſum Chriſti Evangelium putaretur.* Paulò poſt. *Plena auctoritas Petro in Iudaiſmi prædicatione data dignoſcitur, & Pauli perfecta auctoritas in prædicatione gentium invenitur. Vndè & Magiſtrum ſe gentium vocat in fide & veritate. Vnuſquiſque enim pro viribus ſuis & diſpenſationem* VIII. Galat. c. 2. v. 8.

ſationem ſortitus eſt. Et paulò poſt. *Petrum nominat & ſibi comparat, quia primatum ipſe accepit ad fundandam Eccleſiam, ſe quoque pari modo electum, ut primatum habeat fundandis Gentium Eccleſiis.* Conſequenter explicans illa verba verſ. 9. *Et cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, &c.* Subjungit. *Ab Apoſtolis, qui clariores inter cæteros erant, quos & firmitatis causâ columnas appellat, quique cum Domino ſemper in ſecretis fuerant, gloriam ejus digni in monte reſpicere. Ab his itaque probatum dicit donum, quod accepit à Deo, ut dignus eſſet habere primatum in prædicatione gentium, ſicut & Petrus in prædicatione circumciſionis.* Et paucis interjectis. *Gratiã ſibi ſoli primus vendicat conceſſam à Deo, ſicut & ſoli Petro conceſſa eſt inter Apoſtolos.* Ex his benè infertur æqualitas Apoſtolatus, meriti, ſanctitatis, prædicationis, poteſtatis fundandi Eccleſias: non autem juriſdictionis ſupremæ, ac poteſtatis Monarchicæ regendi Eccleſiam & omnes fideles, quæ ſoli Petro competit, ut ipſe Claudius innuere videtur explicans illa verba cap. 1. verſ. 18. *Deindè poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum,* ait, *quod juſſus ſit ire Hieroſo-* cap. 1. verſ. 18 *lymam ad hoc eſſe, ut videret Apoſtolum, tum intelligeret eò Paulum non iviſſe diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis habet auctorem, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.* Priori (inquam) non tantùm vocatione, ſed etiam dignitate capitis, ac ſupremi Eccleſiæ rectoris, à quo cæteri Apoſtoli, Prælati, totaque Eccleſia dependet. Sic explicandi alii Auctores ab adverſariis citati. Jacobus Cardinalis S. Georgii, Ægidius Viterbienſis, Joannes Baptiſta Garga, Paulus Æmilius. Rupertus Abbas, OEcumenius, Moſes Barcepha, Florus, Taraſius, Fortunatus, Vincẽtius Lirinenſis, Primaſius Vticenſis, Evodius Papienſis, Dorotheus Theſſalonicenſis, Aurelius Prudentius.

IX. Nec refert, quod Paulus per antonomaſiam nuncupetur ab Auguſtino libro 3. ad Bonifacium Apoſtolus, & cum Eccleſia quaſi ſuum, univerſique orbis doctorem colat, & indigitet. Vt patet ex Collectâ præcitatâ. *Deus qui univerſum mundum ſancti Pauli prædicatione docuiſti, &c.* Et ſanctus Chryſoſtomus homiliâ 4. de laudibus Pauli. *In tantùm virtute progreſſus eſt, ut vix triginta annorum ſpatio Romanos, & Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatos, & Saracenos, & omne prorſus genus humanum ſub jugum mitteret veritatis.* Hoc epitheto tantùm convinci poteſt Paulum fuiſſe ſuperiorem quoad ſapientiam, prædicationem, ſcriptionem librorum canonicorum, diverſarum regionum, ac ferè totius mundi peragrationem, &c. non autem quoad regimen Eccleſiæ, primatum, juriſdictionem, poteſtatem, dignitatem Monarchicam, & Hierarchicam: ratione quorum omnium poteſt Petrus etiam antonomaſticè appellari Apoſtolus. Sic Catholici contra Acatholicos colligunt ex Scripturâ & Patribus plura privilegia, ac plures prærogativas, ex quibus Petri ſuperioritas ac eminentia præ aliis manifeſtatur.

X. Prima prærogativa eſt, quod Chriſtus ſoli Petro inter omnes Apoſtolos proprium nomen mutaverit. Ioan. c. 1. v. 24. Cùm enim vocaretur Simon, poſtea vocatus eſt Cephas, ideſt petra. Ioannis cap. 1, verſ. 24. Sic Geneſis cap. 17. verſ. 5. Cùm Abrahã prius vocaretur Abram, ideſt *Pater excelſus*, vocatus eſt Abraham, ideſt, *Pater multitudinis*, ſeu *multarum gentium*. Præfata tamen Petri prærogativa major eſt Abrahami prærogativâ. Nam *Cephas*, teſte Optato Milevitano lib. 2. contra Parmenianum apud Syros ſignificat petram, vel lapidem: apud Græcos idem eſt ac caput. Chriſtus utrumque nomen babuit, dictus eſt petra ſeu lapis, quia ſuper eam fundata eſt Eccleſia Matth. cap. 24. verſ. 24. dictus eſt caput, quia regit Eccleſiam, ſicut vir mulierem. Epheſ. cap. 5. verſ. 23. hâc igitur mutatione Chriſtus innuere voluit Petrum fore fundamentum & caput Eccleſiæ ſecundarium, ſicut Chriſtus erat primarium. Secunda eſt, quod quando in Evangelio nomina Apoſtolorum recenſentur, Petrus ſemper primus ponitur quaſi princeps & anteſignanus Matthæi cap. 10. verſ. 2.

Duodecim

Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, Marci cap. 3. verſ. 16, Lucæ cap. 6, verſ. 14. Actor. cap. 1 verſ. 13. Tertia, Scriptura loquitur de Petro, tanquam de principe & duce, & de aliis Apoſtolis, quaſi de ſubditis, Marci cap. 1. verſ. 36. *Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum ipſo erant* Lucæ cap. 8. verſ. 45. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Lucæ cap. 9. verſ. 32. *Petrus verò, & qui cum illo erant,* Actor. cap. 2. verſ. 14 *Stans Petrus cum undecim.* Quomodo loquendi utitur Scriptura, dum vult ſignificare principem cum ſubditis Lib. 1, Regum cap. 30, verſ. 4. *David & populus, qui erat cum eo.* Verſ. 9. *David & ſexcenti viri qui erant cum eo.* Lib. 4. Regum cap. 2. verſ. 6. de Eliâ & Eliſeo *Ierunt igitur ambo, pariter & quinquaginta viri de filiis prophetarum ſecuti ſunt eos.* Lib. 2. Machabæorum cap. 8. verſ. 1. *Iudas Machabæus, & qui cum illo erant.* Cap. 10. verſ. 1. *Machabæus autem, & qui cum eo erant.* Cap. 11. verſ. 6. *Vt autem Machabæus, & qui cum eo erant.* Apocal. cap. 12. verſ. 7. *Michael & Angeli præliabantur.* Ex quibus loquendi formulis rectè colligimus Davidem, Eliam, Eliſeum, Judam Machabæum, & Michaelem Archangelum fuiſſe principes, reſpectu eorum qui erant cum ipſis. Ex ſimili loquendi modo concludimus Petrum eſſe principem Apoſtolorum. Quarta eſt, quod Petrus ſæpè nomine Apoſtolorum loquatur, quaſi illorum anteſignanus, ut Matthæi cap. 16. verſ. 5. *Dicit illis IESVS, Vos autem, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi,* Matth. cap. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Lucæ cap. 12. verſ. 42. *Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Ioannis cap. 6, verſ. 8. *Dixit ergò IESVS ad duodecim. Numquid & vos vultis abire? reſpondens ei Simon Petrus. Dñe ad quem ibimus? verba vitæ habes.* Rectè noſter S. Cyrillus ex his verbis primatum Petri colligit lib. 4. in Ioannem cap. 18. *Per unum qui præerat omnes reſpondent.* & lib. 12. cap. 6. *Cum Salvatora diſcipulis quæreret. Vos autem quem me eſſe dicitis? Petrus ut princeps, caputq́; cæterorum primus exclamavit: Tu es Chriſtus filius Dei Vivi,* Et S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 11. *Omnibus Apoſtolis reticentibus (ſupra vires enim erat hæc doctrina) Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco dicit ad ipſum, Tu es Chriſtus, &c.* Sanctus Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium. *Petrus tamen ſuper quem fundata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, unus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait: Domine ad quem ibimus?* Paulus Emiſſenus homiliâ de Chriſti Nativitate. *Nonne Petrus Apoſtolorum Coryphæus, eorundemque os reſpondit, Tu es Chriſtus, &c.* S. Auguſtinus ſerm. 13. de verbis Domini. *Ipſe enim Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè unus reſpondit pro omnibus.* Petrus in hoc imitatus eſt Chriſtum, qui ut princeps diſcipulorum ſæpè eorum nomine reſpondit. Matthæi cap. 9, v. 11. Quærunt Phariſæi ab Apoſtolis. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Reſpondit Chriſtus pro illis, *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Lucæ cap. 6. verſ. 2. Iidem Phariſæi Apoſtolis vellentibus ſpicas dicunt. *Quid facitis, quod non licet in Sabbathis.* Chriſtus reſpondit pro illis. *Nec hoc legiſtis quod fecit David cum eſuriſſet ipſe.* Quinta inter omnes Apoſtolos facta eſt Petro prima revelatio Divinitatis. Matthæi cap. 16. verſ. 17. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelabit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Vide S. Leonem ſermone 3. de aſſumptione ſuâ ad pontificatum, S. Auguſtinum ſerm. 124. de tempore, S. Athanaſium ſerm. 4. contra Arianos, S. Hilarium in pſalm. 131. Sexta, conſtantia fidei ſoli Petro inter omnes Apoſtolos fuit promiſſa, Matthæi cap, 16. verſ. 18. *Tu es Petrus & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Noſter S. Cyrillus lib. 2, in Ioannem cap. 12. *Intuitus autem eum IESVS, dixit. Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, &c. Vocabulo ipſo commodè ſignificans quod in eo, tanquam in petrâ lapidi-*

l. 4. reg. c. 2. v. 6 — *Matt. c. 16. v. 15.* — *S. Cyrill. Alex.* — S Cyrill. Hieroſ. — Cyprian. — Matt. c. 16. v. 18. — S. Cyrill. Alex.

lapidiſque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam. S. Chryſoſtomus homiliâ in Petrum & Eliam. *Sed vide ejuſmodi peccato permiſit ſubjici Petrum, illum tamen ac tantum virum Apoſtolorum verticem, fundamentum immobile, & petram ſtabilem, quæ non poſſet concuti.* Eadem mens eſt Sancti Baſilii Magni in cap. 2. Iſaiæ & lib. 2. contra Eunomium. Theophilacti in cap. 16. Matthæi & cap. 22. Lucæ. Origenes homil. 5. in Exodum. & in pſal. 1. S. Epiphanii in Ancorato. S. Auguſtini ſermone 15. de Sanctis, Sancti Hieronymi in cap. 16. Matthæi. S. Cypriani libr. 4. epiſt. 9. ad Papianum, qui omnes uno ore aſſerunt Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ, petram ſolidam, firmam ſtabilem, immobilem, ſuper quam Eccleſia eſt ædificata. Septima eſt, quod Chriſtus pro ſe ipſo & ſolo Petro voluerit tributum, ſcilicet ſtaterem ſeu didrachmam ſolvi in Capharnaum Matthæi cap. 17. verſ. 26. *Da eis pro me & te.* ſcilicet Vicario meo & Apoſtolorum principe. Ita Sanctus Chryſoſtomus homiliâ 59. in Matthæum. Origenes, Hieronymus, Paſchaſius, Theophilactus ibidem. Quibus arridens S. Auguſtinus quæſt. 75. ex novo teſtamento. *Salvator, cum pro ſe & Petro dari jubet, pro omnibus exſolviſſe videtur: Quia ſicut in Salvatore erant omnes cauſæ magiſterii: ita & poſt Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, ut paſtor eſſet gregis dominici.* Hæ ſunt prærogativæ Petri ante Chriſti reſurrectionem. Prima poſt reſurrectionem eſt, quod Chriſtus ſoli Petro primus apparuit, Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Surrexit Dominus verè & apparuit Petro.* 1. Corinth. cap. 15. verſ. 4. S. Paulus ait: *Reſurrexit tertiâ die ſecundùm ſcripturas, & viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim.* Sanctus Chryſoſtomus ibi. *Itaque Petro primum apparet. Nam qui Chriſtum primus confeſſus eſt, non abs re primus reſurgentem vidit.* Item. *Itaque non omnibus initio viſus eſt, nec pluribus ſimul, ſed uni tantùm, & ei principi, & fide maximè digno.* Secunda, pro electione novi Apoſtoli Petrus omnes diſcipulos convocavit. Act. cap. 1.

S.Chryſ.

verſ. 15. *in diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit: Viri fratres oportet impleri ſcripturam.* S. Chryſoſtomus homil. 3. in acta. *Quam agnoſcit creditum à Chriſto gregem? quam in hoc choro princeps eſt? & ubique primus omnium incipit loqui.* Ibidem infrà. *Meritò primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu.* Hunc ſequitur OEcumenius in cap. 1. Actorum, & alii, maximè Cornelius ponderans verba citati textus. *Exurgens, nimirùm primò quaſi præſes, cæteris eminens, & ſtatu gradúque excelſior, &c. Exurgens, ſignificat paſtoralem vigilantiā Petri, utpotè quaſi paſtor erectus ſit, & totum gregem circumſpiciat & circumluſtret* Item. *Significat animi confidentiam & celſitudinem, quod quaſi Vicarius Chriſti audeat ejus officioſe ingerere, imò ſuccedere, ac cœtum Apoſtolorum ab eo inchoatum ſupplere & perficere.* Plura ibi ad intentum noſtrum. Tertia, Petrus poſt acceptū Spiritum ſanctum primus omnium Judæis Evangelium promulgavit, Actor. cap. 2. verſ. 14. *Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem ſuā, &c.* Cornelius. *Quaſi primus Apoſtolorum, capuſque Eccleſiæ.* Et S. Chryſoſtomus homiliâ 4. in acta. *Petrus os omnium cauſam fidei agit pro omnibus.* Vel ſicut in veteri teſtamento primatum Synagogæ tenēs Moyſes omnibus prælatus eſt in promulgatione legis. Sic Petrus primus promulgavit Evangelium. Quarta, Petrus ad confirmandum Evangelium primum miraculum edidit Actor. cap. 3. verſ. 6. ſanando claudum ex utero Matris: *In nomine IESV-Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* In quo miraculo duo notanda ſunt, primum, quod poſt promulgationem Evangelii primum miraculum patraret, quod denotabat Petrum eſſe primum auctoritate & poteſtate. Secundum, quod claudum curaverit, ejus pedes firmando & conſolidando, myſticè ſignificans Judæos in fide claudicantes. Hoc miraculo ad ad fidem adduci & in eâ confirmari (inquiunt ſanctus Gregorius Niſſenus oratione de S. Stephano, & ſanctus Ambroſius ſerm. 2. de SS. Petro & Paulo) quod præfiguratum video

R in

in ſacrâ hiſtoriâ Eliæ, ubi propheta
l. 3. Reg. populum ita affatur lib. 3. Regum cap.
18. v. 21. 18. verſ. 21. *Vſquequo claudicatis in duas partes, ſi Dominus Deus eſt, ſequimini illum: ſi autem Baal, ſequimini illum*, qui viſo miraculo ignis cœlitus emiſſi, verſ. 39. *Cecidit in faciem, & ait, Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus*. Quinta S. Petrus primus promulgavit Evangelium, & adminiſtravit baptiſmum non tantùm apud Iudæos, ſed etiam Gentiles. Actor. cap. 10. verſ. 34, & ſoli Petro exhibita eſt viſio, quâ jubetur Chriſtum Gentibus annunciare, Actor. c. 10. v. 10. Sexta, primus in Concilio Hieroſolymitano Act. 15. verſ. 7. ſententiam
Actor. c. dixit. *Surgens Petrus dixit ad eos, &c.*
15. v. 7. Cornelius. *Quaſi princeps Apoſtolorum, & primas Eccleſiæ, qui auditâ controverſia in utramque partem diſceptatione, hic eam quaſi primus quaſi judex definit. Vndè mox ejus ſententiam ſequitur Iacobus & cæteri omnes.* Cui explicationi favent Theodoretus epiſt. ad Leonem papam, & S. Hieronymus epiſt 89. quę eſt inter epiſtolas S. Auguſtini cap. 4. His omnibus adjiciam circumſtantiā mortis utriuſque Apoſtoli. Ambo quidem eodem die martyrio affecti ſunt, ſed Petrus cruci affixus, Paulus capite damnatus. Hujus mortis diſcrimen non caret myſterio. Petrus & Paulus Romæ obierũt, ſed Petrus crucifixus inſtar Domini ſui, cujus Vicarius erat: at Paulus capite plectitur, ut ſignificet ſe quidem Romæ moratum & mortuum eſſe: ſed nunquam Eccleſiæ Romanæ caput extitiſſe. Nec illius ullum poſt ſe ſucceſſorem relinquere. Cœterùm Patres variis epithetis primatum Petri deſignarunt, quorum aliqua ſupra protulimus, & alia videri poſſunt apud P. Lezanam ſupra num. 84. Antonius de Dominis apud Becanum libro 2. de Republicâ Eccleſiaſticâ cap. 6, contendit ex præfatis prærogativis non poſſe colligi primatum Petri, Patresque illum ex citatis locis inferentes calumniis aggreditur, ſed morem hæreticorum ſequitur, qui cùm nequeunt ſcriptura & rationibus ſua prava dogmata probare, Eccleſiam Romanam, & Doctores calumniis impetunt.

Vt nihil inſolutum & obſcurum in hac materiâ Lectori relinquatur refutandum etiam exiſtimavi leve argumentum propoſitum in libro anonymo Gallicè, de quo nos in initio. Si Paulus (inquit) dicatur à Patribus minor Petro: id intelligendum eſt de minoritate ætatis vel Apoſtolatus. Sed id falſum eſſe patet ex dictis, deindè inter Apoſtolos nunquam curatum eſt de majoritate ætatis, vel vocationis ad Apoſtolatum. Nam Andræas erat frater Petri, & major natu, & vocatione, & tamen illi poſtpoſitus fuit. Ioannes inter Apoſtolos erat natu minimus, & tamen in dilectione primus, etiam diſcumbēs in mensâ cùm ſuper pectus Domini diſcubuerit. Vndè Ioannes Matthæus Cariophilus Archiepiſcopus Iconienſis in refutatione ſpeudo-Chriſtianæ Catecheſis editæ à Zachariâ Gargano Græco inter blaſph 42. meritò hanc recenſet. *Non quia primus numeratur Petrus eſt Eccleſia fundamentum. Numeratur enim primus, quia primo loco ſedebat, quia ſenex erat, quia primò vocatus.* Meritò ab Academiâ Pariſienſi exploſus & damnatus eſt Antonius de Dominis ſuſtinens primatum Petri conſiſtere in ætate, vocatione & fervore.

CAPUT QUARTUM.

Eccleſia Sancta, quia Sanctus Petrus Romæ ſedit, probatur ſerie ſæculorum.

NOſter P. Lezana tomo 1. Annalium noſtri ordinis ad annum mundi 3250, num. 3. ad illa verba Jeremiæ cap. 2, verſ. 7, *Induxit vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus*. Subdit. *Ex hoc teſtimonio, quin ex communi etiam Patrum, hiſtoricorumque conſenſu habetur hunc Carmeli montem eum fuiſſe, qui Eliæ præſentiâ nobilis, Eliſei & diſcipulorum memoriâ inſignis, miraculorum ab ipſis factorum teſtis, propheticaque, ac Carmeliticæ religionis Patrum ſolum eſt.* Idem habet Cornelius in cap. 7. verſ. 5, Cantic. *Caput tuum ut Carmelus*, Et alibi. Et Ægidius Camartus lib. de geſtis Eliæ I. Lezana Ierem. c. 2. v. 7.

Eliæ cap. 5, ſect. 10. Eundem textum explicans, & ferè omnes Interpretes moderni in lib. 3. & 4. Regum, & in cap. 1. ad Hebræos aſſerentem Carmelum eſſe matricem non tantùm Ordinis noſtri, ſed etiam omnium. Quæ eſt Mater omnium Eccleſiarum? non Eccleſia Hieroſolymitana, non Antiochena, &c. ſed Romana, ut, oſtendimus tomo 1, tractat. 4, cap. 6 per totum. Vndè S. Petrum veniſſe Romam, ibique commoratum eſſe, fusè docent noſter Thomas Waldenſis lib. 2, doctrinalis fidei art. 1, cap. 7, Cardinalis Bellarminus lib. de summò pontifice, Cardinalis Baronius tomo 1, Annalium, & alii, & hic oſtendere inſtituimus percurrendo omnia ſæcula.

II. Primo ſæculo occurrit S. Petrus, qui teſtari videtur ſe Romam veniſſe, ibique ſedem ſuam Apoſtolicam, ac Pōtificiam ſtatuiſſe, 1. epiſt. cap. 5, v. 13. *Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Per Babylonem Interpretes communiter intelligunt Romam, non autem Eccleſiam Romanam (ut calumniantur hæretici) primò quia dicit *Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta.* Secundò vocatur Babylon ob Monarchiam Cæſaream. Quemadmodùm Babylon Chaldæa fuit olim ſedes Monarhiæ Aſſyriorū, ſic dum ſanctus Petrus hanc epiſtolam conſcripſit. Roma erat orbis Monarchia, ac Civitas Monarchica, ut notant Hugo Cardinalis, Gloſſa, Lyranus, Dionyſius. Tertiò, ſicut in Babylone erant præclara ædificia, ſic Romana palatia ſuperabant & magnitudine, & pulchritudine, & opulentiâ cœtera orbis ædificia. Quartò, ſicut Babylon idem eſt ac confuſio, ita Romæ erat nationum & linguarū quædam confuſio, & congeries. Quintò Roma comparatur Babyloni ob idololatriam, quæ tunc ita vigebat, ut fideles clam religionis Chriſtianæ exercitia facere cogerētur. Vt olim Tobias cap. 1. S. Elias propheta libr. 3. Regum cap. 17. verſ. 3. *Abſcondere in torrente Carith.* Cap. 19. verſ. 3. *Timuit Elias, & ſurgens abiit quocumque ferebat eum voluntas.* Et cap. 18, verſ. 13. Abdias propheta affirmat ſe

1. Pet. c. 5. v. 13.

l. 3. Reg. 17. v. 3.

cap. 19.

cap. 18. v. 13.

occultaſſe centum prophetas & ſubduxiſſe furori Jezabelis. *Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim, cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, quod abſconderim de prophetis Domini centum viros, &c.* Et dum S. Petrus venit Romam hæc civitas erat, non tantùm imperii, ſed & idololatriæ caput, ſeu potius mancipium ac ingens confuſio. Non enim tantùm colebat Baal Deum Sidoniorum & Tyriorum, qui ſecundùm Toſtatum in lib. 4. Regum cap. 3. quæſt. 3. erat Hercules, vel Beelzebub, Deum Accaronitarū, à quibus celebrabatur ut abigeret muſcas (ut vult Cornelius in cap. 1. lib. 4. Regum) ſed omnia Gentilium Numina, ſeu potius Deorum portenta colebat. Vnde (inquit S. Leo in natali Apoſtolorū) *Diſpoſito divinitus operi maximè congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, & citò pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Hæc autem civitas ignorans ſuæ provectionis auctorem cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, ſi nullam reſpueret falſitatem.* Plures analogias recenſet Oroſius lib. 2. cap. 2, & 3. Quod autem S. Petrus hanc epiſtolam ſcripſerit Romæ, & Romæ nomen Babylonis indiderit teſtatur Papias Hieropolitanus Epiſcopus Apoſtolorum diſcipulus & auditor, de quo Euſebius lib. 2. cap. 1. hiſtor. Eccleſ. S. Hieronymus in catalogo virorum illuſtrium. V. Marcus, OEcumenius in eadem Petri verba. Tertullianus lib. adverſus Iudæos, libr. 3. adverſus Marcionem. Quæ Babylon ſeu Roma gentilis converſa eſt in ſanctam Ieruſalem, quæ de cœlo deſcendit, ideſt, in Romam Chriſtianam totius Eccleſiæ Matrem. Quomodò venit Romam? non caſu & fortuitò, ſed ex ſpecialiſſimâ Dei providentiâ & ordinatione. Sanctus Leo ſuprà. *Diſpoſito operi maximè congruebat, &c.* Ibidem, *Ad arcem Romani deſtinatur imperii.* Non dicit ad urbem Antiochenam, ſed *ad arcem Romani imperii.* Quamvis ſupra nonnullos Patres & Hiſtoricos protuleri-

l. 4. Reg. c. 1. v. 2.

S. Leo

mus, qui ſatis apertè de hoc argumento diſſeruerint, tamen quædam tum ex illis, tum ex aliis adjicienda ſunt.

S. Clem. S. Clemens epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini, ait Petrum non ſolùm Epiſcopum Romanum fuiſſe: ſed etiã Romam veniſſe. *Petrus Apoſtolorum primus obſcuriorem mundi plagam, velut omnium ſæculorum per orbem terræ uſque ad ipſius urbis Romanæ notitiam, ut etiam ipſa ſalvaretur invexit.* Idem cenſuit Papias apud Euſebium libr. 2. cap. 14. qui ait in epiſtolâ Petri per Babylonem ſignificari Romam; quia credidit Petrum Romæ fuiſſe. Et eodem Euſebio lib. citato cap. 15. fama eſt veniſſe Philonem Iudæum in colloquium Petri qui Romanis eodem tempore verbum Dei prædicabat.

III, Tertull. Tertullianus lib. adverſus Iudæos & maximè lib. de præſcriptionibus adverſus Iudæos ſecundùm ſæculum illuſtrat his verbis *Si* (inquit) *Italiæ adjaces, habes Romam unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Fælix Eccleſia cui totam doctrinam cum ſanguine ſuo, ubi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur. Vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Ioannes poſtquam in oleum igneam dimerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatus.* Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus epiſtolâ ad Romanos

Dionyſ. Corint. teſte Euſebio lib. 2. cap. 24. *Petrum & Paulum qui Romanos & Corinthios primum in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt, prudenti quadam admonitione impulſi in unum locum concluſiſtis. Nam ambo cum noſtram Corinthi, & veſtram Romæ Eccleſiam fundaſſent, & ejuſdem doctrinæ præceptis tum noſtros animos, tum veſtros imbuiſſent, eodem tempore pariter Martyriũ ſubierunt.* Hegeſippus lib. 3. cap. 2. *Dato* (inquit) *à Nerone præcepto rogabatur Petrus, ut aliò ſe conferret, proximâ nocte ſalutatis fratribus, & celebratâ oratione proficiſci ſolus cœpit. Vbi ventum eſt ad portam, videt ſibi Chriſtum occurrentem & adorans eum, dixit: Domine, quò vado? dixit ei Chriſtus, iterùm venio crucifigi. Intellexit Petrus de ſuâ dictum paſſione, quod in eâ Chriſtus paſſurus videretur, qui patitur in ſingulis, non utique corporis dolores, ſed quadam miſericordiæ compaſſione, aut gloriæ celebritate, & converſus, in urbem rediit, captuſque à perſecutoribus, cruci adjudicatus popoſcit, ut inverſis veſtigiis cruci affigeretur, quod indignus eſſet, quod ſimili modo crucifigeretur, ut paſſus eſt Dei filius: quo impetrato, vel quia ita debebatur, ut Chriſtus prædixerat, vel quia perſecutor non invitus indulget pœnarum incrementa; & ipſe & Paulus, alter cruce, alter gladio necatus eſt.* Accedit Irenæus libro 5, cap. 3. *Maxima* (inquit) *& antiquiſſima, & omnibus cognita à duobus glorioſiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata & conſecrata eſt Eccleſia.* Et cap. 1 *Petrus & Paulus Romæ evangeliſabant & fundabant Eccleſiam.* S. Iren.

In tertio ſæculo claruit S. Cyprianus Martyr, hic libro 1. epiſt. 3. ad Cornelium de Africanis ſcribit. *Qui Romam ex Africâ navigabant ad Petri Cathedram.* Quomodo vocaretur Petri Cathedra, ſi Petrus nunquam fuiſſet Romæ, & ibi ut Epiſcopus ſediſſet? Vnde idem lib. 4. epiſt. 2. *Locum Fabiani Pontificis Romani vocat locum Petri.* S. Hyppolitus Martyr apud Prudentium: IV. Cyprian. S. Hipp.

Vna fides vigeat, priſco, quæ cognita templo eſt:
Quam retinet Paulus, quamque Cathedra Petri.

Dorotheus in Synopſi. *Petrus Apoſtolorum Coryphæus tandem Romæ prædicavit, ibique crucifixus & ſepultus eſt.* Doroth.

Pro hâc veritate quarto ſæculo militat S. Epiphanius hæreſi 27 *In Româ* (inquit) *fuerunt primi Petrus & Paulus Apoſtoli iidem ac Epiſcopi.* Euſebius hiſtoriæ Eccleſiaſtica lib. 2. cap. 13. *Sub ipſo Claudii imperio Dei providentiâ fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum Romam verſus ad Simonem magum delendum, quaſi manu deduxit.* Et lib. 2. cap. 24 *Paulum Nerone regnante ſecuri percuſſum, & Petrum etiam ſuffixum cruci hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Quin etiam inſignis ac teſtata Petri & Pauli inſcriptio, quæ in cœmiteriis Romæ ad hoc uſque tempus manet, hujus rei geſtæ fidem facit.* Lactantius de verâ ſapientiâ libr. 4. cap. 21. *Chriſtus* (inquit) *deinde aperuit diſcipulis ſuis futura omnia, quæ Petrus & Paulus* V. S. Epiph.

Paulus Romæ prædicaverunt, & prædicatio in memoria ſcripta permanſit. Infra. *Cùm eos Nero interemiſſet, Iudæorũ nomen & gentem Veſpaſianus extinxit, fecitq́ omnia, quæ illi futura prædixerant.* Eis arridens S. Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.

S. Athanaſius.

Nequidem (inquit) *Romano Epiſcopo pepercerunt, nullâ reverentiâ moti, quod ſedes illa Apoſtolica eſſet.* Vocat Petrum Romanum Epiſcopum; quia Romæ ſedem fixit. Vt idem explicat in Apologiâ de fugâ ſuâ. *Petrus* (inquit) *& Paulus, cum audiſſent oportere ſe Romæ Martyrium ſubire, cum gaudio abierũt.*

S. Amb.

S. Ambroſius lib. 5. epiſt. 32. de Baſilicis tradendis. *Petrus* (inquit) *victo Simone, cùm præcepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitavit animos Gentilium, quibus eum quærentibus Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, ut paulisper cederet. Et quamvis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt. Rogabatur enim ut ad inſtituendum & confirmandũ populum ſe reſervaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in portâ Chriſtum occurrere, urbemque ingredi, ait, Domine quò vadis? reſpondit Chriſtus, venio Romã iterùm crucifigi. Qui carnẽ paſſiuũ ſuſceperat mortis exuerat. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo. Intellexit ergò Petrus, quod iterùm Chriſtus crucifigendus eſſet in ſervulo. Itaque ſponte remeavit interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimq́ correptus, per crucem ſuam honorificavit Dominum IESVM.* Theodoſius Imperator ejuſdem Præſulis Mediolanenſis hortatu ad pœnitentiam inductus Cod. de ſummâ Trinitate & fide Catholicâ.

Theodoſ.

Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam D. Petrum tradidiſſe Romanis, religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat. Hunc adventum clarè exprimit S. Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorũ.

Hieron.

Simon Petrus (inquit) *princeps Apoſtolorum poſt Epiſcopatum Antiochienſis Eccleſiæ ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibiq́ viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit uſque ad ultimum, hoc eſt decimum quartum Neronis annum, & quo & affixus cruci martyrio coronatus eſt capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus elevatus, aſſerens ſe indignum, quod ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus.* Idem epiſt. 1. ad Damaſum pontificem. *Cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis loquor; ergò beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior.* Optatus Milevitanus libr. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum ſcribit rem eſſe indubitatam.

Optatus Mil.

Negare non potes ſcire te in urbe Româ à Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus. His Aurelius Prudentius accinit in hymno S. Laurentii:

Prudent.

Roma jam regnant duo
Apoſtolorum principes,
Alter vocatur gentium,
Alter Cathedram poſſidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.

Quinto ſœculo non defuerunt Patres, Hiſtorici & Concilia. S. Chryſoſtomus in pſalm. 48. *Piſcator Petrus, quoniam virtutem eſt perſecutus, poſt mortem reſplendet ſole clarius.* Et homiliâ 32. ad Romanos. *Non ita cœlum ſplendeſcit, quando radios ſuos ex ſe dimittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſiderate & horrete quale ſpectaculum viſura ſit Roma Paulum videlicet repentè ex thecâ illâ cum Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſum ferri? qualem roſam Chriſto mittet Roma? qualibus coronis aureis cincta eſt? quales habet fontes: propterea celebro hanc urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ.*

Chryſoſt.

S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum can. 10. *Martyria Petri & Pauli propter eundem paſſionis diem celebrius & ſolemniter Roma commendat.* Et lib. contra litteras Petiliani cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in quâ Petrus ſedit.*

Auguſt.

Sanctus Leo citatus. *Petrus princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur imperii.*

S. Leo.

S. Gregorius Magnus lib. 6. epiſt. 37. *Petrus ſublimavit ſedem, in quâ etiam quieſcere, & præſen-*

Gregor.

tem

tem vitam finire dignatus eſt. Idem lib. 2. epiſt. 33. *Nos licet immeriti ſedem Apoſtolicam vice Petri Apoſtolorum principis ſuſcepimus gubernandam.* Et lib. 6. epiſt. 37. Eulogius Alexandrinus Epiſcopus ſcribens Gregorio Papæ multa de Petri Apoſtolorum principis Cathedrâ locutus dixit. *Eundem Petrum in eâ nunc uſque in ſuis ſucceſſoribus ſedere.* S. Maximus Taurinenſis Homiliâ in Natali Apoſtolorũ. *Petrus & Paulus Martyrium pertulerunt in urbe Româ, quæ principatum & caput obtinet nationum, ſcilicet ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis.* Quibus accinit ſanctus Proſper lib. de ingratis:

S. Proſp. *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris,*
Facta caput mundi, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Theodor. Theodoretus in pſalm. 116. *Magnus ſanctus Petrus ab Ieroſolymis uſque ad Romanorum urbem percurrit,* & epiſt. ad Leonem. *Ii veſtram ſedem effecère illuſtrem, ea eſt veſtrorum bonorum ſumma, illorum autem Deus nunc quoque ſedem claram, illuſtremque reddidit.* Inter Hiſtoricos, Sulpitius Severus ſacræ Hiſtoriæ lib. 2. *Divina apud urbem religio Petro ibi Epiſcopatum gerente, & Paulo poſtea Romam deducto. Etenim tum illuſtris illa adverſio Simonem Petri & Pauli congreſſio fuit* Et poſt. *Paulus ac Petrus capitis damnati; quorum uni cervix gladio deſecta, Petrus in crucem ſublatus eſt.* Sozomenus libr. 4. cap. 14. *Non ſine divinâ providentiâ factum eſt, ut mortuo Fælice ſolus Liberius Romanæ Eccleſiæ præeſſet, nè Petri ſedes ullâ infamiæ notâ aſpergeretur.* Oroſius lib. 7. cap. 6. *Exordio regni Claudii Petrus Apoſtolus Domini noſtri IESV-Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, potentiſſimiſque virtutibus approbavit, atque exindè Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt.* Iornandes aliàs Iordanus Epiſcopus Gothorum in libr. de regnorũ ac temporum ſucceſſione. *Nerò ipſos Doctores fidei Petrum & Paulum in urbe interemit, alterum cruci affigens, alterũ capite plectens.* Expende illas particulas *in urbe*. Quod confirmari hâc ratione poteſt. Si Petrus Romæ Cathedram non ſtatuit, nec ibi obiit, quomodò Romani pontifices dicuntur ejus ſucceſſores? Quomodò à Concilio Epheſino 1, tomo 2. cap. 16. Cæleſtinus Pontifex vocatur *Ordinarius ſucceſſor & Vicarius B. Petri Apoſtolorum principis?* Quomodò Concilium Chalcedonenſe actione. 2. audiens epiſtolam Leonis, conclamavit *Petrus per Leonem locutus eſt:* Quomodò Act. 3. cùm ſententia in Dioſcorum ferretur, narratur quod Leo Petri Apoſtoli præditus dignitate Dioſcorum depoſuerit? Quomodo idem Concilium epiſt. ad Leonem ait Leonem vocis Petri fuiſſe interpretem, ſeu Petrum per Leonem locutum, alludens ad Eliſeum, per quem Elias loqui videbatur, quia ejus ſucceſſor erat, quia duplicem ejus ſpiritum acceperat? Quomodo in Concilio 6. Act. 8. quidam ſic loquuntur. *Suggeſtiones noſtras directas à patre noſtro Agathone ſanctiſſimo Archiepiſcopo Apoſtolicæ & principalis ſedis antiquæ Romæ, tanquam à Spiritu ſancto dictatas per os ſancti ac beatiſſimi principis Apoſtolorum Petri, & digito ter beatiſſimi Papæ ſcriptas ſuſcipio & amplector.* Quomodò (inquam) dicere poteſt, *per os Petri, &c.* niſi quia Petrus pedem ibi fixit, cui Romani Pontifices ſuccedunt? Quomodò Petrus Chryſologus epiſt. ad Eutychem, quæ extat inter præambulares ad Concilium Chalcedonenſe, ait: *Hortamur te Frater honorabilis, ut quæ à Beatiſſimo Papâ Romanæ Civitatis ſcripta ſunt obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propriâ ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem?* Quomodò (inquam) dicitur in propriâ ſede vivere, & præſidere.

Sulpitius. Sozom. Oroſius. Iordan. Concilii Epheſin. 4. reg. c. 2.

VI. Gregor. Turon. Quod ſi in ſextum ſœculum pedem efferamus, audiemus Gregorium Turonenſem libro 1. cap. 25. *Beatus Petrus ſub Imperatore Claudio, quarto ab Auguſto Romam aggreditur, ibique prædicans in multis virtutibus manifeſtiſſimè Chriſtum eſſe Dei filium comprobavit. Ab illis enim diebus Chriſtiani apud civitatem Romanam eſſe cœperunt.* Infra. *Nero Petrum cruce, Paulum jubet interfici.* Quibus accinit Arator Subdiaconus

diaconus hiſtoriæ Apoſtolicæ libr. 2. in fine.

Venit ad excelſa ſublimia culmina Romæ, &c.

Petrus in Eccleſia ſacrato corpore princeps,

Hæc turrita caput mundi circumtulit oris, &c.

VIII. Septimo ſæculo ſcripſit Iſidorus, qui in vitâ ſancti Petri. *Hic* (inquit) *Iſidorus* *poſtquam Eccleſiam Antiochenam fundavit ſub Claudio Cæſare contra Simonem Magum pergit Romam, ibique prædicans Evangelium viginti quinque annis ejuſdem tenuit Pontificatum*. Quibus verbis innuit primò, quod ſicut Carmelus fuit teſtis miraculi patrati ab Eliâ in confuſionem Baalitarum lib. 3. Regum cap. 18. ita Roma teſtis miraculi quod fecit Petrus in perniciem Simonis Magi, qui cum de miraculis præſtandis cum Petro altercaretur, aſſereretque ſe in Cœlum conſcenſurum, & indè ſua omnia bona ſuppeditaturum, ſurſum ſublatus à dæmonibus palàm univerſo populo Rom. ad Petri Apoſtoli orationem in terram proſtratus eſt, ibique cruribus perfractis jacuit, miſereque poſtea periit, ut præter citatos auctores teſtantur Clemens Romanus conſtit. 9. Arnobius lib. 2. adverſus gentes tempore Diocletiani. Noſter Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 6. Iſidorus Peluſiota epiſt. 13. Metaphraſtes 29. Junii, Cedrinus in compend. Glicas annal. lib. 3. & alii. Adeò ut, de re, quæ in confeſſo eſt apud omnes nefas ſit amplius dubitare (inquit Baronius ad annum Chriſti 68.) Secundò Iſidorus verbis citatis innuit Romā non tantùm fuiſſe nobilitatam præſentiâ Petri, ſicut Carmelus SS. Eliæ, & Eliſei ac ſucceſſorum habitatione fuit conſpicuus, ſed etiam S. Petrum ibi ſedem fixam tenuiſſe per 25. annos.

l. 3. Reg. cap. 18

IX. Eandem reſidentiam Romanam Petri affirmat Venerabilis Beda in Claudio Imperatore, in Nerone Imperatore. Ionas Aurelianenſis de cultu Imaginum lib. 1. *Quod enim, ſi (ut ſuprà dictum eſt) claves regni cælorum, quaſi eminentiſſimo Eccleſiæ ſanctæ membro intelligo traditas; Beato videlicet Petro ut per illum ad cæteros hæc dignitas tranſeat? Nam idcircò mens mea ab ejus amore tepeſcet, quem pluris videam à Domino honorari? potior namque in ejus devotione amoris concaleſcit ignis, ut quod omnium eſt commune, ipſe quodammodo accepiſſe videatur ſingularis.* Hæc de primatu Petri: cujus ſucceſſores Romanos Pontifices idem Jonas agnoſcens in eodem libro vocat Gregorium Magnum *Romanæ ſedis gloriam poſt beatum Petrum.* Cùm Claudius Taurinenſis ineptè diceret Papam dici Apoſtolicum, velut Apoſtoli cuſtodem, *Imò* (inquit Ionas) *is dicitur Apoſtolicus, qui tanquam Vicarius ſub Apoſtolo conſtituitur.*

Ionas Aurel.

Præclari hujus veritatis propugnatores nono ſæculo prodierunt. Haymo Epiſcopus Halberſtattenſis Dominicâ primâ Quadrag. Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. 6. cap. 4. *Cedoaldus* (inquit) *rex Anglorum Saxonum ad Chriſtum conververſus Romam properavit, ubi à Sergio papâ baptiſatus ad cœlum tranſiit hoc epitaphio tumulo inſcripto:* X.

Paulus Diacon.

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Armipotens Cedoal liquit amore (Dei.
Vt Petrum, ſedemque Petri rex cerneret hoſpes, (quis.
Cujus fonte ſacras ſumeret albus u-

Vocat Romam ſedem Petri.

Sæculo decimo non minùs clarè de hoc argumento ſcripſit Regino in chronicis lib. 2. anno Domini 842. *Romana urbs ab omni ſancta Eccleſia propter præſentiam Petri & Pauli ſpeciali quodam veneratur privilegio.* Anno Domini 896, *Arnulphus à Formoſo Apoſtolicæ ſedis Præſule ante confeſſionem S. Petri coronatus Imperator creatus eſt*, Idem cenſet lib. 1. Annalium art. 5. & 6. & ad annum 865. De eâ quoque Petri reſidentiâ diſſerit Luitprandus Paravinus lib. 6. cap. 8. lib. 1. cap. 8. lib. 4. cap. 3. XI.

Regino

Leo IX. undecimo ſæculo in epiſt. adverſus præſumptiones Michaelis Conſtantinopolitani Patriarchæ, & Arcridani Bulgarorum Epiſcopi cap. 32. *Romanæ Eccleſiæ fides per Petrum ſuper petram ædificata, nec hactenus defecit, nec deficiet in ſæcula.* S. Petrus XII.

Leo 9.

Damianus

Damianus in vitâ S. Vitalis Martyris. *Roma per duos ſummos Apoſtolos Petrum & Paulum totius orbis vindicat principatum.* Idem aſſerit Anſelmus Cantuarienſis, dum lib. de fermentato & azimo ad Waltrannum Naumburgenſem Epiſcopum de quo dubitabat, nè Imperator contra Pontificem Romanum faveret. *Si certus* (inquit) *eſſem prudentiam veſtram non favere ſucceſſori Iulii Cæſaris, & Neronis, & Iuliani Apoſtatæ contra ſucceſſorem & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſſimè vos & amiciſſimum, & reverendiſſimum Epiſcopum ſalutarem.*

Petrus Dam.

XIII. Rupert. Inſignes hujus veritatis pugiles produxit ſæculum duodecimum Rupertum lib. 2. In Ionam Prophetam. *Roma, eo quod Beati principis Apoſtolorum Petri ſedes facta ſit, ejuſdem & conſortis ejus Pauli, ſicut prædicatione illuſtrata, ita & martyrio coronata, cunctis Eccleſiis caput altius extulit, latiuſque dominatur per omnes gentes ſacra Pontificum ejus lingua, quam dominata fuerit Cæſarum, ſivè Auguſtorum purpura.* Idem lib. 11. cap. 20. ad illa verba Apocal. *Et vidi ſedes & ſederunt ſuper eas, & judicium datū eſt illis.* Subdit. *Iſtæ ſedes Eccleſiaſticæ ſunt dignitates, quibus datum eſt judicium ſolvendi & ligandi, ſummum hujus judicii tribunal in Eccleſiâ paratum eſt Romanâ, ubi ſedes Apoſtolica Beati Petri & nomine & corpore fundata eſt, cui dictum eſt, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Sanctus Bernardus epiſt. 183. ad Conradum Regem Romanorum. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, quam ſententiam mecum vos cuſtodire in exhibenda reverentiâ ſummæ & Apoſtolicæ ſedi & Beati Petri Vicario ſicut ipſū vobis vultis ab univerſo ſervari imperio.* Vocat Beati Petri Vicarium, nō quia ejus vices gerit, quoad poteſtatem: ſed etiam quoad locum, ut inſinuat epiſt. 237. ad Eugenium Papam, *Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus principis Apoſtolorum, locus illius, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, &c.* Petrus Bleſenſis Archidiaconus Batthonienſis Eccleſiæ in Angliâ epiſt. 144. Cæleſtinum Pontificem his verbis affatur. *Cùm ſitis Vicarius Crucifixi, ſucceſſor Petri, ſacerdos Chriſti.* Hugo de S. Victore lib. 1. eruditionis Theologicæ de Sacramentis Eccleſiæ cap. 43. *Papa dicitur quia Pater patrum. Hic univerſalis dicitur, quia univerſæ præeſt Eccleſiæ. Hic quoque Apoſtolicus dicitur, quia principis Apoſtolorum vice fungitur. Hic etiam ſummus Pontifex nuncupatur, quia caput omnium Epiſcoporum. Huic nomen in ordinatione mutatur, quia Petri nomen in prælatione Eccleſiæ à Chriſto mutatum eſt. Huic etiam claves traduntur, ſicut Petro à Domino claves regni Cœlorum traditæ ſunt, ut ſe janitorem regni cœlorum eſſe cognoſcat.* Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis lib. 4. ſentent. diſt. 24. *Petri vicarius & ſucceſſor eſt Pontifex ſummus. Vndè dicitur Apoſtolicus & Papa.*

Bernar. Petr. Bl. Hugo Vict. Petrus Lomb.

XIV. Albert. Mag. Non defuêre ſæculo decimotertio præfatæ veritatis aſſertores Albertus Magnus ad illa verba Matthæi cap. 16. *Dico autem tibi.* Subjungit *Singulariter, Non quod ſingulariter acceperit Petrus; ſed quia in unitate ordinis Eccleſiæ unus eſt, qui accipit in plenitudine poteſtatis, qui eſt ſucceſſor Petri, & Petrus in poteſtate.* Sanctus Thomas ejus diſcipulus paſſim, præcipuè in cap. 5. epiſtol. S. Petri. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone.* Subſcribens Gloſſæ ait. *Romam vocat Babylonem propter confuſionem multiplicis idololatriæ, in cujus medio ſancta Eccleſia adhuc rudis & parva jam ſurgebat, ſicut in Babylone gens Iſraelitica captiva.* Idem cenſet Gulielmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus in rationali divinorum officio libr. 6. cap. 53 differens de ritu qui ſervatur in benedictione roſæ aureæ, quæ defertur Dominicâ quartâ Quadrag. *Hujus floris bajulus eſt Romanus pontifex; ſucceſſor utique Petri, & Vicarius I E S V Chriſti.* Richardus de Mediâ Villâ tractat. edito Pariſiis contra errores Joannis de Monteſono, qui eſt in fine libri ſententiarum Petri Lombardi, loquens de ſede Romanâ. *De hâc* (inquit) *ſanctâ ſede in perſonâ Petri Apoſtoli in eâ præſidentis dictum eſt: Petre rogavi pro te ut non deficiat ſedes tua, &c.* Expende iſta verba, *In eâ præſidentis.*

Thomas Gulielm. Durand. Ricard. de Mediâ Vi.

Occurit

XV. *Auguſt. de Anc.* Occurrit ſæculo decimo quarto Auguſtinus de Ancona, qui in proœmio libri de poteſtate Eccleſiaſticâ, quem Joanni XXII. dedicavit. *Error* (inquit) *ut puto, pertinaci mente non credere Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ paſtorem, Petri ſucceſſorem, & Chriſti legitimum Vicarium.* Nicolaus de Lyra ad illa verba Lucæ 22. *Ut non deficiat fides tua.* Subdit. *Ex hoc patet non deficere uſque ad finem mundi, potiſſimum in Eccleſiâ Romanâ, quæ à Petro poſt Chriſtum fundata eſt.* Quomodò à Petro fundata eſſet, ſi ibi nō ſtatuiſſet ſedem ſuam. *Alvar. Pelagius.* Alvarus Pelagius in proœmio libri 1. de poteſtate Eccleſiæ, hanc fidei profeſſionem emittit. *Unam ſanctam Catholicam Eccleſiam Romanam, ſponſam Chriſti confiteor, veneror & obſervo, extra quam ſalus non eſt ſponſam ejus legitimam, & caput Dominum reverendiſſimum, & ſanctiſſimum Dominum Papam Ioannem XXII. ſucceſſorem almi Petri Apoſtoli, & Vicarium Domini noſtri IESU Chriſti.* Durandus de S. Portiano libr. 4. ſentent. diſtin. 24. quæſt. 5. idem nomen ſucceſſoris Petri Romano Pontifici attribuit. Eodem titulo ipſum afficiunt Petrus de Palude diſtin. 24. quæſt. 6. noſter Guido Perpinianus in ſummâ de hæreſibus primo errore Waldenſium. Nicolaus Goran in enarratione ſup. cap. 16. Matthæi. Herveus apud S. Antoninum.

XVI. *S. Vincēt. Ferrar.* Decimo quinto ſæculo S. Vincentius Ferrarienſis ſermone de S. Petro Apoſtolo, ait: *Beatus Petrus poſtquam prædicavit per multas civitates & villas, & convertit plures in Antiochiâ & alibi venit Romam.* *S. Laur. Iuſtin.* S. Laurentius Iuſtinianus Patriarcha Venetus lib. de obedientiâ. *Eccleſiæ Catholicæ Monarchiam Petrus primus accepit Matth. cap. 16. Hanc poteſtatem ſortiti ſunt quotquot poſt illum canonicè in illâ Cathedrâ reſederunt, qui reſpectu cæterorū ſummi ſunt nominati.* Pontifices Romanos in ipſâ Petri cathedrâ reſidere ait. *Nicol. de Cuſâ.* Nicolaus de Cuſâ epiſt. ad Bohemos de uſu communionis agens. *Si ſcire velis, an in Eccleſia exiſtas, hac veſtiges ratione. Si cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas ſucceſſiones bonorum, malorumq́ in Petrum principem continuatur, &c.* Quomodò cathedra Pontificum Romanorum eſſet cathedra Petri, niſi ibi Petrus ſediſſet. *Dionyſ. Carth.* Dionyſius Carthuſianus ſermone 2. de Sanctis Petro & Paulo illam Petri reſidentiam Romæ factā exprimit. *Contra Simonem Magum magnum ac longum Romæ conflictum.* Sermone 2. *De Beatiſſimo Petro id primò ſciendum, quod juxta prætacta per quatuor annos prædicavit undique in Iudæâ, nuſquam ſibi fixum continuans ſedem, certumq́ locum. Poſt hæc in Antiochiâ ſedem Epiſcopalem ſibi conſtituit, & ſeptem ibidem præfuit annis. Ex quo enim Chriſtus eum toti præfecit Eccleſiæ potuit ſibi ſedem erigere ubicumque ſibi complacuit. Cùmq́ in Antiochiâ & Iudæâ Simonem Magum penitus ſuperaſſet, & Simonem illum Romam eſſe profectum audiiſſet, diſpoſuit ſe ut iret Romam, cæpitq́ paulatim illuc proficiſci, & undique prædicavit in viâ per urbes & alia loca, atque innumerabiles homines hinc indè convertit. Nam & fama percucurrit eum ubique, & homines certatim confluebant ad eum, ut prædicationem ejus audirent: ita quod ſæpè circa veſperam urbem ingrediens, cùm optaret parùm quieſcere, non permittebatur pauſare turbis ad eum confluentibus undique, & hoc fuit propter celeberrima, & innumerabilia ejus miracula: quò quocumque venit curavit infirmos, quæ omnia in itinerario ſancti Clementis plenius recitantur. Denique quarto anno Claudii Imperatoris legitur ſanctus Petrus Romam veniſſe, & viginti quinque annis ſedit ibidem in cathedrâ pontificis ſummi, atque ut liberius orationi, prædicationi, & contemplationi poſſet vacare, duos ſibi aſſumpſit coadjutores S. Linum & Cletum qui exteriora expediebant, quorum unus intra muros Romæ alter extra muros ſedebat. Nam innumerabiles ex variis mundi partibus ad Chriſtum converſi cōfluebant ad Romam ut principem Appoſtolorum & totius Eccleſiæ ſummum viderent Pontificem, pleniuſque inſtruerentur ab ipſo. Itaque infra 25. annos ſanctiſſimus Petrus multos valdè convertit in Româ & extra eam, & per diverſas partes ac urbes Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Africæ ſuos direxit diſcipulos, per quos innumerabiles gentiliū*

turba convertebantur ad Chriſtum. Legitur quoque in Martyrologio ſanctorũ, quod glorioſiſſimus Archiapoſtolus tres ex diſcipulis ſuis, quod ad prædicandum direxit in viâ defunctos per contactum ſui baculi ſuſcitavit, in quo verè patet admiranda excellentia ejus, ſiquidem libro 4. Reg. legimus quemadmodum magnus ille propheta Eliſeus diſcipulũ ſuum 4. reg. c. 4. *miſit cum baculo ſuo ad ſuſcitandum puerum mortuum, nec tamen è contactu baculi Eliſei fuit puer ille reſuſcitatus, ſed Eliſeo perſonaliter veniente, & ſuper defunctum illum ſæpius procumbente, ſeque expandente ac exorante tandem puer ſurrexit.* Hujus ſedis Romanæ à Petro fixæ mentionem etiam facit ſermone 5. & in feſto S. Petri ad vincula ſermone 1. loquens de Eudoxiâ Theodoſii Pii Imperatoris. *Catenas* (inquit) *quibus ab Herode S. Petrus fuerat vinctus, accepit quas ipſa detulit Romã, &c. Perlata eſt & catena, quâ fuit Petrus Apoſtolus Romæ ſub Nerone ligatus. Cumque catena hæc illis applicata fuiſſet ita miraculosè una catena effecta eſt, ac ſi ſemper una eademque fuiſſet.* Æneas Sylvius, ſeu Pius II. in bullá retracta- Æneas Sylvius. tionum ſuarum. *Inter genera gubernationum communis Philoſophorum ſententia eſt præſtare Monarchiam. Natus mundi Salvator Monarchicum regimen cæteris prætuliſſe videtur gubernatoribus. Orbis maximam partem gubernant reges, ſive Chriſtiani, vel Barbari. In cœleſti autẽ unus eſt omnium Rex æternus Deus, cujus unigenitus filius Chriſtus IESVS, ſervili acceptâ formâ, in Eccleſiâ tanquam verus Deus corporaliter præſidet, & cùm aſcendiſſet in cœlum Petrum indubitanter ſui gregis paſtorem reliquit; cui dixerat; Paſce oves meas, quem omni poteſtate donavit, quæ ad benè regendum oves neceſſaria dicitur. Alioqui ſapientia Patris Eccleſiæ ſuæ haud ſufficienter providiſſet Petrus ab Antiochiâ Romam veniens ibi glorioſo Martyrio vitam finivit.* Platina in vitâ Bonifaci III. ſuam de ſede Ro- Platina. manâ à Petro ſtabilitâ mentem aperit. *Petrus Apoſtolorum princeps ſucceſſoribus ſuis Pontificibus Romanis regni cœlorum claves, poteſtatemq́ à Deo ſibi conceſſam reliquit, non Conſtantinopoli, ſed Romæ, &c.* Pluribus aliis omiſſis, noſtrum Thomam Waldenſem audiamus. Hic tomo 1. lib. 2. doctrinalis fidei art. 1. c. 7. ex profeſſo impugnat errorem Wilelmi (qui fuit magiſter Wicleffi) ille docebat S. Petrũ nunquam fuiſſe Romæ, nec ibi prædicaſſe, ideoque nec ibi fuiſſe Epiſcopum, ſed Paulum. *Scriptura* (inquiebat Wilelmus) *potius ſancta non docet hoc in actibus, ſed legenda quædam apocripha & omnium mirabilium hoc admirandiſſimum eſſe fatetur.* Ad quod egregiè reſpondet Waldenſis. *Mira ſanè protervia, quod ſeductus eſt ad tantùm, ut cæcam ratiunculã ſuam proponat tam* Thomas Walden. *extenſa famæ omnium ſæculorum, quæ ſucceſſivè duravit, & ſcribitur omnium Doctorum codicibus & memoriis populorum. Lucas* (inquit Wilelmus) *non commemorat in actibus. Quid tum? nec Ioannes Chriſti alumnus in Evangelio ſuo Nativitatem Chriſti carnalem, nec quiſquam Evangeliſtarum redemptionẽ primorum parentum, nec totum novum teſtamentum Beatæ Virginis virginitatem perpetuam, & nonne iſta magis neceſſaria fidei Chriſtianæ, quàm prædicatio Petri Romæ?* Petrum igitur fuiſſe Romæ probat teſtimonium Patrum antiquiſſimorum Dionyſii, Euſebii, imo ſcripturæ 1. Petri cap. 5. Beda ad illum locum, & aliorum, infra. *Eru-* Beda. *beſcat igitur idem præceptor noſtri Wicleffi, quod de ſcripturis ſanctis jactat haberi non poſſe Petrum unquam Romæ fuiſſe, cùm ipſe Petrus de Româ primam ſcribens epiſtolam. Salutat vos* (inquit) *Eccleſia, quæ eſt in Babylone electa, topicè Babylonem Romam appellans, ut exponit ad litteram verus Pater Papias, Hieropolites, & diſcipulus ejus Beda. Et inſuper in prologo Marci, ipſe Beda Magiſtrum, quem imitatur, allegat, dat, inquiens teſtimonium Hieropolites Epiſcopus nomine Papias, qui & hoc dicit, quod Petrus in epiſtolâ ſuâ primâ, quam de urbe Româ ſcribit, meminerat Marci, in quâ tropicè Romam Babyloniam nominaret, cùm dicit ſalutat vos ea, quæ in Babylone eſt Eccleſia, & Marcus filius meus* Cui auctoritati ſubdit aliam ſan- Hieron. cti Hieronymi lib. de viris illuſtribus cap. 8. *Petrus* (inquit) *primâ epiſtolâ ſuâ ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans ſalutat vos, &c.* Quibus

Wal-

Waldenſis ſubjungit. *Cognoſcere etiam potuit ex ſcripturis ſi eas vidiſſet Romanos per ſanctum Petrum ad fidem Chriſti eſſe converſos; & prædicationibus ſuis quotidianis hortatos diu ante adventum Pauli, quia epiſtola illa Pauli ad Romanos venit, cum tamen antequam ipſe veniret, præmiſit epiſtolam dicente textu: Deſidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritalis ad confirmandos. Vbi patet Paulum confirmaſſe in illis fidem, quam Petrus inſtituit.* Quibus iterùm addit verba Hieronymi in annotationibus ad idem verbum. *Romanos Petri prædicatione fidem tenentes confirmare ſe velle dicit Paulus: non quod minus accepiſſet à Petro: ſed ut duobus Apoſtolis teſtantibus atque Doctoribus, eorum roboraretur fides.* Ex quibus concludit Waldenſis. *Credat jam Wilelmus de Scripturis haberi, quod Petrus Romæ fuit, vel dicat mendacem eſſe Hieronymum, qui hoc jam de ſcripturarum ſenſu probavit.*

XVII Decimum ſextum ſæculum non minùs abundat præfatæ veritatis defenſoribus: Albertus Pighius in ſuis inſignibus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ libris oſtendit Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem, & ſedere in cathedra Petri Idem docet Dominicus Soto lib. 4. ſentent. tomo 2, quæſt. 1. art. 1, Petrus à Soto in Aſſertione Catholicæ fidei circa articulos Confeſſionis Wittembergenſis, & in defenſione Catholicæ defenſionis cap. 69, Ioannes Ekius lib. 3, de primatu Petri & Romani Pontificis. Nauclerus vol. 2, generatione 21. Alphonſus à Caſtro lib. 12, adverſus hæreſes. Nicolaus Sanderus de viſibili Monarchiâ ſparſim, præcipuè lib. 6, cap. 10. Cardinalis Hoſius de auctoritate Papæ. Richardus Tapperus in explicatione articulorum Lovanienſium. Ioannes Viguerius Granatenſis in inſtitutionibus Chriſtianæ Theologiæ, de Sacramento Ordinis. Conradus Clingius in locis communibus lib. 3, cap. 12 Fridericus Nauſea Epiſcopus Viennenſis in centuria prima homiliarum homil. 89, de ſanctis. Gaſpar Contarenus Cardinalis libr. de poteſtate Pontificis Franciſcus Titelmannus in cap. 7, Cantic. ad illa verba; Caput tuum ut Carmelus, & alibi. Reginaldus Cardinalis Polus 4. libris ad Henricum VIII. Thomas Campeglus Epiſcopus Feltrenſis de poteſtate Romani Pontificis cap. 22. & plures alii, inter quos Guilelmus Lindanus Epiſcopus Ruremundanus in ſua Panoplia lib. 4. cap. 85, *Cùm D. Petrus Apoſtolus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Romæ viginti quinque annis ait Hieronymus in catalogo, cathedram ſacerdotalem tenuerit, fieri non poteſt quin Epiſcopus illi mortuo ſuccedens in eâdem cathedrâ ſacerdotali in iis prorſus omnibus ſuccedat privilegiis atque prærogativis, &c.* *Lindan.*

Hoc ſæculum decimum ſeptimum ſuperioribus non cedit, ſivè Auctorũ dignitatem, ſivè numerum, ſivè ſanctimoniam, ſivè doctrinam ſpectes: Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 44, de adventu Petri ad urbem Romanam, pro indubitata veritate multos à nobis citatos & alios enumerat. XVIII *Baron.*

„Cœterùm Petri Romam adventum „omnes ferè rerum Eccleſiaſticarum „veteres Scriptores & confirmarunt, „& perpetuis monumentis decorarunt. Vt Irenæus lib 3, cap. 1, Tertullianus de præſcript. Hippolytus „apud Prudentium in periſteph Cyprianus de unitate Eccleſiæ, & aliis „locis. Arnobius adverſus gentes, & „& in pſalm 106, Lactantius libr. 4, „cap. 21. Optatus contra Parmenianum lib. 2, Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſ. Ambroſius ſermon. in „natali Apoſtol. & alibi, Auguſtinus „ſerm. 7, in nativit. Apoſtol. & aliis „locis, Severus hiſtor. lib 2 Prudentius in periſt. Philaſtrius de hæreſibus cap. 20, Oroſius libr. 7, cap, 6, „Proſper de præd. lib. 4. cap. 13, Maximus ſerm 1. & 5. in natali Apoſtol. „Arator in acta Apoſt. Papias apud „Euſebium lib. 2, cap. 24, Dionyſius „apud Euſeb. lib. 2, cap. 24. Petrus „Alexandrinus can. 3, Euſebius lib. 2, „cap. 13. & 14, S. Chryſoſtomus homiliâ de Petro & Paulo, Cyrillus „epiſt. ad Cæleſtinum. Theodoretus „lib. 1. hæret. fabul. in Simone, & „epiſt. ad Leonem, Sozomenus lib. 4, „cap. 14, & cæteri minores, ac de„niqne nè in re toto cœlo perſpicua

,, laboraremus, id ipſum ſacroſanctæ ,, OEcumenicæ Synodi, idem etiam ,, Romani Pontifices ſuis epiſtolis, Im- ,, peratores ſuis edictis, ac (ut unico ,, tantùm verbo rem abſolvam) tan- ,, ta de Petri Romam adventu memo- ,, ria omni ſcriptionum genere me- ,, ruit conſecrari : adeò ut nec cujuſ- ,, vis perfrictæ frontis hæreticos vel ,, ſchiſmaticos eorum, qui ante no- ,, ſtrum ſæculum vixerunt auſus fue- ,, rit vel leviter quidem dubitationẽ ,, movere. Plura ibi. Eandem veritatem ſtrenuè defendit Cardinalis Bellarminus contra Velenum libro 2. de Pontifice, toto cap. 2. Becanus tomo 5. opuſculorum libro 3. cap. 1. Bordonus, Valentia, Suarez, Tamertus, ex noſtris P. Lezana fuſiſimè in ſuis conſultis, Philippus à Sanctiſſimâ Trinitate excalceatus tomo 3. diſputat. 1. dub. 4. Vndè P. Lezana in ſummâ Theolog. tomo 3. tractat. 1. de fide diſput. 8. quæſt. 5 ait nefas & temerarium eſſe de hac veritate dubitare. Calvinus ipſe libr. 4, inſtit. cap. 6. §. 15. *Propter hunc* (inquit) *ſcriptorum conſenſum non pugno, quin illic mortuus fuerit.* & cap. 1. num. 2. *Petrum Romæ Martyrio coronatum fuiſſe malo aſſentiri, quàm reluctari ob plurium ſanctorum Patrum conſenſum.* Denique patet ex praxi Eccleſiæ, quæ celebrat feſtum Cathedræ Petri Romæ. Hæc Cathedra extat in templo S. Petri, quam Alexander VII. juſſit in loco honoratiori collocari.

§. 1.

Satisfit Argumentis contrariis petitis ex actibus Apoſtolorum.

I. PEtrum non iviſſe Romam, nec Romanorum converſioni incubuiſſe probant adverſarii ex Act. cap. 19. verſ. 21. *His autem expletis propoſuit Paulus in ſpiritu tranſactâ* *Actor. c. 19. v. 21* *Macedoniâ & Achaiâ tranſire Ieroſolymam, dicens, quoniam poſtquam fuero ibi oportet me & Romam videre.* Dicit, *propoſuit in ſpiritu*, ideſt, inquiunt Vatablus, Lyranus, Dionyſius, Cajetanus, & alii, *Inſtinctus Spiritû ſancto.* Syrus, *Propoſuit in mente ſua.* Ita anxius erat de Romanorum converſione. Ex quo concludunt Romanos fuiſſe à Paulo primùm converſos. Dicendum eſt Paulum non fuiſſe anxium de Romanorum converſione ad fidem, ſed de confirmatione, quia erant converſi ad fidem per Petrum; Præfatam confirmationem ipſe Apoſtolus innuit Roman. cap. 1. verſ. 11. *Rom 1. verſ 11* *Ad confirmandos vos*, ideſt, ut confirmem vos inſtruendo & docendo in fide Chriſti. Dionyſius. *In veritate fidei & obſervatione Evangelicæ legis.* Dominicus Soto. *Ad confirmandos vos in eâ ſcilicet, quam ſuſcepiſtis gratiâ.* Ante eos S. Anſelmus. *Vt vos confirmem, quia jam aliquid habetis: ſed adhuc infirmi & vacillantes eſtis, ideoq; ſpiritali gratiâ ad confirmationem indigetis, per quam firmi eſſe poſſitis. Nam* (inquit S. Chryſoſtomus) *hoc gratiæ eſt non quaſſari, non vacillare, ſed firmiter conſiſtere.* Paulus igitur optat videre Romam, ut & Paulus & Romani percipiant aliquam conſolationem ex mutuo diſcurſu, & ſic in fide magis firmentur.

II. Nec dicas fruſtraneum eſſe Pauli deſiderium videndi Romam & agendi cum Romanis, ſi jam Petrus illis aderat. Reſpondeo nonobſtante Petri præſentiâ Paulum potuiſſe deſiderare Romanorum conſpectum. Secundò, dico illam Petri præſentiam ſubminiſtraſſe majorem anſam & ſollicitudinem Paulo videndi Romam, ſcilicet ut Petrum videret, & cum eo conferret. Quod Pauli deſiderium ſatis colligitur ex ipſo Apoſtolo ad Galatas cap. 1. verſ. 18. *Galat. c. 1. v. 18.* *Poſt tres annos veni Ieroſolymam videre Petrum.* Si venit Ieroſolymam videre Petrum, cur non potuit venire Romam videre Petrum?

III. Secundum telum adverſariorum petitur ex Actor. cap. 23. verſ. 11. *Sequenti nocte aſſiſtens ei Dominus, ait,* *Actor. c. 23. v. 11* *conſtans eſto ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic oportet Romæ teſtificari.* Ex quo textu inferunt ideò Paulum iviſſe Romam, ut illic Evangelium primus prædicaret, & conſequenter Petrum illuc non iviſſe. Sed illatio

illatio illa claudicat. Nam eadem eſt ubique formula loquendi. Teſtificari in Jeruſalem, & teſtificari Romæ. At Paulus non prædicavit primus in Jeruſalem, ſed Petrus. Vt patet Actor. cap. 1. verſ. 14. *Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem ſuam & locutus eſt eis, Viri Iudæi, &c.* Cap 3. verſ 12. *Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, &c.* Cap. 4. verſ. 8. *Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus dixit ad eos principes populi, &c.* Et infra. Ex hoc modo loquendi colligendum eſt Paulum non prædicaſſe primum Romæ.

Actor. c. 1. v. 14.

cap. 3. v. 12.

IV. Objiciunt, Paulo venienti Romam, dictum fuiſſe à Romanis Actor. cap. 28. verſ. 21. *Nos neque litteras accepimus de te à Iudæâ, neque adveniens aliquis fratrum nunciavit, aut locutus eſt quid de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ ſentis. Nam de ſectâ hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur.* Ex quo textu hanc ratiocinationem formant. Si Romæ Petrus adfuiſſet, & ibi fuiſſet concionatus, Romani non forent ita novi ac rudes, neque indigerent pleniori notitiâ illius ſectæ. Hoc argumentum æquè militat contra Antonium de Dominis & ſequaces, ac nos. Quemadmodum enim dicimus priuſquam Paulus Romam veniret, Petrum prædicaſſe Evangelium Romanis: ſic illi aſſerunt diſcipulos Pauli id præſtitiſſe, non Petrum. Si hæc conſequentia valet, Romani deſiderabant accipere à Paulo majorem cognitionem fidei Chriſtianæ Si hæc conſequentia valeat: igitur non aderat illis Petrus, nec illis prædicaverat Petrus; hæc etiam valebit igitur non aderant Romanis diſcipuli Pauli, nec ipſis prædicaverant. Quod ſi hæc conſequenti eſt invalida, & illa etiam erit. Quidquid Antonius de Dominis pro ſe dixerit, nobis favebit, quidquid contra nos, etiam contra ſe dicet. Reſpondeo tunc Romæ fuiſſe non tantùm Judæos, ſed & Gentiles & utrique Petrum prædicaſſe Evangelium, at non omnes convertiſſe. Multi enim in ſuâ Gentilitate vel Judaiſmo hæſerunt, multi dubitarunt, multi ex curioſitate audire voluerunt mentem Pauli de Evangelio Nonnulli enim ex Judæis credebant idem Iconii contigiſſe, cùm Paulus ibi prædicaret Evangelium cum Barnabâ teſtatur S. Lucas Actorum cap. 14. verſ. 1 *Factum eſt Iconii, ut ſimul introirent in Synagogam Iudæorũ & Græcorum copioſa multitudo.* Idem contigiſſe Theſſalonicæ, Berœæ, Athenis, Corinthi, Epheſi, & alibi teſtantur acta Apoſtol. cap. 17. & ſequenti. Igitur idem contigit Romæ.

Actor. c. 28. v. 21.

Actor. c. 14. v. 1.

§. 2.

Solvuntur objectiones deprompta ex epiſtolis S. Pauli.

I. Apoſtolus Roman. cap. 1. v. 11. *Deſidero* (inquit) *videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritalis ad confirmandos vos.* Non indigerent confirmatione Pauli, ſi fuiſſent inſtructi à Petro. Idem argumentum poteſt objici adverſariis. Paulus Romanos non confirmaſſet ſi fuiſſent inſtructi à diſcipuli Pauli, ut affirmat Antonius de Dominis. Reſpõdeo ſecundò Apoſtolum non arguere, ſed laudare fidem Romanorum. *Primùm* (inquit verſ 8.) *gratias ago Deo meo per IESVM Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* Si fides eorum eſſet imperfecta & digna reprehenſione nõ ageret Deo gratias. Nec S. Hieronymus lib 3. contra Ruffinum cap. 4. diceret. *Ad Romanos Apoſtolico ore laudatos perfidia non habet acceſſum.* Quod eos laudet patet ex his verbis, *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo.* Ideſt rumor, excellentia, cõſtantia fidei veſtræ omnem orbem percurrit: ubique enim fertur quod rerum Domini creditis Evangelio, & in eo generoſè perſiſtitis & proficitis. Eleganter S. Chryſoſtomus homiliâ in epiſt. ad Romanos. *Duo merita ipſis teſtificatur, & quod crediderunt, & quod cum fiduciâ crediderunt, & quidem tanta, ut quæ illis fama circumfertur omnem terrarum orbem occuparet. Veſtra enim* (inquit) *fides annuntiatur in univerſo mundo. Fides, inquam, non verborum conflictus, neque mutuæ diſputationes, neque Syllogiſmi, quanquam multa inibi erant*

Rom. c. 1. v. 11.

verſ. 8.

Hieron.

S. Chryſ

erant, quæ obſtare poterant, nè Evangelii doctrina reciperetur. Etenim nuper orbis primatum adepti faſtu multò turgebant in divitiis ac deliciis vitam agentes, Evangelium autem ipſum piſcatores Iudæi ferebant, & quidem ex Iudæis, gente, quam omnes oderant, atque abominabantur, quin & Crucifixum adorari jubebant, eumque in Iudæâ eductum. Iam & unà cum ipſo dogmate duram vitam agentem præſcribebant magiſtri hominibus, quibus ſemper curæ fuerant deliciæ. Quique rerum vitæ præſentis admiratione attoniti eſſent. Adde quod qui hæc nunciabant pauperes erant, & privati, ignobiles, & ex parentibus ignobilibus orti; ſed tamen nihil horum ſermonis Evangelici curſum impedivit. Tanta erat Crucifixi potentia, ut ipſum verbum quoquo verſum circumageret. Annunciatur enim, inquit, in univerſo mundo. Nec dixit manifeſtatur: ſed annuntiatur perindè quaſi in omnium ore verſaretur. Theſſalonicenſibus quidem hoc cùm teſtatur, & aliud quiddam adjungit. Nam cùm dixiſſet Theſſalon. c.1, A vobis pertinet ſermo Domini, addit, ut non ſit nobis neceſſe loqui quidquam. Qui enim diſcipuli fuerant, ii in Doctorum gradu conſiſtebant, per ſuam ipſorum fiduciam omnes inſtituentes, & ad ſeſe illicentes, &c.

II. Retorquet Antonius de Dominis ex eodem cap. 1. verſ. 14. argumentum ubi ait, *Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum, ita quod in me promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis.* Quibus verbis nullam facit mentionem Petri; vel converſionis Romanorum ab eo factæ vel faciendæ. Reſpondeo primò, his verbis æquè ſileri converſionem primam Romanorum factam tam à Paulo, quàm à Petro. Quemadmodùm verò ex Scripturà colligimus fuiſſe Romæ: ita Petrum fuiſſe Romæ innuit ipſe Petrus 1, canonicæ ſuæ cap. 5. verſ. 13. *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta.* Per nomen Babylonis S. Hieronymus in catalogo ſcriptorũ Eccleſiaſticorum in Marco. Euſebius lib. 2, cap. 5. & alii, de quibus ſupra, intelligunt Romam. A quorum opinione non recedit Antonius de Dominis lib. 4. c. 4. n. 26.

Rom. 1. verſ. 14.

III. Nec refert, quod ſacer textus expreſsè dicat Paulum Romæ evangeliſaſſe, de Petro autem loquatur valdè implicitè. Ex eo enim nihil contra nos probatur. Non enim ſequitur; ſcriptura id non dicit de Petro, igitur factum non eſt. Scriptura nullam mentionem facit de Martyrio Petri & Pauli Romæ perpeſſo, igitur neuter ſubiit Martyrium nec Romæ, nec alibi. Item Scriptura mentionem nullam facit Symboli ab Apoſtolis conditi, igitur non condiderunt. Horum omnium ratio eſt, quia argumentum ab auctoritate negativâ non valet. Imò Antonio de Dominis hanc oppono argumentationem. Patres omnes conveniunt Romanos primò fuiſſe converſos ad fidem per Petrum, quod non affirmant de Paulo, igitur Petrus venit Romam, & Romanos ad fidem convertit.

IV. Objicit Antonius de Dominis illud Roman. cap. 15. verſ. 20. *Si autem prædicavi Evangelium hoc, ubi nominatus eſt Chriſtus, nè ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſed ſcriptum eſt, Quibus non annuntiatum de eo videbũt, & qui non audierunt intelligent.* Ex quo textu ſumit anſam refutandi Baronium ſcribentem ad annum Chriſti 41. Paulum ſuperædificaſſe. *Nec ſic* (inquit) *Irenæum de Paulo meminiſſe credimus, quaſi non ante Pauli Romam adventum Matthæus ſcripſerit, ſed cõmuni potius tum ipſius, tum cæterorum Patrum uſu loquendi, cum de Romana Eccleſiæ fundatione ſit mentio, Paulum æquè ac Petrum nominaſſe; non quod Paulus eodem quo Petrus tempore Romã venerit, ac ſimul cum Petro primum fundamentum jecerit, ſed quod de ſuper ædificaverit.* Contendit Antonius de Dominis contra Paulum non conſueviſſe prædicare Evangelium, niſi ubi hactenus non eſt annunciatum. Sed retorqueo primò Antonium de Dominis ſibi contradicere: prius enim dixit Pauli diſcipulos poſuiſſe fundamentum Romanæ Eccleſiæ, deindè Paulum perfeciſſe, & in præſenti objectione aſſerit Paulum non conſueviſſe prædicare Evangelium, niſi ubi Chriſtus non eſt nominatus, quæ duo ſibi cõtraria ſunt. Reſpondeo ſecundò Antonium

Rom. 15 v. 20.

Baron.

Antonium de Dominis falsè explicare mentē Pauli. Non enim univerſaliter affirmat nullibi ſe prædicaſſe, vel prædicare Evangelium niſi ubi Chriſtus nominatus non eſt. Sed ſe hactenus annunciaſſe Evangelium multis gentilibus qui nihil de Chriſto audierant, juxta illud oraculū Iſaiæ. *Quibus non eſt annunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent.* Cap. 52. verſ. 15. ideſt gentes Deum & Chriſtum ignorantes cognoſcent, & colent eundem ſcilicet incolæ Arabiæ, Seleuciæ, Cypri, Pamphiliæ, Lycaoniæ, Phrygiæ, Galatiæ, Achaiæ, & aliarum nationum barbararum. Vt patet Actor. cap. 13. & ſequentibus. Tertiò, interpretatio de Dominis ex eo falſa apparet, quod Apoſtolus prædicaverat Hieroſolymis, ubi ante Petrus prædicaverat; quod etiam de Roma dicendum eſt.

V. Aliter explicat locum Apoſtoli ſanctus Ambroſius, ſcilicet, quod non prædicaverit, ubi per pſeudo-Apoſtolos nominatus fuerat Chriſtus, nè ſuper alienum fundamentum, hoc eſt corruptum & depravatum ædificaret: ſed illos anteverterit, nè negotium ei faceſſerent refellendi falſa eorum dogmata: ſed hæc explicatio non placet Dominico Soto. Primò, quia nullum hic notat falſum fundamentum quod deſtruendum eſſet ſed alienum, ſuper quod ædificandum eſſet. Secundò quia citatum Iſaiæ oraculū ægrè admittit talem ſenſum; quare ſecundæ reſponſioni ſubſcribit, quam ait benè quadrare cum verbis ſuperioribus ejuſdem capitis verſ. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per* verſ. 18. *me non efficit Chriſtus.* Quibus ſubdit Soto occurrens objectioni. *Quamvis videatur intelligentia hæc nonnihil ſe-* Soto. *cum afferre inanis gloriæ quod ſcilicet ipſe ſolus jecit prima fundamenta, ſtruxeritque totum ædificium: tamen (ut ait Origenes) contrario ſenſu hoc dicit Paulus, nempè nè Romani putarent, quod ad illos ſcriberet hujus gloriolæ cauſa, quod vellet emendare & perficere tanquam architectus illam doctrinam quam ab aliis receperant. Poterant enim illi dicere, habemus noſtros Doctores, quiſnam te illis præferat, ob idque ait, non ſoleo ab alienis laboribus gloriam aucupari, illis videlicet vel mihi aſcribendo, vel ubi non opus eſt coſtimando & corrigendo: ſed illas ſemper aſſumpſi provincias, in quibus Chriſtus non ſolùm fuit creditus, verùm neque auditus, neque ullo modo nominatus. Tametſi nihil vetet, ut per hoc etiam voluerit commendare labores ſuos & pericula, ſuperataſque difficultates. Erat enim talis commendatio neceſſaria, ut fidem ſuam & auctoritatem conſtabiliret, corroboraretque apud Romanos, quam pſeudo-apoſtoli labefactare moliebantur.* Plura ibi, quæ Antonio de Dominis nullo modo favere poſſunt.

Nec de Dominis & alii primatum VI.
Eccleſiæ Paulo attribuendum probant, ex eo quod Roman. cap. 16. verſ. 3. facit mentionem Evangelii, quod annunciaverat Romanis non per ſe, ſed per ſuos diſcipulos, priuſ- Rom 16 v. 13.
quam perſonaliter Romam adventaret, ut patet ex ſalutatione, quam facit. *Salutate Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto IESV. &c.* Horū fit mentio Actor. cap. 18. verſ. 1. *Poſt* Actor. c. 18. v. 1.
hæc Paulus egreſſus Athenis venit Corinthum, & inveniens quendam Iudæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italiâ, & Priſcillam uxorem ejus, eo quod præcepiſſet Claudius decedere omnes à Româ, acceſſit ad eos. Et quia ejuſdem erat artis manebat apud eos, & operabatur. Erant autem ſcenofactoriæ artis. Et verſ. 24.
Iudæus autem quidam Apollo nomine, v. 24.
Alexandrinus genere, vir eloquens devenit Epheſum, potens in ſcripturis, &c. Hic ergò cœpit fiducialiter agere in Synagogâ, quem cùm audiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt eum, & diligentius expoſuerunt ei viam Domini. Ex quibus de Dominis infert Romanorū converſionem æquè, imò prius attribuendā eſſe Paulo quàm Petro. Hæc objectio potius militat contra de Dominis, quàm contra nos. Primò innuit Paulum non exiſtere Romæ, quandoquidem ſalutet Priſcā & Priſcillam, &c. Secundò, eſto, Priſca & Priſcilla &c. fuerint Romæ, non probat fuiſſe diſcipulos Pauli. Tertiò, non probat fuiſſe Romam miſſos à Paulo, ut Romanos converterent. Quartò,

non

non probat Romanos fuiſſe à Priſcillâ & Aquilâ converſos ad fidem. Quintò, imò colligo ex citatis locis Actuũ quod Aquila & Priſcilla habitaverint quidem Romæ, quod à Claudio cum aliis Judæis expulſi fuerint Româ anno Chriſti 51. teſte Paulo Oroſio, & quod poſt expulſionem venerint Corinthum, ubi primùm à Paulo viſi & cogniti ſunt, quod poſtea cum Paulo profecti ſunt Epheſum, & ibi quendam Judæum nomine Appollo in fide Chriſtianâ inſtruxerint. Quod ob hanc inſtructionem ſunt vocati adjutores Pauli in Chriſto JESU Quod poſt hæc omnia reverſi ſint Romam, & ibi morati ſint dum Paulus ſcriberet Epiſtolam ad Romanos, ſcilicet anno Chriſti 58. ex quibus omnibus non conſtat eos fuiſſe Pauli diſcipulos. Quoad Andronicum, &c. quos verſ. 7. ſalutat. *Salutate Andronicum & Iuniam cognatos & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.* S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Cornelius non credunt fuiſſe Pauli diſcipulos, ſed fuiſſe præcipuos inter Apoſtolos, ſcilicet Doctores Evangelii: imò factos Chriſtianos ante converſionem Pauli.

VII. Vrget Antonius de Dominis ex citato cap. 16. verſ. 25. verba Apoſtoli quibus aſſerit ſe fidem & Evangelium ipſis Romanis annuntiaſſe. *Ei autem qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum & prædicationem IESV Chriſti.* Facilis eſt reſponſio, ſcilicet Paulum dum hæc ſcriberet nondum fuiſſe Romæ, ideoque illud Evangelium cujus mentionem facit non prædicaverat vivâ voce, & præſens: ſed dumtaxat per epiſtolam. Senſus igitur eſt, ſit honor & gloria Deo, qui poteſt vos confirmare in cœpto, juxta Evãgelium quod in hâc meâ epiſtolâ ad vos ſcripſi. Hanc explicationem colligo ex S. Anſelmo. *Ego vos in hac epiſtolâ ſic inſtruxi & monui: ſed ei, qui potens eſt vos confirmare, ſoli ſapienti ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum Deo, à quo uni omnia dat gloriam, ut cœptum Romanorum, quia potens eſt, dignetur complere, confirmando in fide & charitate animos eorum; in quo epiſtolæ ſumma notatur.* Summa epiſtolæ autem eſt, quod cuncti etiam Gentiles & Pagani juſtificentur ex fide Chriſti, & quidem gratis abſque ullis præviis eorũ meritis. Ex quâ re in fide ſemel ſuſceptâ poterunt confirmari.

Rom 16 verſ. 25.

Anſelm.

VIII. Apoſtolus 2. Timoth. cap. 4. verſ. 16. adverſæ parti maximè ſuffragari videtur, ait enim *In meâ proximâ defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerent. Non illis imputetur. Dominus autem mihi aſſiſtit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore leonis.* Quem locum ita intepretatur Antonius de Dominis. Vbi à leone, ideſt, Nerone tantiſper liberatus fuit, egregiè laboravit in fundandâ Eccleſiâ Romanâ & hæc illa prædicatio; ut audiant omnes gentes, quia cùm Roma foret cunctarum nationum caput facile in omnes nationes indè religio Chriſtiana poterat propagari. Veram reſponſionẽ ſubminiſtrat Baronius ad annum Chriſti 61. & multi Patres ac Annaliſtæ apud ipſum ſcilicet hanc epiſtolã ſcriptam eſſe è primis vinculis, in quæ fuit Romæ conjectus, à quibus poſtea dimiſſus & liber fuit. Ex quâ liberatione factũ eſt ut Paulus poſtea uñiverſũ orbẽ peragrarit Evangelii gratiâ. Dicere ergò videtur, cùm primò è vinculis Ieroſolymitanis eductus cauſam meam egi coram Nerone, ita eam egi, ut Dei ope, ejus animum flexerim, meque dimittendum cenſerit; Idque factum Divino conſilio, ut per novem annos adhuc forem ſuperſtes, pergeremque per Hiſpaniam & alias provincias ibi Evangelium ſeminando. Paulus ergò fuit bis Romæ incarceratus ſub Nerone, primâ vice fuit dimiſſus, ſecundâ vice Martyrium ſubiit. Scribens Timotheo mentionẽ facit defenſionis ſuæ habitæ in primâ incarceratione, quando Hieroſolymitanis vinculis eductus, miſſus eſt Romam ad Neronem, ibique manſit per biennium Actor. cap. 28. verſ. 30. Quando tunc Paulus ſe defendit, fuit à ſuis deſertus, quia non audebant illi aſſiſtere ob Neronis furorem & faſtum, quem metuebant, ſed Deum habuit adjutorem, juxta illud Philonis

2. Tim. 4. v. 16.

lib. 2.

Philo. lib. 2. de vitâ Moſis *Neceſſe eſt enim adeſſe divinam, ubi humanum ceſſat auxilium.* Origenes Origenes homiliâ 9. in Numeros. *Tum maximè gratiâ Dei adeſt, cum hominum ſævitia concitatur.* S.Amb. S. Ambroſii libr. de Joſeph. *Ibi plus eſt auxilii, ubi plus eſt periculi.* Quo auxilio divino fultus, ipſum Neronem benevolum habuit, qui eum è carcere liberavit. Cùm per biennium in carcere Paulus prædicaſſet Evangelium, id in Hiſpaniâ & aliis provinciis per 9. annos illud diſſeminavit, quibus peragratis rediit Romam, ibique ſecundò in vincula conjectus ſecundā ſuam defenſionem coram Nerone inſtituit, ſed diſpari eventu. Nero enim jam tot crudelibus ſuis facinoribus efferatus in Petrum & Paulum furere cœpit, tum quia novum Deum Chriſtū inducebant, tum quia Simonem Magum ſibi familiarem volantem precibus ſuis dejeciſſent, tum quia (inquit S. Chryſoſtomus) Paulus Pincernam ſuum ad fidem cōverterat, quia idem Apoſtolus ex Chryſoſtomo, Ambroſio, Baronio Paulus concubinas ſuas ad fidem & caſtitatē traduxerat. Huic explicationi arridet Sanctus Anſelm Anſelmus. *Multoties (inquit) ductus ſum ante Neronem pro defenſione fidei, ſed in primâ defenſione, ideſt quando ante tyrannum illum primâ vice defendi Evangelium, nemo, ideſt, nullus ex diſcipulis meis adfuit mihi, ut me adjuvaret coram Nerone ad defendendum dogma Chriſtianorum: ſed omnes me dereliquerunt metu ſuppliciorum.* Infra: *Omnes (inquit) me dereliquerunt: ſed Dominus oſtendit mihi derelicto ab hominibus conſolando me per internam aſpirationem ſuam, & loquendo per os meum, & mitigando furorem tyranni, & confortavit me, ideſt conſtantem me fecit, ut non ceſſarem à doctrinâ veritatis, ſed rationibus potenter tyrannum ſuperarem, ut me dimitteret; ut per me impleretur Evangelica prædicatio, & audirent omnes gentes, non ſolùm in Italiâ, ſed & uſque in Hiſpaniam, & ita per Dominum qui mihi affuit liberatus ſum de ore leonis, id eſt à rabie leonis, qui me devorare voluit, ideſt à rabie Neronis, ne me tunc ante exſtingueret.*

IX.

Notant Baronius, Cornelius in Chronotaxi actuum Apoſtolorum quod ſanctus Paulus primâ vice ingreſſus eſt Romam anno Chriſti 57. cum S. Petrus ſediſſet Romæ 15. annis. Nam Petrus ingreſſus eſt Romā anno 3. Claudii Imperatoris die 18. Januarii, fundavitque Eccleſiam Romanam Antiochenæ Eccleſiæ ſucceſſore relicto Evodio, ut ſcribit Euſebius in Chronico: eodemque anno ſcripſit primam epiſtolam ad fideles diſperſos in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, Aſiâ, & Bithyniâ. Et *Sanctus Marcus* (inquit Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.) *Diſcipulus & Interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breve ſcripſit Evangeliū, quod cùm Petrus audiſſet probavit, & Eccleſiæ legendum ſuâ auctoritate dedit.* Hieron. Tunc Paulus Actor. cap. 13. miſſus eſt ab Eccleſiâ Antiochenâ Evangeliſatum gentibus cum Barnabâ. Anno 2. Petri, iidem Paulus & Barnabas Actor. cap. 13. verſ. 4. peragratâ Seleuciâ, Cypro, Salaminâ, univerſâque inſulâ venit Saphum Proconſulemque Sergium Paulum convertit ad Chriſtum. Anno 3. Petri, idem Apoſtolus Actorum cap. 14. verſ. 1. prædicando Iconii multos Iudæos & Gentiles convertit. Anno 4. pervenit Lyſtriam Actor. cap. 14. verſ. 6. ubi claudum miraculosè curavit: quare à turbis acclamatus eſt Deus Mercurius, & Barnabas Iuppiter. Vbi tamen à Iudæis concitatâ ſeditione lapidatus penè occiſus perrexit Derbem, indè tranſiit Piſidiam, Pamphyliam & Attaliam. Anno Petri 5. rediit Antiochiam, ibique biennio commoratus eſt Actor. cap. 14. verſ. ult. Anno 6. Petrus Româ mittit in univerſi orbis provincias Epiſcopos & Apoſtolos, dum Paulus Antiochiæ docet. Anno 7. Petrus cum aliis Iudæis Româ expellitur juſſu Claudii Cæſaris, reditque in Ieruſalem, ubi primum Concilium Hieroſolymitanum celebrat, cui S. Iacobus, Ioannes, Paulus interfuère, quo peracto Actor. 16. Paulus ſeparatur à Barnabâ & pergit cum Silâ in Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias. Et Actor. cap. 17.

perambulatâ Amphipoli & Appolloniâ venit Theſſalonicam, ibique multos convertit. Anno Petri 8. Paulus prædicat Athenis in Areopago Act. cap. 17. Deinde pergens Corinthum multos ibi convertit. Anno Petri 9. Corinthi Tribunali Gallionis fratris Senecæ Philoſophi Paulus ſiſtitur, Actor. cap. 18. verſ. 12. Anno Petri 10. Paulus navigans per mare Icarum appulit Epheſum, inde Cæſareâ venit Hieroſolymam, ubi Eccleſiam primigeniam ſalutavit, & reverſus Antiochiam perambulavit Galaticam regionem & Phrygiam, confirmans omnes diſcipulos Actor. cap. 18. verſ. 24. Anno Petri 11. Paulus peragratis ſuperioribus partibus Aſiæ venit Epheſum, ibiq; per biennium & tres menſes reſidet & prædicat, Actor. cap. 19. verſ. 1. & cap. 20. verſ. 31. ibique fuit objectus beſtiis, ut teſtatur 1. Corinth. cap. 15. verſ. 42. variaque miracula edidit. Anno 12. Petri, Paulus ſecundum aunnm agit Epheſi, ibique prædicans multos Epheſios ad Chriſtum convertit occaſione multorum Iudæorum exorciſtarum, in quos inſiliit Dæmon. Et qui curioſa ſectati erant contulerunt libros & combuſſerunt. Anno Petri 13. ſublato per mortem Claudii edicto de Iudæis Româ abigendis Paulus agens tertium annum Epheſi; cogitat ire Romam: ſed prius viſitat Eccleſias Achaię, & Macedonię, & revertitur Hieroſolymam ubi opifices argentarii Dianæ motu Demetrii excitant ſeditionem contra Paulum, unde poſt Timotheum Epiſcopũ creatum profectus eſt in Macedoniam, Act. cap. 19. verſ. 23. Cujus Eccleſiis confirmatis venit Cretam, ubi creavit & reliquit Epiſcopum Titum diſcipulum chariſſimum, Epiſt. ad Titum cap. 1. verſ. 5. Anno 14. Petri, apud Acta à cap. 20. uſque ad 28. & ultimum multa recenſentur, primò Paulum peragratâ Gręciâ veniſſe Nicopolim, Nicopoli Philippos in Macedonia, mox Troadem ubi ſuſcitavit à mortuis Euthycum, inde Aſſum Mytilenen, Chium, Samum, Miletum, &c. reditque tandem Hieroſolymam, ubi à Iudæis capitur, & pene occiditur, ſed eripit eum Tribunus, à quo poteſtate loquendi factá populum alloquitur Actor. cap. 21. Populus audiens Paulum relictis Iudæis miſſum ad gentes, acclamat, poſcitque eum ad mortem. Quare Tribunus jubet eum flagellari, ſed Paulus dicens ſe Romanum flagellis ſe eximit Actor. cap. 22. Mox in Cõcilium adductus Paulus, poſitúſque inter Phariſæos & Saducæos, dicens ſe Phariſæũ, & de reſurrectione mortuorum judicari diſſidentibus inter ſe judicibus, judicium evadit. Iudæi Paulo inſidias tendunt, quas per indiciũ ſui nepotis evadit. Quare Tribunus eum vinctũ mittit Cæſaream ad Fœlicem Præſidem Actor. cap. 23. ubi accuſatur ab Oratore Tertullo. Paulus ſe defendit, rurſúmque coram Fœlice diſputans de juſtitiâ, caſtitate & judicio, eum movet; Fœlici ſuccedit Portius Feſtus Actor. cap. 24. Cùm Feſtus vellet Paulum Hieroſolymis coram Iudæis judicare, Paulus Cæſarem appellans Romam mittitur, cùm prius ſuam cauſam egiſſet coram rege Agrippâ Actor. cap. 25. & cap. 26. Paulus autem cum Centurione navigat Sidonem, inde Cyprum, inde Lyſtriam, ac tandem naufragium patitur, apparet ei Chriſtus, omnéſque in navi ſalvos evaſuros pollicetur. Omnes ergò ſalvi perveniunt Melitam Actor. cap. 27. Tandem 15. Petri vinctus ex Melitá Actor. 28. navigat Syracuſas, inde Regium, inde Puteolos, inde pedeſtri itinere Romam ingreditur die 6. Iulii, hoſpitatus eſt in domo conducta, quæ poſtea converſa eſt in Eccleſiam Sanctæ Mariæ in via latâ.

Anno præcedente ſcilicet Chriſti 58. ſecundùm Baronium, ſcripſit Paulus ſuam epiſtolam ad Romanos. Vbi (inquiet quiſpiam) erat Petrus? & cur Paulus nullam in ea epiſtola facit mẽtionem Petri. Diximus ſupra Petrum anno ſeptimo ſui pontificatus juſſu Claudii Cæſaris fuiſſe cum aliis Iudæis Româ expulſum rediiſſe in Ieruſalem ad celebrandum primũ Concilium. Deinde perrexiſſe in Britanniam (inquit Cornelius, in proœmio epiſt. ad Romanos) cùm verò Paulus videret Romanos paſtore deſtitutos, X.

& inter ſe de quæſtionibus jam dictis tumultuantes, eos ſuâ epiſtolâ confirmavit, docuit, & in concordiam redegit. Audi Auguſtinum epiſt. ad Romanos. Auguſt. *Cœperunt nonnulli, qui ex Iudæis crediderant tumultuari adverſus gentes, & maximè adverſus Apoſtolum Paulum quod incircumciſos, & à legis veteris vinculis liberos admittebat ad Evangelii gratiam, prædicans eis, ut in Chriſtum crederent, nullo impoſito circumciſionis carnalis jugo: ſed planè tantâ moderatione, ut nec Iudæos ſuperbire permittat, tanquam de meritis operum legis, nec gentes merito fidei adverſus Iudæos inſligare, quod ipſi receperunt Chriſtum, quem illi crucifixerunt* Ideò verò (inquit Baronius ad annum Chriſti 58.) Paulus nullam Petri facit mentionem: quia cum edicto Claudii (ut dictum eſt) Petrus cum Judæis fuiſſet Româ pulſus, ad externas orbis oras prędicationē Evangelii convertit, & exteris nationibus convertendis allaboravit. Quippe cum univerſi gregis curam ſibi demandatam ſuſcepiſſet, & quod ipſe Actorũ cap. 15. verſ. 7. Apoſtolus de ſe ſe teſtatur dicens. Act. c. 15. v. 7. *Et elegit Deus per os meũ audire gentes verbum Evangelii & credere.* Non erat ejus officii in uno loco conſiſtere: ſed quantum homini licuiſſet univerſum peragrare orbem, & nondum credentes ad fidem perducere, credentes verò in fide penitus ſtabilire. Si enim Paulus ad prædicandum itidem gentibus Evangelium à Deo electus erat, licet neutiquam ei univerſi gregis cura credita eſſet, tamen ex his quæ Lucas ſcribit, vidimus eum tot provincias circumluſtraſſe, ac ita (ut de ſe ipſo teſtatur, Roman. cap. 15.) Hieroſolymis in Illyricum uſque longè lateque Evangelium prædicaſſe: ut cum locum ulterius non haberet, Hiſpanias cogitaret. Quid de Petro dicendum eſt, cujus præcipuè muneris erat in his præ cœteris inſudare? Cùm præſertim, non ſicut in Orientales orbis partes ſciamus cœteros Apoſtolos miſſos eſſe, in Occidentem, uno excepto Barnabâ, qui ad breve tempus Ligures docuit, vel Iacobo (ſi tamen conſenſerimus iis qui tradunt eum cito rediturum Hiſpaniam penetraſſe) cæteorrum autem neminem eſſe miſſum liquidò appareat. Petri igitur muneris erat, ut qui jam complures Orientis provincias prædicando peragraſſet, jam (quod reliquum eſſe videbatur) luſtraret orbem Occidentalem & uſque ad Britannos (quod tradunt Metaphraſtes die 29. Iunii & alii) Chriſti fidem annuncians penetraret. Certè quidem Gregorius lib. 2, epiſtol. 75. ſcribens ad Epiſcopos Numidiæ eos ab Apoſtolo Petro accepiſſe ordinationum initia teſtatur; hoc eſt, quod & ante Tertullianus lib. de præſcript. cap. 36. dicebat. *Habes* Tertull. *Romam, undè nobis quoque auctoritas præſto eſt.* Et Cyprianus epiſt. 45. Romanam Eccleſiam Matricem appellat, quod non tantùm Carthaginenſis Eccleſia ab ea fidem accepiſſet: ſed quæ ſub ipsâ continentur Mauritania, Numidia. Et quis mirabitur hęc? cùm idem Paulus hac ipsâ epiſtola teſtetur impletum eſſe, quod prædictum in pſalmo 10. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum.* Pſal. 10. Meritò igitur manifeſtum fuiſſe ait Innocentius epiſt. 1. ad Decentium ſcribens *Eccleſias in omni Italiâ Galliâ, Hiſpaniâ, Africâ, ac Inſulis interjacentibus* S. Innoc. *poſitas à nullo alio, quàm Petro & ejus diſcipulis & ſucceſſoribus inſtitutas eſſe.* Non eſt ergò quod jure quis poſſit de abſentia Petri calumniam facere, vel de ſilentio Pauli movere quæſtionem, cùm nec ſcribens ad Corinthios, Galatas, Epheſios, Theſſalonicenſes, nec alios de ipſorum Epiſcopis expreſsè meminerit. Reſpondet ſecundò idem Baronius, quod potuit & illud perfacile accidiſſe (etiamſi dixerimus his temporibus Petrum Romæ egiſſe) ut familiares alias ad ipſum Paulus eidem tabellario dederit litteras, adeò ut non opus eſſet per alios ſalutari, cui ipſe ſuis privatis litteris monēs, ſalutem plurimam impertitus eſſet, Hæc enim humilitatis officia inter Apoſtolos interceſſiſſe, quis tam ab humanitate alienus negari præſumpſerit? Reſponſionem tertiam mihi ſubminiſtrant ii qui alias contra Illyricum, Lutherum, Antonium de Dominis ſcripsère, ſcilicet

non ſequi Petrum non fuiſſe Romæ, ex eo quod Paulus nullam mentionem Petri faciat, vel ſalutatis aliis ordinibus inferioribus illum non ſalutet. In eâ enim objectione duplex vitium eſt: Primum eſt Paulus ſcribens ad Romanos nullam Petri mentionẽ facit, vel illum ſalutat, igitur Petrus non erat, nec fuit Romæ. Sicut non ſequitur Paulus ſcribens Epheſiis non ſalutat Ioannem, nec illius mentionem facit: igitur Ioannes non erat, vel non fuit Epheſi. Item ſcribẽs Hebræis non ſalutat Iacobum, vel illius mentionem facit: igitur Iacobus non erat, nec fuit Hieroſolymis. Quaſi verò neceſſe ſit ſalutare omnes notos ibi exiſtentes, vel eorum mentionem facere. Alterum vitium eſt, quando Paulus venit primâ vice Romam, vel ſcripſit Romanis, Petrus non erat Romæ, ergò nec ibi Petrus prædicavit. Petrus enim potuit venire Romam, ibi prædicare, fundare Eccleſiam, & aliquantulum recedere: poſtea redire ad ſuam Eccleſiam à ſe fundatam. Et patet exemplo Pauli qui fuit Romę per biennium in vinculis, deinde profectus eſt in Hiſpaniam, poſtea rediit Romam. Idem præſtitiſſe Petrum refert Baronius ad annum Chriſti 68, poſt Metaphraſtem 29. Iunii, & alios. *Petrus* (inquit) *& Paulus divino conſilio, ut afflictatæ nimis gladio Neronis Eccleſiæ Romanæ ſuccurrerent è diverſis mundi partibus Romam ſe iterùm contulerunt, atque collabentem penè Eccleſiam inſtaurarunt, &c.*

XI. Ex quibus patet, Petrum prius veniſſe Romam, quàm Paulum, ſcilicet anno ſecundo Claudii Imperatoris, (ut teſtantur S. Irenæus, S. Cyprianus, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Hieronymus, Optatus, Lactantius, Arnobius, Tertullianus, & multi alii apud Baronium tomo 1. Annalium anno Chriſti 44.) Paulum autem appuliſſe Romam anno tertio Neronis, ut ipſe Marcus Antonius de Dominis etiam admittit conſtitut. 2. Petrum quindecim circiter annis Romæ prædicaſſe, Romanam Eccleſiam fundaſſe, viginti quinque annis illius Epiſcopum extitiſſe, Paulum verò nec fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, nec in regimine Eccleſiæ collegam Petri.

§. 3.

Diluuntur Argumenta petita ex Patribus & variis circumſtantiis.

MVlti Patres (inquit de Dominis) Romanorum converſionem tribuunt æquè Paulo ac Petro; ut S. Chryſoſtomus, S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, S. Irenæus, S. Gregorius, Lucius Papa, Caius, Innocentius, Bernardus. Dico primò neminem illorum Patrum aſſerere Petrum ante Paulum convertiſſe Romanos ad fidem. Secundò à Paulo eſſe fundatam Eccleſiam Romanam, vel æquè ac à Petro. Verum eſt aliquos ex citatis Patribus affirmare Petrum & Paulum id feciſſe per prædicationem Evangelii. Sic S. Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 1. *Matthæus* (inquit) *in Hebræis ipſorum linguâ ſcripturam edidit Evangelii, cùm Petrus & Paulus Romæ evangeliſarent, & fundarent Eccleſiam.* Non aſſerit Paulum veniſſe Romam ante Petrum, vel fuiſſe illi æqualem in juriſdictione & regimine Eccleſiæ. Imò ſanctus Chryſoſtomus homil. 2. in epiſtol. ad Romanos expreſsè ait Petrum prædicaſſe Romæ Evangelium priuſquam Paulus eò veniret. *Quanquam enim ibi Petrus etiam prædicavit; ſed illius facta ſua eſſe ducit.* Nec refert, quod Tertullianus libro 4. contra Marcionem cap. 5 de Romanis dicat. *Quibus Evangelium Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.* Hæc verba non ſignificant Petrum & Paulum fuiſſe pares in poteſtate & gubernio Eccleſiæ. Quæres ſi Paulus non fuit æqualis Petro in juriſdictione & regimine, quomodò Linus & Clemens diſcipuli Pauli primi ſucceſſerunt in pontificatû Romano? Nego primò fuiſſe Pauli diſcipulos, deinde eſto, non ideò ſequitur Paulum fuiſſe æqualem, vel ſuperiorem Petro in Epiſco-

Epiſcopatu Romano. Præterea omnes qui ſcribunt indicem Romanorum Pontificum, ſeu Epiſcoporum, non incipiunt à Paulo, vel à Petro & Paulo, ſed à Petro: & ſucceſſores Petri non Pauli dicuntur Romani pontifices.

II. Nec refert primò, quod multi Pontifices Romani teſtentur ſe accepiſſe auctoritatem à principibus Apoſtolorum Petro & Paulo, ſeque multa agere illorum auctoritate. Ex eo enim non ſequitur Paulum fuiſſe Petro ſuperiorem, vel ambos fuiſſe Romæ Epiſcopos, ſed ideò pontifices dici, multa facere auctoritate Petri & Pauli: primò quia ſuâ prædicatione Eccleſiam illuſtrarunt. Secundò quia eam ſuo ſanguine purpurarunt, & fundarunt, in ea tamen fundandâ Petrus Paulum præceſſit. Ille Romanos ad fidem convertit, hic eos in fide corroboravit. Eſto ambo fuerint Epiſcopi Romanorum, Petrus tamen peculiari ratione illis præfuit, ſcilicet quoad auctoritatem & gubernium, cui Romani pontifices ſucceſsère.

III. Nec obſtat ſecundò quòd pontifices Romani dicantur Vicarii Petri & Pauli, ut patet ex Synodo Romanâ celebratâ anno 873. ſub Ioanne VIII. quæ Carolum Cæſarem ita affatur.
Ioann. 8. *Iam quia divina pietas vos beatorum principum Apoſtolorum Petri & Pauli interventione per Vicarium ipſorum Dominum videlicet Ioannem ſummum Pontificem, & univerſalem Papam, ſpecialemque Patrem noſtrum, &c.* Romanus pontifex non vocatur Vicarius in omnibus, ſed tantùm in aliquibus Petri quoad regimen, Pauli quoad labores, quoad ſapientiam. Deinde hæc ſententia Synodi Romanæ non ſuffragatur Antonio de Dominis, ſi enim admittat illam Synodum debet admittere Romanum pontificem eſſe papam univerſalem, ſi reſpuat nihil poteſt ex ea cõcludere. Quod ſi quandoque Romæ in plumbeo ſigillo Paulus ad dexteram Petri collocetur, cauſa eſt, quia Paulus plus laboravit in converſione gentilium, plures provincias emenſus eſt. Quamvis locus dexter detur etiam Petro ratione ſuæ juriſdictionis. Sic ſupra diximus plus honoris deferri Benedicto, Bernardo, Dominico, Franciſco, Rocho, Thomæ, &c. quia Eccleſia ab iis majus emolumentum percepit, quàm à multis Pontificibus, Epiſcopis, &c. Nec æqualitatem ſaltem utriuſque firmat officium & commemoratio ſimultanea, quæ fit de Petro & Paulo. Id enim tantùm denotat Paulum in Apoſtolatu Petro æqualem, licet Petrus illum ſuperet in dignitate & auctoritate pontificia.

CAPUT QUINTUM.

Eccleſia ſancta, quia S. Petrus Romæ obiit.

Fertur libro 3. Regum cap. 17. I.
verſ. 21. quod S. Parens Elias
vitam reſtituens filio mulieris l. 3. Reg. 17. v. 21
Sareptanæ, *Expandit ſe atque emenſus eſt ſuper puerum.* Emmanuel. *More metientis puero incubuit.* Et lib. 4. Regum cap. 4. S. Eliſeus reſuſcitaturus l. 4. Reg. 4. v. 11.
filium mulieris Sunamitidis inſtar magiſtri ſui verſ 34. *Incubuit ſuper puerum.* S. Auguſtinus ſerm. 3. de annuntiatione in biblioth. Virginali diſſerens Auguſt.
de S. Eliſeo, ait hac reſurrectione ſignificari Chriſtum crucifixum, qui hoc mortis genere vitam humano generi reſtituit: *Hoc Sacramento Crucis Sanctus Eliſeus Sunamitis filium, os ori, manus ſuas manibus ejus applicans orando ſuſcitavit, & vivum matri reſtituit.* Prognoſtice verò dico ejuſmodi Eliæ extenſionem & commenſurationem denotare Eliam ultimi adventus Chriſti præcurſorem fore in cruce extendendum: quia tunc Elias Chriſti vices geret, inſtar Romani pontificis, eadem poteſtate ſpirituali quâ Petrus & ſucceſſores Romani gaudent, pollebit, Apocal. cap. 11. verſ. 5. *Si quis* Apoc. c. 11. v. 5.
voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, Gloſſa interlinearis, Hugo Cardinalis, Albertus Magnus, Anſelmus explicant de igne ſpirituali excommunicandi, anathematiſandi rebelles, eoſque declarandi excommunicatos. Doctiſſimè Rupertus. *Ignis exiet de ore eorum, ut anathematiſent* Rupert.
eos, & Satanæ in æternum tradant in-

ſtitutum. Clariùs Celius Pannonius *Habebunt Enoch & Elias auctoritatem tanquam ab ipſo Deo immediatè conſtituti, qui Eccleſiam tunc moderabuntur juxta vaticinium hujus ſcripturæ, ſicut enim Petrus & cum eo Paulus, Petrus in auctoritate ſedis, Paulus in auctoritate ſermonis.* Quo mortis ſupplicio afficientur Elias & Enoch? S. Thomas exiſtimat Antichriſti ſententiâ in odium Chriſti, quem ſancti illi prædicabunt Cruci affigendos. *Dominus crucifixus eſt corporali crucifixione, ita conformes & morte & mortis loco.* Idem cenſet Ferrarius in Apocalypſim. Baeza concione 2, & 5. de Antichriſto, & alii. Id inſinuari videtur in Thabor, in quo dum Chriſtus transfiguraretur. *Ecce apparuerunt Möyſes & Elias cum eo loquentes.* Matthæi cap. 17. verſ. 3. Vatablus. *Cum illo colloquentes dicebant exceſſum, quem completurus erat in Ieruſalem.* Lyranus. *Dicebant exceſſum ejus, id eſt, paſſionem ejus futuram.* Quæ dicitur hic exceſſiva, ſeu exceſſus ob acerbitatem dolorum, quos paſſurus erat in Ieruſalem. Quaſi diceret. Chriſtus diſſerit cum Eliâ de ſua cruce, ut ſignificet ipſi Eliæ necdum mortuo, eodem mortis genere afficiendum poſt certamen cum Antichriſto conſtantiſsimè initum. Imò in eodem loco Eliam crucifigendum, ubi Chriſtus crucifigetur. Innuit S. Joannis vaticinium Apocal. cap. 11. verſ. 8 *Vbi eorum Dominus crucifixus eſt.* Pagninus, & verſio Tigurina. *Vbi Dominus noſter crucifixus eſt.* Arabicus. *In quo crucifixerunt Dominum ſuum.* Crucifigetur (inquam) non Romæ ut exiſtimat Cypræus hæreticus, ſed in Ieruſalem *In quâ* (inquit D. Thomas ſupra.) *Dominus crucifixus eſt, &c.* Et communiter Interpretes. Nec obſtat quod S. Ioannes appellet illam civitatem Sodomam & Ægyptum. *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus.* Hæc enim in ſenſu litterali, ſed ſpirituali accipienda dantur, non propriè, ſed ob pravos mores & enormia flagitia, quæ temporibus Antichriſti illic perpetrabuntur: ita ut tunc Ieruſalem ſit futura quoad incolarum vitam & mores ſimilis Sodomæ & Ægypto. (*Benè* (inquit Ansbertus) *Civitas illa Sodoma & Ægyptus appellatur, quia videlicet opera Sodomorum, atque abominationes Ægyptiorum ſectaſſe cognoſcitur.* Vndè Iſaias dum vitia Sodomorum exprobrat cap. 1. verſ. 12, *Audite* (inquit) *Verbum Domini principes Sodomorum.* Et cap. 4. verſ. 9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt.* Ezechiel cap. 16. verſ. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis.* Jeremias Thren. cap. 4 verſ. 6. *Major effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* Vocatur etiam Ægyptus ratione idololatriæ & ſuperſtitionum quæ tempore Antichriſti in eâ vigebunt: ſupprimitur autem nomen Jeruſalem, id eſt viſio pacis, ob errorũ, idololatriæ, perſecutionum caliginẽ, quâ illo tẽpore offundetur. Ferrarius & noſter Sylveira ibi quæſt. 21. n. 167. cenſent Eliam & Enoch, non tantùm eodem mortis ſupplicio, quò Chriſtus afficientur, ſed etiam in eodem Calvariæ monte, & id colligunt ex textu. *Vbi Dominus crucifixus eſt.* Arabicus. *Locus, in quo crucifixerunt Dominum ſuum.*

Celius Pannon. — *Matth. c. 17. v. 3.* — *Thomas* — *Apoc. c. 11. v. 8.* — *Ansber.* — *Iſaiæ c. 1. v. 12.* — *cap. 3. verſ. 9.*

II. Romam non tantùm ſanctificatam ac inſignitam fuiſſe Cathedrâ Petri, ſed etiam morte cruentâ, nunc videndum eſt. Pro hac veritate aſtruendâ nonnulla ſæcula breviter percurramus, erroremque Wicleffi aliàs à noſtro Thoma Waldenſi impugnatũ, & ab inferis iterùm per Novatores excitatum convellamus. Omitto plura capite ſuperiore allata, quæ hanc theſim probant. Primò ſæculo S. Ignatius Petro coætaneus ac poſt eum tertius Antiochenus Epiſcopus (cujus præcipuam partem refert S. Hieronymus in lib. de viris illuſtribus in Ignatio) hortatur, imò prohibet Romanis, nè ſuo martyrio obicem afferant, nam ſuis lacrymis inſtiterunt, ut Petrum Româ diſcederet, ut Neronis perſecutionem ac ferrum declinaret. Quibus ait Ignatius, *Non præcipio vobis, ut poterant Petrus & Paulus, ſed tantùm hortor & rogo, ne me impediatis, quemadmodum ſtuduiſtis impedire.*

Ignatius

III. Secundo ſæculo Tertullianus libr. de

Tertull. de præſcriptione. *Si Italiæ* (inquit) *adjaces habes Romam unde nobis quoque auctoritas præſto eſt, fælix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.* Dionyſius Corinthius
Dionyſ. Corint. centum annis ab obitu Apoſtolorum Petri & Pauli cùm moraretur Romæ de præfatis Apoſtolis in hæc verba diſſerit teſte Euſebio libr. 2. hiſtoriæ cap. 25. *Ambo in hac urbe ſimul docentes, etiam Martyrio pariter, uno eodemque tempore coronati ſunt.*

IV. Tertio ſœculo Cajus pontifex apud eundem Euſebium citato loco. *Ego* (inquit) *habeo trophæa Apoſtolorum, quæ oſtendam: ſi enim procedas viâ*
Caius. *regali, quâ ad Vaticanum ducis, aut viâ Oſtienſi, invenies trophæa defixa, quibus ex utraque parte conſtitutis Romana communitur Eccleſia.* Eoſdem Petrum & Paulum à Nerone interfectos teſtatur Lactantius lib. 4. inſtitut. cap. 21.

V. Quarto ſœculo S. Athanaſius in A-
Athan. pologia pro ſua fuga hæc de S. Petro & Paulo pronunciat. *Petrus & Paulus cùm audiſſent oportere ſe Romæ Martyrium ſubire, non abjecerunt eam profectionem, ſed cum gaudio abierunt.* Sanctus Ambroſius oratione contra Auxentium, quæ habetur libr. 5. epiſt.
S. Amb. *Nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in portâ Chriſtum occurrere, ait, Domine quò vadis, &c.*

VI. Quinto ſœculo S. Chryſoſtomus homilia 32. in epiſtolam ad Romanos
S. Chryſ. in morali, primò Romam miris laudibus efferre, deindè Apoſtolorum Petri & Pauli Martyrium celebrat. *Ego & Romam præterea diligo tametſi & aliundè queam eam laudare, nempè à magnificentiâ, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentiâ, à divitiis & à rebus in bello fortiter geſtis. Sed relictis iſtis omnibus, ob id eam deprædico, quod erga illos Paulus dum viveret, adeò fuit benevolus, adeò illos amavit, coram diſſeruit, & poſtremò vitam apud vos finivit. Unde & civitas iſta hinc facta eſt inſignis pluſquam à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnū ac validum duos habet oculos illuſtres, ſanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cœlum ſplendeſcit, quando radios ſuos ſol ex ſeſe emittit, quemadmodum Romanorum urbis duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſiderate & horrete quantum ſpectaculum viſura ſit Roma, &c.* Idem explicans illa verba pſalmi 48. verſ 12. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis.* Subdit. *Ecce a-* Pſal 48. v. 12.
liud genus amentiæ, ædificiis, agris, & balneis ſua nomina inſcribere, & putare ſe magnam conſolationem ex eo accipere, & umbram pro rei veritate perſequi, ſi enim perpetuam memoriam deſideras, nè nomen ô homo ædificiis inſcribas, ſed trophæa rectè factorum erigas, quæ & in præſenti vitâ nomen tibi conſervant, & in futurâ immortalem tibi requiem comparant. Conſequenter oſtendit oblivioni mandata eſſe egregia facinora à principibus edita. Quibus ſubjungit. *Piſcator Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſecutus & civitatem maximè regiam: etiam poſt mortem reſplendet ſole clarius.* S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarū cap 10. *Meritis Petri & Pauli propter eundem paſſionis diem celebrius & ſolemnius Roma commendat.* S. Maximus
Epiſcopus Taurinenſis homil. 5. in S. Max.
Natali Apoſtolorum Petri & Pauli. *Non ſine cauſa factum eſſe putemus, quod unâ die, uno in loco, unius tyranni toleravêre ſententiam. Unâ die paſſi ſunt, ut ad Chriſtum pariter pervenirent. Uno in loco, nè alteri Roma deeſſet, ſub uno perſecutore, ut æqualis crudelitas utrumque conſtringeret. Dies ergò pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco Martyrium pertulerunt? in urbe Româ, quæ principatum & caput obtinet nationum, ſcilicet ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis, & ubi Gentilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morerentur.* Eutro-
Eutrop. pius libro 7. in vitâ Neronis. *Omnibus flagitiis ſuis etiam hoc addidit, quod ſanctos Dei Apoſtolos Petrum, Paulumq́; trucidavit.* Quibus accinit Aurelius
Prudentius Periſteph. Hymno 12. Prudent.

Unus utrumque dies pleno tamen innovatus anno,
Vidit ſuperbâ morte laureatum.

Et Elpis uxor Boëtii in Hymno de Apoſtolis.

O fælix Roma, quæ tantorum principū

Et

Es purpurata pretioſo ſanguinẽ
Non laude tuâ, ſed ipſorum meritis,
Excellis omnem mũdi pulchritudinẽ.

Specialiter S. Leonem Papam audiamus qui ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli oſtendit quantam gloriam, quantam ſanctitatem Martyrio Petri & Pauli Romana Civitas & Eccleſia ſit conſecuta. *Hodierna feſtivitas præter illam reverentiam, quam* S. Leo. *toto terrarum orbe promeruit, ſpeciali & propriâ noſtræ urbis exultatione veneranda eſt. Ut ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi in die Martyrii eorum ſit lætitiæ principatus. Iſti enim ſunt viri, per quos tibi Evangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras Magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, veríque paſtores, qui te regnis cæleſtibus inſerendam, multò melius, multóque fælicius condiderunt, quam illi quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt, ex quibus iis, qui tibi nomẽ dedit, fraternâ te cæde fœdavit. Iſti ſunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis, 1. Petri cap. 2. & regia per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta, latius præſideres religione divinâ, quàm dominatione terrenâ; &c.* Ait Romam utriuſque Apoſtoli exitu glorificari, & per eos ad eam gloriam provehi, ut ſit gens ſancta, &c.

VII. Gregor. Magnus. Sexto ſæculo S. Gregorius papa lib. 6. epiſt. 37. *Petrus* (inquit) *ſublimavit ſedem in quâ etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt.* Concilii Roman. Concilium Romanum ſub Damaſo papâ. *Quamvis univerſæ per orbem diffuſæ Catholicæ Eccleſiæ quaſi unus thalamus Chriſti ſit, ſancta tamen Romana Eccleſia nonnullis ſynodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt: ſed & Evangelicâ voce Domini Salvatoris noſtri primatum obtinuit. Tu es Petrus* (*inquiens*) *& ſuper hanc petram addita eſt ſocietas Beatiſſimi Pauli Apoſtoli, vaſis electionis, qui &c. uno eodemque die glorioſâ morte cum Petro in urbe Roma ſub Cæſare Nerone agoniſans coronatus eſt, & pariter ſupradictam Sanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt.* Quibus Arator Subdiaconus libro hiſtoriæ Apoſtolicæ in fine hoc carmine arridet:

Petrus in Eccleſia ſacrato corpore
Princeps, (*oris:* Arator.
Hæc turrita caput mundi circumtulit
Conveniunt meliora ſibi, ſpeculentur ut omnes (*ſedis*
Terrarum Domina fundata cacumina
Gentibus electus Paulus, ſine fine magiſter (*benas,*
Æquius his præſes oris diffundis ha-
Quæ gentes prælata monet, quodque intonat iſtic (*orbis*
Urbis cogit honor ſubjectus ut audiat
Dignaque materies Petri, Paulique corona: (*ranni*
Cæſareas ſuperare minas, & in arce ty-
Pandere jura poli, ſummumq; in agone tribunal
Vincere.

Infra ſentire videtur non eodem paſſos anno.

Non eadem tamen una dies, annique voluto
Tempore ſacravit repetitâ paſſio lucẽ.

Venerabilis Beda anno 671. natus mirè ſeptimum ſæculum & ſequens illuſtravit differens apud noſtrũ Thomam Waldenſem tomo 1. doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 7. de obitu S. Petri. *Scimus* (inquit) *Petrum & Paulum Apoſtolos poſt aſcenſionem Domini 38. id eſt ultimi Neronis paſſos fuiſſe Martyrium, & beatum Petrum Romæ annis 25. Epiſcopalem tenuiſſe Cathedram.* Eodem ſæculo Uſuardus Martyrologium conſcripſit, qui 3. Calendas Julii. VIII. Beda.

Tertius auratam ſuſtulit ad æthera Romam
Martyrio pariter Petri, Paulique beato.

Romæ natalis Apoſtolorum Petri & Pauli, qui paſſi ſunt ſub Nerone, Baſſo & Tuſcho Conſulibus: quorum prior in eadem urbe juxta viam triumphalem totius orbis veneratione celebratur.

Nono ſæculo Simeon Metaphraſtes & Ado Viennenſis. Decimò Abbas Regino ad annum Domini mentionem facit confeſſionis Sancti Petri, ante quam *Arnulphus à Formoſo Apoſtolicæ ſedis Præſule coronatus Imperator creatus eſt.* Eodem ſæculo Luitprandus Ticinenſis in ſuâ hiſtoriâ Europæâ ſpecialiter lib. 4. cap. 3. ait Petrum veniſſe animo ſubeundi IX.

Martyrii

Martyrii. Idem præſtitit undecimo ſæculo Ado Trevirenſis in ſuo Martyrologio. S. Petrus Damianus, Marianus Scotus, Lambertus Schafnagenſis, Sigebertus.

X. Duodecimo ſæculo Rupertus Abbas ſcribens in Ionam prophetam lib. 2. id clarè exprimit. *Roma eo quod beati principis Apoſtolorum Petri ſedes facta ſit (ejuſdem & conſortis Pauli, ſicut prædicatione illuſtrata fuit, ita & Martyrio coronata) cunctis Eccleſiis caput altius extulit, latiusque dominatur per omnes gentes ſacra Pontificum ejus lingua, quàm dominata fuerit Cæſarum, ſivè Auguſtorum purpura.* Decimo tertio S. Thomas, S. Bonaventura, Alexander de Ales, Albertus Magnus, Hugo Cardinalis, Vincentius Bellovacenſis, eam veritatem docuerunt.

Rupert.

XI. Decimo quarto ſæculo inter egregios hujus concluſionis aſſertores prodiit Franciſcus Mayronis ordinis ſancti Franciſci, qui primus Actum Sorbonicum ſolido die, ideſt a ſextâ matutinâ ad ſextam veſpertinam ſine Præſide ſuſtinuit. Hic in feſto Sanctorum Petri & Pauli ſcribit. *Quantum ad ſtatum ſuæ confirmationis, vel conſummationis in quo floruit, coronatur Martyrio ſimul cum Paulo Apoſtolo, poſtquam Neronem per epiſtolam Pilati ad Claudiū de morte ac reſurrectione Chriſti certum reddiderunt, poſtquam Simonem Magum decertaverunt, propter quod egregia ſententia de decapitatione Pauli propter ejus nobilitatem, & de crucifixione Petri cum ingenti gaudio ſalutantes ſe, ſunt diviſi ab invicem, ut patet ex epiſtolâ Dionyſii ad Titum.* Idē refert Meſſert ſerm. 2, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, citans non tantùm Damaſum, ſed & Pelagium papam, Vincentium Bellovacenſem & diſtin. 21. c. *Quamvis.* diſtin. 22. *Sacro.*

Franciſ. Mayron.

XII. Decimo quinto ſæculo S. Vincentius Ferrarienſis ſermone de S. Petro Apoſtolo, noſter Thomas Walden. s contra Wicleffum ſupra, Æneas Sylvius, ſeu Pius II. in bullâ retractat onum ſuarū, *Petrus ab Antiochiâ Romam veniens, ibi glorioſo Martyrio vitam finivit, ſucceſſore Clemente ſubſtituto.* Idem innuere videtur epiſtol. 288. priuſquam ad ſupremū Eccleſiæ gradum foret evectus. *Poſt Chriſtum Petrus fuit Pontifex unus, qui Eccleſiæ præfuit. Petro autem vitâ functo ſucceſſores ejus uſque ad Calixtum Chriſti Vicariatum tenuêre.* Cui ſuffragatur Dionyſius ſermon. 3. de ſanctis Petro & Paulo de duobus his Apoſtolis diſſerens. *Cùm (inquit) populum Romanum magnâ ex parte convertiſſent ad Chriſtum, & Simonem Magum Neronis Imperatoris fiduciam ac patronum, penitus ſuperaſſent ab ipſo Nerone adjudicati ſunt morti.*

Æneas Sylvius. Dionyſ.

XIII. Decimo ſexto ſæculo Tilmannus Segebergenſis libr. de ſeptem Sacramentis cap. 3. in hæc verba prorumpit. *Vt Romana ſedes omnibus aliis & prior & excellentior eſt, & omnium (ut ita dicam) Domina ac Magiſtra, ita rationi conſentaneum eſt, ut Clerici ac miniſtri ſedis illius quadam ſingulari dignitate cæteris præfulgeant, ut Cardinales Romanæ Eccleſiæ omnibus aliis Prælatis præferantur honoris dignitate. Quis enim ignorat Romanam Eccleſiam duorum Apoſtolorum ſanguine conſecratam eſſe principalem.* Pelbartus de Themeiſvar auctor pomerii, Ordinis Minorum in feſto ſancti Petri, Judocus Clictoveus ſerm. in eodem feſto, Joannes Royardus ibidem, ejuſdem Ordinis Minorum alumnus, Bertrandus de Curâ Epiſcopus Tuſculanus & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſermone de eodem Apoſtolo, Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 69. Quibus arridens Stephanus Paris Epiſcopus Aurelianenſis ex Ordine Prædicatorum aſſumptus homiliâ 61. *Nunc (inquit) ad piſcatoris & Cortarii memoriam Imperatorum genua flectuntur. Vnâ eademq; die, ſub uno eodemque perſecutore, æqualis crudelitas utrumque conſtrixit, in eâ Româ, quæ & Babylon erat, caput orbis nationum omnium earum, quæ ſub cælo ſunt principatum tenens. duo mundi lumina ſtellis omnibus ſplendidiora mortis eclypſim patiuntur.*

Tilman. Segeber.

XIV. Sæculum decimum ſeptimum innumeros hujus veritatis defenſores produxit, ut Cardinalem Bellarminū qui lib. 2. de Romano Pontifice cap. 4. hoc argumentū ex profeſſo agitat,

Barboſam de officio & poteſt. Epiſcopi part. 1. tit. 3, cap. 2. num. 7. Cornelium à Lapide proœmio in epiſtolam primam S. Petri in fine, Gualterum in ſuâ Chronologiâ, noſtrum P. Lezanam tomo 1, Annalium noſtri ordinis. Quod ſi in hujus veritatis cõfirmationem hæreticorum ſententia deſideretur, ipſe Calvinus id aſtruere videtur. Hic enim quamvis in cap. 1. epiſt. 2, Petri verſ. 14. neget Petrum fuiſſe Romæ, & in cap. 5, verſ. 13. epiſt. 1. cenſeat eos errare, qui ſcribunt Petrum fuiſſe Romæ. Nihilominus ſibi ipſi contradicens lib. 4, inſtit. cap. 6. §. 15. & cap. 7 §. 24. in editione Gallicâ affirmare videtur Petrum non tantùm fuiſſe Romæ, ſed etiam ibidem obiiſſe.

CAPUT SEXTUM.

Eccleſia ſancta, quia S. Petrus Romæ fuit crucifixus, probatur ſerie ſæculorum.

I. PEtrum non tantùm obiiſſe Romæ, ſed ibidem Martyrii lauream conſecutum fuiſſe crucis ſupplicio inſtar Chriſti & Eliæ, nunc probandum incumbit. Non repeto quæ capitibus ſuperioribus dixi. Pri-
S. Clem. mo ſœculo S. Clemens Petri ſucceſſor epiſt. 1. ad Jacobum fratrem Domini Ruffino Torano Aquileienſi Interprete. *Hic ipſe Petrus, qui pro immenſâ charitate, quam erga omnes homines gerebat palam cum omni fiducia, adverſanti etiam tyranno totius mundi* (Neronem intelligit) *bonum prædicare non deſtitit, & regem omnium ſæculorum per orbem terræ, & uſque ad Romanæ urbis hujus notitiam, ut etiam ipſa ſalvaretur, invexit. Hic* (inquam) *pro pietate pati volens præſentem in ipſis autem diebus, quibus vitæ finem imminere præſenſit, in conventu fratrum poſitus, apprehensâ manu meâ repentè conſurgẽs in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit verba. Audite me fratres & conſervi mei, quoniam ut edoctus ſum ab eo qui me miſit Domino & Magiſtro meo IESV-Chriſto, dies mortis meæ inſtat.* Eidem S. Jacobo ſcribens de rebus geſtis S. Petri. *Tandem aliquando ei hac vitâ relictâ ad Magiſtrum Chriſtum perfecto Evangelicæ doctrinæ curſu migrandum fuit. Quod cùm cognitum haberet, foreq; ut crucis ſupplicio damnaretur, ut Magiſtri & mortis & gloriæ ſocius eſſet, cõvocatis fratribus omnibus captâ meâ manu, cùm in mediâ concione ſtetiſſet, ita locutus eſt: Audite me filii & fratres mei quidem curſus finis propè adeſt.* His verbis *quod cum cognitum haberet, foreq; ut crucis ſupplicio damnaretur*, innuit Petrum non tantùm mortem ſuam præſciviſſe, ſed etiam ſupplicii genus. Sic S. Eliæ non tantùm raptus fuit præcognitus, ut patet lib. 4. Regum cap. 2, verſ. 9. ubi Eliſeo ait. *Poſtula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Quomodò tollar? Curru Crucis figuram habente. Accipe verba ſancti
Ambroſii in Lucam libr. 10, cap. 23. l. 4. reg.
hanc triumphalem ſeparationem deſ- c. 2. v. 9.
cribentis. *Nos autem quoniã trophæum jam videmus, & quod currum ſuum jam triumphátor aſcendit, conſideremus quod*
non arborem truncis, non quadrijugis S. Amb.
plauſtri manubias de mortali hoſte quæſitas, ſed triumphali patibulo captiva de ſæculo ſpolia ſuſpendit. Plura ibi & pulchra. Idem ferè contigit ſancto Petro ut refert ſanctus Linus poſtquam deſcripſit fletus, ejulatus, & preces, quibus eum fideles à morte ſubeundà avocare ſtuduerunt, & Petri illis ſatisfacientis egreſſum ex urbe Roma, ſubdit. *Vt autem portam civitatis voluit egredi, vidit ſibi Chriſtũ occurrere, & adorans eum, ait Domine quò vadis? reſpondit ei Chriſtus, Romam iterùm venio crucifigi. Et ait ad eum Petrus, Domine iterùm crucifigeris? & dixit ad eum Dominus etiam iterùm crucifigar. Petrus dixit Domine re-*
vertar & ſequar te. Et his dictis Domi- S. Linus
nus aſcendit in Cœlum. Quemadmodũ de ſancto Eliſeo ſacer textus ait. *Eliſeus autem videbat & clamabat, Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus, & non vidit eum amplius.* Sic inquit ſanctus Linus, *Petrus proſecutus eſt eum cum multo intuitu, atque dulciſſimis lacrymis. Et poſt hæc rediens in ſeipſum intellexit de ſuâ dictum paſſione, quod in eum Dominus eſſet paſſurus, qui*

patitur

patitur in electis miſericordiæ compaſſione & conglorificationis celebritate, converſusque in urbem redit cum gaudio glorificans Deum, & narrans fratribus, quod ei obvius fuiſſet Dominus, & quod delaraſſet ei, quod iterum in ipſo eſſet crucifigendus, quibus cùm manifeſtaſſet paſſionem ſuam fletum omnes, & ejulatum emiſerunt; dolebant univerſi, & lacrymas profundebant, dicentes: Conſidera oves tuas paſtor bone &c. Et poſt multa reſponſa data tum fidelibus, tum impio Agrippæ. *Accedens* (inquit) *& aſtans cruci, dixit, ô nomen Crucis! occultum myſterium! ô gratia ineffabilis. In nomine enim Crucis pax, &c.* Nonnullis interjectis. *Ita alloquens miniſtros, carnifices, exoravit. Precor vos bone ſalutis meæ miniſtros, ut crucifigentes me, caput deorſum ponatis, pedes verò ſurſum. Non enim decet me ſervum ultimum ita crucifigi, ut Dominus univerſitatis pro ſalute totius mundi eſt crucifixus, quem paſſione meâ conſtat glorificari.*

II. Sæculo ſecundo Tertullianus libr. de præſcriptione vocat Eccleſiam beatam pro cujus defenſione ac propagatione Apoſtoli Petrus & Paulus ſanguinem ſuum profuderunt. *Fælix* Tertul. *Eccleſia, qui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt. Vbi Petrus paſſione Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur.* Idem in Scorpiaco. *Orientem fidem primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab eo cingitur cum crucifigitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ conſequitur nativitatem, cùm illic Martyrii renaſcitur generoſitate.* Idem lib. adverſus Judæos cap. 13. docet ferrum ſecuris enatans lib. 4. Regum l. 4. Reg. cap. 6 cap. 6. eſſe typum Crucis Chriſti. *Cùm filii Prophetarum ſuper flumen Iordanem lignum ſecuribus cæderent, exiit ferrum, & merſum eſt in flumine, atque ita Eliſeo propheta ſuperveniente, petunt ab eo filii prophetarum, uti ferrum flumini, quod merſum fuerat erueret, atque ita Eliſeus accepto ligno, & miſſo in eum locum, ubi merſum fuerat ferrum ſtatim ſupernatavit, & lignum merſum eſt, quod receperunt filii prophetarum. Ex quo intellexerunt, quod Eliæ ſpiritus ſit in ea repreſentatus. Quid manifeſtius hujus ligni ſacramento? quod duritia* a vero

hujus ſæculi merſa in profundo erroris, & à ligno Chriſti, id eſt paſſionis ejus in baptiſmo liberaretur. Vt quod perierat olim per lignum Adam, id reſtauraretur per lignum Chriſti. Non minus opportunè dictum genus humanum, ac præcipuè Romanam civitatem in profundo idololatriæ pelago merſam fuiſſe, Petri doctrinâ & cruce liberatam, & Deo conſervatam inquit Anacletus epiſt. 3.

Tertio ſæculo Egeſippus vicinus Apoſtolorum temporibus libro 3. de excidio Hieroſolymæ cap. 2. ſcribit Petrum capite deorſum verſo fuiſſe crucifixum ut ipſe poſtularat. *Adoleſcentem* (inquit) *nobilem defunctum, quem Simon Magus non poterat excitare, cùm Petrus ſuſcitaſſet, Magus offenſum ſe dicens à Galilæis, relicturum urbem, quam tuere ſolebat. Seſe de rupe Capitolinâ dejiciens volare cœpit. Mirari populus. Cæterùm ad preces Petri implicatis remigiis alarum, quas ſumpſerat corruit, & fracto crure Aritiam conceſſit, atque ibi mortuus eſt. Nero autem virum ſibi tam utilem ſublatum dolens, quærere cœpit cauſas, quibus Petrum occideret. Petrus rogatu populi urbem egreſſus, occurrente in porta Chriſto, in urbē rediit & comprehenſus inverſis veſtigiis cruci affigitur.* Eodem mortis genere obiiſſe teſtatur Origenes libr. 3. in Geneſim teſte Euſebio libr. 3. Origenes cap. 2. *Petrus* (inquit) *ad ultimum in orbe Româ commoratus ibi, & crucifixus eſt deorſum capite demerſo, quod ipſe fieri ita precatus eſt, ne exæquari Domino videretur.* Sanctus Dorotheus Epiſcopus & Martyr loquens de Apoſtolis, *Primus eſt Simon Petrus Apoſtolorum Coryphæus, hic (ut epiſtolis ſuis innuere videtur) Evangelium Domini IESV Chriſti in Ponto, Galatiâ, Cappadociâ, Bithyniâ & tandem Romæ prædicavit, ubi poſtea ſub Nerone rege capite ad terram verſo (nam ad hunc modum ipſe pati voluerat) tertio Calendas Iulii crucifixus eſt.*

Quarto ſæculo S. Ambroſius oratione in Auxentium de tradendis Baſilicis. VI. S. Amb. *Petrus victo Simone cum præcepta Dei ruminaret, doceret caſtimoniam, excitavit animos gentilium. Quibus cum quærentibus depravata ſunt animæ*

V 2 Chriſtianæ

Chriſtiana, ut paulisper cederet. Nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in portâ Chriſtum occurrere, urbemque ingredi ait, Domine quò vadis? reſpondit Chriſtus venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem Divinum pertinere reſponſum, &c. Itaque ſponte remeavit. Interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimq; correptus per crucem ſuam honorificavit Dominum IESUM. Idem lib. 2. de Sacramentis cap. 4. apertè ait ferrum ſecuris ſupernatans aquis juſſu Sancti Eliſei Crucis figuram extitiſſe. „Invocavit (inquit) Eliſeus Domini nomen, & de aquâ ferrum ſecuris aſcendit, quod demerſum fuerat. *l.4.Reg. cap. 6.* „Ecce aliud genus baptiſmatis. Quare? quia omnis homo ante baptiſmum quaſi ferrum premitur atque demergitur, ubi baptiſatus fuerit, non tanquam ferrum, ſed tanquam jam levior fructuoſi ligni ſpecies levatur. Ergò & hic figura altera ſecuris erat, cædebantur ligna, cecidit manubrium de ſecuri, hoc eſt ferrum demerſum eſt. Filius prophetæ neſcivit quid faceret: ſed hoc ſolùm ſcivit, ut rogaret Eliſeum prophetã, & remedium poſtularet. Tunc ille lignum miſit, & ferrum levatum eſt. Vides ergò quod in Cruce Chriſti omnium hominũ levatur infirmitas. Sancti Petri Crucifixione aliquid ſimile contigiſſe videtur, eâ enim fideles vegetiores effecti ſunt, & (ut idẽ S. Ambroſius ſuprà) honorificatus eſt Dominus JESUS. S. Hieronymus de viris illuſtribus in Petro. *Simon Petrus ad pugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis cathedram ſacerdotalem tenuit uſque ad ultimum, id eſt, 14. Neronis annum, à quo affixus eſt cruci Martyrio coronatus eſt capite ad terram verſo.* *Hieron.* Idem de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 1. ait poſtulaſſe ſic crucifigi ex animi ſententiâ. *Cùm aſſereret ſe indignum, qui ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus.* Quibus accinens Aurelius Prudẽtius Periſteph. hym. 12.

Prudent.
Prima Petrum rapuit ſententia legibus Neronis
Pendere juſſum præminente ligno.
Ille tamen veritus celſæ decus æmulando mortis,
Ambire tanti gloriam Magiſtri,
Exigit ut pedibus merſum caput imprimant ſupinis
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergò manus ſubter, ſolo verſus in cacumen
Hoc mente major, quo minor figurâ.

Hoc claudat ſœculum Euſebius Cæſarienſis Eccleſ. Hiſtoriæ lib. 2. cap. 25. *Nemo, ut apertum ſe hoſtem Divinitatis pietatis profeſſus eſt ipſorum prius Apoſtolorum (quippe qui duces & ſigniferi erant in populo Dei) expetit neces. Paulum quidem capite in ipſa Roma; Petrum verò Crucis patibulo condemnat.* *Euſebius* Et lib. 3. cap. 2. *Petrus ad ultimum in urbe Roma commoratus, ubi & crucifixus eſt capite deorſum demerſo, quod & ipſe ita fieri deprecatus eſt, nè exæquari Domino videretur.*

Quinto ſœculo S. Auguſtinus ſermone 28. loquens de ſanctis Petro & Paulo, *Currunt* (inquit) *uterque ad palmam Martyrii, & uterque perveniunt ad coronam.* Et paulò poſt. *Petrus pro Chriſto capite deorſum verſo in ligno ſuſpenditur. Paulus pro Chriſto gladio trucidatur. Ille propriis greſſibus proficiſcebatur ad Chriſtum, oculiſque ad ſuperiora reſpiciens beatum ſpiritum deducebat ad cælum.* Quaſi diceret, S. Petrus viâ ad cœlum faciliorem redditurus cruci affixus eſt, ſicut S. Eliſeus quo ſecurius incederet baculo uſus eſt, & Chriſtus nobis imò & ſibi ad cælum iter crucis ſuſpendio. *V. Auguſt. l.4.Reg. cap. 4.* Eliſei & Chriſti analogiam deducit S. Auguſtinus ſerm. 206. de tempore: *Baculus ſine Eliſeo nihil valebat, quia Crux ſine Chriſto nihil poterat. Venit ergò beatus Eliſeus & aſcendit in cœnaculum, quo venturus erat Chriſtus, & aſcenſurus crucis patibulum. Inclinatur ſe Eliſeus, ut puerum reſuſcitaret, Humiliavit ſe Chriſtus ut mũdum in peccatis jacentem erigeret; &c.* Idem Doctor videns lignum ab Eliſeo in flumen projectum, ferrumque ſecuris ſupernatare, in eo miraculo Crucis myſterium deprehendit ſerm. 111. de tempore. *Sed nec Eliſeus ligni hujus myſtici virtutem penitus ignoravit, qui ſecurim de manubrio in gurgitẽ lapſam miſſo in flumine ligno de profundo evocavit, ſignificans utiq; dura corda & ferreas hominũ cervices de profundo emerſas* *Auguſt.*

*averſas errore ligno crucis eſſe in poſte-
rùm ſubjugandas.* Deindè exclamat:
*O Crux cujus tantus ac talis decerpitur
fructus!* Eandem hiſtoriam refert ſer-
mone 210 de tempore, ac pro ſubtili-
tate ingenii ſui explicat de Chriſto.
,, Cùm divina lectio legeretur Fra-
,, tres chariſſimi, audivimus quod
,, beato Eliſeo cum filiis prophetarum
,, ad Jordanis fluvium, dum ſibi lig-
l.4.reg. cap.6. ,, na conciderent, cecidit ſecuris in
,, aquam, & ille de cujus manu ceci-
,, derat, clamavit ad beatum Eliſeum,
,, heu Domine mi, & ipſam mutuò
,, ſuſceperam. Poſt hæc in loco, ubi
,, ſecuris illa corruerat beatus Eliſeus
,, miſit lignum, & natavit ferrum.
,, Eliſeum, fratres chariſſimi, typum
,, habuiſſe Domini Salvatoris charita-
,, ti veſtræ frequenter ſuggeſſimus,
,, ſed & in puero, qui erat de filiis pro-
,, phetarum, cui ſecuris de manu lap-
,, ſa eſt, non incongruè Chriſtus Do-
,, minus intelligitur. Securis illa, quæ
,, cecidit, Adam, ſivè totum genus
,, humanum ſignificaſſe dicitur. Te-
,, nebat igitur filius prophetarum ſe-
,, curim in manu ſuâ, & Dominus ac
,, Salvator noſter humanum genus
,, quod creaverat, in manu potentiæ
,, ſuæ. Sed quomodo ſecuris illa de
,, manu prophetæ in profundum cor-
,, ruit, ita & genus humanum de ma-
,, nu Domini omnipotentis per ſuper-
,, biam ſe excuſſit, & cecidit in fluvio
,, luxuriæ, vel omnium peccatorum
,, gurgite ſe ſubmergit. Securis illa in
,, profundo jacebat, quia genus hu-
,, manum in omnium criminum abyſ-
,, ſum infeliciter corruerat, ſicut ſcrip-
,, tum eſt pſalm. 68. Infixus ſum in li-
,, mo profundi. Et iterùm deveni in
,, altitudinem maris, & tempeſtas de-
,, merſit me. Fluminis enim ille, ubi
,, ſecuris cecidit ſignificat præterflu-
,, entem, & fugitivam, & in abyſſum
,, deſcendentem voluptatem & luxu-
,, riam ſæculi hujus. Fluvius enim à
,, fluendo nomen accepit. Et quia om-
,, nes peccatores tranſitoriis volupta-
,, tibus inhærentes fluere dicuntur,
,, ideo ſecuris illa in fluvio & in limo
,, jacebat oppreſſa. Veniens ergò Eli-
,, ſeus miſit lignum & natavit ferrũ.
,, Quid eſt lignum mittere? & ferrum
,, in lucem producere, niſi patibulum
,, crucis aſcendere, & de profundo in-
,, ferni humanum genus erigere, ac de
,, omnium peccatorum limo per cru-
,, cis myſterium liberare? poſtquam
,, verò natavit ferrum miſit manum
,, propheta & recepit illud, & rediit ad
,, utiles uſus domini ſui. Ita & de no-
,, bis factum eſt dilectiſſimi fratres,
,, qui de manu Domini ſuperbiendo
,, excideramus, per crucis lignum ite-
,, rùm ad manum vel poteſtatem Do-
,, mini redire meruimus, &c. Sanctus
Petrus cruce uſus eſt non tantùm ex
hoc ſæculo nequam migraturus, ſed
etiam homines de abyſſo erroris ac
peccati gurgite liberaturus. Signo
crucis uſum eſſe teſtatur idem S. Au-
guſtinus ſerm. 28. de ſanctis. *Mittit
Petrus in ſæculum retiaculum, circum-
cumfert Paulus Dominicum in mundo
vexillum, & iſte piſcator hominum, &
ille titulat ſigno crucis gentiles.* Refert
Petrus de Natalibus in catalogo, quod
cùm S. Petrus à mortuis excitaſſet co-
ram populo Romano adoleſcentem,
quem Simon Magus magicis ſuis arti-
bus revocare nequiverat. Hic vindi-
ctæ libidine motus, poſtibus domus
Marcelli S. Petri diſcipuli ingentem
moloſſum, ſeu potiùs dæmonem al-
ligavit, ut accedentem Petrum dila-
niaret, quem Petrus ſigno crucis ex-
ſolvit, qui ſolum Magum aggreſſus
veſtes ejus dilaceravit. *Poſt modicum
Petrus venit & facto ſigno Crucis canem
exſolvit. Canis autem omnibus blandiẽs
ſolum Simonem perſecutus in ipſum in-
ſiluit, & ut ſibi Apoſtolus juſſerat, corpus
quidem ejus non læſit, ſed veſtes totali-
ter laceravit.* Aliis omiſſis hoc ſe- Petr. de Natal.
cundum adjiciam. Cùm Apoſtoli Pe-
trus & Paulus Romæ Mamertinis
carceribus eſſent incluſi Proceſſus &
Martinianus cuſtodiæ præfecti cum
quadraginta ſeptem illic comectis
Chriſti fidem ſuſceperunt. Cùm verò
lavacrum, quo regenerarentur, defi-
ceret, narrat Surius tomo 4. ſecundâ
Julii ex pervetuſto codice manu ſcrip-
to, ſeu Sanctorali, vel Paſſunario ſan-
ctæ Cæciliæ de urbe his verbis. *Om-
nes ſe abjecerunt ad pedes Apoſtolorum,
rogantes ut Baptiſmum ab eis percipe-* Surius.
rent. At verò beatiſſimi Apoſtoli ora-

 verunt

verunt Deum, orationeque expletâ beatus Petrus in monte Tarpeio ſignum crucis expreſſit, in eâdem cuſtodiâ Mamertini, atque eadem horâ emanarunt aquæ è monte, baptiſatique ſunt beati Proceſſus & Martinianus à beato Petro Apoſtolo. Hoc ut viderunt cuncti qui erant in cuſtodia proſtraverunt ſe ad pedes Apoſtoli, & baptiſati ſunt promiſcui ſexus & diverſæ ætatis numero quadraginta ſeptem. Illum fontem, ac ejus aquam guſtavi. Ad Crucifigium S. Petri revertamur. S. Chryſoſtomus homiliâ in Principem Apoſtolorum ita illum affatur rationem afferens hujus crucifigii. *Gaudeas Petre qui ligno crucis fruitus es, & ad Magiſtri ſimilitudinē rectâ quidem figurâ; ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti, ſed magis inverſo capite, veluti è terrâ ad cœlum iter parans. O clavos illos beatos qui membra tua illa ſanctiſſima pertranſierunt.* Paulus Oroſius lib. 7. hiſtoriæ, *Primùm Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit, ipſumque nomen extirpare conatus beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.* Sulpitius libr. 2, ſacræ hiſtoriæ, *Paulus ac Petrus capitis damnati; quorum uni cervix gladio deſecta, Petrus in crucem ſublatus eſt.* Theodoretus Oratione de charitate affert aliam rationē præfati crucifigii notatu dignam. *Cùm* (inquit) *ad mortem crucis à Nerone damnatus eſſet, rogavit carnifices, nè ſimiliter atque Dominus trabi affigeretur, ſed contrario modo, veritus, quod eſt veriſimile, nè eadem paſſio eundem ſibi ab inſipientibus honorem conciliaret, ideò rogavit, ut manus inferius, ſuperius autem pedes affigerentur.* Alteram rationem adducit S. Maximus ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum. *Cùm Petrus ad Crucem, tanquam Chriſti diſcipulus duceretur, verſo ſe poſcens corpore crucifigi, paſſionem non timuit: ſed æqualitatem Crucis Dominicæ declinavit, ut oſtenderet univerſis admirandæ ſe humilitatis virtutem, novique myſterii diſciplinam & inter tormenta ſervaſſe.*

Chryſoſ. — Paulus Oroſius. — Theodoretus. — S. Max.

VI. Oculos in ſæculum ſextum conjicienti occurrit ſanctus Gregorius Turonenſis hiſtoriæ Franciæ libr. 1. cap. 25. In hæc verba ſcribens, *Beatus Petrus Apoſtolus ſub Imperatore Claudio IV. ab Auguſto Romam aggreditur, ibique prædicans in multis virtutibus maniſeſtiſſimè Chriſtum eſſe Dei filium comprobavit. Ab illis enim diebus Chriſtiani apud urbem eſſe cœperunt.* Quibus ultimis verbis innuit non à S. Paulo, vel eius diſcipulis Romanos prima religionis Chriſtianæ rudimenta percepiſſe, ſed à Petro. *Cùm autem nomen Chriſti per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hæc antiqui ſerpentis invidia, & totis ſe Imperatoris præcordiis immittit ſæua malignitas. Nam Nero ille luxurioſus &c. ad complendam malitiæ ſuæ molem primus contra Chriſti cultum perſecutionem excitat in credentes. Habebat enim ſecum Simonem Magum virum totius malitiæ, & omnis magicæ artis argumento magiſtrū. Hoc eliſo per Apoſtolos Domini Petrum atque Paulum, commotus cōtra eos, quod Chriſtum Dei filium prædicarent, & idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio jubet interfici.* De eodē crucis ſupplicio S. Gregorius Magnus in quintum Pſalmum Pœnitentialem ad illa verba verſus ſecundi: *In quacumque die tribulor.* Subdit. *Ecce jam caput noſtrum ſedet à dextris Dei, & tamen ſe dicit tribulari. Vbi ergò tribulatur niſi in corpore. Nam quod in corpore tribuletur, manifeſtè oſtendit, cùm Saulo perſecutori dixit, Saule, Saule quid me perſequeris? Actor. cap. 8. Et Petro ait: Venio Romam iterùm crucifigi. Qui enim in ſeipſo jam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterùm ſe crucifigendum dicebat.* Illis accinit Elpis uxor Severi Boetii viri inter Latinos facilè doctiſſimi, cujus uxor & tori ſocia in modulatione carminum Latino ſermone & ſacris litteris, hoc quaſi argumento atque judicio dignoſcitur fuiſſe ad modùm erudita, quod Hymnum de ſanctis Petro & Paulo ab Eccleſia decantatum compoſuerit. Verſu ſecundo de utriuſque Martyrio canit.

Ianitor cœli, Doctor orbis pariter,
Iudices ſæcli, vera mundi lumina,
Per crucē alter, alter enſe triumphans,
Vitæ ſenatum laureati poſſident.

Gregor. Turon. — Gregor. Magnus Pſ. 101. — Elpis.

VII. Sœculum ſeptimum illuſtravit S. Iſidorus Hiſpalenſis, hic lib. de vitâ & obitu ſanctorum cap. 69 poſtquā vocavit

vocavit ſanctum Petrum Eccleſiæ firmamentum, caput corporis Chriſti, principem Apoſtolorum, primum Filii Dei Confeſſorem, paſtorem gregis, firmam petram Eccleſiæ, regni cæleſtis clavigerum. Subdit Eccleſiâ Antiochenâ fundatâ veniſſe Romam, ibique debellato Simone Mago, ac adminiſtrato Pontificatu Romano per viginti quinque annos, crucis patibulum ſubiit capite ad terram verſo ſub Nerone Imperatore.

VIII. Octavo ſæculo, Venerabilis Beda lib. de ſex ætatibus in Nerone Imperatore ſcribit Neronem eò tandem nequitiæ progreſſum eſſe, ut ipſos Chriſtianos furore planè diabolico perſecutus fuerit, quorũ Coriphæos Romæ delevit, Petrum crucis ſuſpendio, Paulum gladio.

IX. Nono ſæculo Ado Archiepiſcopus Viennenſis in ſuo chronicorum breviario refert ætate ſextâ. Quod *Nero ipſum nomen Chriſtianum extirpare conatus Beatiſſimos Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit,* *Ado Vienn.*

X. Decimo ſæculo Regino Abbas lib. 1. Annalium ad annum Chriſti 72. patenter ait Petrum Romæ cruci affixum, Paulum verò capite damnatum. Idem refert Luitprandus lib. 4. cap. 3.

XI. Sæculo undecimo præter Adonem Trevirenſem, S. Petrum Damianum, Marianum Scotum, Sigebertum, Lambertum Schafnaburgenſem, hæc ſcribit Hermannus Contractus in ſuo Chronico. *Petrus & Paulus à Nerone propter Simonem Magum trucidantur, & peſtilentia Romæ facta eſt, Neroque ſeipſum occidit.* Licet non exprimat quo genere mortis trucidati fuerint, tamen implicitè innuere videtur Petrum cruce, Paulum gladio interemptum fuiſſe. Vide Theophilactum cap. 21. Ioannis qui ad illa verba *Cingebas te, &c.* ait, *Voluntati tuæ renunciabis non quærendo ea, quæ caro docet: ſed illam perdes tuâ ſponte protendens manus tuas ad vincula in cruce.* Infrà. *Alius te cinget, ut me ſequaris, non fugias nunc jubeo ut ſequaris, crucifixus ſum, ſequaris & per eadem veſtigia.*

XII. Sæculo duodecimo Honorius Auguſtodunenſis Præsbyter de imagine mundi lib. 3. in ſextâ ætate. *Petrus (inquit) crucifigitur.* Nicetas Choniates lib. 4. adverſus Antearrianas hæreſes cap. 1. conflictum refert ſancti Petri cum Simone Mago, & hujus infœlicem exitum, ex cujus occaſione S. Petri Martyrium facile colligi poteſt. Petri crucifigiũ à Chriſto prædictum fuiſſe Joannis cap. 21. v. 22. *Quid ad te, tu me ſequere.* Vatablus. *Quid tuo, tu me ſequere.* Ait Zacharias Epiſcopus Chryſolopolitanus in ſuo quatuor uno lib. 4. cap. 180. *Quia audierat Petrus ſe crucifigendum, voluit etiam fratris exitum cognoſcere. Cur dicitur Petro, ſequere me, & non cæteris, qui ſimul aderant, & Magiſtrum ſicut diſcipuli ſequebantur? Numquid ſolus Petrus paſſus eſt? nonne in illis ſeptem erat Iacobus filius Zebedæi, qui poſt aſcenſionem ab Herode fuit occiſus? Verum aliquis dixerit, quoniam non eſt Iacobus crucifixus, meritò dictum eſt Petro ſequere me, qui crucem expertus eſt.* Euthymius ad illa verba, *Sequere me,* ait: *ut crucifigaris, & æqualem ſuſtineas mortem.* *Zachar. Chryſop.*

Eundem locum Ioannis cap. 21. explicans Hugo Cardinalis ſæculo decimo tertio ait. *Tu me ſequere crucis paſſione.* Conſulendus pro hac veritate Nicephorus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 14. & cap. 44. XIII. *Hugo.*

Decimo quarto ſæculo Franciſcus Mayronis in feſto S. Petri & Pauli ait poſt devictum Simonem Magum latam fuiſſe ſententiam à Nerone, *De decapitatione Pauli propter ejus nobilitatem, & de crucifixione Petri.* Cui arridens Meffret ſerm. 2. in eodem feſto. Noſter Guido Perpinianus in ſuo quatuor uno ad illa verba Joannis cap. 21. verſ. 19. *Hoc autem dixit ſignificans, quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Subdit ex ſancto Chryſoſtomo. *Quod ideò ſingulariter dictum eſt Petro; quia ſolus Petrus ſingulariter ſecutus eſt Dominũ in univerſalitate & plenitudine auctoritatis. Quia Iacobus in Ieruſalem Epiſcopalem accepit curam: ſed Dominus in toto orbe authoriſavit Petrum.* Infrà ad intentum noſtrum aliam S. Auguſtini reſponſionem producit tractat. ultim. ſuper Ioannem. *Alio modo accipitur hæc ſequela pro morte. Sed* XIV. *Ioann. c. 21. v. 19* *Guido Perpin.*

tunc

tunc quærit Auguſtinus. Nunquid ſolus Petrus mortuus eſt pro Chriſto? nonne in illis ſeptem erat Iacobus frater Domini, quem Herodes occidit gladio? & dicit Auguſtinus, quod ſi aliud convenientius inveniatur, poteſt dici, quod Petrus ſit ſecutus IESUM; etiam quoad genus mortis, quia crucifixus eſt, & non Iacobus.

XV. *Vincent. Ferrar.* Decimo quinto ſæculo claruit ſanctus Vincentius Ferrarienſis ſermonē de S. Petro Apoſtolo. *Chriſtiani volentes eum liberare dicebant ſibi: O Pater nos liberabimus vos, fugite de iſtis. Tandem acquieſcens eis fugit: quo egrediente de civitate apparuit ſibi Chriſtus cum cruce in humeris, quem videns, Petrus dixit Domine quò vadis? Quaſi diceret, Ego egredior de civitate; & tu ingrederis? reſpondit Chriſtus. Venio Romam iterùm crucifigi, dicens, ſemel fui crucifixus in Ieruſalem, hic volo iterùm crucifigi. Volebat Chriſtus dicere, quod prius quidē in Ieruſalem crucifixus in perſonâ propriâ, quod in perſonâ Petri debebat Romæ crucifigi. Quod Petrus intelligens ſtatim reverſus eſt in civitatē, & Chriſtus ad cælum. Et dixit Petrus amicis ſuis Chriſtianis, quomodo ſibi apparuerit Chriſtus, &c.* Conſequenter oſtendit, quomodò capite deorſum verſo poſtulaverit crucifigi. Dionyſius Carthuſianus ſerm. 2. de S. Petro & Paulo ait, quod ubi Nero vidit Simonem Magum confractis cervicibus miſerè occubuiſſe. *Indignans præcepit Apoſtolos trucidari, & Petrum ſanctiſſimum, tanquam extraneum crucifigi, &c. Porrò S. Petrus ex profundiſſimâ humilitate reputavit ſe indignum taliter crucifigi, ſicut Chriſtus Dominus fuerat crucifixus; petiitque capite deorſum verſo crucifigi, & factum eſt ita &c.* Sermone 3. *Quis non fleret quando egreſſum eſt præceptum ſententia, ut Petrus crucifigeretur.* Sermone 5. *Profundiſſima Petri humilitas in hoc patuit evidenter, quod inſtar Chriſti Magiſtri ac Domini ſui noluit verſo ſurſum capite crucifigi, ſed pedibus ſurſum ſitis; & ſuſpenſus ſic devotiſſimè dixit. Te Domine Domine IESU imitari te deſideravi, ſed erectus crucifigi non uſurpavi, &c.* Rationē hujus crucifixionis reddidit Baptiſta Platina in Petro. „Petrus „monentibus amicis ad declinandam „invidiam & iram principis, viâ Ap- *Platina.* „piâ ſab urbe diſcedens ad primum „lapidem Chriſto (ut verbis Egeſippi „lib. 3. ca. 2. utar) fit obviam, quem „quidem adorans, rogat, Domine „quò vadis? tum Chriſtus, Romam „iterùm crucigi. Extat ſacellum eo „in loco, ubi hæc verba ſunt habita. „Tum Petrus de martyrio ſuiipſius „dictum exiſtimans, quod in ſe Chri„ſtus paſſurus videretur ad urbem re„diit & ordinata Clemente in ſuum „ſucceſſorem: Non multò poſt unà „cum Paulo juſſu Neronis necato „ultimo ejus anno, diverſis tamen „cruciatibus. Petrus enim cruci af„figitur capite in terram verſo, eleva„tisque in ſublime pedibus, ita enim „voluit, quod diceret ſe indignum „eſſe, qui mortem Salvatoris imita„retur. Gulielmus Pepin ſermone de ſanctis Petro & Paulo, loquens de Simone Mago fractis cervicibus extinto. *Pepin.* *Quâ de re iratus Nero Petrum cruci affigi fecit.* Ejuſdem Petri Romæ crucifixi meminit Cardinalis Bertrandus de Curâ. Idem affirmat noſter Thomas Waldenſis contra Ioannem Wicleff. libr. 2. doctrinalis fidei artic. 2. num. 5.

XVI. Sæculum decimum ſextum plurimos hujus veritatis aſſertores tum Theologos, tum Hiſtoricos, tum Homiliſtas tum etiam Interpretes habet Nam Cajetanus ad illud Ioan. cap. 21. verſ. 19. „Dùm autem ſenueris alius *Ioan. c. 21. v. 19* „te cinget, & ducet quò tu non vis, „Hoc autem dixit ſignificans, quâ „morte clarificaturus eſſet Deum. Subdit. „Genus mortis ſignificari ex„plicat, dicendo quâ morte, exten„ſione ſiquidem manuum, mors cru„cis ſignificata eſt. Quæ etiam ſignifi„catur ex hoc, quod alius cinget te. „Qui enim cruci affigebantur liga- *Cajetan* „bantur prius in ipsâ cruce. Paulò poſt. „Hæc ſcripſit poſtquam Petrus „crucifixus erat. Nam ſcripſit mor„tuo Domitiano. Petrus autem cru„cifixus fuerat ultimo Neronis anno „& propterea futurum glorificaturus „refertur ad tempus prolatorum à „IESU verborum non ad tempus „quo ſcriptum eſt Evangelium. Infra explicans

explicans illa verba verſ. 22. *Tu me ſequere*. Subjicit. *Imitando mortem crucis*. Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium ad annum Chriſti 69. ait. *Petrum paſſum eſſe ſupplicium crucis in eâ* Baron. *ſummitate Janiculi, quæ eſſet imminuens Naumachiæ deorſum juxta Tiberim poſita*. Et paulò poſt ait eſſe cunctorum ſanctorum Patrum calculum. *Quod ad ſupplicium crucis ſpectat, omnium ſanctorum Patrum ſententia liquet, ipſum caput deorſum verſo, & in ſublime pedibus elatis crucifixum fuiſſe*. Et alibi. Frider. Fridericus Epiſcopus Viennenſis cognomento Nauſea in feriis Sanctorum Nauſea. Petri & Pauli in fine explicans illa verba *Paſce oves meas* Addit. *Quam ſanè prærogativam & paritatem, Petrus ut in omnibus verus ſucceſſor ſuâ et â morte comprobavit, utpote quam parem cum Chriſto, & cum eo ſuſtinuerit, nimirùm crucifixus eſt Chriſti prædictione, verſo deorſum capite, pedibusq; ſurſum verſis. Ipſe enim repulsâ mortis formidine moriendi ordinem in acerbiſſimâ paſſione quærens, nimiâque motus humilitate, crucis æqualitatem Dominicæ declinavit, ſeque verſo crucifigendum corpore flagitavit*. Stephanus Paris Epiſcopus Aurelianenſis in feſto Apoſtolorum Stephan. Petri & Pauli *Petrus* (inquit) *crucem* Paris. *in exitu pertulit, prædicente Domino, tùm ſenueris extendes manus tuas, ſignificans quâ morte eum eſſet clarificaturus. Capite deorſum in cruce verſo ſuſpenditur*. Clictov. Jodocus Clictoveus Canonicus Carnotenſis in feſto ſancti Petri. „ Beati Petri præcepto dimiſſus ab „ Angelis Satanæ Simon Magus ceci„ dit præceps in terram, & fractâ cer„ vice, colliſoque corpore ſtatim „ mortuus eſt. Nero verò dolens, il„ lum familiarem ſuum amicum ſic „ obnuè juſſit beatum Paulum gladio „ percuti, & beatum Petrum crucifigi. „ Sed beatus Petrus ex profundâ hu„ militate reputans ſe indignum, ut „ poneretur in cruce ſicut Chriſtus „ fuit poſitus, capite ſcilicet erecto, „ petivit crucem, in quâ poneretur, „ in oppoſitum, & capite deorſum po„ ſito, & pedibus erectis crucifigeretur. Ferus. Idem aſſerit Joannes Ferus Ordinis S. Franciſci in ſuis annotationibus in Joannem ad illa verba *Cum eſſes junior cingebas te, &c*. Subjungit. „ Hoc ver„ bo etiã genus mortis Petri expoſuit, „ nempè crucem. Et infra ad hæc verba ait. „ Iam Petro verbis prædixe„ rat, quod crucifigendus eſſet, nunc „ idipſum etiam facto præſignat dum „ ſurgit, procedit, ac Petrum ſequi ju„ bet. Quaſi diceret: Per hanc mate„ rialem ſequelam, ad quam te moneo, hoc deſigno, quod ſpiritualiter „ imitaturus es me ſuſtinendo mortẽ „ crucis propter juſtitiam, ſicut & ego. Joannes Royardus ejuſdem Ordinis Royard. in feſto ſanctorum Petri & Pauli. „ Quoniam Crux Chriſti & ignomi„ nioſa fuit, & doloroſa, ipſe elegit „ duos germanos, amicos duos, qui „ quicum ipſo mortem ſuſcipientes „ alter S. Petrus crucis ignominiam, „ alter ſcilicet Andræas crucis pœnã „ doloroſam portaret, ſiquidem biduo vivens pendebat in Cruce. Pelbartus de Themeſwar ejuſdem Ordinis Alumnus in ſuo pomerio ait Pelbart. paſſionem S. Petri eſſe glorioſam. „ Primò quoad modum: quia ſimilem „ pœnam paſſus eſt Chriſto, ſcilicet „ Crucis mortem. Fuit autem pro „ gloriâ magis, quod Chriſtus Domi„ nus per ſe ipſum prædixit ei, quod „ tali morte crucifixionis deberet cla„ rificare Deum, Ioannis cap ult. Et „ per ſeipſum apparuit Petro, cùm „ ad fratrum petitionem fugeret de „ carcere, & invitavit ipſum, dicens: „ Vado Romam iterùm crucifigi. Et „ ſic Petrus, hoc intelligens de ſuo „ martyrio, ſtatim rediit Romam. & „ deſiderãter crucem ſubiit pro Chri„ ſto, adeò quod nè ejus paſſio impe„ diretur, rogavit. Sic ergo Petrus in „ modo paſſionis aſſimilatur Chriſto. „ Quia ſicut Chriſtus ad crucem a„ manter ſponte ſe offerens pro no„ bis, ſic Petrus pro Chriſto. Secun„ dò paſſio Petri fuit glorioſa quoad „ myſterium, quia noluit rectus cruci„ figi Plura ibi. Accedit Gabriel Barelete Ordinis Prædicatorum in feſto Barelete ſanctorum Petri & Pauli. „ Chriſto „ illi occurrenti, dixit Petrus Domi„ ne quò vadis? vado (inquit) Ro„ mam iterùm crucifigi: intelligens „ autem de morte ſuâ hoc eſſe dictum „ reverſus eſt iterùm ad carcerem, à

Es purpurata pretioſo ſanguine
Non laude tuâ, ſed ipſorum meritis,
Excellis omnem mũdi pulchritudinẽ.

Specialiter S. Leonem Papam audiamus qui ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli oſtendit quantam gloriam, quantam ſanctitatem Martyrio Petri & Pauli Romana Civitas & Eccleſia ſit conſecuta. *Hodierna feſtivitas præter illam reverentiam, quam*

S. Leo. *toto terrarum orbe promeruit, ſpeciali & propriâ noſtræ urbis exultatione veneranda eſt. Vt ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi in die Martyrii eorum ſit lætitiæ principatus. Illi enim ſunt viri, per quos tibi Evangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras Magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, veríque paſtores, qui te regnis cæleſtibus inſerendam, multò melius, multóque fælicius condiderunt, quam illi quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt, ex quibus iis, qui tibi nomẽ dedit, fraternâ te cæde fœdavit. Iſti ſunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis. 1. Petri cap. 2. & regia per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta, latius præſideres religione divinâ, quàm dominatione terrenâ, &c.* Ait Romam utriuſque Apoſtoli exitu glorificari, & per eos ad eam gloriam provehi, ut ſit gens ſancta, &c.

VII. Gregor. Magnus. Sexto ſœculo S. Gregorius papa lib. 6. epiſt. 37. *Petrus* (inquit) *ſublimavit ſedem in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt.*

Concilium Roman. Concilium Romanum ſub Damaſo papâ. *Quamvis univerſa per orbem diffuſæ Catholicæ Eccleſiæ quaſi unus thalamus Chriſti ſit, ſancta tamen Romana Eccleſia nonnullis ſynodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt: ſed & Evangelicâ voce Domini Salvatoris noſtri primatum obtinuit. Tu es Petrus (inquiens) & ſuper hanc petram addita eſt ſocietas Beatiſſimi Pauli Apoſtoli, vaſis electionis, qui &c. uno eodemque die glorioſâ morte cum Petro in urbe Roma ſub Cæſare Nerone agoniſans coronatus eſt, & pariter ſupradictam Sanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt.* Quibus Arator Subdiaconus libro hiſtoriæ Apoſtolicæ in fine hoc carmine arridet:

Petrus in Eccleſia ſacrato corpore Arator.
Princeps, (oris:
Hæc turrita caput mundi circumtulit
Conveniunt meliora ſibi, ſpeculentur ut omnes (ſedis
Terrarum Domina fundata cacumina
Gentibus electus Paulus, ſine fine magiſter (benas,
Æquius his præſes oris diffundit ha-
Quæ gentes prælata monet, quodque intonat iſtic (orbis
Vrbis cogit honor ſubjectus ut audiat
Dignaque materies Petri, Paulique corona: (ranni
Cæſareas ſuperare minas, & in arce ty-
Pendere jura poli, ſummumq; in agone tribunal
Vincere.

Infra ſentire videtur non eodem paſſos anno.

Non eadem tamen una dies, annique voluto
Tempore ſacravit repetitã paſſio lucẽ.

VIII. Beda. Venerabilis Beda anno 671. natus mirè ſeptimum ſœculum & ſequens illuſtravit differens apud noſtrũ Thomam Waldenſem tomo 1. doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 7. de obitu S. Petri. *Scimus* (inquit) *Petrum & Paulum Apoſtolos poſt aſcenſionem Domini 38. ideſt ultimi Neronis paſſos fuiſſe Martyrium, & beatum Petrum Romæ annis 25. Epiſcopalem tenuiſſe Cathedram.* Eodem ſœculo Vſuardus Martyrologium conſcripſit, qui 3. Calendas Julii.

Tertius auratam ſuſtulit ad æthera Romam
Martyrio pariter Petri, Paulíq; beatæ.

Romæ natalis Apoſtolorum Petri & Pauli, qui paſſi ſunt ſub Nerone, Baſſo & Tuſcho Conſulibus: quorum prior in eadem urbe juxta viam triumphalem totius orbis veneratione celebratur.

IX. Nono ſœculo Simeon Metaphraſtes & Ado Viennenſis. Decimò Abbas Regino ad annum Domini mentionem facit confeſſionis Sancti Petri, ante quam *Arnulphus à Formoſo Apoſtolicæ ſedis Præſule coronatus Imperator creatus eſt.* Eodem ſæculo Luitprandus Ticinenſis in ſuâ hiſtoriâ Europæâ ſpecialiter lib. 4. cap. 3. ait Petrum veniſſe animo ſubeundi Martyrii

Martyrii. Idem præſtitit undecimo ſæculo Ado Trevirenſis in ſuo Martyrologio. S. Petrus Damianus, Marianus Scotus, Lambertus Schafnagenſis, Sigebertus.

X. Duodecimo ſœculo Rupertus Abbas ſcribens in Ionam prophetam lib. 2. id clarè exprimit. *Roma eoquod beati principis Apoſtolorum Petri ſedes facta ſit (ejuſdem & conſortis Pauli, ſicut prædicatione illuſtrata fuit, ita & Martyrio coronata) cunctis Eccleſiis caput altius extulit, latiusque dominatur per omnes gentes ſacra Pontificum ejus lingua, quam dominata fuerit Cæſarum, ſivè Auguſtorum purpura.* Decimo tertio S. Thomas, S. Bonaventura, Alexander de Ales, Albertus Magnus, Hugo Cardinalis, Vincentius Bellovacenſis, eam veritatem docuerunt.

Rupert.

XI. Decimo quarto ſœculo inter egregios hujus cogitationis aſſertores prodiit Franciſcus Mayronis ordinis ſancti Franciſci, qui primus Actum Sorbonicum ſolido die, ideſt a ſextâ matutinâ ad ſextam veſpertinam ſine Præſide ſuſtinuit. Hic in feſto Sanctorum Petri & Pauli ſcribit. *Quantum ad ſtatum ſuæ confirmationis, vel conſummationis in quo floruit, coronatur Martyrio ſimul cum Paulo Apoſtolo, poſtquam Neronem per epiſtolam Pilati ad Claudiũ de morte ac reſurrectione Chriſti certum reddiderunt, poſtquam Simonem Magum decertaverunt, propter quod egregia ſententia de decapitatione Pauli propter ejus nobilitatem, & de crucifixione Petri cum ingenti gaudio ſalutantes ſe, ſunt diviſi ab invicem, ut patet ex epiſtolâ Dionyſii ad Titum.* Idẽ refert Meffert ſerm. 2. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, citans non tantùm Damaſum, ſed & Pelagium papam, Vincentium Bellovacenſem & diſtin. 21. c. *Quamvis.* diſtin. 22. *Sacro.*

Franciſ. Mayron.

XII. Decimo quinto ſæculo S. Vincentius Ferrarienſis ſermone de S. Petro Apoſtolo, noſter Thomas Waldenſis contra Wicleffum ſupra, Æneas Sylvius, ſeu Pius II. in bullâ retractat. omnium ſuarũ, *Petrus ab Antiochiâ Romam veniens, ibi glorioſo Martyrio vitam finivit, ſucceſſore Clemente ſubſtituto.*

Eneas Sylvius.

Idem innuere videtur epiſtol. 288. priuſquam ad ſupremũ Eccleſiæ gradum foret evectus. *Poſt Chriſtum Petrus fuit Pontifex unus, qui Eccleſiæ præfuit. Petro autem vitâ functo ſucceſſores ejus uſque ad Calixtum Chriſti Vicariatum tenuêre.* Cui ſuffragatur Dionyſius ſermon. 3. de ſanctis Petro & Paulo de duobus his Apoſtolis diſſerens. *Cùm* (inquit) *populum Romanum magnâ ex parte convertiſſent ad Chriſtum, & Simonem Magum Neronis Imperatoris fiduciam ac patronum, penitus ſuperaſſent ab ipſo Nerone adjudicati ſunt morti.*

Dionyſ.

XIII. Decimo ſexto ſœculo Tilmannus Segebergenſis libr. de ſeptem Sacramentis cap. 3. in hæc verba prorumpit. *Vt Romana ſedes omnibus aliis & prior & excellentior eſt, & omnium (ut ita dicam) Domina ac Magiſtra, ita rationi conſentaneum eſt, ut Clerici ac miniſtri ſedis illius quadam ſingulari dignitate cæteris præfulgeant, ut Cardinales Romanæ Eccleſiæ omnibus aliis Prælatis præferantur honoris dignitate. Quis enim ignorat Romanam Eccleſiam duorum Apoſtolorum ſanguine conſecratam eſſe principalem.* Pelbartus de Themeiſvar auctor pomerii, Ordinis Minorum in feſto ſancti Petri, Judocus Clictoveus ſerm. in eodem feſto, Joannes Royardus ibidem, ejuſdem Ordinis Minorum alumnus, Bertrandus de Curâ Epiſcopus Tuſculanus & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſermone de eodem Apoſtolo, Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 69. Quibus arridens Stephanus Paris Epiſcopus Aurelianenſis ex Ordine Prædicatorum aſſumptus homiliâ 61. *Nunc* (inquit) *ad piſcatoris & Cortarii memoriam Imperatorum genua flectuntur. Vnâ eademq́; die, ſub uno eodemque perſecutore, æqualis crudelitas utrumque conſtrixit, in eâ Româ, quæ & Babylon erat, caput orbis nationum omnium earum, quæ ſub cælo ſunt principatum tenens, duo mundi lumina ſtellis omnibus ſplendidiora mortis eclypſim patiuntur.*

Tilman. Segeber.

XIV. Sœculum decimum ſeptimum innumeros hujus veritatis defenſores produxit, ut Cardinalem Bellarminũ qui lib. 2. de Romano Pontifice cap. 4. hoc argumentũ ex profeſſo agitat,

Barboſam de officio & poteſt. Epiſcopi part. 1. tit. 3, cap. 2. num. 7. Cornelium à Lapide proëmio in epiſtolam primam S. Petri in fine, Gualterum in ſuâ Chronologiâ, noſtrum P. Lezanam tomo 1, Annalium noſtri ordinis. Quod ſi in hujus veritatis cõfirmationem hæreticorum ſententia deſideretur, ipſe Calvinus id aſtruere videtur. Hic enim quamvis in cap. 1. epiſt. 2. Petri verſ. 14. neget Petrum fuiſſe Romæ, & in cap. 5. verſ. 13. epiſt. 1. cenſeat eos errare, qui ſcribunt Petrum fuiſſe Romæ. Nihilominus ſibi ipſi contradicens lib. 4, inſtit. cap. 6. §. 15. & cap. 7. §. 24. in editione Gallicâ affirmare videtur Petrum non tantùm fuiſſe Romæ, ſed etiam ibidem obiiſſe.

CAPUT SEXTUM.

Eccleſia ſancta, quia S. Petrus Romæ fuit crucifixus, probatur ſerie ſæculorum.

I. PEtrum non tantùm obiiſſe Romæ, ſed ibidem Martyrii lauream conſecutum fuiſſe crucis ſupplicio inſtar Chriſti & Eliæ, nunc probandum incumbit. Non repeto quæ capitibus ſuperioribus dixi. Pri-
S. Clem. mo ſœculo S. Clemens Petri ſucceſſor epiſt. 1. ad Jacobum fratrem Domini Ruffino Torano Aquileienſi Interprete. *Hic ipſe Petrus, qui pro immenſâ charitate, quam erga omnes homines gerebat palam cum omni fiducia, adverſanti etiam tyranno totius mundi* (Neronem intelligit) *bonum prædicare non deſtitit, & regem omnium ſæculorum per orbem terræ, & uſque ad Romanæ urbis hujus notitiam, ut etiam ipſa ſalvaretur, invexit. Hic* (inquam) *pro pietate pati volens præſentem in ipſis autem diebus, quibus vitæ finem imminere præſenſit, in conventu fratrum poſitus, apprehensâ manu meâ repentè conſurgẽs in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit verba. Audite me fratres & conſervi mei, quoniam ut edoctus ſum ab eo qui me miſit Domino & Magiſtro meo IESV Chriſto, dies mortis meæ inſtat.* Eidem S. Jacobo ſcribens de rebus geſtis S. Petri. *Tandem aliquando ei hac vitâ relictâ ad Magiſtrum Chriſtum perfecto Evangelicæ doctrinæ curſu migrandum fuit. Quod cùm cognitum haberet, foreq; ut crucis ſupplicio damnaretur, ut Magiſtri & mortis & gloriæ ſocius eſſet, cõvocatis fratribus omnibus captâ meâ manu, cùm in mediâ concione ſtetiſſet, ita locutus eſt: Audite me filii & fratres mei quidem curſus finis propè adeſt.* His verbis *quod cum cognitum haberet, foreq; ut crucis ſupplicio damnaretur*, innuit Petrum non tantùm mortem ſuam præſciviſſe, ſed etiam ſupplicii genus. Sic S. Eliæ non tantùm raptus fuit præcognitus, ut patet lib. 4. Regum cap. 2, verſ. 9. ubi Eliſeo ait. *Poſtula quod vos ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Quomodò tollar? Curru Crucis figuram habente. Accipe verba ſancti Ambroſii in Lucam libr. 10, cap. 23. l. 4. reg.
hanc triumphalem ſeparationem deſ- c. 2. v. 9.
cribentis. *Nos autem quoniã trophæum jam videmus, & quod carrum ſuum jam triumphator aſcendit, conſideremus quod non arborem truncis, non quadrijugis* S. Amb.
plauſtri manubias de mortali hoſte quæſitas, ſed triumphali patibulo captiva de ſæculo ſpolia ſuſpendit. Plura ibi & pulchra. Idem ferè contigit ſancto Petro ut refert ſanctus Linus poſtquam deſcripſit fletus, ejulatus, & preces, quibus eum fideles à morte ſubeundâ avocare ſtuduerunt, & Petri illis ſatisfacientis egreſſum ex urbe Roma, ſubdit. *Vt autem portam civitatis voluit egredi, vidit ſibi Chriſtũ occurrere, & adorans eum, ait Domine quò vadis? reſpondit ei Chriſtus, Romam iterùm venio crucifigi. Et ait ad eum Petrus, Domine iterùm crucifigeris? & dixit ad eum Dominus etiam iterùm crucifigar. Petrus dixit Domine revertar & ſequar te. Et his dictis Domi-* S. Linus
nus aſcendit in Cælum. Quemadmodũ de ſancto Eliſeo ſacer textus ait. *Eliſeus autem videbat & clamabat, Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus, & non vidit eum amplius.* Sic inquit ſanctus Linus, *Petrus proſecutus eſt eum cum multo intuitu, atque dulciſſimis lacrymis. Et poſt hæc rediens in ſeipſum intellexit de ſuâ dictum paſſione, quod in eum Dominus eſſet paſſurus, qui*

patitur

patitur in electis miſericordia compaſſione & conglorificationis celebritate; converſusque in urbem redit cum gaudio glorificans Deum, & narrans fratribus, quod ei obvius fuiſſet Dominus, & quod delaraſſet ei, quod iterùm in ipſo eſſet crucifigendus, quibus cùm manifeſtaſſet paſſionem ſuam fletum omnes, & ejulatum emiſerunt, dolebant univerſi, & lacrymas profundebant, dicentes: Conſidera oves tuas paſtor bone &c. Et poſt multa reſponſa data tum fidelibus, tum impio Agrippæ. *Accedens* (inquit) *& aſtans cruci, dixit; ô nomen Crucis! occultum myſterium! ô gratia ineffabilis. In nomine enim Crucis pax, &c.* Nonnullis interjectis. *Ita alloquens miniſtros, carnifices, exoravit. Precor vos bone ſalutis meæ miniſtros, ut crucifigentes me, caput deorſum ponatis, pedes verò ſurſum. Non enim decet me ſervum ultimum ita crucifigi, ut Dominus univerſitatis pro ſalute totius mundi eſt crucifixus, quem paſſione meâ conſtat glorificari.*

II. Sœculo ſecundo Tertullianus libr. de præſcriptione vocat Eccleſiam beatam pro cujus defenſione ac propagatione Apoſtoli Petrus & Paulus ſanguinem ſuum profuderunt. *Fælix* Tertull. *Eccleſia, qui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt. Ubi Petrus paſſione Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur.* Idem in Scorpiaco. *Orientem fidem primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab eo cingitur cum crucifigitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ conſequitur nativitatem, cùm illic Martyrii renaſcitur generoſitate.* Idem lib. adverſus Judæos cap. 13. docet ferrum ſecuris enatans lib. 4. Regum l.4.Reg. cap.6 cap. 6. eſſe typum Crucis Chriſti. *Cùm filii Prophetarum ſuper flumen Iordanem lignum ſecuribus cæderent, exiit ferrum, & merſum eſt in flumine, atque ita Eliſeo propheta ſuperveniente, petunt ab eo filii prophetarum, uti ferrum flumini, quod merſum fuerat erueret, atque ita Eliſeus accepto ligno, & miſſo in eum locum, ubi merſum fuerat ferrum ſtatim ſupernatavit, & lignum merſum eſt, quod receperunt filii prophetarum. Ex quo intellexerunt, quod Eliæ ſpiritus ſit in eo repreſentatus. Quid manifeſtius hujus ligni ſacramento? quod duritia hujus ſæculi merſa in profundo erroris, & à ligno Chriſti, id eſt paſſionis ejus in baptiſmo liberaretur. Ut quod perierat olim per lignum Adam, id reſtauraretur per lignum Chriſti.* Non minùs opportunè dictum genus humanum, ac præcipuè Romanam civitatem in profundo idololatriæ pelago merſam fuiſſe, Petri doctrinâ & cruce liberatam, & Deo conſervatam inquit Anacletus epiſt. 3.

III. Tertio ſæculo Egeſippus vicinus Apoſtolorum temporibus libro 3. de excidio Hieroſolymæ cap. 2. ſcribit Egeſip. Petrum capite deorſum verſo fuiſſe crucifixum ut ipſe poſtularat. *Adoleſcentem* (inquit) *nobilem defunctum, quem Simon Magus non poterat excitare, cùm Petrus ſuſcitaſſet, Magus offenſum ſe diis à Galilæis, relicturum urbem, quam tueri ſolebat. Seſe de rupe Capitolinâ dejiciens volare cœpit. Mirari populus. Cæterùm ad preces Petri implicatis remigiis alarum, quas ſumpſerat corruit, & fracto crure Ariciam conceſſit, atque ibi mortuus eſt. Nero autem virum ſibi tam utilem ſublatum dolens, quærere cœpit cauſas, quibus Petrum occideret. Petrus rogatu populi urbem egreſſus, occurrente in porta Chriſto, in urbem rediit & comprehenſus inverſis veſtigiis cruci affigitur.* Eodem mortis genere obiiſſe teſtatur Origenes libr. 3. in Geneſim teſte Euſebio libr. 3. Origenes cap. 2. *Petrus* (inquit) *ad ultimum in urbe Româ commoratus ibi, & crucifixus eſt deorſum capite demerſo, quod ipſe fieri ita precatus eſt, ne exæquari Domino videretur.* Sanctus Dorotheus Epiſcopus & Martyr loquens de Apoſtolis, *Primus eſt Simon Petrus Apoſtolorum Coryphæus, hic* (*ut epiſtolis ſuis innuere videtur*) *Evangelium Domini IESU-Chriſti in Ponto, Galatiâ, Capadociâ, Bithyniâ & tandem Romæ prædicavit, ubi poſtea ſub Nerone rege capite ad terram verſo* (*nam ad hunc modum ipſe pati volebat*) *tertio Calendas Iulii crucifixus eſt.*

VI. Quarto ſœculo S. Ambroſius oratione in Auxentium de tradendis Baſilicis. S.Amb. *Petrus victo Simone cum præcepta Dei ruminaret, doceret caſtimoniam, excitavit animos gentilium. Quibus eum quærentibus depræcata ſunt animæ*

Chriſtianæ, ut paulisper cederet. Nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in portâ Chriſtum occurrere, urbemque ingredi ait, Domine quò vadis? reſpondit Chriſtus venio Romam iterùm crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem Divinum pertinere reſponſum, &c. Itaque ſponte remeavit, Interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimq; correptus per crucem ſuam honorificavit Dominum IESVM. Idem lib. 2. de Sacramentis cap. 4. apertè ait ferrum ſecuris ſupernatans aquis juſſu Sancti Eliſei Crucis figuram extitiſſe.
„Invocavit (inquit) Eliſeus Domi-
„ni nomen, & de aquâ ferrum ſecu-
l.4.Reg. cap. 6. „ris aſcendit, quod demerſum fuerat.
„Ecce aliud genus baptiſmatis. Qua-
„re? quia omnis homo ante baptiſ-
„mum quaſi ferrum premitur atque
„demergitur, ubi baptiſatus fuerit,
„non tanquam ferrum, ſed tanquam
„jam levior fructuoſi ligni ſpecies le-
„vatur. Ergò & hic figura altera ſecu-
„ris erat, cædebantur ligna, cecidit
„manubrium de ſecuri, hoc eſt fer-
„rum demerſum eſt. Filius prophetæ
„neſcivit quid faceret: ſed hoc ſolùm
„ſcivit, ut rogaret Eliſeum prophetã,
„& remedium poſtularet. Tunc ille
„lignum miſit, & ferrum levatum eſt.
„Vides ergò quod in Cruce Chriſti
„omnium hominũ levatur infirmitas.
Sancti Petri Crucifixione aliquid ſimile contigiſſe videtur, eâ enim fideles vegetiores effecti ſunt, & (ut idẽ S. Ambroſius ſupra) honorificatus eſt Dominus JESUS. S. Hieronymus de viris illuſtribus in Petro. *Simon Petrus ad pugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. annis cathedram ſacerdotalem tenuit uſque ad ultimum, ideſt, 14. Neronis annum, à quo affixus eſt cruci Martyrio coronatus eſt capite ad terram verſo.* Idem de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 1. ait poſtulaſſe ſic crucifigi ex animi ſententiâ. *Cùm aſſereret ſe indignum, qui ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus.* Quibus accinens Aurelius Prudẽtius Periſteph. hym. 12.

Hieron.

Prudent.

Prima Petrum rapuit ſententia legibus Neronis
Pendere juſſum præminente ligno.
Ille tamen veritus celſæ decus æmulando mortis,
Ambire tanti gloriam Magiſtri,
Exigit ut pedibus merſum caput imprimant ſupinis
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergò manus ſubter, ſolo verſus in cacumen
Hoc mente major, quo minor figurâ.

Hoc claudat ſœculum Euſebius Cæſarienſis Eccleſ. Hiſtoriæ lib. 2. cap. 25. *Nemo, ut apertum ſe hoſtem Divinitatis pietatis profeſſus eſt ipſorum prius Apoſtolorum (quippe qui duces & ſigniferi erant in populo Dei) expetiit neces. Paulum quidem capite in ipſa Roma; Petrum verò Crucis patibulo condemnat.* Et lib. 5. cap. 2. *Petrus ad ultimum in urbe Roma commoratus, ubi & crucifixus eſt capite deorſum demerſo, quod & ipſi ita fieri deprecatus eſt, nè exæquari Domino videretur.* Euſebius

V. Quinto ſœculo S. Auguſtinus ſermone 28. loquens de ſanctis Petro & Paulo, *Currant* (inquit) *uterque ad palmam Martyrii, & uterque perveniunt ad coronam.* Et paulò poſt. *Petrus pro Chriſto capite deorſum verſo in ligno ſuſpenditur. Paulus pro Chriſto gladio trucidatur. Ille propriis greſſibus proficiſcebatur ad Chriſtum, oculiſque ad ſuperiora reſpiciens beatum ſpiritum deducebat ad cælum.* Quaſi diceret, S. Petrus viâ ad cœlum faciliorem redditurus cruci affixus eſt, ſicut S. Eliſeus quo ſecurius incederet baculo uſus eſt, & Chriſtus nobis imò & ſibi ad cælum iter crucis ſuſpendio. Eliſei & Chriſti analogiam deducit S. Auguſtinus ſerm. 206. de tempore. *Baculus ſine Eliſeo nihil valebat, quia Crux ſine Chriſto nihil poterat. Venit ergò beatus Eliſeus & aſcendit in cænaculum, quo venturus erat Chriſtus, & aſcenſurus crucis patibulum. Inclinatur ſe Eliſeus, ut puerum reſuſcitaret, Humiliavit ſe Chriſtus ut mũdum in peccatis jacentem erigeret, &c.* Idem Doctor videns lignum ab Eliſeo in flumen projectum, ferrumque ſecuris ſupernatare, in eo miraculo Crucis myſterium deprehendit ſerm. 111. de tempore. *Sed nec Eliſeus ligni hujus myſtici virtutem penitus ignoravit, qui ſecurim de manubrio in gurgitẽ lapſam miſſo in flumine ligno de profundo evocavit, ſignificans utiq; dura corda & ferreas hominũ cervices de profundo emerſas*

Auguſt. l.4.Reg. cap. 4. Auguſt.

*averſas errore ligno crucis eſſe in poſte-
rùm ſubjugandas.* Deindè exclamat:
*O Crux cujus tantus ac talis decerpitur
fructus!* Eandem hiſtoriam refert ſer-
mone 210 de tempore, ac pro ſubtili-
tate ingenii ſui explicat de Chriſto.
,, Cùm divina lectio legeretur Fra-
,, tres chariſſimi, audivimus quod
,, beato Eliſeo cum filiis prophetarum
,, ad Jordanis fluvium, dum ſibi lig-
4. reg. cap. 6. ,, na conciderent, cecidit ſecuris in
,, aquam, & ille de cujus manu ceci-
,, derat, clamavit ad beatum Eliſeum,
,, heu Domine mi, & ipſam mutuò
,, ſuſceperam. Poſt hæc in loco, ubi
,, ſecuris illa corruerat beatus Eliſeus
,, miſit lignum, & natavit ferrum.
,, Eliſeum, fratres chariſſimi, typum
,, habuiſſe Domini Salvatoris charita-
,, ti veſtræ frequenter ſuggeſſimus,
,, ſed & in puero, qui erat de filiis pro-
,, phetarum, cui ſecuris de manu lap-
,, ſa eſt, non incongruè Chriſtus Do-
,, minus intelligitur. Securis illa, quæ
,, cecidit, Adam, ſivè totum genus
,, humanum ſignificaſſe dicitur. Te-
,, nebat igitur filius prophetarum ſe-
,, curim in manu ſuâ, & Dominus ac
,, Salvator noſter humanum genus
,, quod creaverat, in manu potentiæ
,, ſuæ. Sed quomodo ſecuris illa de
,, manu prophetæ in profundum cor-
,, ruit, ita & genus humanum de ma-
,, nu Domini omnipotentis per ſuper-
,, biam ſe excuſſit, & cecidit in fluvio
,, luxuriæ, vel omnium peccatorum
,, gurgite ſe ſubmergit. Securis illa in
,, profundo jacebat, quia genus hu-
,, manu in omnium criminum abyſ-
,, ſum infœliciter corruerat, ſicut ſcrip-
,, tum eſt pſalm. 68, Infixus ſum in li-
,, mo profundi. Et iterùm deveni in
,, altitudinem maris, & tempeſtas de-
,, merſit me. Fluminis enim ille, ubi
,, ſecuris cecidit ſignificat prætereflu-
,, entem, & fugitivam, & in abyſſum
,, deſcendentem voluptatem & luxu-
,, riam ſœculi hujus. Fluvius enim à
,, fluendo nomen accepit. Et quia om-
,, nes peccatores tranſitoriis volupta-
,, tibus inhærentes fluere dicuntur,
,, ideo ſecuris illa in fluvio & in limo
,, jacebat oppreſſa. Veniens ergo Eli-
,, ſeus miſit lignum & natavit ferrũ.
,, Quid eſt lignum mittere? & ferrum
,, in lucem producere, niſi patibulum
,, crucis aſcendere, & de profundo in-
,, ferni humanum genus erigere, ac de
,, omnium peccatorum limo per cru-
,, cis myſterium liberare? poſtquam
,, verò natavit ferrum miſit manum
,, propheta & recepit illud, & rediit ad
,, utiles uſus domini ſui. Ita & de no-
,, bis factum eſt dilectiſſimi fratres,
,, qui de manu Domini ſuperbiendo
,, excideramus. per crucis lignum ite-
,, rùm ad manum vel poteſtatem Do-
,, mini redire meruimus, &c. Sanctus
Petrus cruce uſus eſt non tantùm ex
hoc ſœculo nequam migraturus, ſed
etiam homines de abyſſo erroris ac
peccati gurgite liberaturus. Signo
crucis uſum eſſe teſtatur idem S. Au-
guſtinus ſerm. 28. de ſanctis. *Mittit
Petrus in ſæculum retiaculum, circum-
cumfert Paulus Dominicum in mundo
vexillum, & iſte piſcator hominum, &
ille titulat ſigno crucis gentiles.* Refert
Petrus de Natalibus in catalogo, quod
cùm S. Petrus à mortuis excitaſſet co-
ram populo Romano adoleſcentem,
quem Simon Magus magicis ſuis arti-
bus revocare nequiverat. Hic vindi-
ctæ libidine motus, poſtibus domus
Marcelli S. Petri diſcipuli ingentem
moloſſum, ſeu potiùs dæmonem al-
ligavit, ut accedentem Petrum dila-
niaret, quem Petrus ſigno crucis ex-
ſolvit, qui ſolum Magum aggreſſus
veſtes ejus dilaceravit. *Poſt modicum
Petrus venit & facto ſigno Crucis canem
exſolvit. Canis autem omnibus blandiẽs
ſolum Simonem perſecutus in ipſum in-
ſiluit, & ut ſibi Apoſtolus juſſerat, corpus
quidem ejus non læſit, ſed veſtes totali-
ter laceravit.* Aliis omiſſis hoc ſe- Petr. de Natal.
cundum adjiciam. Cùm Apoſtoli Pe-
trus & Paulus Romæ Mamertinis
carceribus eſſent incluſi Proceſſus &
Martinianus cuſtodiæ præfecti cum
quadraginta ſeptem illic comectis
Chriſti fidem ſuſceperunt. Cùm verò
lavacrum, quo regenerarentur, defi-
ceret, narrat Surius tomo 4. ſecundâ
Julii ex pervetuſto codice manu ſcrip-
to, ſeu Sanctorali, vel Paſſionario ſan-
ctæ Cæciliæ de urbe his verbis. *Om- IV*
*nes ſe abjecerunt ad pedes Apoſtolorum,
rogantes ut Baptiſmum ab eis percipe- Surius.
rent. At verò beatiſſimi Apoſtoli ora-
verunt*

verunt Deum, orationeque expletâ beatus Petrus in monte Tarpeio ſignum crucis expreſſit, in eâdem cuſtodiâ Mamertini, atque eadem horâ emanarunt aquæ è monte, baptiſatique ſunt beati Proceſſus & Martinianus à beato Petro Apoſtolo. Hoc ut viderunt cuncti qui erant in cuſtodia proſtraverunt ſe ad pedes Apoſtoli, & baptiſati ſunt promiſcui ſexus & diverſæ ætatis numero quadraginta ſeptem. Illum fontem, ac ejus aquam guſtavi. Ad Crucifigium S. Petri revertamur. *Chryſoſ.* S. Chryſoſtomus homiliâ in Principem Apoſtolorum ita illum affatur rationem afferens hujus crucifigii. *Gaudeas Petre qui ligno crucis fruitus es, & ad Magiſtri ſimilitudinē rectâ quidem figurâ; ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti, ſed magis inverſo capite, veluti è terrâ ad cælum iter parans. O clavos illos beatos qui membra tua illa ſanctiſſima pertranſierunt.* Paulus Oroſius lib. 7. hiſtoriæ, *Primum Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit,* *Paulus Oroſius.* *ipſumque nomen extirpare conatus beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.* Sulpitius libr. 2, ſacræ hiſtoriæ. *Paulus ac Petrus capitis damnati, quorum uni cervix gladio deſecta, Petrus in crucem* *Theodoretus.* *ſublatus eſt.* Theodoretus Oratione de charitate affert aliam rationē præfati crucifigii notatu dignam. *Cùm* (inquit) *ad mortem crucis à Nerone damnatus eſſet, rogavit carnifices, nè ſimiliter atque Dominus trabi affigeretur, ſed contrario modo, veritus, quod eſt veriſimile, nè eadem paſſio eundem ſibi ab inſipientibus honorem conciliaret, ideò rogavit, ut manus inferius, ſuperius autem pedes affigerentur.* Alteram rationem adducit S. Maximus ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum. *S. Max.* *Cùm Petrus ad Crucem, tanquam Chriſti diſcipulus duceretur, verſo ſe poſcens corpore crucifigi, paſſionem non timuit; ſed æqualitatem Crucis Dominicæ declinavit, ut oſtenderet univerſis admirandæ ſe humilitatis virtutem, noviquæ myſterii diſciplinam & inter tormenta ſervaſſe.*

VI. Oculos in ſæculum ſextum conjicienti occurrit ſanctus Gregorius Turonenſis hiſtoriæ Franciæ libr. 1. cap. 25. In hæc verba ſcribens. *Beatus Petrus Apoſtolus ſub Imperatore Claudio IV. ab Auguſto Romam aggreditur,* *Gregor. Turon.* *ibiq; prædicans in multis virtutibus manifeſtiſſimè Chriſtum eſſe Dei filium comprobavit. Ab illis enim diebus Chriſtiani apud urbem eſſe cœperunt.* Quibus ultimis verbis innuit non à S. Paulo, vel eius diſcipulis Romanos prima religionis Chriſtianæ rudimenta percepiſſe, ſed à Petro. *Cùm autem nomen Chriſti per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hæc antiqui ſerpentis invidia, & totis ſe Imperatoris præcordiis immittit ſæva malignitas. Nam Nero ille luxurioſus &c. ad complendam malitiæ ſuæ molem primus contra Chriſti cultum perſecutionem excitat in credentes. Habebat enim ſecum Simonem Magum virum totius malitiæ, & omnis magicæ artis argumento magiſtrū. Hoc eliſo per Apoſtolos Domini Petrum atque Paulum, commotus cōtra eos, quod Chriſtum Dei filium prædicarent, & idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio jubet interfici.* De eodē crucis ſupplicio S. Gregorius Magnus in quintum Pſalmum Pœnitentialem ad illa verba verſus ſecundi. *In quacumque die tribulor.* Subdit. *Ecce* *Gregor. Magnus* *jam caput noſtrum ſedet à dextris Dei, & tamen ſe dicit tribulari. Ubi ergò tribulatur niſi in corpore.* *Pſ. 101.* *Nam quod in corpore tribuletur, manifeſtè oſtendit, cùm Saulo perſecutori dixit, Saule, Saule quid me perſequeris? Actor. cap, 8. Et Petro ait: Venio Romam iterùm crucifigi. Qui enim in ſeipſo jam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterùm ſe crucifigendum dicebat.* Illis accinit Elpis uxor Severi Boetii viri inter Latinos facilè doctiſſimi, cujus uxor & tori ſocia in modulatione carminum Latino ſermone & ſacris litteris, hoc quaſi argumento atque judicio dignoſcitur fuiſſe admodùm erudita, quod Hymnum de ſanctis Petro & Paulo ab Eccleſia decantatum compoſuerit. *Elpis.* Verſu ſecundo de utriuſque Martyrio canit.

Ianitor cæli, Doctor orbis pariter,
Iudices ſæcli, vera mundi lumina,
Per crucē alter, alter enſe triumphans,
Vitæ ſenatum laureati poſſident.

Sœculum ſeptimum illuſtravit S. Iſidorus Hiſpalenſis, hic lib. de vitâ & obitu ſanctorum cap. 69 poſtquā VII.

vocavit

vocavit ſanctum Petrum Eccleſiæ firmamentum, caput corporis Chriſti, principem Apoſtolorum, primum Filii Dei Confeſſorem, paſtorem gregis, firmam petram Eccleſiæ, regni cæleſtis clavigerum. Subdit Eccleſiâ Antiochenâ fundatâ veniſſe Romam, ibique debellato Simone Mago, ac adminiſtrato Pontificatu Romano per viginti quinque annos, crucis patibulum ſubiit capite ad terram verſo ſub Nerone Imperatore.

VIII. Octavo ſæculo, Venerabilis Beda lib. de ſex ætatibus in Nerone Imperatore ſcribit Neronem eò tandem nequitiæ progreſſum eſſe, ut ipſos Chriſtianos furore planè diabolico perſecutus fuerit, quorũ Coriphæos Romæ delevit. Petrum crucis ſuſpendio, Paulum gladio.

IX. Nono ſæculo Ado Archiepiſcopus Viennenſis in ſuo chronicorum breviario refert ætate ſextâ. Quod *Nero ipſum nomen Chriſtianum extirpare conatus Beatiſſimos Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.* *Ado Vienn.*

X. Decimo ſæculo Regino Abbas lib. 1. Annalium ad annum Chriſti 72. patenter ait Petrum Romæ cruci affixum, Paulum verò capite damnatum. Idem refert Luitprandus lib. 4. cap. 3.

XI. Sæculo undecimo præter Adonem Trevirenſem, S. Petrum Damianum, Marianum Scotum, Sigebertum, Lambertum Schafnaburgenſem, hæc ſcribit Hermannus Contractus in ſuo Chronico. *Petrus & Paulus à Nerone propter Simonem Magum trucidantur, & peſtilentia Romæ facta eſt, Neroque ſeipſum occidit.* Licet non exprimat quo genere mortis trucidati fuerint, tamen implicitè innuere videtur Petrum cruce, Paulum gladio interemptum fuiſſe. Vide Theophilactum cap. 21. Ioannis qui ad illa verba *Cingebas te, &c.* ait, *Voluntati tuæ renunciabis non quærendo ea, quæ caro docet: ſed illam perdes tuâ ſponte protendens manus tuas ad vincula in cruce.* Infrà. *Alius te cinget, ut me ſequaris, non fugias nunc jubeo ut ſequaris, crucifixus ſum, ſequaris & per eadem veſtigia.*

XII. Sæculo duodecimo Honorius Auguſtodunenſis Præsbyter de imagine mundi lib. 3. in ſextâ ætate. *Petrus (inquit) crucifigitur.* Nicetas Chroniates lib. 4. adverſus Antearrianas hæreſes cap. 1. conflictum refert ſancti Petri cum Simone Mago, & hujus infœlicem exitum, ex cujus occaſione S. Petri Martyrium facile colligi poteſt. Petri crucifigiũ à Chriſto prædictum fuiſſe Joannis cap. 21. v. 22. *Quid ad te, tu me ſequere.* Vatablus. *Quid tuo, tu me ſequere.* Ait Zacharias Epiſcopus Chryſolopolitanus in ſuo quatuor uno lib. 4. cap. 180. *Quia audierat Petrus ſe crucifigendum, voluit etiam fratris exitum cognoſcere. Cur dicitur Petro, ſequere me, & non cæteris, qui ſimul aderant, & Magiſtrum ſicut diſcipuli ſequebantur? Numquid ſolus Petrus paſſus eſt? nonne in illis ſeptem erat Iacobus filius Zebedæi, qui poſt aſcenſionem ab Herode fuit occiſus? Verum aliquis dixerit, quoniam non eſt Iacobus crucifixus, meritò dictum eſt Petro ſequere me, qui crucem expertus eſt.* Euthymius ad illa verba, *Sequere me*, ait: *ut crucifigaris, & æqualem ſuſtineas mortem.* *Zachar. Chryſop.*

Eundem locum Ioannis cap. 21. explicans Hugo Cardinalis ſæculo decimo tertio ait. *Tu me ſequere crucis paſſione.* Conſulendus pro hac veritate Nicephorus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 14. & cap. 44. XIII. *Hugo.*

Decimo quarto ſæculo Franciſcus Mayronis in feſto S. Petri & Pauli ait poſt devictum Simonem Magum latam fuiſſe ſententiam à Nerone, *De decapitatione Pauli propter ejus nobilitatem, & de crucifixione Petri.* Cui arridens Meffret ſerm. 2. in eodem feſto. Noſter Guido Perpinianus in ſuo quatuor uno ad illa verba Joannis cap. 21. verſ. 19. *Hoc autem dixit ſignificans, quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Subdit ex ſancto Chryſoſtomo. *Quod ideò ſingulariter dictum eſt Petro; quia ſolus Petrus ſingulariter ſecutus eſt Dominũ in univerſalitate & plenitudine auctoritatis. Quia Iacobus in Ieruſalem Epiſcopalem accepit curam: ſed Dominus in toto orbe authoriſavit Petrum.* Infrà ad intentum noſtrum aliam S. Auguſtini reſponſionem producit tractat. ultim. ſuper Ioannem. *Alio modo accipitur hæc ſequela pro morte. Sed* XIV. *Ioann. c. 21. v. 19* *Guido Perpin.*

tunc

explicans illa verba verſ. 22. *Tu me ſequere.* Subjicit. *Imitando mortem crucis.* Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium ad annum Chriſti 69. ait. *Baron.* *Petrum paſſum eſſe ſupplicium crucis in eâ ſummitate Janiculi, quæ eſſet imminuens Naumachiæ deorſum juxta Tiberim poſita.* Et paulò poſt ait eſſe cunctorum ſanctorum Patrum calculum. *Quod ad ſupplicium crucis ſpectat, omnium ſanctorum Patrum ſententia liquet, ipſum caput deorſum verſo, & in ſublime pedibus elatis crucifixum fuiſſe.* Et alibi.

Frider. Nauſea. Fridericus Epiſcopus Viennenſis cognomento Nauſea in feriis Sanctorum Petri & Pauli in fine explicans illa verba *Paſce oves meas* Aduit. *Quam ſanè prærogativam & paritatem, Petrus ut in omnibus verus ſucceſſor ſuâ etiā morte comprobavit, ut totè quam parem cum Chriſto, & cum eo, ſuſtinuerit, nimirùm crucifixus eſt Chriſti prædictione, verſo deorſum capite, pedibusq; ſurſum verſis. Ipſe enim repulsâ mortis formidine moriendi ordinem in acerbiſſimâ paſſione quærens, nimiâque motus humilitate, crucis æqualitatem Dominicæ declinavit, ſeque verſo crucifigendum corpore flagitavit.*

Stephan. Paris. Stephanus Paris Epiſcopus Aurelianenſis in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli *Petrus* (inquit) *crucem in exitu pertulit, prædicente Domino, cùm ſenueris extendes manus tuas, ſignificans quâ morte eum eſſet clarificaturus. Capite deorſum in cruce verſo ſuſpenditur.*

Clictov. Jodocus Clictoveus Canonicus Carnotenſis in feſto ſancti Petri. „ Beati Petri præcepto dimiſſus ab Angelis Satanæ Simon Magus cecidit præceps in terram, & fractâ cervice, colliſoque corpore ſtatim mortuus eſt. Nero verò dolens, illum familiarem ſuum amicum ſic obruè juſſit beatum Paulum gladio percuti, & beatum Petrum crucifigi. Sed beatus Petrus ex profundâ humilitate reputans ſe indignum, ut poneretur in cruce ſicut Chriſtus fuit poſitus, capite ſcilicet erecto, petivit crucem, in quâ poneretur, in oppoſitum, & capite deorſum poſito, & pedibus erectis crucifigeretur.

Ferus. Idem aſſerit Joannes Ferus Ordinis S. Franciſci in ſuis annotationibus in Joannem ad illa verba *Cum eſſes junior cingebas te, &c.* Subjungit. „ Hoc verbo etiā genus mortis Petri expoſuit, nempè crucem. Et infra ad hæc verba ait. „ Iam Petro verbis prædixerat, quod crucifigendus eſſet, nunc idipſum etiam facto præſignat dum ſurgit, procedit, ac Petrum ſequi jubet. Quaſi diceret: Per hanc materialem ſequelam, ad quam te moneo, hoc deſigno, quod ſpiritualiter imitaturus es me ſuſtinendo mortem crucis propter juſtitiam, ſicut & ego.

Royard. Joannes Royardus ejuſdem Ordinis in feſto ſanctorum Petri & Pauli. „ Quoniam Crux Chriſti & ignominioſa fuit, & doloroſa, ipſe elegit duos germanos, amicos duos, qui qui cum ipſo mortem ſuſcipientes alter S. Petrus crucis ignominiam, alter ſcilicet Andræas crucis pœnā doloroſam portaret, ſiquidem biduo vivens pendebat in Cruce.

Pelbart. Pelbartus de Themeiſuar ejuſdem Ordinis Alumnus in ſuo pomerio ait paſſionem S. Petri eſſe glorioſam. „ Primò quoad modum: quia humilem pœnam paſſus eſt Chriſto, ſcilicet Crucis mortem. Fuit autem pro gloriâ magis, quod Chriſtus Dominus per ſe ipſum prædixit ei, quod tali morte crucifixionis deberet clarificare Deum, Ioannis cap ult. Et per ſeipſum apparuit Petro, cùm ad fratrum petitionem fugeret de carcere, & invitavit ipſum, dicens: Vado Romam iterùm crucifigi Et ſic Petrus, hoc intelligens de ſuo martyrio, ſtatim rediit Romam. & deſiderāter crucem ſubiit pro Chriſto, adeò quod nē ejus paſſio impediretur, rogavit. Sic ergo Petrus in modo paſſionis aſſimilatur Chriſto. Quia ſicut Chriſtus ad crucem amanter ſpontè ſe offerens pro nobis, ſic Petrus pro Chriſto. Secundò paſſio Petri fuit glorioſa quoad myſterium, quia noluit rectus crucifigi Plura ibi.

Barelete. Accedit Gabriel Barelete Ordinis Prædicatorum in feſto ſanctorum Petri & Pauli. „ Chriſto illi occurrenti, dixit Petrus Domine quò vadis? vado (inquit) Romam iterùm crucifigi: intelligens autem de morte ſuâ hoc eſſe dictum reverſus eſt iterùm ad carcerem, à

„ militibus autē ipſe captus, cum Paulo qui ſunt morti ſententiati. Paulus „ quia civis Romanus erat capite punitus eſt. Petrus verò, quia Forenſis „ cruce ſuſpenditur, prout Chriſtus „ dixerat ei Ioan. cap. ult. ſequere me. Idem habent Paratus ſermone de ſancto Petro. Sanderus lib. 7. de viſibili Monarchiâ Eccleſiæ tit. 7. *Quod Petrus Apoſtolorum Princeps Simonem Magum omnium hæreticorum patrem extinxit.* Non omittendus Georgius Vicelius in ſuo Hagiologio, qui poſtquam hos Prudentii verſus præmiſit:

Paratus

Scit Tyberina palus, quæ flumine labitur propinquo
Binis dicatum ceſpitem trophæis.
Et crucis, & gladii teſtis, quibus irrigans eaſdem (bas,
Bis fluxit imber ſanguinis per her-
Prima Petrum rapuit ſententia legibus Neronis
Pendere juſſit præminente ligno,
Ille tamen veritus celſæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magiſtri,
Exigit ut pedibus merſum caput imprimant ſupinis,
Quo ſpectet imum ſtipitē cerebro, &c.

Vicelius

Quibus addit ex ſancto Hieronymo, quod ſit à Nerone affixus cruci. *Martyrio coronatus eſt capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus elatis aſſerens ſe indignum ut ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus.* Iiſdem arridens Onuphrius in epitome Pontificum in Petro. Genebrardus in chronico in Petro. Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandavenſis in illa verba cap. 21, verſ. 19. &c. *Dum eſſes junior cingebas te, &c. Sequere me, &c.*

XVII Dum in decimum ſeptimum ſæculum oculos conjicio non minus generoſos hujus veritatis defenſores invenio. Aliquos tantùm in medium proferamus, Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Romano pontifice cap. 25. in fine, lib. 2. cap. 3. Lælius Iordanus de majoribus Epiſcoporum cauſis ad papam deferendis cap. 11. Guettero in ſpeculo juris pontificii part. 8. Loterius de re benef. lib 1. quæſt. 46. n 9. Henricus Rampen Huenſis Doctor Lovanienſis tomo 3. in Evangelia lib. 7. cap. 5. ad illa verba verſ. 18. *Extendes manus tuas*, idest, *Crucifigeris.* Item ad illa verba verſ. 19. *Significans quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Subdit. *Quibus verbis apertè ſignificatur ſenſus ſuperius datus verborum, quibus dictum eſt extendes manus tuas.* Inſuper ad hæc. *Sequere me.* Scilicet. *In paſſione & paſſionis modo, hoc eſt in crucifixione.* Barradius tomo 4. in Evangelia lib. 9. cap. 3, præfata verba explicans, primò producit auctoritatem Tertuliani in ſcorpiaco dicentis. *Tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci aſtringitur.* Quibus ſubdit. *Alter alius te cinget cum vinculis alligaverit, & ducet quò tu non vis, ideſt, ducet in carcerem & in crucem. Addit Ioannes his verbis ſignificaſſe Chriſtum quâ morte Petrus Deum eſſet clarificaturus: quâ morte (inquit) quia Chriſtus non prædicit in mortem in genere, ſed mortem crucis peculiarem, quâ ille Deo magnam gloriam attulit, extendes manus tuas videlicet in cruce.* Infra explicans hæc verba: *Sequere me*, ait: *Et verbis paſtoris ſummi officio & morte crucis ſe ſecuturū indicavit. Sequere (inquit) me Petre officio Vicarii mei in terris, ſequere etiā me morte crucis. Quemadmodum ego ſum ſummus Paſtor, ita tu eris in terris ſummus, me ſequeris, & meum tenens locum. Quemadmodū ego crucifixus ſum, ſic tu ſuffigeris.* Fuſius citatos textus Ioannis explicat ad intentum noſtrū Cornelius. Primum quidem, *alius te cinget*, confirmat auctoritate S. Auguſtini, S. Chryſoſtomi, S. Maximi, Prudentii, Theodoreti, de quibus ſupra. Secundum, *quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Dicens à Petro glorificatum Deum. *Quia in morte crucis ſimilis fuit Chriſto, ut qui ſimilis in vita & pontificatu, ſimilis quoque eſſet in cruce & morte. Nam eſt magna gloria ſequi Dominum, Eccleſiaſtici cap. 23. verſ. 38. &c. Quartò, quia Petrus in cruce moriens pro Chriſto magnam ab eo gloriam conſecutus eſt, tum in cælo, tum in terrâ, quia glorificavit Deum tanquam hujus gloriæ ſuæ fontem & auctorem, &c.* Denique explicans hæc verba, *Sequere me.* Hac paraphraſi elucidat. *Vt ſicut ego præceſſi ad crucem, ſic tu me ad eandem ſubſequaris. Nec tibi dura videtur crux pro me ſubeunda, quia ego*

Rampen

Barrad.

Cornel.

ego primus illam pro te ſubivi, & ad eam tibi, cæteriſque fidelibus praivi & viam complanavi, &c. Plura ibi, maximè de occurſu Chriſti. Similia habet noviſſimè ad illa loca noſter Sylveira tomo 5. in Evangelia libr. 9. cap. 7. expoſitione 3. numer. 51. 52. 53. & quæſt. 10. num. 59 60. cap. 8. expoſitione 3. num. 67. Vide etiam Barboſam de officio & poteſtate Epiſcopi part. 1. tit. 3. cap. 2. numer. 11. & alios modernos Interpretes.

XVIII Ex quibus concludo eſſe ſole ſplendidius quod Petrus Romæ obierit, & cruci fuerit affixus. Vndè ante Ioannem Wicleff id eſt ante annum 1400. nullus hæreticus in dubium revocavit Petrum Romæ defunctum eſſe, Romæ Pontificatum geſſiſſe, & tandem ſuperato Simone Mago in crucem actum fuiſſe & quidem capite deorſum verſo,

CAPUT SEPTIMUM.

Eccleſia ſancta, quia Sanctus Petrus Romæ ſepultus.

I. *l.3.Reg. 17.v.11* OStendimus ſupra, quod dum ſanctus Elias lib. 3. Reg. cap. 17. verſ. 11. *Expandit ſe atque menſus eſt ſuper puerum* viduæ Sareptanæ, *l.4.Reg. 2.v.11.* Lib. 4. Regum cap. 2. verſ. 11. dum in curru igneo, *Aſcendit per turbinem in cælum.* Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 9. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum ignearum.* Vatablus. *Qui procellâ igneâ ſublatus ſis in curru equorum ardentium.* *l.4.reg. cap.4. verſ.34* Dum ſanctus Eliſeus lib. 4. Regum cap 4. verſ. 34. *Incubuit ſuper puerum* mulieris Sunamitidis, dum eodē jubente poſitus eſt baculus *ſuper faciem pueri.* Et c. 6 v. 7. Vnus ex filiis prophetarū lignū miſit in gurgitem, *natavit ferrum.* *v.32.* Delineata eſt mors Chriſti & Petri in cruce. Circumſtantia menſis, quo raptus eſt Elias ferè convenit cum obitu ſancti Petri. Si enim hic Martyrium crucis ſubiit 29. Iulii, Eliæ raptus contigit 20. Iulii. Ita Martyrologium Romanum, Menloogium Græcorum, Lipomanus tomo 6. Surius tomo 4. noſter P. Lezana, Salianus, Genebrardus, Torniellus in chronicis, Cornelius in lib. 4. cap. 2, Regum, Rampen ſupra.

II. Quoad locum quò raptus eſt, illum ſacer textus exprimit. *l.4.reg. 2.v,11.* *Aſcendit Elias per turbinem in cælum.* Quamvis de loco cœli Patres ac Interpretes non cōveniant. Nam S. Gregorius homil 29. in Evangelia. Rupertus lib. 3. de Trinitate cap. 33. exiſtimant Eliam ductum fuiſſe in ſecretam aliquam terræ regionem. Secundò S. Ambroſius lib. de paradiſo cap. 3. S Hieronymus in cap. 9. Amos. Alcimus lib. 4 in Geneſim, & Serarius putant raptum in cœlum æthereum, ibique quaſi cœlitem agere. Tertiò S. Juſtinus quæſt. 85. S. Irenæus lib. 5. cap. 5. S. Iſidodorus lib. de ortu & interitu ſanctorū cap. 5. S. Auguſtinus lib. 2. de peccato Originali cap. 13. S. Thomas 3. part. quæſt. 49. art. 5. ad 2. & 1. part. q. 102. ad 2. & 3. Toſtatus aiunt evectum in aerem, indèque traductum in paradiſum terreſtrem, ſi adhuc extet. Quartò S. Chryſoſtomus homilia 23. in epiſt. ad Hebræos. Oecumenius & Theophilactus ibidem. S. Cyprianus de Montibus Sion & Sina. S. Auguſtinus de gratiâ Chriſti cap. 2. & 3. Theodoretus quæſt. 45. in Geneſim, Cornelius in cap. 2. lib. 4. Regum arbitrantur elatum eſſe in locum mortalibus incognitum.

III. In ſecundo adventu S. Joannes patenter ait, quod poſtquam ab AntiChriſto fuerint ultimo ſupplicio affecti *Apoc.c. 11.v 9.* Apoc. cap. 11. verſ. 9. *Et videbunt de populis, tribubus & linguis & gentibus per tres dies & medium, & corpora eorum non ſinent poni in momumento.* *Pannon.* Pannonius. *Tanta in viros pios atrocitate tunc impii deſævient, quod nè mortuorum quidem miſerebuntur, quorum corpora minimè ſinent ſepeliri. Vt poſt mortem ſuperare videantur eos quos vivos ſuperare non poterant.* Tribus elapſis diebus cum dimidio. *Spiritus vitæ à Deo intravit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.* Verſ. 12. *v. 12.* *Et audierunt vocem magnam de cælo dicentē eis, aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube, & viderunt eos inimici eorum.* Id eſt publicè ſpectantibus AntiChriſti

Chriſti aſſeclis reſurgent, ac multo Angelorum comitatu inſtar Lazari, Lucæ cap. 16. verſ. 23. vel Chriſti Actor. cap. 1. in cœlum aſcendent.

IV. Conſtat etiam lib. 4. Regum cap.
l.4.Reg. cap.13. verſ.20. 13. verſ. 20. ſanctum Eliſeum placidâ morte defunctum fuiſſe, ſepulchro mandatum. *Mortuus ergò eſt Eliſeus & ſepelierunt eum.* S. Hieronymus in Abdiam prophetam hæc ſcribit: fuiſſe illi erectum Mauſolęum. *Abdiæ ſepulchrum cum Mauſolæo Eliſei & Ioannis Baptiſtæ in Sebaſte venerationi habetur, quæ olim Samaria.* Addit in Epitaphio Paulæ, illic dæmones variis rugire cruciatibus, hominesque ululare more luporum, mugireque boatu taurorū. Cui ſubſcribens Martyrologium Romanum 14, Junii ait. *Samariæ in Paleſtinâ S, Eliſæi prophetæ, cujus ſepulchrum Dæmones perhorreſcere,* ſcribit S. Hieronymus. Cedrenus in Leone Magno Imperatore refert Alexandriam tranſlatas fuiſſe reliquias ſancti Eliſei.

V. S. Petrum Romæ non tantùm ſedem ſuam Pontificiam fixiſſe, obiiſſe, lauream Martyrii cōſecutum: ſed ibidem ſepultum teſtantur ferè omnia ſæcula. Primò ſœculo S. Linus (quem ſcribunt Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphanius hæreſi 27. Euſebius lib. 3. cap. 1. 15. & in chronico. Hieronymus catal. in Clemente. S. Auguſtinus epiſt. 165. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmen. Platina in vitis Pontificum in Lino. Baronius anno 69. Weſſelingius tractatu juridico Politico de ſupremâ poteſtate Rom. Pont.) ſcribit quod Petro defuncto. *Statim*
S. Linus *Marcellus nullius expectavit ſententiā: ſed videns, quia beatus expiravit Apoſtolus propriis manibus depoſuit ſanctum Corpus de cruce, & lavavit illud lacte & vino optimo, ferensque maſtiches & aloës minas mille quingenas & myrrhæ ac folii, atque ſtactes cum cæteris aliis aromatibus, alias minas quingenas condivit eum diligentiſſimè. Mille quoque attico novum replevit ſarcophagum, & in eo corpus aromatibus perlitum collocavit. In ipsâ autem nocte cum Marcellus ad ſepulchrum ipſius vigilaret, & ardenti ejus deſiderio fleret (ſtatuerat eum in vita non ſeparari à doctoris ſui amantiſſimi ſepulchro) venit ad eum beatus Petrus, quem videns Marcellus & contremiſcens illi velociter aſſurrexit, fletitq́ ante eum, &c.*

Idem ſecundo ſœculo innuere videtur Tertulianus dum lib. de præſcritione ait Romanam Eccleſiam fuiſſe Apoſtolorum principum ſanguine illuſtratam. *Fœlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt.* VI.

Sæculo tertio Cajus antiquus Theologus (quem temporibus Zepherini Papæ vixiſſe Euſebius Cæſarienſis lib. 2. cap. 25. ſcribit.) hæc dicentem inducit. *Ego Apoſtolorum trophæa quæ oſtendam, ſi enim procedis viâ regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut viâ Oſtienſi invenies trophæa defixa, quibus ex utraque ſtatutis Romana communitur Eccleſia.* Conſtat ex Martyrologio Romano 19. Januarii, Surio tomo 1. 14 Februarii Martham, Mariam, & Audifacem temporibus Claudii Junioris veniſſe Romam ad limina Apoſtolorum, ubi poſt factam orationem Martyrio ſunt coronati. VII. *Cajus.*

Quarto ſœculo S. Hieronymus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 1. ſcribit Petrum ſepultum fuiſſe in Vaticano juxta viam triumphalem, cui accinens Aurelius Prudentius Periſtephanon Hymno 12. loquens de Petri & Pauli ſepulchris, VIII. *Hieron.*

Dividit oſſa Duūm thybris ſacer ex utraque ripâ.
Inter ſacrata dum fluit ſepulchra.
Dextra Petrum regio tenet aureis receptum,
Canens oliva murmurans fluento
Namque ſupercilio ſaxi liquor ortus excitavit
Fontem perennē Chriſmatis feracē.
Nunc pretioſa ruit per marmora lubricatq́ Clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars eſt ubi; lapſibus ſonoris
Stagnū niviali volvitur profundo
Omnicolor vitreas pictura ſupernè tingit undas
Muſci relucent, & vireſcit aurū,
Cyaneuſque latex umbram trahit imminentis Oſtri
Credas moveri fluctibus lacunar.

Poſtquam

Poſtquam tumulum S.Pauli deſcripſit, ſubdit.

Ecce duas fidei ſummo Patre conferente dotes
Vrbi colendas quas dedit togatæ
Aſpice per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus fervet una feſtis.
Nos ad utrumque tamen greſſu properemus incitato
Et his, & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius quò fert via Pontis Hadriani,
Lævam deinde fluminis petemus.

De eodē Vaticano S.Petri ſepulchro meminit lib. 1, adverſus Symmachū.

Omnis qui celſa ſcandit cœnacula vulgus. (atram,
Quique terit ſilicem variis diſcurſibus
Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis,
Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat, (obſes.
Quo cinis ille latet genitoris amabilis

Lib. Periſtephanon hymno 2, de ſancto Laurentio.

Et jam tenemus obſides
Fidiſſimos hujus ſpei:
Hic nempè jam regnant duo
Apoſtolorum principes
Alter vocatur gentium,
Alter Cathedram poſſidens
Primus recludit creditas
Æternitatis jannas.

Vocat Apoſtolos Petrum & Paulum obſides, quibus propugnabitur, nè in errorem labatur. Ex Pontificali Romano & aliis, ſanctus Damaſus Platoniam ubi ſanctorum corpora Petri & Pauli aliquamdiu jacuerunt, dedicavit, & elegantibus verſibus exornavit.

IX. Sæculo quarto ſanctus Chryſoſtomus homilia 32. in epiſt. ad Romanos in Morali. *Ego Romam propterea diligo, tametſi & aliundè queam ipſam laudare, nempè à magnificentiâ, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à divitiis, & à rebus in bello fortiter geſtis, ſed relictis iſtis omnibus ob id illam deprædico, quod erga illos Paulus dum viveret, adeo fuit benevolus, &c. Vnde & civitas iſta hinc facta eſt inſignis pluſquam à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac validum duos habet oculos illuſtres ſanctorum videlicet illorum corpora.* His ultimis manifeſtè teſtatur Romæ condita horum Apoſtolorum corpora. Vndè ſubdit. *Non ita cælum ſplendeſcit quando radios ſuos ſol ex ſeſe dimittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundēs. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſiderate quale ſpectaculum viſura ſit Roma. Paulum videlicet repentè ex thecâ illâ cum Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſum ferri. Qualem roſam mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur urbs iſta? qualibus catenis cincta eſt? quales habet fontes propterea celebro hanc urbem; non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ.* Vocat Petrum & Paulum lampades, ubique terrarum effundentes lumen ſuum, alludens ad illud ſapientis Eccleſiaſtici de ſancto Eliâ *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Vel ad illud ſancti Ioannis Apocal, cap. 11. verſ 4. de eodem S. Eliâ & Enoch apparentibus in fine mundi. *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Sanctus Proſper. *In conſpectu Domini terræ conſiſtentia.* Vocat Romanam urbem, ſeu eorum ſepulchrum thecam, quia ibi reclududuntur exuviæ Apoſtolicæ, ſeu ſacra eorum corpora. Vocat illorum reliquias roſam ob ſuaviſſimum odorem, quo tota civitas, imò orbis univerſus perfunditur. Vocat eaſdem reliquias coronam & torquem auream quo ornatur Romana Eccleſia. Vocat fontes ob perennes undas quibus irrigatur. Vocat columnas, quibus ſtat, & ſemper ſtabit, & non commovebitur, ut infra innuit. *Hoc corpus, ſcilicet Pauli, urbem hanc munit; quod quavis turri, innumeriſque mœnibus ac vallis eſt tutius, & cum iſto corpus etiā Petri.* Quæ de Paulo idem Doctor ait, de Apoſtolo Petro prædicari poſſunt, *Nullus* (inquit) *homo Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto hic eſt. Cæterùm Imperator foris alicubi jacet abjectus. Hic autem urbis medium velut vivens ac regnans tenet,* Homiliâ 48. non tantùm vocat corpus Petri lampadem, facem, ignem, ſed ſolem.

Margin notes: S.Chryſ. — Eccl. c. 48.v.1. — Apoc. c. 11.v.4.

Quot reges urbes everterunt, potius extruxerunt, & nominibus ſuis inſcriptis deceſſerunt. Nec tamen eis quidquam profuit, ſed ſilentio & oblivioni mandati ſunt. Piſcator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem eſt proſecutus, & civitatem maximè regiam occupavit, etiam poſt mortem reſplendet ſole clarius. Quò fit, ut cuncti utriuſque ſexus, non tantùm plebei, ſed etiam nobiles Reges, Imperatores turmatim ac religioſè ad eas colendas accedant. Idem in 2. epiſt. ad Corinth. homil. 26. in Moral. *Chriſti ſervorum tum ſplendida ſepulchra ſunt, ut quæ urbem omnium præſtantiſſimam, maximèque regiam occuparint, & dies noti atque perſpecti, ut qui noti à toto orbe agitentur. Atque illius quidem tumulum familiares quoque ignorant: hujus autem Barbari quoque exploratum habent. At ſepulchra eorum qui Crucifixo ſervierunt regias aulas ſplendore vincunt; non tam magnitudinis, ac pulchritudinis ædificiorum ratione (nam hac etiam parte ſuperant) quam (quod etiam majus eſt) conveniſum ſtudio & alacritate. Nam & ille, qui purpuram geſtat, ad ſepulchra illa ſe confert, ut eo exoſculetur, abjectoq; faſtu ſupplex ſtat, ſanctosque obſecrat, ut ipſi apud Deum ſibi præſidio ſint, atque ut & tentorium opificem & piſcatorem, & quidem fato functos patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinctus eſt.* Paulò poſt. *Quod Imperatoribus ſiunt in aulis janitores, hoc in ſepulchro piſcatoribus ſiunt Imperatores. Atque illi quidem velut Domini interiores loci partes obtinent, hi autem velut accolæ vicini ſe præclarè ſecum agi putarunt, ſi veſtibulis janua ipſis aſſignetur, ab his videlicet, qua in hac vita ſiunt, etiam his qui à fide Chriſtianâ abhorrent, illud oſtendentes quod piſcatores in reſurrectione præſtantiorem dignitatis gradum obtinebunt. Nam cùm hic in ſepulchris tanto ſuperiores ſunt, multò magis certi in reſurrectione.* Paucis interjectis. *Hæc quippè ſepulchra aliis Imperatorum ſepulchris multò ſplendidiora, & venerabiliora ſunt. In illis enim mira ſolicitudo: in his ingens hominum frequentia. Quod ſi cum Imperatoriis aulis hæc ſepulchra cõferre liceat, penes hæc rurſus victoria futura eſt. Illic enim multi ſunt qui turbam ſubmoneant, hic contra multi, qui invitent, atque & divites & pauperes, & viros, & fœminas, & heros, & ſervos attrahant. Illic ingens terror, hic lætitia, quæ multis verbis explicari queat: At dulce ſpectaculum eſt Imperatorem auro amictum & coronâ redimitum videre, aſtanteſque Duces, Præfectos, Tribunos, Centuriones, Prætores, &c.* Plura ibi. Denique concludit *Ob eamque cauſam nemo eſt qui peregrinationem unicam inire ſuſtineat, ut Imperatorum aulas videat, contrà multi plerumque Imperatores peregrè profecti ſunt, ut hoc ſpectaculo foverentur.* De hoc omnium ſtatuum frequentiſsimo concurſu ad Petri ſepulchrum homiliâ, *Quod Chriſtus ſit Deus*, ita ſcribit. *Relictis omnibus ad ſepulchra Piſcatoris & pellionis currunt & reges & præſides, & milites. Et Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non propè Apoſtolos, ſed ſi extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur, fiantque piſcatorum oſtiarii Reges.*

S. Auguſtinus quamvis non tam eleganter & fusè, tamen non minùs clarè, de ejus ſepulchro loquitur ſermone 28. de ſanctis. *Nunc ad memoriam piſcatoris flectuntur genua Imperatoris, ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia piſcatoris.* Et epiſt. 48 ad Madaurenſes. *Videtis & imperii nobiliſsimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.* Illi accedens ſanctus Maximus ſermone 5. de Natali Apoſtolorum. *Petrus* (inquit) *& Paulus Martyrium in urbe Româ, quæ principatum & caput obtinet nationum ſcilicet, ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis* Particula *quieſceret*, denotat corpus Petri jacere Romæ ſepultum. Et S. Paulinus ſermone 3. de Natali eorundem *Ipſáque cœleſtûm procerum monumentis Roma Petro Pauloque potens.* Vocat corporum ſanctorum Apoſtolorum monumenta, juxta illud Ovidii libro 13. Metamorphoſeos.

X. Auguſt.

S. Max.

Paulinus

Ovid.

At puto funeribus dotabere regia virgo:
Conditurq; tuum monumentis corpus avitis.

Horum

Horum ſepulchrorum meminit ſanctus Leo papa Sermone 1. in Natali
S.Leo Apoſtolorum. *Duo iſta præclara divini germina ſeminis in quantam ſobolē beatorum millia Martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum urbem noſtram purpuratis, & longè lateq́; rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum honore gemmarum conſerto uno diademate coronarunt.* Quibus verbis alludit ad ſemen, quod terræ mandatur, ac centeſimum fructū producit. Sic ſanguis Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ effuſus ſobolem peperit innumeram Chriſtianorum ac Martyrum qui ibidem obierunt. Idem aſſerit Theodoretus de Romana Civitate, epiſtolâ ad præfatum Leonem Pontificem *Habet autem communium quoque Patrum, & veritatis Doctorum Petri & Pauli ſepulchra, quæ fidelium animos illuminant. Horum autem Beatiſſimorum pari planè divinum exortum quidem eſt in Oriente, & radios*
Theodoretus. *in omnem partem emiſit. In Occidente autem promptō & alacri animo vitæ ſuſcepit occaſum, & nunc illinc orbem terræ ſuis radiis illuſtrat, ii veſtram ſedem effecêre magis illuſtrem ea eſt veſtrorum bonorum colophon.* Hanc veritatem confirmant litteræ Gallæ Placidæ Auguſtæ ad Pulcheriam Auguſtam, quæ referuntur in præambulo Cōcilii Chalcedonenſis. *Dum* (inquit) *ſui in urbem adventus, ad limina Apoſtolorum cauſam reddit, ut Romam frequentibus concurſionibus ad æquè deſideremus inſpicere, cauſa eſt nobis amplectendæ religionis, ut terminis ſanctorum noſtram exhiberemus præſentiam, quos certum eſt pro ſuâ virtute in cæleſtibus conſtitutos, neque inferiora deſpicere. Nos itaque ſacrilegum eſſe credimus ſi ſolemnem ordinem denegemus.* Illis ſubſcribunt Paulus Oroſius libro 7. hiſtoriæ & alii. Porrò locum illum ſepulchralem Petri fuiſſe miraculis celebrem teſtantur verba Nutricis Hermetis, quæ exſtant apud Surium in Actis Alexandri Papæ, quem Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 69. Alexium vocat ubi ait, *Tu ſi ad limina Petri duxiſſes eum & Chriſto credidiſſes, hodie filium tuum haberes incolumen.*

Refert ſexto ſæculo S. Gregorius XI.
papa lib. 7. epiſt. 23. quantum Romanæ Civitati conſervandæ proſint ſacræ Petri Apoſtolorum principis exuviæ. Sic enim ſcribit Ruſticianæ Patriciæ eam hortans ut Romam veniat. Gregor.
Si gladios Italiæ & bella formidatis ſollicitè debetis aſpicere quanta beati Petri Apoſtolorum principis in hac urbe protectio eſt, in quâ ſine magnitudine populi, & ſine adjutoriis militum tot annos inter gladios illæſi Deo auctore ſervamur. Idem lib. 3. epiſt. 30. narrat Chriſtianos Orientales annō Chriſti 69. tentaſſe ſurripere ſacra Apoſtolorum corpora, ut in Orientem transferrent, ibique vindicarent: ſed divinitùs fuiſſe impeditos. *Eo tempore* (inquit Conſtantinæ Auguſtæ) *quo paſſi ſunt in Oriente venerunt, qui eorum corpora, ſicut civium ſuorum repeterent, quæ ducta uſque ad ſecundum urbis milliarium, in loco, qui dicitur ad Catacumbas collocata ſunt. Sed dum ea indè levavare omnis multitudo eorum conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, ut talia denuò nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex pietate Domini meruerunt levaverunt, & in locis, quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.* Illi accinit Venantius Honorius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis carmine, lib. 3. epiſt. 7. ita utriuſque Apoſtoli munia, obitum, ac ſepulchrum depingens.

Cælorum portæ lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat ore Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitu, celſior ille gradu.
Per hunc corda hominum reſerantur, & aſtra per illum,
Quos docet iſte ſtylo, ſuſcipit ille polo.
Pandit iter cæli hic dogmate, clavibus alter,
Eſt via cui Paulus, janua fide Petrus.
Hic petra firmamanens, ille architectus habetur
Surgit in his templū, quo placet ara Dei.
Vno fonte pares medicata fluenta rigantes
Reſtingunt avidū dulce liquore ſitim.

Fortia

Fortia bellá gerens quiſquis cupit a-
ſtra tenere, *(duces.*
Rex dedit hos proceres militiæ eſſe
Gallia plaude libens mittit tibi Roma
ſalutem *(gas*
Fulgor Apoſtolicus viſitat Allobro-
A facie hoſtili duo propugnacula præ-
ſunt *(habet.*
Quos fidei turres urbs caput orbis

Expende hæc verba ultima, *Quos fidei turres urbs caput orbis habet.* Significat horum Apoſtolorum corpora eſſe non tantùm fidei turres: ſed etiam contra hoſtiles incurſus fortiſſima propugnacula, quæ ſalutem non tantū Romę: ſed etiam Galliæ, aliiſque regionibus fidem Catholicam profitentibus pollicentur.

XII. Idem ſeptimo ſæculo inſinuat Iſidorus Hiſpalenſis in vitâ Petri, aſſerēs S. Petrum poſt comparatam lauream Martyrii Nerone imperante, fuiſſe in Vaticano ſepultum. Idem colligi poteſt ex verbis Venerabilis Bedæ octavo ſæculo, qui lib. de ſex ætatibus. *Claudio (inquit) agente annos quatuor, menſes ſex, & dies 28. Petrus Apoſtolus cum prius Antiochenam Eccleſiam fundaſſet Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram tenet Epiſcopalem, id eſt uſque ad ultimum Neronis annum. Marcus verò Evangelium quod Romæ ſcripſerat Ægypto Petro mittente prædicat.* Ex his verbis noſter Thomas Waldenſis infert. *Marcus de Româ, ubi ſcripſit Evangelium Petro mittente Evangelium detulit in Ægyptum. Nonnè ergò Petrus Romæ tunc fuit, quando illinc Marcum miſit in Ægyptum, & Petrus Romæ occubuit.* Subjiciam, & Petrus Romæ ſepultus eſt, quandoquidem non conſtet ex illo auctore ejus reliquias ſacras fuiſſe aliò tranſmiſſas. Favet Vſuardus 29 Junii. *Romæ (inquit) Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli qui paſſi ſunt ſub Nerone, &c. quorum prior in eadem urbe juxta viam triumphalem totius orbis veneratione celebratur. Sequens verò in Oſtienſi ſepultus pari habetur honore.*

Beda. *Thomas Walden.* *Vſuard.*

XIII. Sic intelligendus eſt Freculphus Lexovienſis Epiſcopus nono ſæculo, dum libro 1. hiſtoriæ ſcribit Nerone imperante S. Petrum Romæ ſuſpendio crucis fuiſſe interemptum.

Ado Vienneniſ in Chronico ſextâ ætate hæc ſcribit. *Conſtantinus in fide eruditus à Beato Sylveſtro Papâ fecit miro opere baptiſterium Romæ, ubi baptizatus juxta Baſilicam B. Ioannis Baptiſtæ quæ appellatur Conſtantiniana, item Baſilicam Beato Petro in templo Apollinis, necnon & Beato Paulo, corpus utriuſque in Cyprio circumdās quinque pedes craſſi.*

XIV. Decimo ſæculo Flodoardus Canonicus Eccleſiæ Rhemenſis lib. 1. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 15 ſcribit quod *Rex Ludovicus exhortante S. Remigio regnum, hoc eſt coronam cum gemmis pretioſis auream donum B. Petro Apoſtolo miſit,* id eſt ubi corpus Beati Petri ſepultū jacet. Et dum Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis ſæculo undecimo rogat Ioannem papam epiſt. 22. nè Rudolpho Comiti indulgeat. *A nobis tandem excommunicatus eſt. Nunc verò ad limina S. Petri contendit, tanquam ibi poſſit accipere de peccatis abſolutionem, undè venire non vult ad emendationem.*

Flodoar. *Fulbert.*

XV. Duodecimo ſæculo S. Bernardus epiſt. 237. ad Eugenium papā, loquens de Rom civitate. *Locus (inquit) in quo ſtas terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus principis Apoſtolorū, locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ.* Sæculo decimo tertio Galfridus lib. 9. de geſtis Britannorum refert Ceſdoaldum regē Britonum petiiſſe Romam, *Vt Petrum ſedemque Petri cerneret hoſpes,* id eſt ut tumulum, in quo ſacræ Petri exuviæ reconditæ ſunt, inviſeret.

Bernar.

XVI. Sæculi decimi quinti ſingulare ornamentum audiamus. Hic tomo 3. de Sacramentalibus, tit 14. de ſanctis canonizandis cap. 129. Vbi de ſolemni dedicatione corporum ſanctorum & oſſium, & repoſitione eorum in capſis, ædiculis aut ſcriniis pretioſis agit, hęc inter alia ad noſtrum intentū ſcribit paulò poſt medium. *Hæc antiquorum ſanctorum formata devotio ſucceſſionem pietatis ſuæ jam mille annis reliquit Eccleſiæ, & ipſi à ſuis Patribus ejus regulam ſuſceperunt, velut diu ante iſtos officio ſolemni tranſtulit Petri & Pauli Cornelius papa XX. ex decreto ejus inter decreta Pontificum capite unico Cornelius chariſsimis atque dilectiſsimis ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis & omnibus Domino*

Thomas Walden.

Domino rectâ fide famulantibus Cornelius Epiſcopus. Et infra. *Rogo vos nobis congratulari, quia rogatu cujuſdam devotæ fœminæ, atque nobiliſſimæ Matronæ Lucinæ levata ſunt corpora beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli de catacumbis. Et primò quidem beati Pauli corpus levatum ſilentio, ac poſitum eſt in prædio prædictæ Matronæ viâ Oſtienſi ad latus ubi decollatus eſt. Poſtea verò beati Petri Apoſtolorum Principis accepimus corpus, & condecenter poſuimus illud juxta locum, ubi crucifixus eſt inter corpora Sanctorum Epiſcoporum, in templo Apollinis in monte aureo, in Vaticano Palatii Neriani tertiâ Calendas Iuliarū die. Hæc Auctori fecit ille ſanctus Papa, quod tunc potuit ſæviente adhuc rabie tyrannorum, ſub quibus & ipſe Martyr occubuit.* Reſpondet conſequenter objectioni Wicleffi. *Imponat, ſi audeat Conſtantino Auguſto hanc cupidinem, & Wicleff, & Guilelmus item Satrapa magnus Wicleff idololatriam, quod ipſe corpus ſancti Petri prius tranſlatum æde vel loculo pretioſo condidit; prout habet libro de Romanis Pontificibus ex Damaſo Auguſtus Conſtantinus, ex rogatu Sylveſtri Epiſcopi beato Petro Apoſtolo Baſilicam fecit, cujus loculum ità condidit cum corpore ſancti Petri, ipſumq́ loculum undique ære conclufit, ad caput pedes quinque, ad latus pedes quinque, ſubtus pedes quinque, & ſic incluſit corpus beati Petri Apoſtoli, & recondidit, & ornavit ſuperius ex columnis vitreis, quas ex Græciâ perduxit.* Idem tit. 15. cap. 37. num. 4. ad ſacros Apoſtolorum tumulos converſus exclamat. *O ſancta & veneranda Apoſtolorum ſepulchra & præhonoranda item Apoſtolica vaſa, quæ Dominos ſuos Apoſtolicos ſibi ſalvatores hoſtibus barbaris, & victoribus domitores, plebis Chriſtianæ tutores, & ipſi urbi victæ patronos facere potuerunt.* Eodem ſœculo Platina de vitis Pontificum in Petro. *Sepultus eſt*
Platina. *autem* (inquit) *in Vaticano viâ Aureliâ ſecus hortos Neronis, non longè à viâ triumphali, quæ ad Apollinis templū ducit; ſedit annos 52. Paulus verò eodē de capite mulctatus funeratur viâ Oſtiēſi anno poſt mortem Chriſti trigeſimo ſeptimo.* Quam hiſtoriam ait eſſe conformem & approbari à Cajo Hiſtorico in proculum quendam cataphrygam aſſerenti. *Ego* (inquit) *trophæa Apoſtolorum habeo, quæ oſtendam, ſivè enim viâ regali pergas, quæ ad Vaticanum ducit, ſivè Oſtienſi, trophæa eorum invenies.*

Decimo ſexto ſæculo accipe Card. XVII
Baronii ad annū Chriſti 69. ſuffragiū. *Glorioſiſſimo Martyrio tā Petrus quam Paulus vitâ functi ſunt, locaq́ ubi eorum corpora ſeparata fuerunt non quidē obſcura: ſed (quod mirum eſt) inter perſecutores abſque jacturâ & contumeliâ aliquâ clariſſima remanſerunt, eademque velut nobiliſſima trophæa victoriæ à Chriſtianis ſummo honore ſunt habita.* Baron. Infra. *At redditâ Eccleſiæ pace Chriſtiani Imperatores eadem inviſere, venerari, & debito religionis obſequio colere ſtudioſius quæſierūt, ac propenſius curaverūt.* Non minùs clarè de eorum ſepulchris loquitur Stephanus Paris Epiſcopus Aurelianenſis ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, in feſto ſanctorum Petri & Pauli, ait enim de Româ. *Ut illic capita religionis quieſcerent, ubi caput Satanas idololatriæ ſuperſtitionis erexerat: ac ibi Eccleſiarum Principes reſiderent, ubi Gentilium Satrapæ morarentur.*

In hoc ultimo decimo ſeptimo ſæ- XVIII
culo Cardinalis Bellarminus libr. de Romano Pontifice cap. 5. *Teſtatur* (inquit) *hoc idem conſenſus totius orbis terrarum; qui præcipuè ex peregrinationibus ad limina Apoſtolorum colligitur.* Bellar. *Scribit enim Nicolaus I. in epiſtolâ ad Michaelem tot millia hominum ex omni orbe terrarum religionis causâ ad ſepulchra Apoſtolorum quotidie confluere, ut ipſa Romana Civitas ſatis oſtendat ut Eccleſiam Chriſti eſſe Catholicam ſeu univerſalem, tùm ex omni hominum genere ſemper multi ad ſepulchra Petri & Pauli conſpiciantur.* Idem ſcribit lib. 2. de reliquiis ſanctorum cap. 3. Accedit Cornelius in Joannis cap. 21. verſ. 19. *Hinc fideles* (inquit) *toto* Cornel. *orbe, quin & Reges & Principes Romam confluunt; & ſepulturam Beati Petri, ejuſq́ue Baſilicam in Vaticano, quæ orbis eſt miraculum viſitent & venerentur.* Idem in proœmio in epiſtolam primam S. Petri. *Sepultus eſt pariter in Vaticano juxta viam triumphalem. Locum ſepulturæ Conſtantius. Magnus*

Imperator magnificâ Baſilicâ exornavit, quam hoc ſæculo Pontifices de novo à fundamentis, ſed longè majorem per centum annos exædificarunt, adeò auguſtam & magnificam (ut urbis & orbis miraculum eſſe videatur.) Solent Chriſtiani ab omni ævo ex toto orbe eam religionis ergò viſitare, ac ad ipſa ejus limina pronos ſe proſternere, ſanctumque Petrum venerari, & ejus opem ſuppliciter implorare. Paulò poſt *Roma ergò, ubi Petrus Martyr occubuit, & Victor reſurrexit, ac ſupplantato Nerone Imperatore & idololatriâ, urbem orbemque triumphator occupat è Vaticano Romam, fidemque & Eccleſiam Romanam, quaſi omnium Eccleſiarum Matrem, Magiſtram, & Dominam, tuetur, dirigit, & propugnat, & huc uſque hæreſis & perfidia eam convellere non potuerint, nec unquam convulſura ſint, &c.* Deindè converſus ad S. Petrum. *Aſpice* (inquit) *nos ex alto ſancte Petre, & tuos cives, imò clientes & filios protege, &c.* Plura capitibus ſuperioribus.

§. I.

Refelluntur argumenta impugnantia Sedem Romanam S. Petri.

I. QUamvis notiſsimus ſit raptus Eliæ, Lib. 4. Regum cap. 2. verſ. 11. *Aſcendit per turbinē in cœlum.* Et Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 9. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.* Et Elias ſecundùm ſanctum Chryſoſtomum homiliâ de Eliâ, & Bedam quæſt. 37. non defuerunt, qui fabulati ſunt Eliam eſſe Phaëtontem, & ejus currum eſſe ſolis quadrigam. Licet etiam patenter conſtet duos illos teſtes & luminaria (de quibus diſſerit ſanctus Joannes Apocal. cap. 11. v. 3. *Dabo duo teſtibus, &c.* Verſ. 4. *Hi ſunt duæ olivæ & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantia.* Et Zacharias cap. 4. verſ. 3. *Duæ olivæ ſuper illud una à dextris, & una à ſiniſtris ejus.*) eſſe Enoch & Eliam: tamen nonnulli huic veritati contradicunt. Nam Vbertinus Caſal lib. cui titulus eſt, *Arbor vitæ Crucifixi IESV.* tract. ultimò contendit eſſe ſanctos Dominicum & Franciſcum. Lyranus, S. Antoninus, & Aureolus putant eſſe Sylverium papam & Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui decertarunt contra Eutychetem. Michael Eitſingerus in Pentaplog. pag. 109. & Vbertinus exiſtimant eſſe Chriſtum & ſanctum Ioannem Baptiſtam. Alcazar arbitratur eſſe magnam ſapientiam, ac eximiam ſanctitatem primitivæ Eccleſiæ, quæ Chriſto contra Judæos teſtimonium præbuerunt, ſubditque per proſopopæiam intelligi perſonas Moyſis & Eliæ, ſeu in Moyſe ſapientiam, in Eliâ zelum & ſanctitatem. Pannonius per hos teſtes & candelabra intelligit Eccleſiæ Doctores & Prædicatores, ſeu vetus & novum teſtamentum. Arias Montanus cenſet eſſe legē & prophetiam: legē in Moyſe ac prophetiam in Eliâ denotari. Hāc ultimam opinionem amplectuntur Calviniſtæ, & Acatholici Angli, qui negant Eliam & Enoch venturos in fine mundi, docentque hos duos teſtes & duo luminaria eſſe vetus & novum teſtamentum, ſeu ſacras litteras & cœtus fidelium.

l. 4. Reg 2. v. 11

Eccle. ſe 48., v. 9.

Apoc. 3. 11 v 3. v 4.

Zachar. c. 4. v, 3.

Sic quamvis certiſſimus ſit adventus Petri Romam, certa ejus prædicatio, ſeſſio, paſſio, genus Martyrii ac ſepultura, non deſunt impugnatores, qui ea variis telis impetunt. Primum eſt; non conveniunt auctores de tempore, quo Petrus dicitur Romam veniſſe. Nam Paſſionale de vitis Sanctorum ait veniſſe anno 13. Claudii. Faſciculus temporum dicit veniſſe anno quarto. Oroſius exiſtimat veniſſe anno ſecundo. Reſpondeo ex hac diverſà temporis ſupputatione non ſequi, quod Petrus non venerit Romam. Poteſt enim aliquid eſſe verum in re, & dubium in modo vel circumſtantiâ. Nam licet omnes Catholici conveniant Sacramentum Euchariſtiæ fuiſſe à Chriſto inſtitutum, tamen aliqui volunt celebraſſe 13. alii 14. Lunâ. Aliqui in fermentato, alii in azymo. Aliqui aſſerunt formam conſecrationis eſſe. *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *hic eſt ſanguis meus.* Alii hæc etiam eſſe neceſſaria, *qui pro vobis, & pro multis, effundetur.* II.

effundetur in remiſſionem peccatorum. Apud omnes Chriſtianos mors Chriſti in Cruce certiſſima eſt, & tamen incertũ eſt etiam tempus, quo obiit. Irenæus lib. 2. cap. 39. vult Chriſtum fuiſſe quinquagenarium cùm paſſus eſt. Onuphrius, Mercator & nonnulli recentiores aſſerunt obiiſſe anno ætatis ſuæ 34. S. Ignatius epiſt. ad Trallianos, Euſebius in Chronico & alii aſſerunt occubuiſſe dum ageret annũ 33. Clemens Alexandrinus lib. 1 Stromatum, Lactantius libr. 4. divinarum inſtitut. cap. 10. Tertullianus lib. cõtra Judæos affirmant eſſe mortuum anno 30. De die etiam ac menſe mortis veteres ac recentiores diſſentiunt. Nemo dubitat Chriſtum fuiſſe flagellis exceptum, alii tamen dicunt fuiſſe cæſum virgis ſpineis, alii cordis cum ſtimulis ferreis, alii catenis aduncis, alii illis omnibus ſucceſſivè. B. Maria Magd. de Pazzi noſtri Ordinis part. 6. ſuæ vitæ ſanctitate ac revelationibus celeberrima cognovit in extaſi Chriſtum fuiſſe flagellatum à triginta paribus hominum, ideſt à ſexaginta miniſtris, alii à pluribus, alii à paucioribus. Nonnulli tradunt fuiſſe Chriſto in eâ flagellatione quinque millia verberum inflicta. Alii 5475. alii 6666. alii propriis manibus Pilati fuiſſe exceptum juxta illud Joannis cap. 19. *Apprehendit Pilatus IESVM, & flagellavit.* Et cap. 15. Marci. *Tunc apprehendit Pilatus IESVM, & flagellavit.* Vbi Beda. *Intelligendus eſt IESVS non ab alio, quàm ab ipſo Pilato flagellatus.* Alii à Iudæis, alii à militibus Romanis. Sic ex diſſenſu ſcriptorum de tempore adventus Petri in urbem Romanam, non benè infertur falſum eſſe, quod Petrus non venerit Romam, &c. Reſpondeo ſecundò, S. Hieronymum libr. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Euſebium in chronico, Adonem Trevirenſem in Martyrologio, alioſque bonos Auctores aſſerere Petrum veniſſe Romã anno 2. Claudii Cæſaris, quibus favet Oroſius lib. 7. dicens veniſſe in exordio regni Claudii. Si enim dividas regnũ Claudii in tres partes in initium, mediumque & finem, annus ſecundus ſpectabit ad initium. Illis arrident Beda, Damaſus, Iſidorus, Ado Viennenſis, Freculphus & alii ſcribentes Petrum ſediſſe annis 25. & obiiſſe anno 14. Neronis. Si enim numerare incipiamus à ſecundo Claudii ad decimum quartum Neronis invenientur anni 25. Vndè non eſt credendum Paſſionali, & faſciculo temporum, multò minùs Mariano Scoto in ſuo Chronico, qui ſcribit Petrum veniſſe anno quarto Claudii, & defunctum eſſe ultimo anno Neronis, & tamen ſediſſe Romæ 25. annis & 2. menſibus, quæ inter ſe non cohærent. Nam Claudius regnavit dumtaxat 13. annis, 8. menſibus, 20. diebus. At Nero regnavit 13. annis, 7. menſibus, 28. diebus. Ex Suetonio, Tranquillo, Caſſio, Dione, Euſebio, & etiam Mariano Scoto, quæ tempora Claudii & Neronis tantùm efficiunt 27. annos, 5. menſes, 18. dies. De Claudii imperio quos fluxiſſe vult Marianus Scotus priuſquam Petrus Romã adventaret, reſidui tantùm erunt anni 23. menſes 11. ſicque Petrus vel poſt Neronem obiit, vel non ſedit annis 25.

III. Secundum telum. Petrus Romam venire nequivit ante 18. annum à Chriſto paſſo. Nam cùm Actor. 15. celebraretur Cõcilium Hieroſolymitanum, quo anno celebratum eſt ejuſmodi Concilium ex S. Hieronymo in cap. 2. ad Galatas, Petrus adhuc erat in Judæâ. Paulus enim poſt tres annos à ſuâ converſione venit Jeroſolymam videre Petrum. Galat. cap. 1. Et poſt annos 14. rediit Jeroſolymam ad Concilium, Galat. cap. 2. Quibus ſi addas unum annum inter paſſionẽ Chriſti, & Pauli converſionem, erunt 18. anni. Reſpondeo quamvis Patres errarent aſſerentes Petrum ſediſſe Romæ, non ſequeretur Petrum nunquã veniſſe Romam. Certum tamen eſt ex hiſtoriâ Petrum ſediſſe Romæ 25. annis.

IV. Tertium. Petrus dicitur fuiſſe quinque annis in Iudæâ, poſtea ſeptem Antiochiæ & aliis multis annis in Aſiâ, Cappadociâ, Bythiniâ, Ponto, Galatiâ. Nequivit enim tot loca prædicando peragrare, ſicque 18. anni effluxerunt priuſquam Romam ad-

ventaret. Reſpondeo, cùm Petrus manſerit in Iudæâ ferè quinque annis, potuit Paulus poſt tres annos à ſuâ converſione venire Ieroſolymam viſurus Petrum. Vndè Euſebius rectè ait Petrum ingreſſum eſſe Antiochiam anno quarto à paſſione Domini.

V. Quartum. Sanctus Petrus Romam ante 18. annum à Chriſto paſſo venit anno ſecundo Claudii. At id fieri non potuiſſe patet primò, quia illo anno Petrus necdum fuerat à vinculis Herodis liberatus. Hæc enim liberatio fuit anno 3. Claudii, ut patet Act. cap. 12. Ioſepho lib. 9. antiq. cap. 7. Tharſæ à Martyre apud Euſebium lib. 5. hiſtor. cap. 18. aſſerente Chriſtum mandaſſe Apoſtolis nè diſcederent Ieroſolymis ante annū 12. At annus duodecimus à Chriſti reſurrectione eſt annus tertius Claudii. Non igitur Petrus venit Romam anno tertio Claudii, ſed poſt annum nonum, qui eſt à Chriſto paſſo annus 18. Quod ſi ſecundùm Damaſum, Hieronymum, Euſebium, & alios, Petrus ſedit Romæ annis 25. Igitur ſupervixit uſque ad annum 43. à Chriſti paſſione. At tunc defunctus erat non tantùm Nero, ſed etiam Galba, Ottho, & Vitellius, & imperabat Veſpaſianus, ſicque Petrus obiit tempore Veſpaſiani. Quod dici nequit, quia Veſpaſianus fuit mitiſſimus, nullum Catholicum Romæ interfecit, ut teſtantur S. Auguſtinus lib. 5. Civit. cap. 31. Tertullianus in Apolog. cap. 5. Sulpitius, Oroſius, Euſebius, & alii Hiſtorici. Igitur non ſedit Petrus 25. annis. Reſpondeo falſum eſſe quod Chriſtus imperarit Apoſtolis, ut morarentur Ieroſolymis per annos 12. patet enim eſſe falſum ex Actor. cap. 8. 9. & 10. Vbi Petrus priuſquam incarceraretur ivit in Samariam, Lyddam, Ioppem, & Cæſaream, ideſt ante 12. annos à Chriſto paſſo: ſed prohibuit nè omnes diſcederent, ſed aliqui Apoſtoli manerent Ieroſolymis ad Hebræorū teſtimonium. Itaque Petrus anno quinto à Chriſti paſſione profectus in Syriam, ſedit Antiochiæ, ejuſdemque urbis Epiſcopus moratus eſt ferè ſeptem annis: ita ut tamen per id tempus Aſiam, Cappadociam, Galatiam, Bythiniam, Pontum, vicinas Provincias peragrarit. Anno autem ſeptimo Epiſcopatus Antiocheni, ſcilicet anno 11. rediit Jeroſolymam, ibique juſſu Herodis Act. 12. eſt incarceratus in die Azymorum: ſed ab Angelo paulò poſt liberatus: eodemque anno ſcilicet ſecundo Claudii, venit Romam ibique ſedem Apoſtolicam fixit, quam per 25. annos tenuit: ita tamen, ut poſt ſeptennem prædicationem indè expulſus à Claudio cum reliquis Judæis rederit in Jeruſalem. Nam Act. cap. 18. Lucas, Suetonius in Claudio, Ioſephus & Oroſius ſcribunt Iudæos fuiſſe à Claudio expulſos Româ, ſcilicet anno 18. à paſſione Chriſti, quod cùm audiviſſent qui erant Antiochiæ miſerunt ad eum Paulum & Barnabam, tuncque Petrus celebravit Concilium Ieroſolymitanum, mortuoque Claudio Petrus reverſus eſt Romam. Nec obſtat, quod Petrus paulò ante Herodis obitum fuerit incarceratus Ieroſolymis Actor. cap. 12. cum pateat ex Ioſepho lib. 19. Antiq. cap. 7. Herodem obiiſſe anno tertio Claudii. Dico enim Actor, cap. 12. non dici Petrum fuiſſe in carcere paulò ante Herodis obitum: imò contrarium innuitur, ſcilicet Petro liberato è carcere Herodem iviſſe Cæſaream, & ibi commoratum, quæ mora denotat tempus aliquod diuturnum, ſaltem anni. Ideò autem fit mentio mortis Herodianæ poſt Iacobi Martyrium, & carcerem Petri, ut ſignificetur infœlicem mortem Herodi contigiſſe, ob ſcelus in Apoſtolos perpetratum.

Quintum. Panuinius in annotationibus ad Platinam in initio narrat ſanctum Petrum non ſediſſe Antiochiæ priuſquam Romæ ſederet, ſed poſtquam Româ diſceſſit, & Ieroſolymis celebravit Concilium. Sed hæc falſa eſt: primò, quia repugnat opinioni pontificum Anacleti epiſt. 3. Marcelli epiſt. 1. Damaſi in vitis Pontificum, Innocentii epiſt. 14. Leonis ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum, in decreto de libris apocryphis Pelagii junioris epiſt ad Benignum. Sancti Gregorii lib. 7. epiſt. 37. disertè aſſerentibus Petrum VI.

ſediſſe

ſediſſe Antiochiæ priuſquam veniret Romam. Secundò repugnat antiquis Patribus, ac illuſtribus Hiſtoricis, ſancto Hieronymo libr. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Petro, & in cap. 2. ad Galatas. Bedæ de ſex ætatibus, Euſebio in chronico, Iſidoro lib. de vitis Patrum, Adoni Viennenſi in chronico, Simeoni Metaphraſtæ in vitâ ſancti Petri, Haymoni lib. 2. cap. 21. de memoriâ rerum Chriſtianarum, & aliis multis etiam recentioribus, excepto Onuphrio, qui non loquitur de ſecundo adventu Petri in urbem, ſed de priore, quia multi illorum auctorum, ut Damaſus, Hieronymus, Leo, Beda, Ado, Iſidorus, Haymo notant etiam tempus ſcribentes Petrum veniſſe Romam imperante Claudio, poſt fundatam Eccleſiam Antiochenam. Reliqui (quos citavimus) licet tempus non deſignent, tamen patenter ſignificant Petrum prius ſediſſe Antiochiæ quàm Romæ. Vndè opinio Onuphrii improbanda, quia nova eſt, nec fulta idoneis auctoribus. Tertiò, opinio Panuinii contradicit traditioni Eccleſiaſticæ de feſto Cathedræ Antiochenæ antiquiſſimo, ut colligi poteſt ex ſermonibus S. Auguſtini de Cathedrâ Petri, Martyrologiis Vſuardi, Bedæ, Adonis Trevirenſis, pietati totius orbis Chriſtiani celebrantis honorificentius, quàm Cathedram Romanam à Paulo IV. nuper inſtitutam, quæ non tam religiosè & feſtivè celebratur à Clero & populo. Quartò, opinio Panuinii repugnat rationi. Si enim Petrus non ſedit Antiochiæ, niſi poſt Concilium Ieroſolymitanum, ſeu poſt 18. annũ à Chriſti morte. Vel fuit aliquis Epiſcopus Antiochenus, vel non. Nullum fuiſſe dici nequit: quia à paſſione Chriſti fuerunt multi Chriſtiani Antiochiæ, ibique Eccleſia floruit, & diſcipuli cœperunt nuncupari Chriſtiani, ut patet Actor. cap. 11. Si fuit Antiochiæ aliquis Epiſcopus, vel fuit Petrus, vel alius. Si Petrus habemus intentum, ſi alius abſurda ſequentur. Primum falſum eſſe quod tradunt Ignatius epiſt. ad Antiochenos & omnes Hiſtorici primum Epiſcopum Antiochenum fuiſſe Petrum, cui ſucceſſit Evodius, poſtea Ignatius. Secundum ſequetur in Epiſcopatu Antiocheno Petrum ſucceſſiſſe alicui ex diſcipulis, quod omninò falſum eſt. Tertium, quando Petrus venit Antiochiam, & ibi ſedem Epiſcopalem ſtatuit, vel dimiſit Romanam ſedem, quã Dei juſſu ſuſceperat, vel nõ dimiſit. Si dimiſit, non igitur ſedit Romæ 25. annis: imò nec integris viginti, quod eſt contra omnes Scriptores. Si non dimiſit, retinuit ergò duos Epiſcopatus proprios, particulares, & maximè inter ſe diſſitos, reliquitque poſteris malum exemplum retinendi duos Epiſcopatus ſine neceſſitate. Quod ſi Petrus venit Româ Antiochiam, ſed non ſedit Antiochiæ, ut proprius illius urbis Epiſcopus, non igitur ſedes Antiochena Patriarchalis eſt, erraruntque Hiſtorici ſcribentes Petrum fuiſſe primò Epiſcopum Antiochenũ. Errarunt majores inſtituentes feſtum Cathedræ Antiochenæ, omnia quæ abſurda ſunt.

VII. Sextum, ideò (inquit Onuphrius) Petrus non ſedit Antiochiæ niſi poſt poſt reditum ab urbe: quia ex Actibus Apoſtolorum, epiſt. Pauli ad Galatas, Euſebio in chronico, S. Petrus primis novem annis à paſſione Chriſti non receſſit ex Iudæâ, & decimo anno venit Romam. Reſpondeo tantùm colligi ex Actibus Apoſtolorum, & epiſtolâ ad Galatas, S. Petrum fuiſſe Ieroſolymis anno 4. 11. & 18. à paſſione. Ad Galatas Apoſtolus ait ſe veniſſe Ieroſolymam poſt tres annos videre Petrum à ſuâ converſione, ecce annus 4. quo quadriennio acciderũt quæ dicuntur de Cornelio, Simone Mago, Æneâ Tabitâ, & aliis. Cap. 12. actuum fit mentio anni 11. dum narrantur mors S. Iacobi, & carcer S. Petri, ſcilicet anno ſecundo Claudii, ut admittit Onuphrius, & probari poteſt ex Ioſepho. Annus 18. etiam colligitur ex cap. 2. ad Galatas, potuit ergò Petrus ab anno 4 Chriſti paſſi uſque ad 11. venire Antiochiam, & ibi morari, & confirmatur ex chronico Euſebii (quem pro ſe citat Onuphrius.) Ille enim patenter narrat S. Petrum ſediſſe Antiochiæ Tiberio imperante, & ibi manſiſſe ſeptem annis, &

anno ſecundo Claudii Romã veniſſe. Argumentum proponit Onuphrius fundatum in hiſtoricâ demonſtratione, quam Cardinalis Bellarminus libro 2. de Pontifice cap, 6. oſtendit nullius eſſe roboris, ſicut quando Petrus fuit reprehenſus à Paulo iverat Romam, & indè fuerat egreſſus. Vndè quando Paulus ſcribit Romanis, Petrus erat egreſſus Româ & verſabatur in Syriâ, ideò cum non ſalutat, nec ejus mentionem facit. Præterea argumentum ab auctoritate negativâ non convincit.

VIII. Septimum, Paulus fœdus iniit cum Petro Galat. c.2. ut Petrus Iudeæorũ, & Paulus eſſet Gentium Apoſtolus. Igitur Petrus non venit Romam quæ erat Mater Gentilitatis. Reſpondeo illud pactum in eo eſſe, ut Petrus ubicumque vellet, & omnibus prædicaret, ſed præcipuè Judæis. Paulus ubicumque vellet, & omnibus, ſed præcipuè Gentibus: alioqui Paulus Actor. cap ult. prædicans Judæis falcem in meſſem alienam miſiſſet, nec Petrus Romam, Antiochiam, in Aſiâ, Cappadociam, &c. venire, & ibi prædicare debuiſſet. Dices cum Veleno Judęos Romæ Paulo prędicãte Chriſtum miratos doctrinæ novitatem, quaſi prius nemo tale quid prædicaſſet. Cõtra ſi ante adventum Pauli nemo Romæ prædicaverat Judæis, quis converterat illos Iudæos Romanos, Patet enim Apoſtolum ſcripſiſſe ſuam epiſtolam partim Iudæis, partim Gẽtilibus converſis ad fidem. Vndè 4. primis capitibus agit de juſtificatione ex fide ſine operibus, reprimens ſuperbiam Iudæorum tribuentium ſuis meritis adventum Meſſiæ. Cap. 14. impugnat judaizantes abſtinendo à quibuſdã cibis immundis ſecundùm legem. Cap. 15. Salutat multos ex Iudæis factos Chriſtianos. Cœterùm præfata & alia argumenta ſunt ferè ab auctoritate negativa, quare ampliori refutatione non egent.

§. 2.

Satisfit objectionibus negantibus Sanctum Petrum obiiſſe Romæ.

I. *Matt.c. 23.v.34* PRima, Chriſtus Matthæi cap. 23. verſ. 34. ait. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris.* Qui locus intelligitur de Apoſtolis, ut explicant S. Chryſoſtomus, Theophilactus, Euthymius, noſter Sylveira. Quibus arrident S. Hieronymus his verbis. *Varia dona ſunt diſcipulorum Chriſti: Prophetæ, qui ventura prædicant: Sapientes, qui norant quando debeant proferre ſermonem: Scribæ in lege docti.* *Hieron.* S. Hilarius. *Apoſtoli in revelatione futurorum prophetæ, Chriſti agnitione ſapientes, legis intelligentiâ ſcribæ.* *Hilarius* Reſpondeo Chriſtum non prædicere omnes Apoſtolos occidendos à Iudæis, ſed aliquos, ut patet ex illis verbis *ex illis:* Sic *ex illis* lapidaverũt Stephanum, gladio interimerunt Jacobum majorem, crucifixerunt Simonem Epiſcopum Ieroſolymitanum ſucceſſorem Iacobi, flagellaverunt Petrum & Apoſtolos, Actor cap. 4. verſ. 5. Perſecuti ſunt Paulum & Barnabam de civitate in civitatem, Act. cap. 13. & 14. Quod ſi Velenus & alii hęretici contendant Chriſti oraculũ intelligi de omnibus Apoſtolis, falſæ erunt hiſtoriæ aſſerentes Andræam in Achaiâ, Ioannem & Philippum in Aſiâ, Bartholomæum in Armeniâ, Thomam in Indiâ, Matthæum in Æthiopiâ, Simonem & Iudam in Perſide occubuiſſe.

II. Secunda, Lyranus in citatum locũ Matthæi ait, *Ex iis occidetis ſicut Iacobum fratrem Ioannis. Actor. cap. 12. & Stephanum, Actor. cap. 7. & multos alios, & configetis, ut Petrum & Andræam fratrem ejus.* *Liranus* Reſpondet primò Bellarminus cap 11 Lyranum non eſſe tantæ auctoritatis ut debeat præponderari cunctis antiquis Patribus & hiſtoricis, affirmantibus Petrum Romæ à Nerone crucifixum, & Andræam

dræam in Achaîâ ab Ægeâ. Secundò Lyranus loquitur indubiè ad mentem S. Hieronymi, intenditque dicere, quod Petrus & Andræas crucis ſupplicium ſubierunt propter Chriſtum, tamen locutus eſt nimis cautè.

III. Tertia, S. Ambroſius ſermon. 67. differens de Martyrio Petri & Pauli. S. Amb. *Non ſine cauſa factum putamus, quod unâ die, uno in loco, unius tyranni ſententiam toleravere.* Reſpondeo per eundem locum non intelligi eandem partem, ſed eandem urbem: ut patet ex verbis ſequentibus. *Vna die paſſi ſunt, ut ad Chriſtum pariter pervenirent. Vno in loco, nè alteri Roma deeſſet.*

IV. Quarta, Linus differens de paſſionibus Petri & Pauli, innuere videtur utrumque Apoſtolum paſſum eſſe eodem tempore & loco. Reſpondeo Velenum & aſſeclas non eſſe audiendos, quia aſſerunt hiſtoriam Lini eſſe confictam, & tamen eâ utuntur ad nos impugnandos.

V. Quinta, petitur ex Ioſepho Neronis coætaneo, qui nullam Petri mentionem facit, cùm tamen eſſet amicus Chriſtianorum, & datâ occaſione libenter eorum meminit, ut Ioannis Baptiſtæ lib. 18. antiq. & Iacobi lib. 20. Reſpondet ipſe Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 11. ſe ſilentio velle prætermittere Neronis flagitia, ut neces matris, uxoris, & aliorum, eo quod hæc narratio foret moleſta Romanis Imperatoribus, quibus ſuos libros dedicabat, nec gratum haberent prædeceſſorum pravos & illaudabiles mores. Secundò retorqueo argumentum in adverſarios. Si (ut volunt) Petrus fuit occiſus Ieroſolymis juſſu Anani Pontificis Iudæorum, cur Ioſephus lib. 20. ſcribens geſta Anani, & quot necarit homines, ibi nullam facit mentionem Petri.

VI. Sexta, Petrus erat ſenex, quia duxerat uxorē, & erat annoniſſimus inter omnes Apoſtolos, Paulus verò poſt Chriſti paſſionem vocatur adoleſcēs, & tamen etiam ad ſenium pervenit, ut teſtatur Philemoni. verſ. 9. *Cùm ſis talis ut Paulus ſenex.* Non igitur eodem tempre obierunt Petrus & Paulus. Reſpondeo quando Paulus erat adoleſcens, Petrum non fuiſſe ſenem, ſed ætatis maturæ, quo tempore duxit uxorem. Deindè non eſt probabile ſenes fuiſſe vocatos ad Apoſtolatum, obeunda tanta onera, percurrendas tot provincias, nec Paulum ita juvenem fuiſſe ad eum gradum Apoſtolicum evectum, cui committi debebat cura omnium Eccleſiarum. Præterea eſto Petrus fuerit quinquagenarius, & Paulus viginti quinque annorum, potuit uterque eſſe ſenex, & ſimul mori. Fuiſſet enim Petrus annò ultimo Neronis octoginta ſex annorum, & Paulus ſexaginta & unius anni. Ex quibus patet S. Petrum Romæ ſedem ſuam Apoſtolicam fixiſſe, ibi obiiſſe, ibi ſepultum fuiſſe, vel adverſarii probent alio tanſtuliſſe, quò tranſtulerit, ubi obierit, ſepultus ſit.

CAPUT OCTAVUM.

Romanæ Sedi primatus Eccleſiæ univerſalis ſeu Petri eſt conjunctus jure Divino.

NOſter Joannes 44. Patriarcha Jeroſolymitanus lib. de inſtit. Monachorum cap. 17. 18. 19. 20. 21. fusè & doctè refert rationes ob quas S. Parens Elias montem Carmelum elegerit præ cæteris locis ad ſui, ſuorum ſucceſſorum ac diſcipulorum reſidentiam, & cur noluerit eos Carithas, ſed Carmelitas nuncupari. Tomo 1. cap. 12. num. 2. oſtendimus ſummum pontificem per S. Eliam delineari, quia quemadmodum præfatus propheta in vertice montis Carmeli ſedit, manſionem ſuam ibi inſtituit, ibi religiosè victurus, ex Toſtato in lib. 4. Regum cap. 1. quæſt. 3. Fernandez viſione 9. ad illa verba *Sedentique in vertice montis.* Sic S. Petrus & ejus ſucceſſores ut caput univerſalis Eccleſiæ dicuntur ſedere Romæ. I. *l. 4. reg. cap. 1.*

II. Quamvis tomo 2. toto Tractatu 4. ſatis fusè probaverimus primatum ſanctæ Eccleſiæ competere Petro & ejus ſucceſſoribus, tamen hic ſpecialius inquirendū eſt an ille primatus ſit

conjunctus

conjunctus cum Epiſcopatu Romano, & quo jure. Si enim aſſeramus eſſe ex jure divino, ſeu ex Chriſti inſtitutione. Electio pontificis erit invalida & irrita, ſi in Petri ſucceſſorem & pontificem eligatur alius quam Romanus Epiſcopus, eò quod non ſervaretur conditio præſcripta à Chriſto. Si affirmemus eam eſſe de jure Eccleſiaſtico, & ex merâ Petri voluntate, poterit in ſummum pontificem alius eligi, quàm Epiſcopus Romanus: quia quod proprio nutu Petrus inſtituit poterit mutari à ſucceſſoribus, ſicut dicitur mutata electio Clementis, quem Petrus elegerat immediatum ſucceſſorē & creatus Linus, vel Cletus. Ratio eſt, quia quod Petrus proprio nutu condidit, non excedit jus humanum, ſupra quod pontifices habent plenam poteſtatem. Nam poſteriores pontifices poſſunt mutare, quod prædeceſſores proprio nutu condiderunt: eo quod prædeceſſor nequeat obligare ſucceſſorem ad id, quod proprio motu condidit, cùm par nequeat imperare pari. Quod ſi dicas pontifices teneri non tantùm ſervare traditiones divinas, ſed etiam Apoſtolicas, & cōſequenter non tantùm præceptum Chriſti, ſed etiam Apoſtolorum. Reſpondetur pōtifices teneri ſervare traditiones Apoſtolicas, quæ vel ex voluntate Chriſti derivantur per Apoſtolos ad ſucceſſores, vel quas Apoſtoli non ex propriâ voluntate inſtituunt, ſed ex ſpeciali inſtinctu & aſſiſtentiá S. Spiritus, & ſic ſucceſſores pontifices tenentur ſervare decreta & ſanctiones, quas prædeceſſores condiderunt cum Spiritus ſancti aſſiſtentiâ.

III, Prima ſententia eſt Ioannis Wicleff apud noſtrum Waldenſem natione Anglum tomo 1. doctrinalis fidei lib. 2 art. 3, cap. 41. aſſerentis Romam non eſſe locum aptum Chriſti Vicario ob duplicem cauſam: Primò, quia papa ibi infideliter perdit vitas animarum, ſicut priùs Cæſar infideliter ibi perdidit vitas corporũ Chriſti Martyrum. Secundò, quia Cæſar, reſedit in illâ villâ, qui dotavit papã contra legem quam Chriſtus ſuis Apoſtolis ordinavit. Et hic locus iſte eſt teſtis hujus duplicitatis infamis pro Domino contra papam, ſed hanc impiam calumniam non minùs piè, *Thomas*
quam doctè refellit ex profeſſo Waldenſis auctoritate S. Auguſtini, cui *Walden.*
ſubjicit. *Iam ſi vis cauſam Romanæ ſedis damnare, noli damnare noviſſimum papam, antequam interroges primum Petrum.* Familiaremque ſimilitudinem urget. *Si ſitus lunæ, vel ſolis, aut ſecundùm quoſdam magni mundi diſpliceat, quid mundo detrahis, ſivè ſoli, quod ſitum ab origine deputatum obſervat? Si tibi ripa Tiberis non videtur honeſta, noli Romam objurgare, non Conſtantinum vel Caium, ſed Romulum: Non iſte papa hodiernus, non prædeceſſor ejus, etiam ante mille annos noviſſimos Romam elegit in ſedem, ſed ante eum Fabianus, ante eum Sixtus, ab Evariſto, ante eum Anacletus, ante eum Clemens, & à primo Petro. Et quidem ut jam dixit Auguſtinus, non hoc dicit à ſeipſo, ſed à Deo vocante delegit. Quare cauſas* (*inquit*) *quidem vocationis ad tantum Romæ regnum aſſignat, primam, ut ſequens vocatio Imperatoris ad fidem magis appareret eſſe à Deo, quod non per nobiles, aut mundi doctores Imperator traheretur ad fidem, ſed per ignobiles & pauperes, piſcatoris ſordidi ſucceſſores. Secundam, ut fideles ad magnam Dei gloriam lætanter viderent omnem Imperatoris mundi opulentiam à piſcatore contemptam. Tertiam, ut lætarentur fideles cùm cernerent ſævos Imperatores fundere preces ad tumulum piſcatoris.* Hanc cauſam confirmat iterùm auctoritate S. Auguſtini in pſalmum 44. cui ſubjicit. *Quartã cauſam quare Deus Petri ſedem limitavit deſignat ut inops Petrus, aut ſucceſſor ejus in illâ ſede cùm Imperatorem volente Deo converteret, non poſſet ſe de divitiis, aut poteſtate jactare, quam de facto non habuit. Nec etiam Imperator jam victus ab inope ex poteſtate quam habuit.* Tandem converſus ad Wicleff eum ita affatur. *Hæ multa meliores cauſæ mi Wicleff, papalis Sedis in Româ, ſi verùm ſit illud famoſum, quidquid eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati. Si iſtæ ſint cauſæ Petri aſſumentis, & finaliter hæredibus relinquentis ſedem in Româ, & ipſe ſucceſſoribus ſuis præſtitit iſtas cauſas.*

Conſequenter

Conſequenter oſtendit non Ieroſolymam, aut non Bethleem electas fuiſſe à Chriſto, ut ibi & ſucceſſores reſiderent, quia poſt Chriſti aſcenſum defecturæ erant à fide. *Prævidens igitur in ſpiritu Petrus Eccleſiam ibi defecturam in brevi, & meſſem multam alibi ſucceſſuram, excuſſo pulvere pedum ſuorum ſimul & Pauli, & aliorum primorũ Apoſtolorum in eos tanquam in credulos converſi ſunt ad gentes, ac Petrus tanquam præcipuus ad primas gentium ſedes perrexit, ut amplius Chriſto lucrifaceret, & Eccleſiam Chriſti fundaret ſuper petram immobiliter permanſuram, quam neque pagani venti, nec hæreticorum procella obruent unquam.* Vide plura ibi.

IV. Secunda ſententia eſt Calvini & aſſeclarũ exiſtimantium conjunctionẽ primatus Eccleſiaſtici cum Epiſcopatu Romano eſſe de jure humano conceſsã ab Imperatoribus honoris cauſa. Quæ ex eo improbatur, quod Cæſares nequeant conferre jus, quod nõ habent. At nullum habent jus in res divinas: non enim eorum poteſtas excedit poteſtatem, quam habent ſæculares Reſpublicæ, à quibus ipſi eliguntur: poteſtas verò illa verſatur dumtaxat intra limites humanorum jurium. Vndè falſum eſt commentum Calvini, quo cenſet Phocam Imperatorem dediſſe Bonifacio III. primatum, & Pipinum Gallorum regem contuliſſe juriſdictionem in Gallias, cùm conſtet Romanum Pontificem ante Pipinum exercuiſſe iuriſdictionẽ in Gallos, & Phocam Cæſareo edicto dumtaxat declaraſſe contra Cyriacũ Patriarcham Conſtantinopolitanum uſurpantem ſibi nomen *Oecumenici*, ſoli Romano Epiſcopo competere. Non ergò controverſia fuit (inquit Baronius ad annum Chriſti 606.) de primatu, quem cuncti Rom. ſedi ſemper ceſſerũt, ſed de titulo œcumenici.

V. Tertia ſententia eſt Nili affirmantis unionem primatus orbis cum Epiſcopatu urbis factam fuiſſe à Patribus in Concilio Chalcedonenſi actione 16. ob civitatis imperium. Sed falſam eſſe patet, ex eo quod legati ſedis Romanæ reclamarunt, nec legitur in ullo Concilio approbato à ſede Apoſtolicâ, quod ejuſmodi unio primatus orbis cum Epiſcopatu urbis ſit cõceſſa ſedi Romanæ ex privilegio alicujus Concilii.

VI. Quarta eſt quorumdam Catholicorum, Petri de Aliaco in quæſt. habitâ in ſuis Veſperiis art. 2. coroll. 2. & 3. Soti in 4. diſtinct. 24. quæſt. 2. artic. ultim. Bannez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. in comment. ſuſ. dub. 4. & aliorum, quos citat Suarez diſput. 10. ſect. 3. num. 9. contendentium hanc conjunctionẽ primatus Eccleſiaſtici cum Romano Epiſcopatu eſſe de jure Eccleſiaſtico, & conſequenter eádem lege poſſe ordinari, ut non ſit idem Epiſcopus orbis & urbis quæ falſa eſt, ut patebit ex ſolutione argumentorũ. Ratio prima eorum eſt, quando hæc poteſtas à Chriſto conceſſa eſt Petro, non eſt facta limitatio certi loci. Sed eadem poteſtas tradita eſt omnibus ſucceſſoribus in perſonâ Petri. Igitur non magis illam tradidit Epiſcopo Romano in perſonâ Petri, quàm cœteris. Igitur factum eſt ſolâ electorum voluntate, ut quia primus ſucceſſor Petri fuit Epiſcopus Romanus, alius deinceps eveheretur ad talem dignitatem. Major conſtat ex formâ verborum, quibus Chriſtus communicavit hanc poteſtatem Petro, quibus nullus ſpecialis locus determinatur Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus, &c.* Quæ omnes verborum formulæ abſtrahunt à loco, & ſolùm pollicentur vel communicant poteſtatem univerſalem. Reſpondeo hoc argumento probari dumtaxat unionem primatus totius orbis cum Romano Epiſcopatu non eſſe de jure divino ex primariâ Chriſti inſtitutione & voluntate, non autem ex ſecundariâ.

VII. Ratio ſecunda, ſanctus Petrus potuiſſet exercere ſupremam auctoritatem in Eccleſiam univerſalem abſque appropriatione ſibi alicujus ſedis particularis, quemadmodum toto eo tempore, quo nondum fundaverat Eccleſiam Antiochenam, & Alexandrinam, vel certè ſemper in Antiochenâ Eccleſiâ ſedere potuiſſet, vel Româ relictâ ſedem aliò transferre in quibus caſibus, qui ſucceſſiſſet in regimine Eccleſiæ univerſalis non fuiſſet Romanus Epiſcopus, ſed vel quicumque

cumque juxta primum caſum vel Antiochenus, vel Alexandrinus juxta ſecundum caſum: vel ejus loci, ubi Petrus relictâ Româ ſedem fixiſſet. Igitur quamvis de facto Petrus Romæ obierit, ibique fixerit ſedem ſuam, adhuc alius poterit quàm Romanus pontifex in Petri dignitatem ſuccedere, cùm Petri obitus nō mutet Chriſti voluntatem, & inſtitutionem conferendi univerſalem poteſtatem Petro, ejuſque ſucceſſoribus independenter à certo & limitato loco. Reſpondeo in illis caſibus, quod conjunctio primatus univerſalis Eccleſiæ cum Romano Epiſcopatu non fuiſſet de jure divino: quia tunc non ſubveniſſet ſecundaria Chriſti inſtitutio, quæ nobis ſolâ Patrum auctoritate conſtat: ſed manſiſſet ſola prima Chriſti voluntas vigore cujus poteſtas regendi Eccleſiam univerſalem collata Petro & ejus ſucceſſoribus non fuit derivata ad certum locum.

VIII. Ratio, tertia ceſſare poteſt Romanus Epiſcopatus vel per hoſtilem invaſionem & poſſeſſionem, vel per extinctionem divinæ fidei. At in eo eventu adhuc deberet eſſe qui loco Petri gereret curam Eccleſiæ univerſalis. Igitur Petri dignitas reſpectu totius Eccleſiaſtici regiminis non eſt Epiſcopatui Romano de jure divino alligata: alioqui in illo caſu non eſſet, qui ſuccederet Petro in officio regendi Eccleſiam, nec conſequenter foret, qui ut judex à Chriſto cōſtitutus poſſet decidere cum auctoritate controverſias fidei, quæ maximè eo tempore naſcerentur. Reſpondeo negando unquam ceſſaturam ſedem Apoſtolicam in Romano Epiſcopatu, qui unum inſtituit infallibiliter, conferet & alterum à quo illud dependet. Quemadmodùm eſt impoſſibilitate infallibilitatis prædeſtinatum mori in peccato: imò ex hoc quidam colligunt, neque in Clero Romano unquā fidem defecturam, quamvis deficeret in toto mundo, quod omninò certum eſt ratione capitis ibi præſidentis, & docentis in cathedrâ. Non tamen eâdem certitudine certum eſt ratione membrorum Romæ commorantium; eoquod promiſſio eſt facta dumtaxat capiti, ad quod in eo caſu pertineret confirmare, eoſque ab infidelitate convertere ad fidem. Licet ſit probabilius eam neque in membris unquam defecturam in Romano Epiſcopatu propter electores: quamvis non deeſſet tunc modus eligendi Epiſcopum Romanum in univerſalem paſtorē Eccleſiæ. Dixi ex *Cathedrâ dicentis*. quia non eſt de fide, quod nequeat fides deficere in Romano Epiſcopo quatenus eſt perſona particularis.

IX. Ratio, quarta. ſi iſta unio primatus Eccleſiæ cum Romano Epiſcopatu eſſet de jure divino, deberet conſtare Eccleſiæ per aliquam regulam Canonicam, at non conſtat ex ſcripturâ. Nulla extat traditio, nulla poteſt produci Eccleſiæ definitio. Si enim ulla affertur, debet intelligi poſitâ electione Epiſcopi Romani in primatem Eccleſiæ. Nam poſito, quod in ſucceſſorem Petri de facto eligatur Epiſcopus Romanus, eſt de fide illum eſſe legitimum ſucceſſorem Petri, non autem loquitur quid fieret, ſi Epiſcopus alterius Diœceſis eligeretur in ſucceſſorem Petri, de quo tantùm quæſtio præſens agitur. Reſponſio patet ex dictis, undè conſtat hanc unionem Epiſcopatus Romani cum primatiâ orbis univerſi eſſe de jure divino.

§. 2.

Vera ſententia ſtabilitur auctoritate Conciliorum & Patrum.

I. Quarta ſententia aſſerit unionem primatus univerſæ Eccleſiæ cum Epiſcopatu Romano eſſe de jure divino à Chriſto inſtituto, ac proindè non poſſe alium, quàm Romanum Epiſcopum eligi in primatem orbis. Id videtur delineatum in hiſtoriâ ſancti Parentis Eliæ, cui non fuit liberum quemcumque ex ſuis diſcipulis eligere in ſucceſſorem & rectorem, ſeu aurigam & currum Iſrael; ſed ex ordinatione divinâ fuit deſignatus Eliſeus

4.Reg. 19.v.16

Eliſeus libr. 3. Regum cap. 19. verſ. 16. *Eliſeum filium Saphat, qui eſt de Abelmeula unges Prophetam pro te.* Particula *ungere*, ſignificat *creare*. Sic quamvis non ſit de fide unionem Epiſcopatus Romani cum primatu Eccleſiæ eſſe de jure divino; nihilominus probabilius eſt illam unionem eſſe de jure divino ſaltem mediatè. Id pro more probare conabimur ordine omnium ferè ſæculorum. Primo ſæculo aliqui proferunt illud Chriſti, Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Syriacus. *Tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Sed hæc promiſſio probat dumtaxat eſſe de fide Romanam fidem eſſe caput omnium Eccleſiarũ, poſito, quod Romanus Epiſcopus de facto promoveatur ad Petri dignitatem, qui quemadmodum univerſi orbis primatum accepit à Chriſto, ita moriens illum ſucceſſoribus reliquit, ut quicumque ſuccederet in ipſius officium, eandem acciperet dignitatẽ. Igitur poſito, quod de facto Pontifex Romanus ſuccedit officio Petri, is, & non alius ſuccedit Petro, quoad primatiam univerſalis Eccleſiæ. Nam evehitur ad Cathedram, in quâ Petrus ultimò ſedit, nec extat mandatũ, quod alius eligi debeat ad univerſalis Eccleſiæ curã ſuſcipiendã, quam Epiſcopus Rom. Igitur de facto Epiſcopus Rom. evectus in ſedẽ Petri, eſt legitimus ſucceſſor Petri in officio paſtorali gubernandi univerſalem Eccleſiã. Seu de fide eſt ſedem Rom. eſſe caput omnium Eccleſiarum, & ad eam, ut Matrem & Magiſtram pertinere cunctarum Eccleſiarum (quæ in materiâ fidei oriri poſſunt) deciſionem. Igitur quamvis non ſit de fide Epiſcopatum Romanum cum primatu univerſalis Eccleſiæ neceſſariò conjunctum eſſe de fide, tamen eſt probabilior opinio maximè propter auctoritatẽ eorum, qui id aſtruunt. Eodem modo igitur Clemens Romanus epiſtolâ 1. ad Iacobum fratrem Domini ſcribit, quod cum Petro illud munus regendi univerſalem Eccleſiam conferenti reluctaretur, reſpondit Petrus. *Hodie te ordinare vult Chriſtus.* Idem epiſt. de rebus geſtis S. Petri, cùm eandem ſuam excuſationem à tanto onere ſuſcipiendo allegaſſet, ſubdit. *Sed Dei Apoſtolus, cùm prohibuiſſet nè hoc à ſe contenderem, quod ea quæ Deus vellet, nemo homo diſſipare aut impedire poſſet.* His verbis, *hodie te ordinare vult Chriſtus.* Item. *Nè hoc à ſe contenderem, quod ea, quæ Deus vellet nemo homo diſſipare, &c.* Significant Petrum nõ motu & nutu proprio, ſed Dei voluntate Clementem in Romanum Epiſcopum ac univerſalis Eccleſiæ primatem deſignare. Cùm idem ſanctus Clemens miſiſſet in Galliam ſanctum Dionyſium; Epiſcopi ſcribunt Leoni Papæ. *Se gratias Deo agere, quod tantæ fidei antiſtitem dediſſet Apoſtolicæ ſedi, unde religionis noſtræ proviſio Chriſto fons & origo manavit.* Attribuit non Cæſari, non alicui poteſtati Eccleſiaſticæ, ſed Domino & Chriſto. Idem innuere videtur S. Ignatius in inſcriptione epiſt. ad Romanos. *Ignatius Eccleſiæ ſanctificatæ, quæ præſidet in loco regionis Romanorum.* Cur Romanam Eccleſiam vocat ſanctificatam? Nonnè Chriſtus Eccleſiam Ieroſolymitanam ſuâ converſione, prædicatione, miraculis, paſſione & cruore ſanctificavit? Nonne Petrus Antiochenam etiam ſanctificavit, quemadmodum in eâ fideles nomen Chriſtianorum acceperũt? Eccleſia Rom. vocatur ſpecialiter ſanctificata, quia eam Petrus inſtituit ex divinâ ordinatione.

Matt.c. 16.v.18 — Clemens — Ignatius

II.

Secundo ſæculo S. Anacletus epiſt. 3. cap. 3. ad omnes Epiſcopos relatus in cap. *Sacroſancta*, 22. diſtinct. *Sacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolo, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinuit.* Item. *Prima ſedes eſt cæleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ.* Illa verba. *Sed ab ipſo Domino Salvatore noſtro.* Item. *Cæleſti beneficio.* Significant jure divino Romanam ſedem eſſe conjunctam univerſali primatiæ. Idem affirmant Alexander I. Pius I. in ſuis epiſtolis.

S.Anac.

III.

Sæculo tertio S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis lib. 1. epiſt. 8. ad plebem declarat eos eſſe ſchiſmaticos, qui excutiunt jugum Romanæ Eccleſiæ ac ſedis non Cæſareâ, Apoſtolicâ, vel Conciliorum voce fundatam

datam, ſed Chriſti. *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper petram Domini voce fundatam. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum ſacerdotium non poteſt.* (Cyprian.) Particulæ illæ *non poteſt*, denotant nullo jure, nullâ poteſtate Cathedrã Romanam & ſupremum ejus ſacerdotium poſſe immutari. Epiſt. 3. idem ſacerdotium vocat ſacerdotium Dei, *Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm quod ſacerdotium Dei, &c.* Cur Romanum ſacerdotium dicitur Dei, nunquid ſacerdotes omnes ſunt miniſtri Dei, & diſpenſatores myſteriorum ejus ſecundùm Apoſtolum? quia Romana ſedes eſt cõdita ex ſpeciali inſtitutione Chriſti. S. Antherus Papa natione Græcus, ad Epiſcopos Boetiæ & Toleti. *De mutatione* (inquit) *Epiſcoporum, undè ſanctam ſedem Apoſtolicam conſulere voluiſtis, ſcitote eam communi utilitate atque neceſſitate fieri licere, licet non libito cujuſquam, aut dominatione Petrus Magiſter noſter & princeps Apoſtolorum de Antiochiâ utilitatis tranſlatus eſt Romam, ut ibidem potius proficere poſſet.* (Anther.) Non dicit cum Wicleff ambitionis causâ: non ait cum aliis ſpontè, pro libito: ſed majoris utilitatis & neceſſitatis, non ſe tranſtulit Romam, ſed tranſlatus eſt ſcilicet divino inſtinctu, & juſſu.

IV. Quarto ſæculo S. Marcellus papa epiſt. 2. ad Epiſcopos per Antiochiã conſtitutos, quæ habetur in cap. *Rogamus*, 24. quæſt. 1. (Marcel.) *Rogamus* (inquit) *vos fratres, ut non aliud ſentiatis, neque doceatis, quàm quod à Beato Petro Apoſtolo, & à reliquis Apoſtolis & Patribus accepiſtis. Ab illo enim primò inſtructi eſtis, ideò non oportet vos proprium derelinquere patrem & alteros ſequi. Ipſe enim eſt caput totius Eccleſiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Ejus enim ſedes primitus apud vos fuit, quæ poſt jubente Domino tranſlata eſt, cui adminiculante gratiâ divinâ hodiernâ præſidemus die: Nec ab ejus diſpoſitione vos deviare oportet, ad quam majora Eccleſiaſtica negotia divinâ diſponente gratiâ juſſa ſunt referenda: ut ab eâ regulariter diſponantur, à quâ ſumpſere principia.* Illa verba: *Iubente Domino tranſlata eſt.* Item. *Cui adminiculante gratiâ Divinâ hodiernâ præſidemus die.* Patenter teſtantur non Cæſareo, vel Eccleſiaſtico imperio & favore: ſed divino juſſu, divinâ diſponente gratiâ: ſedem à Petro fuiſſe ex Antiochiâ tranſlatã non in Galliam, Hiſpaniam, &c. ſed Romam. Optatus lib. 2, ſcribens Parmeniano, ait (Optatus Mil.) eſſe certum Petro Cathedram Romanam eſſe collatam. *Negare non potes ſcire te in urbe Româ Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolum caput primus: undè & Cephas appellatus eſt, in quâ unâ Cathedrâ unitas ſervaretur nè cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergò cathedra unica, quæ eſt una de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c.* Non ait certum eſſe, quod Petrus fixerit Cathedram Romæ, ſed certum eſſe Petro eſſe collatam, non à Cæſare, nec ab Apoſtolis, ſed à Domino: *Nè* (inquit) *cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent.*

V. Quinto ſæculo S. Leo papa ſerm. 1. de natali Apoſtolorum Petri & Pauli. (S. Leo) *Trophæum Crucis Romanis arcibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant & honor poteſtatis, & gloria paſſionis.* Ait Petrum prædicaſſe Romæ Chriſtum Crucifixum, imò Apoſtolum cruci affixum fuiſſe: quia Deus prius ordinaverat glorioſè Neronis tyrannidi occumberet, ac regimen & poteſtas univerſalis Eccleſiæ ſtabiliretur. Illi arridens S. Auguſtinus ſermone 6. de ſanctis Petro & Paulo. *Habet* (inquit) *Roma caput gentium, duo lumina gentium, ſcilicet Petrum & Paulum, ab illo accenſa, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c.* (Auguſt.) Non dicit accenſa & exaltata fuiſſe à Cæſare, vel à cœtu Apoſtolico, ſed ab ipſo Deo. Id ipſum oſtendit papa relatus in cap. *Quãvis*, 21. diſtinct. ubi ita ſcribit omnibus Orthodoxis. *Quamvis univerſa per orbem Catholica Eccleſia unus thalamus Chriſti fuit, ſancta tamen Romana*

Catholica & Apoſtolica Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt: ſed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit. Tu es Petrus, &c. Expende illa verba. *Nullis ſynodicis conſtitutis, &c. ſed Evangelicâ voce Domini, &c.* Quæ etſi ſufficere debeant: tamen quid aliis ſæculis dictum ſit videamus.

VI. Sæculo ſexto tanta fuit etiam apud Patres Orientales erga Romanam ſedem obſervantia ac opinio, ut etiam Hæretici ad ipſam confugerent, ut patet ex ſecundâ Synodo Conſtantinopolitanâ, ubi ad eam confugerunt ut ad tempus hæreſeos notam devitarent. *At magno Deo* (inquit Synodus) *non permittente talia uſque ad finem procedere, miſſus eſt huc regiæ urbis Agapetus, qui ſtatim ipſum de ſede ſibi non conveniente depulit datâ veniâ his, qui talis rei participes, aut communicatores ſunt. Nos igitur ſequentes ea, quæ à beatiſſimo Papâ benè examinata ſunt, conſpicimus omninò ipſum tanquam membrum inutile.* Ex his verbis *magno Deo non permittente, &c.* colligo Deo auctore, movente, non autem Cæſare, vel cœtu Eccleſiaſtico Eccleſiam Romanam eſſe conditam, ut teſtatur Pelagius I. prædeceſſor ſancti Gregorii papæ in epiſtolâ ad Epiſcopos Cõſtantinopolim ad Synodum illicitè convenientes. *Nec unquam Romana ſe-*
Pelag. I *des, quæ inſtituente Domino caput eſt omnium Eccleſiarum privilegiis ſuis uſquam careat.* Vocat Chriſtum Romanæ Sedis inſtitutorem. Quod fuſius declarat in epiſtolâ, quâ Synodum illam Conſtantinopolitanam reddidit irritam. *Univerſis Epiſcopis illegitimè convocatis. Relatum eſt ad Apoſtolicam ſedem Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum univerſalem ſe ſcribere; voſque ex hac ſuâ præſumptione ad Synodum convocare generalem, cùm generalium Synodorum convocandi auctoritas Apoſtolicæ ſedi Beati Petri ſingulari privilegio ſit tradita; & nulla unquam Synodus rata legatur quæ Apoſtolicâ auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in prædicto veſtro conventiculo (quia Synodus taliter præſumpta non potuit) ſtatuiſtis ex auctoritate S. Petri Apoſtolorum principis, & Domini Salvatoris voce, quâ beato Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi Salvator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus ejus indubitanter tranſivit, præcipio omnia, quæ ibi ſtatuiſtis, & vana & caſſata eſſe: ita ut deinceps nunquam appareant, nec ventilentur, &c.* Ait Salvatoris voce poteſtatem ligandi atque ſolvendi Petro communicatam in ſucceſſoribus indubitanter tranſiviſſe. At Petro ejuſmodi poteſtas communicata eſt de jure divino: Igitur etiam ea quæ Romanæ Sedi competit. Unde meritò S. Gregorius lib. 7. epiſt. 95. Magiſtro militum in Hyſtriâ vocat Romanam Eccleſiam Petri ovile, docet-
que omnes fideles ubique diffuſos illi Gregor.
traditas eſſe. *Nullum illic ab Apoſtolicâ ſegregatum remanere vultis Eccleſiâ, tantuſque vos beati Petri Apoſtolorum principis amor accendit, ut ovile ipſius, cui à Domino omnes creaturæ ſunt traditæ, ſummo redintegrare cum deſiderio cupiatis.*

Audiamus quid ſeptimo ſæculo VII.
dicat ſexta Synodus generalis ſeu tertia Conſtantinopolitana univerſalis celebrata ſub Agathone Papâ contra Monothelitas dum actione 2. recipit & probat epiſtolam Adriani ad Tharaſium. *Cujus Sedes per totum terrarum orbem primatũ obtinens, licet omniumq;*
Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Unde & Synod. 6
ipſe beatus Petrus Apoſtolus Dei juſſu Eccleſiam paſcens nihil omninò prætermiſit, ſed ubique primatum obtinuit, & obtinet. Ait primò Eccleſiam Romanam (cujus Petrus Dei juſſu caput exiſtit) lucere: lucis autem eſt, non tantùm illuminare, ſed & producere. Sic ſedes Apoſtolica Romana non tantùm oſtendit & docet viam ſanctam, ſed producit: non tantùm paſcit verbo Dei: ſed etiam paſcit ſolvendo per indulgentias, ut eleganter innuit ſanctus Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſuâ ad Pontificatum. *In Beatiſſi-*
mo Petro Apoſtolorum omnium ſummo S. Leo.
principaliter collocaret, ut ab ipſo quodã capite dona ſua in corpus omne diffunderet. Quæ dona diffunderet? non naturæ, ſed gratiæ: dogmata non Philoſophiæ, ſed fidei & morum. Ut Julius I. epiſt. 1. ad Orientales. *Indè legem totius obſervantiæ ſumeritis, &*

Beati Petri Apoſtoli ſedes, quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis eſſet Eccleſiaſtica magiſtra rationis. Pondera illa verba, *Legem totius obſervantiæ ſumeretis.* Obſervantiæ nō cujuſcumque, ſed divinæ legis, Eccleſiaſticæ, & quæ ad virtutem amplectendam, ac ſalutem conſequendam conduſit, Vndè concludit. *Eccleſiaſtica magiſtra rationis.* Ejuſdem Romanæ Eccleſiæ originem in Chriſti refundendam eſſe inſinuare videtur Agatho epiſtolâ ad Conſtantinum IV. Imperatorē, poſtquam veram fidem tum de Trinitate, tum de Chriſti perſonâ unâ &
Agatho naturis ac voluntatibus duabus confeſſus eſſet. *Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis & in adverſis vivaciter tenuit ac defendit hæc ſpiritalis Mater veſtri tranquilliſſimi imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed (ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus) illibata fine tenus manet ſecundùm Salvatoris pollicitationem. Ego pro te Petre rogavi, ut non deficiat fides tua, &c.* Vocat Romanam Eccleſiam non filiam, ſed Matrem tranquilliſſimi imperii: non igitur ab Imperatoribus producta eſt. Quod etiam illibatam fidem à Chriſto acceperit, patet ex his verbis: *Secundùm Salvatoris pollicitationem.* Nec refert, quod dicat percepiſſe *ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus.* Hæc enim verba ſignificant Petrum & Paulum veniſſe Romam, & ab iis ut Chriſti miniſtris & Apoſtolorum Coriphæis Romanos accepiſſe prima noſtræ religionis documenta.

VIII. Octavo ſæculo Alcuinus egregius Caroli Magni præceptor lib. de divi-
Alcuin. nis officiis ſuam mentem his verbis aperit. *Religionis cultum ſic Dominus inſtituit, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, atque ab ipſo quodam capite dona ſua vellet in corpus omne manare. Vndè conſtat ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe, ſicut docet beatus Pelagius, qui quâlibet diſſenſione inter ſacra myſteria Apoſtolici Pontificis memoriam ſecundùm conſuetudinem non frequentant.* Ait religionis cultum eſſe à Domino inſtitutum, ac in Petro Apoſtolorum ſummo collatum, ſubditque ſchiſmaticos eſſe, qui ab Apoſtolico, ideſt Romano Pontifice deflectunt, ſicut, qui à Petro deflecteret, quia ſcilicet ſicut Petrus à Chriſto creatus eſt, ita & Romanus Pontifex.

Nono ſæculo Jonas Aurelianenſis IX.
Epiſcopus Ludovici Imperatoris olim legatus ad Pontificem lib. 3. de cultu Imaginum. *Quid enim* (inquit) *ſicut ſupra dictum eſt, claves regni cælorum,* Ionas.
quaſi eminentiſſimo ſanctæ Eccleſiæ membro, intelligo traditas, beato videlicet Petro, ut per illum ad cæteros hæc dignitas tranſeat, &c. Expende illa verba, *ut per illum*, quibus ſignificat primatum Eccleſiæ Romano Pontifici eſſe cōmunicatum nō à Petro, ſed à Chriſto: communicatum quidem prius Petro, ſed ita ut poſtea per Petrum ad Romanos Pontifices tranſiret, & quemadmodum illum poſſidet jure divino, eum quoque Romani Pontifices ſimili jure poſſiderent.

Decimo, Luitprandus Hiſtoricus X.
Patavinus lib. 4. cap. 3. ſcribit Petrum relictâ Eccleſiâ Antiochenâ profectū eſſe Romam, quæ ratione immenſi dominii & poteſtatis cunctis nationibus imperabat, ubi diſpoſitione divinâ fundavit Eccleſiam, quæ ab univerſo orbe honorari debebat, commendans ſuam primam Eccleſiam Antiochenam Marco diſcipulo ſuo.

Vndecimo ſæculo Nicolaus II. XI.
papa relatus in cap. *Omnes*, 22. diſtin. ſcribit Mediolanenſibus per Petrum Nicol.
Damianum hoc verborum tenore. *Omnes ſivè Patriarchæ cujuſlibet apices, ſivè Metropoleon primatus aut Epiſcopatuum Cathedras, vel Eccleſiarū cujuſlibet Ordinis dignitates inſtituit Romana Eccleſia. Illam verò ſolus ille fundavit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cæleſtis imperii jura commiſit.* Diſtinguit Eccleſiarum particularium erectionem, à fundatione Rom. Eccleſiæ, quod hæc jure divino, illæ humano Eccleſiaſtico ſint inſtitutæ, Romana à Chriſto, reliquæ particulares ab Eccleſiâ Rō. ut matre.

Melliflue

XII. Mellifluè duodecimo ſœculo hanc veritatem confirmat ſanctus Bernardus epiſtol. 131. ad Mediolanenſes. *Plenitudo poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias prærogativa ſedi donata eſt.* A quo donata eſt? à Deo ipſo. Vndè concludit. *Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Sedes Epiſcopales à quo ſunt? ab hac ſede Romanâ. *Nam poteſt, (ſi utile judicaverit) novos ordinare Epiſcopos, ubi hactenus non fuerant. Poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit, ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è converſo, ſi neceſſe viſum fuerit.* Ideò hoc Mediolanenſibus ſcripſit ſanctus Bernardus, quia Innocentius Genuenſem Epiſcopum, qui priùs erat ſub Mediolanenſi, Archiepiſcopum creaverat, & Piſonium fecit primatem Sardiniæ.

Bernar.

Eandem veritatem ſuſtinet Ioannes Sarisberienſis natione Anglus, Epiſcopus Carnotenſis in Policratico libro 8. cap. 17. *Eccleſia Romana parens auctore Deo, & nutricula fidei & morum, non poteſt ab homine judicari & argui cœleſti privilegio munita.* Quaſi diceret Eccleſiæ particulares non ſunt nutriculæ fidei & morum, & poſſunt ab homine judicari & argui, quia non habent auctorem Deum, non ſunt cœleſti privilegio munitæ. At Eccleſia Romana è contra, &c. Vndè cap. 23. *Quis præſumeret ſummum judicare Pontificem, cujus cauſa Dei ſolius reſervatur examini? Vtique quiſquis hoc attentaverit, laborare quidem, ſed proficere nequaquam poteſt.* Quod non ſolùm ſanctus Petrus ſupremum Eccleſiæ primatum jure divino obtineat: ſed etiam ejus ſucceſſores Romani Pontifices: conſequenter declarat. *Quid ponderoſius eſt ſollicitudine omnium Eccleſiarum? Apoſtolicum privilegium tranſiit ad ſucceſſores.* Quibus arridet Innocentius III. in cap. *Per venerabilem, qui filii ſunt legitimi.* Aſſerens iſtam unionem ſupremi Pōtificii cum Epiſcopatu Romano factam eſſe ex peculiari Dei ordinatione.

Ioannes Sarisb.

XIII. Eandem veritatem propugnat ſœculò decimo tertiò Angelicus Doctor contra errores Græcorum cap. 64. & 65. & alibi.

Sæculò decimo quarto Petrus de Palude diſtin. 24. quæſt. 6. hæc de primatu ſedis Romanæ profert. *Poteſtas juriſdictionis, quæ ad regendum populum tota in ſuo fonte data fuit ſoli Petrò, & in eo ſucceſſoribus ejus, quando cura Eccleſiæ ſibi ſoli commiſſa fuit dicente Domino Ioannis cap. 21. Paſce oves meas. Hoc nulli aliorum Apoſtolorum dictum fuit tunc, nec ante, nec poſt. Ergò talem poteſtatem plenam & perfectam habet ſolus ſucceſſor Petri, qui ob hoc papa dicitur, quaſi Pater patrum.* Quaſi diceret: ab eodem fonte procedit Petri & ſucceſſorum ejus poteſtas ad regendum populum. At poteſtas Petri eſt de jure divino, & à Chriſto. Igitur poteſtas ſuprema regendi Eccleſiā eſt in Epiſcopis Romanis jure divinò & à Chriſto. Vide Auguſtinum Triumphum Anaconitanum in ſummâ, in epiſtolâ dedicatoriâ ad Joannem XXII. & in ſummâ quæſt. 6. 7. & 8. Alvarum Pelagium lib. de planctu Eccleſiæ art. 58. & 68. Petrum Bertrandum Cardinalem libr. de origine & exercitio juriſdictionis. ſeu de poteſtate ſpirituali & temporali quæſt. 2. 3. & 4. Quibus adjiciendus noſter Guido Perpinianus in ſummâ de hæreſibus, primo errore Waldenſium. *Conſtat* (inquit) *quod Dominus Petrū, & in Petro Petri ſucceſſores, poſuit omnium fidelium caput, &c.* Non ait quod Dominus Petrum, & Petrus ſuos ſucceſſores *poſuit*, ſed ab eodem Domino Petrum & ejus ſucceſſores fuiſſe poſitos. Conſule etiam Abbatem in cap. *Per venerabilem.* Joannem Andræam in cap. *Fundamenta*, de electiōn. in 6.

Petr. de Palude

Guido Perpin.

XV. Decimo quinto ſæculo hanc unionem ſupremi pontificii cum Epiſcopatû Romano clariſſimè ſignificat noſter Thomas Waldenſis tomo 1. lib. 2. doctrinalis fidei art. 3. cap. 41. ubi poſtquam Marcelli mentem produxit, ſubdit. *Ecce jam poſitio ſedis Papalis in Româ, quam tu blaſphemas, non ab alicujus recentis Papæ: imò non Petri, ſed ipſius Domini juſſione, ut dicit Marcellus, ſumpſit exordium, &c.* Paulò poſt. *Non propter locum gentem, ſed propter gentem locum, elegit ſibi Dominus. Et idcircò propter Romanam*

Thomas Walden.

gentem

gentem principem hujus mundi elegit ſuo Vicario Deus Romam, &c. In fine. *Huc accedit, quod quem diximus Epiſcopum Romanæ ſedis, non illius tantùm: ſed & magis totius erit orbis Antiſtes. Sedeat Romæ, placet, dummodò non ſolis Romanis præſideat, Anglicis relictis & Francis.* Tandem concludit. *Intellige hic, quod una Romana ſedes duplici auctoritate coruſcat, Epiſcopalis ſcilicet illius loci, & Papalis in orbe, &c.* Conſule ſanctum Antoninum part. 3. tit. 23. cap. 5. §. 7. Cardinalem à Turrecrematâ de poteſtate Eccleſiæ lib. 2. cap. 40. & ſeq. & in cap. *Rogamus*, 24. quæſt. 1. Poſtquam Concilium Florentinum definivit ſanctam ſedem Apoſtolicam & Romanum Pontificē ſupra univerſum orbem tenere principatum, ſubdit. *Ipſi in beato Petro paſcendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino Noſtro IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.*

XVI. Decimum ſextum ſæculum plurimos edidit hujus veritatis defenſores, Cardinalem Tuſchum pract. concluſ. juris tomo 3. concluſ. 5. num. 19. & tomo 7. littera R. concl. 362. Cardinalem Baronium in additionibus ad Martyrologium Romanum die 18. Januarii. Cardinalem Cajetanum tomo 1. opuſc. tract. 3. de Pontif. inſtit. cap. 13. ubi expreſsè ait Pontificatum ſupremum fuiſſe ſedi Romanæ unitū *de mandato Chriſti.* Illis coævi ſunt Driedo de variis dogmat. lib. 4. Melchior Canus lib. 6. de locis Theolog. c. 4. 5. & 6. Roffenſis, Ekius, Albertus Pighius de poteſtate Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 12. & 13. Corduba in quæſt. lib. 4. quæſt. 1. præpoſit. 8. Azorius inſtitut. Moral. part. 2. libr. 4. cap. 11. quæſt. 2. Valentia, Bannez 2. 2. quæſt. 1. artic. 10. tractat. 2. dub. 4. §. 2.

XVII. Hoc ſæculo decimo ſeptimo hujus unionis propugnatores ferè ęquivalēt priorum ſæculorum auctoribus. Cardinalis Bellarminus libr. 2. de Romano pontifice cap. 12. & lib. 4. cap. 4. Malderus 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Sylvius lib. 4. de controverſ. quæſt. 1. art. 6. Lælius Jordanus de majoribus Epiſcoporum cauſis ad papam deferendis cap. 11. num. 14. Guitero in ſpeculo juris Pontificii pag. 8. Lotterius de re benef. lib. 1. quæſt. 46. n. 9. Dominicus Jacobatius de Concil. lib. 8. art. 6. & 7. Alphonſus Mendoza in quæſt. quodlibet. quæſt. 4. Scholaſt. Barboſa de officio & poteſtate Epiſcopi, part. 1. tit. 3. cap. 2. numer. 12. Turrianus diſput. 15. dub. 2. Amicus tomo 4. tract. de fide diſp. 5. ſection. 6. num. 134. Thomas del Bene tomo 1. diſp. 1. quæſt. 47. & alii citati à Cenedo ad decretum collect. 12. quos ſequuntur è noſtris Lezana tomo 3. Theolog. tractat. 1. de fide diſput. 8. quæſt. 5. Philippus à Sanctiſsimâ Trinitate tomo 2. diſput. 1. dub. 4.

§. 3.

Probatur rationibus & congruentiis.

Hanc unionem ſupremi Pontificii cum Epiſcopatu Romano factam ex peculiari Dei ordinatione probant variis rationibus, quarum aliquas referemus. Prima, ſi hæc unio facta eſſet à ſancto Petro præciſè propter auctoritatem Pontificiam, quâ pollebat, poſſet alterius Pontificis auctoritate mutari. 1.
Vel Concilia, aut Imperatores aliquando tentaſſent ejuſmodi mutationem. Secunda, Concilia, Patres, Imperatores, &c. paſſim aſſerunt Romanum Pontificem ſuccedere Petro in munere paſtorali regendi Eccleſiam, quod non dicerent, niſi Romani Epiſcopi jure divino in illum primatum ſuccederent, potiùs quàm alii Epiſcopi. Tertia, quemadmodum prima inſtitutio papatus fuit facta à ſolo Deo: ita decuit ut ejus unio cum Epiſcopatu Romano fieret eodem jure divino. Nec dicendum eſt quod alii Epiſcopi ceſſerint hoc jus: quia ſi hęc poteſtas non eſſet ex Chriſti inſtitutione reſtricta ad Epiſcopum Romanum, quamvis alii paſtores ſpontè ceſſiſſent, ſi adhuc eligerentur legitimè, ſuccederent legitimè Petro in primatu Eccleſiæ, quia non poſſent mutare voluntatem Chriſti, qui ſtatuiſſet ad eam dignitatem ſuccedere quemcumque paſtorem legitimè electū. Deinde nullibi

nullibi extat talem ceſſionem factam eſſe. Præterea Anacletus, Evariſtus, Alexander, qui paulò poſt Apoſtolos rexerunt Eccleſiam, nullam mentionem talis ceſſionis faciunt. Quarta ratio, ſedes Apoſtolica nunquam de facto ſeparata eſt ab Epiſcopatu Romano, & alteri attributa, vel poteſtate maximâ Imperatorum, vel voluntate ſummorum Pontificum, quod tamen contigiſſet ex innatâ mutabilitate rerum humanarum, ſicque abſque dubio ſummi Pontifices, qui manſerunt Avenione per ſeptuaginta annos, attribuiſſet ſedem pontificiam, ſivè Apoſtolicam Epiſcopatui Avenionenſi, nec potuiſſent reprehendi, quod extra ſedem propriam tamdiu manſiſſent. Quod cùm non fecerint, concludendum eſt eos non potuiſſe facere. Igitur Epiſcopatus Romanus de jure divino eſt conjunctus cum orbis Epiſcopatu.

II. Ad has rationes accedunt congruentiæ. Prima, fundatur in dignitate & merito S. Petri primi Vicarii Chriſti: ut quemadmodum ipſe dignatus eſt non ſolùm vivens illam præſentiâ corporali fundare, & moriens ſuâ morte ac ſepulchro confirmare: ita promeruit, ùt illa fieret perpetua ſedes eorum omnium, qui ſibi ſuccederent in officio paſtorali. Sed quemadmodum à die ſuæ vocationis in omnibus paruit; ita & in morte ab ejus mandato recedere noluit, Chriſtum autem mandaſſe Petro, ut Romæ ſedem figeret, patet ex verbis ejuſdem Chriſti occurrentis Petro fugienti. *Venio Romam iterùm crucifigi.* Quaſi diceret, volo ut ſedem, quam Romæ fixiſti tuâ morte perpetuò firmes. Ita S. Ambroſius lib. 5. epiſtol. poſt epiſt. 32. Secunda, conveniens fuit, ut ea civitas, quæ fuerat omniũ errorum auctrix & fautrix, fieret magiſtra & cultrix veritatis, virtutemque ac efficaciam doctrinæ Evangelicæ manifeſtaret. Tertia, quemadmodum eſſe debuit certa perſona, ad quam fideles in controverſiis fidei recurrerent, ita debuit eſſe certus locus & ſedes, undè divina oracula orbi univerſo innoteſcerent. Quarta, quemadmodùm olim ante Chriſti adventum Jeroſolyma fuit electa, ut eſſet caput & ſedes omnium Synagogarum, in quâ ſummus Sacerdos, ſeu Pontifex cum ſuo concilio reſidebat, ita poſt ejus in cælum aſcenſum conveniens fuit Romam eligi in caput & ſedem orbis univerſi, in quâ ſupremus Eccleſiæ paſtor, & Vicarius Chriſti reſideret.

CAPUT NONUM.

Continua Pontificum Romanorum ſucceſſio Eccleſiæ adminiſtrationem ſanctam denotat.

I. VUlgò fertur, quod nihil violentum & iniquum eſt durabile: illud verò perpetuum, firmum ac ſanctum, quod cum prudentiâ, amore & pietate conſtitutum eſt, contra quoſcumque hoſtiles inſultus, ac temporum injurias redditur inexpugnabile. *Summum* (inquit Tacitus lib. 5 hiſtoriæ) *illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum.* Tacitus Quod de Eccleſiâ maximè verificari debet. S. Baſilius lib. 2. contra Eunomium. *Propter fidei excellentiam, Eccleſiæ ædificationem in ſeipſum ſuſcepit.* S. Baſil. Quam ædificationem? non mobilem ſed ſolidiſſimam, ſed ſanctam, fundamento immobili innixam. S. Gregorius Nazianzenus de moderatione in diſputationibus ſervandâ. *Petrus* (inquit) *petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſua credita habet.* Gregor. Naz. S. Epiphanius in Ancorato. *Dominus conſtituit Petrus primum Apoſtolorum petrã firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt.* Particula *Dominus*, ſignificat nõ, ab homine, non ferro, non violentiâ ſed à Deo, ſed amore, ſed miſericordiâ erga humanum genus, Eccleſiam eſſe fundatam ſuper petram inconcuſſam, ideòque fore perpetuam. Audi noſtrum S. Cyrillum lib. 2. cap. 2. in Joannem, ubi de Petrò. *Nec Simon fore jam nomen illi, ſed Petrus prædicit vocabulo ipſo commodè ſignificans quod in eo tanquam in petra, lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiã.* S. Cyrill.

Amore ſcilicet, non vi, non coactione. His arridens Patres Latini, S. Ambroſius ſerm. 43. *Pro ſoliditate devotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur, eoquod primus in actionibus fidei fundamentum poſuerit, & ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat.* Ait per fundamentum immobile Eccleſiam ſoliditatem devotionis accipere. Et ideò in ſanctâ fide perſeverare, quia habet fundamentum in actionibus fidei exercitatiſſimum & immobile quaſi ſaxum. Vndè S. Auguſtinus in pſalmum contra partem Donati. *Numerate ſacerdotes, vel ab ipsâ Petri ſede, ipſa eſt, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Per Sacerdotes intelligendi ſunt Romani Pontifices, Petri ſucceſſores, quorum ſucceſſio ita cõſtans & perpetua eſt, ut nullo hæreticorum debacchantium ſophiſmate, nullâ ſchiſmaticorum improbitate potuerit concuti. Quo fit ut Eccleſia in ſanctitate ſemper perſeveret, quia ſecundùm Martianum de rerum diviſione, illud ſanctum propriè nuncupatur, quod ab injuria hominum tutum & munitum eſt. At Eccleſia ſancta eſt tuta & munita, cùm illam nulla inferorum rabies, nulla hæreticorum calumnia, nulla tyrannorum perſecutio, nulla ſchiſmaticorum, ac ſupremi Eccleſiæ capitis ambitio interrumpere potuerit. Sancta etiam eſt Eccleſia, ſancta Pontificum ſucceſſio: quia ex Vlpiano, ſi ſanctum illud dicitur quod ſanctione ſubnixum & firmatum eſt, nonnè ex quo Chriſtus dixit Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus, &c. Et portæ inferi non prævalebunt, &c.* Eccleſia Romana ſtat univerſalis, inconcuſſa & firmiter ſtabilita, etiam ratione perpetuæ ſucceſſionis Pontificiæ, quæ nunquam ruitura eſt. Quam firmitatẽ non habuerunt Apoſtoli, nec Eccleſiæ ab ipſis conditæ: ſi enim talem firmitatem ac ſanctitatem habuiſſent, jam ſtaret Sedes Jacobi Jeroſolymis, ſedes Joannis Epheſi, ſedes Andrææ in Scythiâ, ſedes Matthæi in Æthiopiâ, ſedes Thomæ in Indiâ, quæ tamen omnes hæreſis, ſchiſmatis, infidelitatis aſtutiis & furori ceſſerunt, ac manus dederunt, eo quod ſpeciali Dei providentiâ non fuerunt defenſæ. Sola Eccleſia Romana per tot ſæcula uſque ad hanc diem firma, conſtans & ſtabilis perſeverat.

S. Amb. — Auguſt. — Matth. c. 16.

Quod ſi etiam aliquid dicitur ſanctum, quia ſtabilitum, quia ratum factum eſt, quia ſanguine firmatum: ita ut nonnulli exiſtiment ſanctum à ſanguine, & olim cõtractus, juramenta, &c ſolebant firmari cruore hoſtiæ mactatæ, ut patet ex Livio lib. 1. *Vetuſtiſſimum fœdus inter Romanos Albanoſq; initum docet porcæ immolatione ſanctum fuiſſe.* Cui explicationi Servus illud Virgilii lib. 12. ait alludere: II.

Livius.

Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit.

Sanctum (inquit) *dicitur, quaſi à ſanguine conſecratum.* Hujus ſanctitatis videtur meminiſſe Eccleſia, quæ Chriſtum ita afflatur Apocal. cap. 5. verſ. 9. *Redemiſti nos Domine Deus in ſanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum.* Ideſt tanta fuit cruoris virtus, ut illo Eccleſiam ſuam aſpergendo illam erexerit in regnum, tam firmum, tam ſtabile, ut nullis bellorum, perſecutionum, hæreſum, ſchiſmatum turbinibus convelli ac deſtrui queat, nec in ſe, nec in capite. Propheta Evangelicus alludere videtur ad morem veterum, qui ut aliquam fabricam ſolidius fundarent, ſanguine aſpergebant lapides fundamentales. Sic ideò Eccleſia firma eſt, ideò caput ejus firmum ac perpetuum tam ĩn doctrinâ morum, & ſucceſſione, quàm fidei: ideò ſancta, quia Chriſtus illam ſuo cruore purpuravit ac fundavit.

Apoc. c. 5. v. 9.

Hanc Eccleſiaſtici capitis, ſeu fundamenti firmam, & non interruptam ſucceſſionẽ paulò attentius conſideremus, ut facilè deduci poſſit quàm ſanctum, & quàm bonum ejuſmodi fundamentum. Vt olim probarent religionem veram ac ſanctam, oſtenderentque ſtrictam obſervantiam mandatorum Dei apud ſe vigere, hâc praxi utebantur. Cùm Alexandriæ in Ægypto orta eſſet controverſia inter Judæos & Samaritanos, uter populus templum, leges & ſacra ſervarent, an Judæi Jeroſolymis, an Samaritani in monte III.

monte Garizim, ubi adinſtar templi Jeroſolymitani ſacra fiebant, Judæi recurrerunt ad Pontificũ ſucceſſiones continuas, ſacerdotii & templi ad ſua tempora contra Samaritanos. De quibus lege Joſephum libr. 13. Antiquit. cap. 6.

IV. Sic Ordo Propheticus, ſeu Carmeliticus probare poteſt ſuam ſanctitatẽ ex perpetuâ ſucceſſione, juxta illud Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 8. *Prophetas facis ſucceſſores poſt te.* Quaſi diceret, Ordo Prophetalis, ſeu Carmeliticus ab Eliâ inchoatus ideò ſanctus dici poteſt, quia firmus & perpetuus eſt, quia ſucceſſionem indefectibilem habet. Rectè noſter Joannes 44. Patriarcha Jeroſolymitanus lib. de inſtitut. Monachor. cap. 18. *Denique* (inquit) *Elias in Monaſticâ vitâ Eremiticâ quam primus hominum à propoſito inchoaverat, ſucceſſores poſt ſe in perpetuum relinquere diſpoſuit.* Huic explicationi favet noſter Thomas Waldenſis lib. 3. doctrinalis fidei art. 1. cap. 4. *Prophetas facis ſucceſſores poſt te: quia raptus es in turbine ignis. Primùm quidem ſtatuit eos multos. Et poſt eum in monte Carmelo, qui ad tantùm numerum devenerunt, ut ſpatioſum illud deſertum non poſſet ſis ſufficere. Unde venientes ad Eliſeum præceptorem ſuum, dicerent: Ecce locus in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis, eamus uſque ad Iordanem, & tollamus ſinguli de ſylvâ materias ſingulas ut ædificemus ibi locum nobis ad habitandum. Qui dixit, ite, & ſic tandem multi manſerunt ibidem juxta littus Iordanis. Quidam autem manſerũt in Carmelo, quidam in monte Ephraim, multi etiam in ſuburbiis civitatum. Regulares tractabant obſervantias: maximè autem in Galgalâ quem locum frequentabat Samuel in Bethel quoque: multi manſerunt in Hieruſalem, in Sareptâ, in Samariâ & Iericho, ſeu Iericunte Civitatibus, ut proceſſivè patet lib. 3. Reg. & lib. 4. Et manſit hæc religio Prophetarum continuò uſque in adventum Chriſti, & deinceps facti ſunt principes religioſæ militiæ Chriſtianæ.* Expende illâ verba, *Et poſt eum Eliſeus.* Ideſt ſucceſſor fuit Eliæ Eliſeus etiam in regimine Ordinis ab Eliâ inſtituti. Deindè pondera hæc ultima verba. *Et manſit hæc religio Prophetarum uſque ad adventum Chriſti, & deinceps facti ſunt &c.* Quæ verba durationem & ſucceſſionem continuam manifeſtè denotant. Quod probat auctoritatẽ Divi Hieronymi tomo 1. epiſt. exhortatoriâ ad Paulinum. *Habet unumquodque propoſitum principes ſuos, Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones. Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem. Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Hiſtorici Thucididem, Saluſtium, Herodotum & Livium. Oratores Liſiam. Græci Demoſthenem, Tullum. Et ut ad noſtra veniamus Epiſcopi & Præsbyteri habant ad exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes habere nituntur & meritum. Nos autem ſubeamus propoſiti noſtri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios: & ut ad auctoritatem redeamus. Noſter Princeps eſt Elias, Prepoſitus noſter Eliſeus, &c.* Quid per Præpoſitum intelligit, niſi ſucceſſorem Eliæ in regimine ordinis ab Eliâ inſtituti. Reverendiſſimus Generalis PP. Minimorum Ægidius Cammartus libro de rebus Eliæ cap. 6. ſection. 6. *Privatim nullus Prophetarum ſocietates inſtituit, qui non tantùm ipſius diſcipuli fuerunt, ſed & qui doctrinâ, vitæ ſanctimoniâ, miraculis, ſpiritu Prophetico, longâ ſucceſſionis ſerie Iſraelitas erudirent. Ob quam cauſam dixit Eccleſiaſticus de Eliâ cap. 48. verſ. 8. Prophetas facis ſucceſſores poſt ſe.* Idem habet Carthagena tomo. 4. homil. de Carmel. Salianus ad annum mundi 3124. num. 10.

V. Noſter Thomas Waldenſis loco citato expendens illa verba Eliæ lib. 3. Regum, cap. 18. verſ. 22. *Ego remanſi Propheta Domini ſolus. Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta, & Prophetæ lucorum quadringenti ſunt viri.* Subdit. *Zelans multiplicare religionem prophetarum ſanctorum, ſollicitè huic rei operam dedit Eliſeum primò inſtituens, & pallio induens, & demùm alios poſt eum magno numero providens ab intento ut ſanctæ religionis ſucceſſio ſemper ſtare.* Hæc verba, *ut ſanctæ religionis ſucceſſio ſtaret.* Quid aliud

[Margin notes: Eccl. c. 48. v. 8 — Joannes 44. — Thomas Walden. — l. 4. Reg. cap. 6. — l. 3. & 4. reg. — Hieron. — Cammar. — Thomas Walden. — l. 3. Reg. 18. v. 22.]

aliud denotat quam firmam & inconcuſſam ſucceſſionem Ordinis, quam Elias peroptabat. Accedit Joachimus Abbas in lib. de concordiâ novi & veteris teſtamenti, quem refert noſter Palæonydorus lib. 1. cap. 2. *Joachim Abbas.* *Paleon.* *Proceſſerat prophetica vita in Eliâ ex cujus vitâ glorioſâ Eliſeus Propheta in ſuâ charitate inchoavit conventum ordinis.* Clarius in cap. 2. Apocalypſis. *Eodem tempore apertionis quartæ inventæ ſunt religiones in populo Græcorum, & viri probatiſſimi habitatores eremi, quorũ alii qui in imitatione Eliæ ante præceſſerant omninò areſcere incipiebant: alii verò qui ſucceſſerant in imitatione Eliſei cœperunt fieri Patres Monachorum, & Virginum, quorum imitatio uſque ad Latinos pervenit.* Per illa verba. *Alii qui ſucceſſerant, &c. cœperunt fieri Patres &c.* Denotant continuam dictæ religionis ſucceſſionem, non tantùm in membris, ſed etiam in capite. Favere videtur Ioſephus Antiochenus Auctor vetuſtiſſimus (qui teſte Poſſevino in apparatu vixit anno Chriſti 130.) *Joſephus* in libro cui titulus eſt, Speculum perfectæ Eccleſiæ primitivæ cap. 12. & 72. *Perfectorum* (inquit) *militum Chriſti Apoſtolorum coadjutores ſurrexerunt ſtrenuiſſimi viri, ſolitariæ contemplationi dediti ſanctorum prophetarum Eliæ & Eliſei imitatores, qui de monte Carmelo per Galilæam, Samariam fidem Chriſti conſtantiſſimè ſparſerunt, &c.* Vocat Eliæ imitatores & de Carmelo deſcendentes, non tantùm quoad habitum, non tantùm quoad religionis ſpiritum: ſed etiam quoad ſucceſſionem tam in capite quàm in membris. Sic intelligendus eſt Suarez tomo 4. *Suarez.* de religione lib. 2. cap. 10. *Eſt autem valdè recepta, & ſatis antiqua traditio religionem hanc à temporibus prophetarum, & ſignatim ab Elia inſtitutione ſuam ducere originem, & quaſi hæreditariam ſucceſsionẽ in monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit; quam traditionem ut veram ſuſcipimus, &c.* Expende illa verba. *Succeſsionem hæreditariam*, quæ modo præfato accipi debent. Sic explicandus Salianus ad annum 3127. *Salianus* num. 20. *Hinc autem* (inquit) *non levem accipit probabilitatem, quod Ieroſolymitanus Patriarcha Ioannes poſt reditum Eliæ de monte Oreb, & aſſumptũ Eliſeum in diſcipulum, & ſucceſſorem, cum Deo viſum eſſet ipſum hinc abducere, etiam alios diſcipulos in monte Carmeli collegiſſe, eosq́; ad vitam religiosè traducendã, nominatimque ad laudes Dei jugiter decantandas (undè & prophetare dicebantur) inſtituiſſe, habitu à prophanis hominibus, cultu converſationeq́; diſtinctâ.* Vocat Eliſeum non tantùm diſcipulum, ſed & ſucceſſorem. Quod probat ex eo quod etiam alios diſcipulos in monte Carmeli collegit, ſcilicet quaſi Dux hos milites ad bellum ſpirituale coegit.

VI. Sic accipiendus Gaſpar Sanchez in lib. 3. Regum cap. 17. num. 12. *Gaſpar Sanchez.* *Cùm tot eſſent diſcipulorum Eliæ excitata Cœnobia, non eſt difficile in Carmeli montem deductam eſſe quandam quaſi coloniam: quæ quia in loco tot nobilitato miraculis, & ipſo nomine Eliæ & ſacrificiis illuſtri, principem tandem locum inter reliquas Prophetarum domus obtinuit. Quod curaſſe Eliſeum veriſimile eſt, cùm tot à Magiſtro eſſet ornatus modis, neque beneficiis vellet notari ingratus & immemor: à quo loco iſte ſanctorũ ordo recepiſſe videtur nomen, & qui inſtitutum illud ſunt complexi, Carmelitæ vocati. Hinc opinor ortum habuerunt antiquum & nobilem, qui noſtro ævo Carmelitæ dicuntur, viri religionis gloriâ, & vitæ ſanctitate conſpicui, quod ut credam non ſolùm illius ordinis, ſed & omnium penè gentium conſtãs & perpetua traditio.* Cur inter tot filios Prophetarum ſolum Eliſeum nominat? Cur ait, *quod curaſſe Eliſeum veriſimile eſt*, niſi ut eum Eliæ ſucceſſorem denotet, qui loco ejus collegiis Prophetarum præerat. Hanc quæſtionẽ de ſucceſſione capitis ſibi proponit Salianus anno mundi 3204. num. 11. *Salianus* & reſpondet non negativè nec affirmativè. *Affirmare* (inquit) *non poſſum.* Deindè ſubdit. *Non defuiſſe ſaltẽ ſingulis virum ſapientem qui familiam regeret meritò credi poteſt.* Ratio cur dubiam ſolutionem reddat, eſt, quia nihil de iſtâ ſucceſſione poſt Eliſeum ſcriptura refert. Aliqui Authores exiſtimant in ejuſmodi ordine prophetico ſeu religioſo Abdiam ſucceſſiſſe Eliſeo, alii Ionam fuiſſe ſubrogatum contendunt

&c. contendunt. Iacobus Bouldocus lib. 5. de Eccleſiâ cap. 12. verius credit ejuſmodi regimen inſtituti Eliani fuiſſe ab Eliſeo communicatum Ionadab. Vt notat noſter Lezana in annalibus Ordinis noſtri anno mundi 3204. undè præfatus Bouldocus eum vocat. *Prophetarum Archimandritam. Non dicit* Lezana *fuiſſe Archimandritam domus quam habebant Propheta in Carmelo, in Iericho, in Bethel, in Galgata, &c. ſed Prophetarum.* Scilicet ubicumque locorum eſſent fuiſſe illorum omnium ſuperiorem. Quod noſter Pater Lezana probabile exiſtimat loco citato num. 9. anno ſcilicet ante Chriſtum 849. Accipe ejus verba. *Et janè ſi eo tempore in vivis erat id ſatis credibile eſt propter viri ſanctitatem & authoritatem. Incertum tamen propter monumentorum ejus avi inopiam. Illud certius ſingulis Collegiis aliquem ſapientiorem cæteris præpoſitum, qui familiam regeret ut Balianus dicebat : quin de toto corpore Ordinis id firmandum credimus. Quomodo enim unum corpus eſſe, regi & propagari poſſet ſine uno & præcipuo capite. Probabile etiam, ſaltem ex mente Cajetani in lib. 2. Paralipomenon cap. 28. Et Eliſei ſucceſſorem in Samariâ fuiſſe Obed prophetam, quem alii Odeb appellant de quo ſub anno 3294. mortuo* (inquit Cajetanus) *Siquidem Eliſeo florebat Propheta iſte in regno Samariæ.* Expende illa verba Lezanæ. *De toto Ordine, &c.* Quæ propagatio & ſucceſsio ſecundùm illum non debet intelligi de ſpiritu prophetico, quia à ſolo Deo dependet, nec tantùm intelligi de loco, de doctrinâ, de moribus, ſed etiam de tempore. Quaſi diceret, quomodò per tot ſæcula conſervari, & propagari poſſet? quomodo regi? niſi illud corpus ſub uno capite eſſet : quod aliis non tantùm ſanctitate, ſed & authoritate præemineret. Ex quibus concludo probabile eſſe in ordine Prophetico ſemper fuiſſe aliquod regimen ſub aliquo capite univerſali, Cujus ſeriem & ſucceſſionem vide apud Annaliſtas noſtri Ordinis.

§. I.

Teſtimonium Hiſtoricum.

AB umbrâ ad veritatem tranſeamus, in hâc videbimus Pontificum Romanorum ſucceſſionem ita certam, ut à nemine niſi ſchiſmatico & hæretico dubitari vel negari queat. Hanc ſucceſſionem omni ſæculo teſtantur Chronologiſtæ & Auctores fide digni. Primo ſæculo S. Linus in actis SS. Petri & Pauli, S. Clemens Rom. in ſuis recognitionibus. Sæculo ſecundo S. Irænæus lib. 3. cap. 3. Sæculo tertio Euſebius in chronicô & libr. 5. cap. 27. Sæculo quarto S. Epiphanius hæreſi 27. & alibi, Optatus lib. 2. contra Parmenianum & alibi. Ruffinus lib. 1. cap. 21. Sæculo quinto ſanctus Auguſtinus paſſim, Sanctus Hieronymus epiſtolâ 8. ad Demetriadem, & alibi. Theodoretus lib. 5. cap. 23. Socrates lib. 7. cap. 9, Sozomenus lib. 8. cap. 24. S. Proſper in Chronicô. Gennadius Maſſilius in Catalogô virorum illuſtrium. Sæculo ſexto Zonaras in chronicis. Nicephorus in hiſtor. Liberatus in Breviario. Evagrius in hiſtoriâ Eccleſ. Gregorius Turonenſis in hiſtoriâ Franciæ. Iſidorus de viris illuſtribus. Sæculo ſeptimo tomus 3, conciliorum. Octavo Beda, & Ado Trevirenſis in hiſtor. Nonô Ado Viennenſis in chronico. Freculphus Epiſcopus Lexovienſis de rebus geſtis à Nativitate Chriſti. Decimo Marianus Scotus in chronico. Vndecimo Sigebertus in chronicô. Duodecimo Robertus de Monte in chronicô Decimo tertio Ptolomæus Lucenſis in Chronicô. Decimô quarto Sanctus Antoninus paſsim. Decimo quinto Platina de vitis Pontificum. Matthæus Palmerius uſque ad annum 1450 & Mathias Palmerius uſque ad annum 1481. Nauclerus in generat. Opmerus in Chron. Volateranus in antropol. Decimô ſexto Cardinalis Baronius in annalibus Eccleſiaſticis. Alphonſus, Caconius de vitis Pontificum Coccius in Chronolog. Genebrardus in chron. Joãnes Marquiſius I.

in appendice Geneb. Onuphrius in ſupplemento Platinæ, Caniſius in chronico. Decimo ſeptimo Bzovius in auctuario Baronii. Dupleix in hiſtoriâ Franciæ. Iacobus Gualterus in tabulâ chronologicâ. Chapeauvillus, & Fizen in hiſtoriâ Leodienſis Eccleſiæ. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Pontifice Romano. Hermannus Weſſelingius in tractatu juridico politico. Noſter P. Lezana in annalibus noſtri Ordinis.

§. 2.

Teſtimonium Pontificum.

I. Clemen. Occurrit primo ſæculo S. Clemens Romanus qui in hæc verba ſcribit ad Iacobum fratrem Domini epiſt. 1. *In ipſis diebus, quibus finem vitæ ſibi innuere præſenſit, in conventu fratrum poſitus apprehensâ manu meâ, repentè conſurgens in auribus totius Eccleſiæ hæc protulit verba: Audite me fratres, & conſervi mei, quoniam (ut edoctus ſum ab eo qui miſit me Domino & Magiſtro meo IESV-Chriſto, dies mortis meæ inſtat, Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado.*

II. S. Anac. Sæculo ſecundo Anacletus epiſt. 3. *Aliæ primæ civitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus à ſanctis Apoſtolis, & à beato Clemente prædeceſſore noſtro, ſivè à nobis primates prædicatores acceperunt. Hæc verò ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis: ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro primatum obtinet & eminentiam poteſtatis ſuper univerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt.* Eandem ſucceſſionem profitentur Evariſtus Papa epiſt. 2. Alexander epiſt. 1. Victor epiſt. 1. Pius epiſt. 1. & 2. S. Anicetus epiſt. 1. in cujus ſucceſſionis recognitionem Irenæus apud Euſebium lib. 5. cap. 9. refert Polycarpum Smyrnenſem Epiſcopum (quem Hieronymus in catalogo totius Aſiæ principem vocat) *Aniceto Epiſcopatum adminiſtrante Romam adventaſſe, & tum de aliis rebus, quibus inter ſe diſcrepabant, tum de feſto Paſchatis contuliſſe.* Ideſt quamvis Polycarpus totius Aſiæ princeps ſeu primus eſſet; jam propè confectâ ætate Romam ſe contulit ad Anicetum ut Petri ſucceſſorem tum in Epiſcopatu Romano, tum in univerſalis Eccleſiæ principatu.

III. Tertio ſæculo Zepherinus Papa epiſt. 1. ſe Petro ſuccedere manifeſtat. Vndè inquit Euſebius lib. 5. cap. 27. *Natalius &c. Cùm viſiones à Domino ad ſe dimiſſas negligeret, tandem per ſanctos Angelos flagris graviter cæſus, cilicio & ſacco indutus, cineribus aſperſus cum lacrymis ad pedes Zepherini Põtificis ſe ſupplicem abjecit, & vix tandem in communionem Eccleſiæ receptus eſt.* Euſebius Cur potius ad pedes Zepherini provolvitur, quàm ad alterius Præſulis? quia hic Petri ſucceſſor eſt. Apud Eundem Euſebium lib. 6. cap. 12. aliis 11. *Origenes Zepherino eiſdem temporibus Romam Eccleſiam Eccleſiam gubernante, ſcribit ſe Romanam propterea iter ſuſcepiſſe, quod ſibi admodum erat in optatis Eccleſiam Romanam antiquiſſimam viſere.* Non vocat Romanam Eccleſiam antiquiſſimam ratione ædificiorum, ſed primatus Eccleſiaſtici perſeverantis in Zepherino. Vndè non dicit civitatem Romanam, ſed Eccleſiam, cujus Zepherinus caput erat. Vide epiſt. 2. Calixti & epiſt. 1. Lucii.

IV. Quarto ſæculo eadem ſucceſſio patet epiſt. 1. Marcelli papæ, epiſt. 3. Euſebii, epiſt. 1. Melchiadis, epiſt. 1. Marci, & Ægyptiorum ad eumdem, quas proteſtantes perperam affirmant eſſe confictas. ſed illis opponimus diuturni temporis, atque adeò plurium ſæculorum præſcriptionem, in quo ſpatio fidem bonam & in majoribus noſtris fuiſſe non eſt dubium, nam Gratianus ante quingentos annos, & Iſidorus ante mille annos eam tradidit. Confirmat hanc ſucceſſionem Iulius I. qui in epiſt. ad Orientales & extat in apologiâ 2. S. Athanaſii ſic loquitur. *Quæ accepimus à Beato Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico, non ſcripturas alioqui quæ nota apud vos eſſe arbitror, niſi facta ipſa nos conturbaſſent.* His verbis: *Quæ accepimus à Beato*

Petro

Petro. ſignificat ſe eſſe ſucceſſorem
Damaſ. S. Petri. Idem inſinuat Damaſus papa epiſtolâ 4. ad Epiſcopos Numidiæ. *Cuncta quæ poſſunt recipere aliquam dubitationem ad nos, tanquam ad caput, ut ſemper fuit conſuetudo, deferre non deſinatis.* Particulæ *ut ſemper, &c.* denotant eum gaudere eodẽ jure principatus Eccleſiaſtici, quo prædeceſſores, & ipſemet S. Petrus. Sic explicanda ſunt ejus verba epiſt. ad omnes Epiſcopos Orientales inſertæ cap. 10. lib. 5. hiſtoriæ apud Theodoretum. ſic intelligendus eſt Siricius papa epiſt. ad Hunericum Epiſcopum Taraconenſem.

V. Sæculo quinto Innocentius I. epiſt. 22. ſcribens Epiſcopis Macedoniæ *Adverti ſedi Apoſtolicæ, ad quam res latto quaſi ad caput Eccleſiarum miſſa cur-*
Innoc. I. *rebat, fieri injuriam, &c.* Quæ verba perperam diceret, ſi non eſſet Petri ſucceſſor. Eadem colligitur ex epiſt. ad Concilium Milevitanum, quæ eſt 93. inter epiſtolas S. Auguſtini, & epiſt. 91. ad Concilium Carthaginenſe, quæ eſt 91. ubi ait ſe firmam regulam ſequi, & Romanam ſedem vocat *Fontem & caput omnium Eccleſiarum.* S. Leo I. epiſt. 30 ad Martianum & Fauſtum. *In ſcriptis noſtris, quæ non ſolùm Apoſtolicæ ſedis auctoritate,*
S. Leo *ſed etiam ſanctæ Synodi, quæ ad nos frequens unanimitate directa ſunt, quantam curam totius Eccleſiæ habeamus, apparet.* Et poſt. *Memor ſum me ſub illius nomine præſidere, cujus à Domino IESV Chriſto eſt glorificata confeſſio.* Expende illa verba. *Me ſub illius nomine præſidere.* Ideſt ſucceſſorem eſſe. Idem ſcribens Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino epiſt. 81. *Petrus Apoſtolicum à Domino accepit principatum, & Romana Eccleſia in ejus permanet inſtitutis.* His ultimis ſatis patenter declarat ſe eſſe Petri ſucceſſorem: quod exprimit epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem. *Sicut* (inquit) *prædeceſſores mei, &c.* Vide quæ ſcribit Epiſcopis Africæ epiſt. 87. & Maximo Antiocheno epiſt. 62. Item ſermone de Natali Apoſtolorum. Gelaſius ſcribens Anaſtaſio Auguſto. *No-*
Gelaſius *ſtri fili clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate: rerum tamen præſulibus divinarum devotus colla ſubmittis, quantò potius ſedis illius præſuli conſenſus eſt adhibendus, quem Chriſti vox prætulit univerſis, quem Eccleſia veneranda confeſſa ſemper eſt, & habet devota primatem.* Ait præſulem illius ſedis à Chriſto fuiſſe prælatum univerſis, & ab Eccleſia ſemper, & nunc in primatem coli. Idem epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam conſtitutos. *Indignum eſt quemquam Pontificum hanc diffinitionẽ refutare, quam Beati Petri ſedem ſequi videat, & docere: ſatiſq; conveniens eſt, ut totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione, quam illic vigere cõſpiciat, ubi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.* Non poteſt ſedes Gelaſii eſſe ſedes Petri, nec ei totius Eccleſiæ ineſſe principatus, niſi Gelaſius ſit ſucceſſor Petri. Quod patenter declarat ſcribens Epiſcopis Dardaniæ dicens illam continuari & retineri Petri principatum.

Sexto ſæculo Joannes II. in epiſt VI.
ad Juſtinianum ſeniorem Auguſtum inſertâ codici Juſtiniani tit. 1. vocat ſedem Romanam Eccleſiarum caput, & Patrum regulam juxta præceptum Domini *Paſce oves meas.* Vigilius papa epiſt. ad Eucherium non tantùm
dicit Eccleſiam Romanam tenuiſſe, Vigilius.
ſed & tenere principatum. *Sancta Romana Eccleſia Petri merito, voce Domini conſecrata primatum tenet omnium Eccleſiarum, &c.* Idem reprehendens Theodorum Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopum in ſuâ Eccleſiâ non reſidentem, & ob alia crimina condemnans hæc verba profert, quæ habentur tomo 2. Conciliorum, quibus declarat ſe eſſe Petri ſucceſſorem. *Ex perſonâ & auctoritate Beati Petri Apoſtoli, cujus (licet exigui) locum gerimus.* Pelagius II. vocat Romanam ſe-
dem inſtituente Domino caput om- Pelag. 2.
nium Eccleſiarum epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientis. Idem Synodum Conſtantinopolitanam irritam reddens vocat ſe Petri ſucceſſorem. *Ex auctoritate S. Petri Apoſtolorum principis, & Domini Salvatoris voce, quâ Beato Petro poteſtatem ligandi, atque ſolvendi ipſe Salvator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus ejus indubitanter tranſivit,*

præcipio omnia quæ ibi ſtatuiſtis & vana & caſſata eſſe. Plura ibi. S. Gregorius papa lib. 4. epiſt. 55. mittens pallium Epiſcopo Corinthiorum. *Sicut* (inquit *prædeceſſores noſtri prædeceſſoribus veſtris conceſſerunt.* Idem ſcribens Conſtantinæ Auguſtæ hortatur ut ſedem Apoſtolicam pari honore proſequatur, quò majores Beati Petri. *Sicut parentes priores veſtri gratiã quæſiverunt, ita apud vos ejus honor nullatenus minuatur.* Lib. 5. epiſt. 60. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum *Semper* (inquit) *ad magiſtri ſui gremium, unde illi prædicatio ſalutis exorta eſt, totâ ſe conferre devotione ſentiimus.* Particula *Semper* ſignificat Gregorium eſſe legitimum ſucceſſorem, quod confirmat lib. 7. indict. 2. epiſt. 69. *Sine* (inquit) *Apoſtolicæ Sedis auctoritate atque conſenſu, nullas quæcumque acta* (in Synodo) *fuerint vires habere.* Et poſt. *Si quis ſcripta præſentia aliquâ in parte neglexerit, à Beati Petri Apoſtolorum principis pace ſe noverit ſegregatum.* Idem lib. 10. epiſt. 31. præſcribens formam abjurationis Epiſcopo ſchiſmatico, vocat ſe & alios Pontifices Petri ſucceſſores. *Per te S. Petro Apoſtolorum principi, atque ejus vicario beatiſſimo Gregorio vel ſucceſſoribus ipſius, &c.*

Gregor.

VII. Septimo ſœculo dum Honorius I. vixit ab ejus communione nullus Epiſcopus, nulla provincia diſceſſit. Agatho papa ſcribens Conſtantino IV. Imperatori, vocat Romanam ſedem & Eccleſiam Apoſtolicam Petri Eccleſiam, *quæ nunquam à viâ veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, &c.* Hic cùm defunctus eſſet antequam legati ſextæ Synodi reverſi eſſent, Leo II. ejus ſucceſſor accepit litteras Imperatoris & geſta Synodi, quæ confirmavit his verbis inſertis actione 18. ſextæ Synodi. *Quia ſancta & univerſalis, & magna ſexta Synodus definitionem rectæ fidei (ut dictum eſt) pleniſſimè prædicavit, quam & Apoſtolica ſedes Beati Petri Apoſtoli (cujus licet impares miniſterio fungimur) veneranter ſuſcipit, &c.* Ait ſe Petri miniſterio fungi.

Agatho.

S. Leo.

VIII. Octavo ſœculo cùm Carolus Magnus coram Clero & populo in Baſilicâ S. Petri rogaſſet ab Epiſcopis Italiæ & Franciæ ſententias de vitâ & moribus Leonis Papæ. Paulus Æmilius libr. 3. de geſtis Francorum ait, quod tunc *Epiſcopi magis ſacroſanctæ poteſtatis, quàm regiæ Majeſtatis memores conſentienti ore reclamavère ſummum, optimumque regem Carolum: ſed ruinam tandem de Pontifice Maximo judicium facere fas eſſe ſuſciperet Leo in gremium cauſam ſuam, quique in cæteris clavium jus haberet, de ſe quoque incorruptè judicaret, ſolo Numine vel teſte conſcientiâ, vel vindice. Ita Leo (haud ægrè ferente Franco demptum ſibi grave onus de Pontifice Maximo judicandi) ſuggeſtum conſcendit, crimenque jurejurando diluit.* Ex quâ hiſtoriâ patet Leonem papam cum Clero declaraſſe primam ſedem à nemine judicari, niſi à ſeipſâ, & in ipſo primatum Petri continuari, Romanos Pontifices & eſſe ſucceſſores Petri, & primatum jure divino poſſidere. Clarè innuit Adrianus I. epiſt. ad Conſtantinum & Irenem apud Baronium anno Chriſti 785. *Ipſe princeps Apoſtolorum beatus Petrus, &c. ſucceſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſimâ ſede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit, quibus & auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à Salvatore noſtro Domino Deo ei conceſſa eſt, ipſe quoque ſuis contulit, & tradidit divino juſſu ſucceſſoribus Pontificibus.* Particulæ *divino juſſu* ſignificant jus divinum. Hæ *ſucceſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſimâ ſede perenniter ſeſſuri ſunt.* Significant modernos Pontifices eſſe Petri ſucceſſores, eamque ſucceſſionem ſemper duraturam.

Adri. I.

IX. Sæculo nono epiſtolâ ad Michaelem Imperatorem eandem perpetuã ſucceſſionem indicat his verbis. *Privilegia Eccleſiæ Romanæ Chriſti ore in beato Petro firmata perpetua ſunt, divinitus radicata, atque plantata ſunt, impingi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt, evelli non poſſunt. Quæ ante imperium veſtrum fuerunt, & permanent (Deo gratias) hactenus illibata manebunt poſt vos, & quò uſque Chriſtianum nomen prædicatum nomen fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt immutilata.* Vide epiſtolam Paſchalis ad Epiſcopum Panormitanum quæ habetur

Nicol.

habetur in cap. *Significaſti*, extra. de electione.

X. Sæculo decimo Gregorius V. toti univerſo patefecit ſe legitimum Petri ſucceſſorem eſſe, ac Eccleſiæ primatum de jure divino poſſidere, dum transtulit imperium ad Germanos, ac jus & poteſtatem eligendi Regem Romanorũ ad certos Germaniæ proceres redegit, ut ex Scriptoribus Italis & Gallis aſſerunt S. Thomas, Henricus Oſtienſis, Alvarus Pelagius, Auguſtinus Triumphus, Joannes Villanus, Blondus Flavius lib. 3. decadis 2. Philippus Bergomenſis lib. 12. ſupplementi, Raphael Vollateranus lib 22. anthropologiæ. Platina in vitâ Gregorii V. Polydorus lib. 4. de inventoribus rerum cap. 7. aliâs 10. Cardinalis Florentinus in cap. *Venerabilem*, §. 1. col. 3. in 6. quæſt. numer. 7. Ioannes Andræas in idem cap. de elect. & in cap. *ad Apoſtolicæ*, de ſent. & re judic. lib. 6. Albericus in l. *Benè à Zenone*, num. 5. de quadrien. præſcript. Baldus in ſuâ Margaritâ. Ver. *Annus*. Andræas Alciatus in commentario legis bona civitatis, ff. de verborum ſignificatione, & in libro de ſingulari certamine cap. 32. Sanctus Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 13. Cardinalis Bellarminus lib. 3. de tranſlat. imperii Romani cap. 3. & multi Hiſtorici & Juriſtæ, Maximè ex Germanis, Nauclerus in 2. volumine chronographiæ gener. 34. Albertus Krantius lib. 4. Saxoniæ cap. 25. Ioannes Cuſpinianus in vitâ Othonis III. Ioannes Cario libr. 3. chronici: imò & Hæretici præcipuè Illyricus citans quendam Iordanum lib. de tranſlatione imperii dicentem. *Factum eſt quod S. Carolus Magnus Imperator de conſenſu & mandato Romani Pontificis ordinationem ſibi divinitus inſpiratam inſtituit & præcepit, ut imperium Romanorum apud electionẽ canonicam Principum Romanorum in perpetuum remaneret.* Idem disertis verbis Centuriatores Magdeburgenſes, ſeu Illyricus cent. 10. cap. 10. *Gregorius* (inquiunt) *ſuam patriam inſigni aliquâ dignitate ornaturus, ſanxit ut penes ſolos Germanos jus eſſet eligendi regem, qui poſt diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator & Auguſtus appellaretur.* Quibus omnibus favet decretum Concilii Generalis Vienenſis in Clementinâ, Romani Principes his verbis. *Eccleſia Romana à Græcis imperium tranſtulit ad Germanos & ab eâdem ad certos eorum Principes jus & poteſtas eligendi regem in Imperatorem poſtmodum promovendum pervenit.* Quod autem Gregorius non ut perſona privata, ſed publica: ſeu (ut Pontifex Romanus Petri ſucceſſor Germaniam tam inſigni decorarit honore patet ex publico inſtrumento Electorum imperii miſſo ad Nicolaum III. Pontificem, quod refert Bellarminus ſupra citatus, in quo Imperator vocatur. *Luminare minus in firmamento militantis Eccleſiæ, per luminare majus Chriſti vicarium illuſtratum.* Quod etiam ſucceſſionem Pontificum admittant, inferius exprimunt affirmantes ſe ratum habere quidquid à Romanorum rege donatum fuerit. *Sanctiſſimo Patri & Domino noſtro D. Nicolao Papæ tertio, ejusque ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ.*

Sæculo undecimo S. Leo IX. ſe ſucceſſorem Petri teſtatur epiſtolâ ad Petrum Patriarcham Antiochenum, his verbis. *Promotionem tuam ad Epiſcopale faſtigium electione Cleri & populi ſicut aſſeris factam; atque fidem tuam ſecundùm antiquæ conſuetudinis religioſum & valdè neceſſarium ſtudium Apoſtolicæ & primæ Sedi, cui Deo auctore; quamvis indigni præſidemus annunciare & exponere curaſti.* Dũm ait ſe præſidere Deo auctore Apoſtolicæ & primæ Sedi, tacitè innuit ſe Petri ſucceſſorem eſſe. XI.

Sæculo duodecimo in Concilio Lateranenſi primo part. 2. cap. 4. Alexander III. ſcribens Vigilenſi Epiſcopo, dum Romanæ Eccleſiæ ſe præſidere teſtatur, ſe Petri ſucceſſorem eſſe manifeſtat. *Cùm Romana Eccleſia, cui licet immeriti præſidemus ſit Mater Eccleſiarum omnium & Magiſtra, cogimur ex debito ſuſcepti honoris & regiminis, prout Dominus nobis dederit, reſpondere conſultationibus ſingulorum, ut dubiæ quæſtiones Apoſtolicæ Sedis providentia enodentur.* XII. *Alex. 3.*

Sæculo decimo tertio Innocentius VI. XIII.

tius IV. hanc in Fridericum ſententiam profert, quâ ſe legitimum Petri
Innoc.4. ſucceſſorem eſſe inſinuat. *Cùm IESV-Chriſti vices, licet immeritò teneamus in terris, nobiſq; in Beati Petri perſonâ ſit dictum: Quodcumque ligaveris ſuper terram, ligatum erit & in cœlis, &c.* Idem affirmat Clemens V. in Con-
Clem.5. cilio Viennenſi. *Illius, cujus vicem in terris (licet immeriti) gerimus, imitantes exemplum, &c.*

XIV. Sæculo decimo quarto Benedictus II. dicens. *Nos divinâ dignatione ad*
Bened.2 *apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, &c. auctoritate Apoſtolicâ definimus, &c* Sc Petri ſucceſſorem eſſe indigitat.

XV. Quam ſucceſſionem verbis expreſſis declarat Eugenius VI. in Concilio Florentino anno 1438. ſeu ſæculo decimo quinto, his verbis. *Item definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem in univerſum or-*
Eugen.4 *bem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſia caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV-Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Qui pro hac veritate etiam citat alia Concilia OEcumenica, & ſacros Canones.

XVI. Non minus evidenter eandem ſucceſſionem exprimit Paulus III. ſcribens Carolo V. Imperatori. Sed præ omnibus Adrianus VI. ſcribens Friderico Duci Saxoniæ. *Lutherus*
Adriā.6 *non modò Sacerdotes Dei: ſed & principem Sacerdotum, Petri ſucceſſorem, IESV Chriſti in terris Vicarium tam nefariis, infamibusque nominibus, tam inauditis contumeliis, convitiis ac blaſphemiis nunquam non lacerat, diſcerpit, ac inſectatur, &c.* Ne ſibi pluſquam pareſt Pontifices favere videantur, audiamus Eccleſias particulares.

§. 3.

Teſtimonium Eccleſiæ Orientalis.

Liberatus in Breviario refert ſanctum Athanaſium Alexandrinæ Sedis Antiſtitem appellaſſe ad Romanum Pontificem, ut legitimū Petri ſucceſſorem. Idem ſanctus Athanaſius & Ægyptii ſcribentes ad Marcum Romanum Pontificem ab eo poſtulant ſeptuaginta capitula Nicænæ Synodi, quæ per Victorem & Vincentium Apoſtolicæ ſedis Apocriſarios ad Sylveſtrum miſſa ſunt, approbari. *Optamus ut à veſtra ſedis auctoritate, quæ eſt Mater & Caput omnium Eccleſiarum ea capitula percipere per præſentes legatos mereamur.* Soʒomenus lib. 3. cap. 7. & Socrates lib. 2. cap. 11. & 13. aiunt præfatum Athanaſium, Paulum Conſtantinopolitanum Patriarcham, Marcellum Epiſcopum Ancyræ, Aſclepam Gazæ, Lucium Andrianopolis, propriis Eccleſiis ſpoliatos fuiſſe reſtitutos à Julio Pontifice Romano, poſtquam ſuas criminationes ut vero Petri ſucceſſori expoſuerunt. Nicephorus lib. 9. cap. 8. Soʒomenus libr. 2. cap. 11. Socrates lib. 3. cap. 7. Sanctus Athanaſius Apolog. 2. & Theodoretus ſcribunt Orientales Epiſcopos faſſos eſſe quod Pontifices Romani, ut potè ſucceſſores Petri primatum Eccleſiæ tenerent. Socrates lib. 4. cap. 30. S. Hieronymus epiſt. 16. ad Principiam narrant, quod cùm Petrus Epiſcopus Alexandriæ Athanaſii ſucceſſor Romam fugiſſet, & Româ cùm litteris Damaſi Papæ confirmantibus dicti Petri creationem reverſus eſſet, Populus Alexandrinus viſis litteris Papæ, ut D. Petri ſucceſſoris expulit Lucium, & Petrum in ſedem Epiſcopalem induxit. S. Joannes Chryſoſtomus per Synodum Epiſcoporum injuſtè depoſitus, ab Innocentio Papâ (ad quem ut Petri ſucceſſorem provocaverat) ſuæ ſedi reſtituitur. Cùm Neſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus eſſet de hæreſi ſuſpectus, nec tamen

tamen adhuc depoſitus. Cœleſtinus Papa ſcripſit ad S. Cyrillum in hæc verba. *Tu Eccleſia ipſius curam providentiamq́ ſuſcipias*. Leo I. ſcripſit Marciano Auguſto ut niſi Epiſcopus Conſtantinopolitanus à fide aberrans reſipiſcat, pœnas luet. Cùm Theodoretus Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ auctoritate muneris & nominis Epiſcopalis abuteretur, multaque ſcandala Eccleſiæ noxia perpetraret, Vigilius papa illum & ſacerdotio & communione privavit. Idem Vigilius Menam Epiſcopū Conſtantinopolitanū in eadem vitia lapſum & cæteros Epiſcopos tamdiu à ſacrâ communione ſuſpendit, donec ſua peccata congruá ſatisfactione dilueret. Eulogius Patriarcha Alexandrinus ſcripſit ſancto Gregorio (ut conſtat ex eodem Gregorio lib. 6. epiſt. 37. indict. 15,) *Quod Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps in cathedrâ ſuâ nunc uſque in ſuis ſucceſſoribus ſederes*. Quid clarius dici poteſt?

§. 4.

Teſtimonium Patrum Græcorum.

I, SUcceſſionem Pontificum Romanorum in Petri ſede Patres Græci conſtanter aſſeruerunt. S. Ignatius Martyr epiſtolâ ad Romanos. *Ignatius* (inquit) *Eccleſiæ ſanctificatæ quæ reſidet in regione Romanorum*. Vocat Eccleſiam Romanam ſanctificatā, quaſi non foret ſancta, niſi aliquis S. Petri ſucceſſor in eâ præſideret. S. Irenæus origine Græcus, Epiſcopatu Gallus lib. 3, cap. 3. *Maxima* (inquit) *& antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à duobusglorioſiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata & conſtituta Eccleſia, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annunciatam omnibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, confundimus eos, qui quoquo modo vel ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſcientiam, præter quā oportet colligunt*. Nota illa verba. *Quam habet ab Apoſtolis traditionem*.

Ignatius *S. Iren.*

Item. *Per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos*. S. Epiphanius hæreſi 68 agens de Miletianis narrat Vrſacium & Valentem Epiſcopos veniam petiiſſe à Romano Pontifice. *Vrſacius & Valens pœnitentiam agentes unà cum libello profecti ſunt ad Beatum Iulium Romanum Epiſcopum pro ratione reddendâ de ſuo errore ac delicto*. Cur potius ad Julium Romanum Epiſcopum, quàm ad alium pergunt? niſi quia eſt ſucceſſor Petri. Quam ſucceſſionem exprimit hæreſi 27. quæ eſt Carpocratis. *Epiſcoporum in Româ ſucceſſio hanc conſequentiam habuit Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evariſtus, Alexander, &c.* S. Athanaſius apologiâ 2. & epiſt. ad Fœlicem papam, ſic illum affatur. *Ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet præſules in ſummitatis arce conſtituit, omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis, &c.* His verbis *Vos, prædeceſſoreſque veſtros &c.* manifeſtè teſtatur ſucceſſionem Pontificum Romanorum. Sic explicandus, dum in epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes ait. *Primum nè Liberio quidem Romano Epiſcopo peperecerunt, nullâ reverentiâ moti, quod Sedes illa Sedes Apoſtolica eſſet*. Si ſedes Liberii eſt *Apoſtolica*, Igitur in illâ ſede eſt Petri ſucceſſor. Dorotheus in ſynopſi. *Linus poſt Coryphæum Petrum Romæ Epiſcopus fuit*.

S. Epiph. *Athan.*

§. 5.

Teſtimonium Conciliorum Orientalium.

EX tomis Conciliorum, quæ hodie extant, eadem Rom. Pontificum ſucceſſio patet. Nam Concilium Nicænum canon 6. *Mos* (inquit) *Antiquus perduret in Ægypto & Lybiâ, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt*. Concilium non ait quod Roman Epiſcopus habeat hujus vel illius regionis adminiſtrationem, ſed *habeat Epiſcopus Alexandrinus curam Ægypti, Lybiæ, &c.* Nihil circa I.

Concilii Nicæn.

Romanam Eccleſiam ſtatuit. Nec ullos certos terminos præſcribit: ſed potius per illa verba, *parilis mos eſt*, ſeu *ita conſuevit*. Innuitur quod ipſa ſit regula aliarum, & ex more antiquo primatum poſſideat, ut patet ex initio hujus Canonis, quem his verbis in Concilio Chalcedonenſi action. 16 citat Paſchaſius Epiſcopus. *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, mos autem perduret.* Particulæ *ſemper* & *perduret*, ſignificat ſucceſſionem. Alanus Copus in primo dialogo annotavit quendam Dionyſium Abbatem ante annos mille ſic vertiſſe ex Græco, poſtquam judices Concilii Chalcedonenſis actione 16. audiverunt hujus Canonis lectionem, reſponderunt. *Perpendimus omnem primatum & honorem præcipuum ſecundùm Canones antiquæ Romæ amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Quod autem hæc verba. *Quoniam & Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, vel *ita conſuevit*, vel *talis eſt Epiſcopo Romano conſuetudo*, primatum & ſucceſſionem Romanæ ſedis non deſtruant, ſed aſtruant, patet ex Nicolao I. epiſt. ad Michaelem, qui ſic exponit, ſcilicet Alexandrinum Epiſcopum debere regere alias provincias, quia Epiſcopus Romanus ità conſuevit, ideſt conſuevit permittere Epiſcopo Alexandrino curam Ægypti, Lybiæ, Pentapolis, antequam Cõcilia definirent, vel principum nutus accederet. Quod verò ejuſmodi Synodus Nicæna celebrata fuerit auctoritate Romani Pontificis ac ſucceſſoris Petri, patet ex epilogo brevi Concilii Romani, quod poſtea ſub eodem Sylveſtro papâ coactum fuit. *Temporibus Sylveſtri papæ & Conſtantini piiſſimi Auguſti factum eſt magnum Concilium in Nicæâ Bithyniæ, & congregati ſunt regulariter ejuſdem Sylveſtri papæ vocatione in idipſum trecenti decem & octo Epiſcopi Catholici.* Præterea act. 18. ſextæ Synodi refertur Conſtantinum & Sylveſtrum magnã Synodum in Nicæâ congregaſſe. Cedrenus auctor Græcus in compendio hiſtoriarum teſtatur Vitum & Vincentium Sylveſtri loco & nomine Nicænæ Synodo præfuiſſe. Idem refert ſanctus Athanaſius lib ad ſolitariam vitam agentes, ubi ait Oſium præſulem Cordubenſem fuiſſe in eo Concilio, qui cum foret ſimplex Epiſcopus, ac proindè omnibus Patriarchis qui erant in Concilio inferior, nunquam primum locum habuiſſet, niſi quia vices gerebat Romani Pontificis ſucceſſoris S. Petri. Idem habet Theodoretus dicens *Trecenti decem & octo Epiſcopi ibi in unum convenerunt. Epiſcopus autem Romanus propter ætatem admodum ingraveſcentem, abfuit. Verùm duos ille miſit Presbyteros poteſtate illis conceſſâ actis illius Concilii aſſentiendi.* Scilicet quaſi diceret Præſides. Eidem quidem interfuit Conſtantinus, ſed non præfuit, ut facile colligi poteſt (Theodoretus.) ex tomo 1. in ſecundâ Synodo Romanâ. *Sylveſter* (inquit) *Epiſcopus Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, à ſanctis Sacerdotibus* 318. *noſtro ore conformiter confirmamus omnes qui auſi fuerint diſſolvere definitionem magni & ſancti Concilii, quod apud Nicæam congregatum eſt ſub præſentiâ piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini Auguſti, anathematiſamus, & dixerunt, Placet.* (2. Synod Rom.) Lege Spondanum ad annum 325. & ſeq.

II. Accedit Concilium Generale Cõſtantinopolitanum ſub Damaſo papâ contra Macedonium, cujus meminit Theodoretus lib. 5. hiſtor. cap. 9. ubi epiſtolâ ad Damaſum fatetur ſe conveniſſe apud urbem Conſtantinopolitanam vigore litterarum Pontificis. Ejuſdem meminit Baronius ad annum 381. Quod autem in eo præſederint legati Pontificis; ſcilicet Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus; Bellarminus lib. 1. conciliorum reddit rationẽ, quia cùm ob juſtas cauſas Orientales ſe excuſarent venire Romam. Papa permiſit Epiſcopo Conſtantinopolitano præſidere, reſponditque Epiſcopis Orientalibus ſecundùm Theodoretum cap. 10. *Quod veſtra charitas debitam ſedi Apoſtolicæ reverentiam tribuit, filii honoratiſſimi, vobis ipſis quoque maximo ſanè honori eſt. Nam tametſi in ſanctâ Eccleſiâ, in quâ ſanctus Apoſtolus ſedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula quæ ſuſcepimus, tractanda ſunt, nobis primæ partes deferuntur.* His verbis, *In quâ ſanctus*

Apoſtolus

Apoſtolus ſedens nos docuit, denotat Damaſum eſſe Petri ſucceſſorem.

III. Idem fatetur Concilium Chalcedonenſe celebratum anno 451. act. 1. 2. & 3. paſſim vocans Leonem I. *Univerſalis Eccleſiæ Pontificem.* Et Patres Concilii epiſt. ad Leonem *Et poſt hæc* (inquiunt) *omnia inſuper contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatẽ.* Quibus verbis aſſerunt Romanum Pontificem univerſæ Eccleſiæ ſeu vineæ Domini curam habere ſibi commiſſam à Chriſto. Hujus Synodi Præſides fuère ex parte Romani Pontificis Paſchaſius & Lucentius Epiſcopi, Baſilius & Bonifacius Præsbyteri abſque prævio conſenſu Imperatoris cõtra Calvinum.

IV. In Concilio Epheſino celebrato ſub Cœleſtino I. anno 431. Philippus Præsbyter de ſucceſſione pontificum Romanorum hoc præclarum teſtimonium corã generali Synodo fert.
Philipp. Præsb. *Nulli* (inquit tom. 2. conciliorũ c 16) *dubium eſt imò ſæculis omnibus notum eſt, ſanctum Petrum Apoſtolorum principem, & caput Eccleſiæ Catholicæ fundamentum per ſucceſſores ſuos huc uſque ſemper vivere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe. Hujus itaque ordinarius ſucceſſor Papa Cœleſtinus nos ad hanc Synodum miſit.* Ait Petrum per ſucceſſores ſuos huc uſque ſemper vivere, & ejus ordinarium ſucceſſorem eſſe Cæleſtinum. Vndè cùm idem Concilium deponit Neſtorium aſſerit ſe id præſtare ex mandato litterarum Apoſtolicarum Cæleſtini Romani pontificis, ut habet Evagrius libro 1. cap. 4, dum idem Concilium ſcribit Cœleſtino, ait ſe non auſum fuiſſe judicare cauſam Joannis Antiocheni, quæ magis dubia erat, quam cauſa Neſtorii: ſed reſervaſſe judicio ipſius Cœleſtini. Quod noſter Cyrillus pro pontifice Romano illi Concilio præfuerit teſtatur Nicephorus lib. 14. cap. 34. his verbis. *Ad Cyrillum, ut locum ibi ſuum obtineret, Cœleſtinus ſcripſit.*
Niceph. Quæ omnia manifeſtè innuunt Cæleſtinum fuiſſe recognitũ à præfato Concilio ut legitimum Divi Petri ſucceſſorem. Vide plura apud Evagrium, Liberatum, Nicephorum, Balſamonem, Photium & Baronium anno 430.

V. Secunda Synodus Conſtantinopolitana, quæ congregata eſt per Mennam Patriarcham, ſeu (ut alii) per Eutychium Mennæ ſucceſſorẽ in cauſâ Anthimi action. 4 fatetur ſe ſedi Apoſtolicæ Romanæ in omnibus parere. 2. Synodi Conſtan. *Nos* (inquit) *Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus, & ipſius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsâ nos condemnamus.*

VI. Secundum Concilium Nicænum, ſivè ſeptima Synodus anno 787. recipit epiſtolam Adriani ad Taraſium his verbis. *Cujus ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit, unde & ipſe beatus Petrus Apoſtolus Dei juſſu Eccleſiam paſcens nihil omninò prætermiſit, ſed ubique principatum obtinuit & obtinet.* Hæc verba. *Primatum obtinens lucet.* Item. *Caput exiſtit.* Item. *Vbique principatum obtinuit, & obtinet.* denotant perpetuam ſedis Apoſtolicæ & Romanæ ſucceſſionem. Præfatus Taraſius (ut patet ex actione 2. Synodi hujus) poſt lectionem epiſtolæ Adriani Pontificis ſcriptam pro ſacrarum imaginum veneratione, ita in Synodo reſpondit. *Hoc teſtimonium & nos inſequi par eſt, temerariumque repugnare, quamobrem Adrianus veteris Romæ primas, & teſtatorum principum ſucceſſor, clarè & verè mihi ſcripſiſſe videtur.* Vocat Adrianum ſucceſſorem Petri & Pauli. Eandem ſucceſſionem agnoſcit actione 6. reprobans Synodum coactam à Conſtantino Copronymo, ait: *Non habuit cooperarium, ut hæc, quæ nunc celebratur, Romanum papam, neque illius ſacerdotes, neque per vicarios, neque per provinciales litteras quemadmodum fieri in Synodis debet. Quin etiam neque concordantes ſibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum, inquam, Antiochenum, & urbis ſanctæ ſummos Pontifices.* Vocat Romanum Pontificem urbis ſanctæ pontificem, quia eſt ſucceſſor S. Petri, ut innuit Pelagius II. pontifex ſcribens Epiſcopis qui Conſtantinopolim cõvenerant anno 581. ubi ait poteſtatem à Chriſto collatam

Petro indubiè tranſmiſſam ad ſucceſſores, ideòque nemini licere illis invitis & neſciis Concilium congregare. *Cùm generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apoſtolicæ ſedi beati Petri ſingulari privilegio ſit tradita, quapropter quidquid in prædicto veſtro conventiculo (quia Synodus taliter præſumpta eſſe non poteſt) ſtatuiſtis ex auctoritate ſancti Petri Apoſtolorum principis, & Domini Salvatoris voce, quâ Beato Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi ipſe ſalvator dedit (quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus indubitanter tranſivit) præcipio & vana & caſſa eſſe: ita ut deinceps nuſquam appareant, ſeu ventilentur.* Pelagius vocat ſedem Romanam Apoſtolicam, atque ait ad ipſam ſpectare auctoritatem convocandi Synodos Generales: ita ut nulla Synodus poſſit unquam eſſe rata niſi fuerit fulta auctoritate Apoſtolicâ. Deindè per hæc verba. *Auctoritate S. Petri Apoſtolorum principis, & Domini Salvatoris voce, quâ beato Petro, &c. poteſtatem dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus indubitanter tranſivit.* Oſtendit ſe ut Romanum pontificem eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, ſeque Petri poteſtate abſque dubio gaudere.

Pelag. 2

VII. Concilio octavo Generali, ſeu quarto Conſtantinopolitano, quod celebratum eſt anno 869. Donatus & Stephanus Epiſcopi cum Marino Diacono præfuerunt, ſententiam dixerunt, ſubſcripſerunt. Vbi Imperator rogatus noluit ſubſcribere niſi poſt Patriarchas. Quod autem Concilium Florentinum poſt initium hanc Synodum abrogarit, Baronius refundit in ignorantiam Juliani Cardinalis diſputantis in eâ Synodo cum Marco Epheſino negante hanc Synodum, ac falsò aſſerente eam fuiſſe abrogatam à Joanne pontifice & Photinianam approbatam, quæ damnavit hanc octavam ſub Adriano II. cui Julianus nimis indulſit concedens non concedenda. Sed hujus abrogationis falſitas patet profeſſione ſolemni, quam ſtatim emiſerunt pontifices creati, acceptandi & definiendi cuncta quæ definita ſunt in his octo Conciliis Generalibus. Omiſi Sardicenſe anno 437. ſub Julio I. in quo præfuerunt Archidamus & Philoxenus legati ſedis Apoſtolicæ, ut poſt S. Athanaſium apol. 2. refert Severinus I. in notis Concilii in explicatione OEcumenici. Ratio omiſſionis eſt, quia ex antiquis Patribus vix quiſquam illud recenſet inter Concilia generalia Orientalia, cùm non differat à Concilio Nicæno in decretis fidei & Patrum conſeſſu. Vndè in tomo Conciliorum vocatur appendix Nicæno. Vide plura apud Baronium ex Sozomeno. Calvinus videns ſe veritate convictum more ſuo confugit ad convitia vocans Romanum pontificem fraudulentum.

§. 6.

Probatur ex electionibus Epiſcoporum Orientalium confirmatis à Sede Romanâ.

Non tantùm Concilia Eccleſiæ Orientalis indigebant confirmatione Romani Pontificis, ut ſucceſſoris Petri; ſed etiam ipſorum Epiſcoporum electiones. Audi Baronium ad annũ Chriſti 482. *Stephanus junior Antiochenus Epiſcopus tertio ſuæ ſedis anno ex hac vitâ migravit, ſtatimq; in ejus locum electus eſt Calendion Epiſcopus, maximâ à collectâ ibi Synodo directus eſt Anaſtaſius Epiſcopus ad Romanum Pontificem ex more ut ejus electionem ratam haberet.* Particulæ *ex more* denotant legitimam ſucceſſionem. Idem legimus de electione Epiſcopi Alexandrini, quæ rata non erat, niſi à Romano pontifice confirmaretur, ut patet ex epiſtolâ 17. Simplicii papæ ad Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum. *Nuper ab Ægyptiâ Synodo, &c. Cùm ecce ſecundùm conſuetudinem mihi talia diſponenti tranquilliſſimi principis ſcripta ſunt reddita, quibus memoratum, tanquam perjurii reum (quod fraternitati quoque tuæ non eſſe diceretur incognitum) ſacerdotio perhiberet indignum, illicò retraxi pedem, & meam revocavi ſuper ejus confirmatione ſententiam: nè quid contra tantum ac tale teſtimonium præproperè feciſſe* I. Baron. Simplic. papa.

feciſſe judicare. Ex quâ epiſtolâ Baronius ad annum 482. rectè hæc refert. Baro. *Hæc cùm adeò diſertis verbis de confirmatione Epiſcopi Alexandrini Simplicius dicat, puto Lector intelligis veterem morem, ut non haberetur firma, ratavè Alexandrini, ſicut nec Antiocheni novi Antiſtitis electio, niſi illa à Romano Pontifice confirmaretur. Cùm ejus rei causâ mox iidem electi, & Synodi elegerant, ſtatim poſt creationem eorundem (ut ſæpius factum vidimus) mittere ſolerent ad ipſum Romanum Pontificem legationem cum fidei profeſſione, ut quæ per ipſos facta eſſent, ab eodem Romano Pontifice confirmarentur. Ante hæc autem haud idonei illi habebantur, ut ipſis reliqui Epiſcopi communicarent, quibus nondum Romanus Antiſtes communicaſſet.* Quibus verbis clariſſimè inſinuat. Quod electio Epiſcopi Antiocheni & Alexandrini rata non haberetur, niſi à Romanis Pontificibus ut veris Petri ſucceſſoribus confirmaretur. Eodem modo de Conſtantinopolitano Epiſcopo philoſophandum eſt ſcilicet ejus electionem nullam fore, niſi Pontificis Romani accederet confirmatio. Id patet ex Leone papâ epiſt. 33. ad Theodoſium Auguſtum, ubi ſcribit ſe nolle confirmare Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, niſi ea ſe credere profiteretur, quæ ſancti Patres de Incarnatione Domini tenuiſſent, ac prædicaſſent, & quæ continerentur in ſuis ad Flavianum, & in Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis. Liberatus in Breviario cap. 18. narrat Flavitam fuiſſe ordinatum Epiſcopum Conſtantinopolitanum poſt Acacium. *Qui non conſenſit* (inquit) *ſine Romano Epiſcopo inthroniſari, ſed tranſmiſit Synodicam Papæ Romano Fœlici, qui modico vivens tempore moritur, non accipit epiſtolam ipſius; & factus eſt Euphemius Epiſcopus, genere Alexandrinus, qui & ſuſcepit à papâ Romano ſcripta.* S. Gregorius lib. 5. epiſt. 6. ſcribit Romanum pontificem non conſueviſſe ſcribere ad novum Patriarcham, niſi prius epiſtola Synodica ejus nomine illi redderetur. Et lib. 6. indict. 15. epiſt. 4. reſpondet ad Synodicam epiſtolam Cyriaci Epiſcopi Conſtantinopolitani, de curâ paſtorali, de cuſtodiendâ charitate. Ex quâ epiſtolâ liquet Cyriacum miſiſſe profeſſionem ſuæ fidei in Synodicâ ad Romanum Pontificem.

Baronius ad annum 482. refert officium Vicariæ, præfecturæ, curæ ſedis Apoſtolicæ in Oriente fuiſſe collatum per Simplicium papam Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano, & 11.
colligitur ex ejuſdem epiſt. 17. ubi conqueritur, quod certiorem eum nō feciſſet de his, quæ acciderant in Eccleſiâ Alexandrinâ. *Proindè* (inquit) *delegatum tibi munus impendens ſenſus tuos prudenter attolle.* Quod ſi à Romano Pontifice munus Epiſcopale, & Vicaria præfectura in Oriente dependet, facile colligere eſt pontificem eſſe Vicarium Chriſti, & Petri ſucceſſorem. Quod innuit S. Leo epiſt. 84. cap. 2. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem. S. Leo *Quoniam ſicut prædeceſſores mei, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum ſecutus exemplum vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divinâ inſtitutione debemus imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares, & longinquis ab Apoſtolicâ ſede provinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes.* Illis verbis, *priorum ſecutus exemplum, &c.* Item, *quam univerſis Eccleſiis ex divinâ inſtitutione debemus.* Item, *& longinquis ab Apoſtolicâ ſede provinciis, &c.* Significat ſe non humano ſed divino jure ex antiquiſſimâ & receptiſſimâ praxi, Vicarium Chriſti & Petri ſucceſſorem recognitum, etiam in remotiſsimis provinciis Orientalibus, & ibidem vices ſuas delegare: ita ut de Romano Pontifice etiam ſit intelligendum illud ejuſdem ſancti Leonis placitum, epiſt. 80. *Hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum voluit pertinere, ut in Beato Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocares, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua, velut in corpus omne diffunderes.* Quaſi diceret; eſto omnis poteſtas ſit à Domino Deo, eſto Epiſcopi ſint à Chriſto inſtituti in Eccleſiâ, Actor. cap. 20. verſ. 20. Actor. 20. v. 18. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere*

Eccleſiam

Eccleſiam Dei. Eſto quod Epheſ. cap. 4. verſ. 11. *Alios dedit Paſtores & Doctores*. Non poſſunt Eccleſiam regere & adminiſtrare, niſi à Romano pontifice ut Petri ſucceſſore ſuam juriſdictionē accipiant. A Deo, & à Romano pontifice munus paſtorale accipiunt, à Deo mediatè, à Romano præſule immediatè. Qui præſul ut cauſa ſubordinata à Deo ut ſuperiore mutuatur vim confirmandi Epiſcopos.

§. 7.

Teſtimonium Epiſcoporum Orientalium recurrentium in negotiis Eccleſiaſticis, necnon fidei & morum ad Pontificem Romanum ut Petri ſucceſſorem.

I. IRenæus apud Euſebium lib. 5. cap. 24. refert Polycarpum Smyrhenſem Epiſcopum (quem S. Hieronymus in catalogo totius Aſiæ principem vocat, &c.) *Aniceto Epiſcopatum* S. *Iren.* *adminiſtrante Romam advenïaſſe, & tam de aliis rebus, de quibus inter ſe diſcrepabant, tum de feſto Paſchatis contuliſſe.* Cur potius Romam, quàm aliò perrexit? cùm eſſet jam confectâ ætate, & totius Aſiæ primas eſſet, & Apoſtolorum auditor? Acceſſit tanquam ad Petri ſucceſſorem, & cujus communio neceſſariò erat retinenda. Tertio ſœculo Euſtachius apud Baſilium epiſt. 74. ex Sebaſteâ minoris Armeniæ fugatum in Occidentem confugiſſe. Vndè quibuſdam conditionibus illi à Beatiſſimo Liberio propoſitis epiſtolam retulit, quâ in Concilio Tyano oſtensâ, reſtitutus eſt in locum. Sed quia fidem propter quam ſuſceptus eſt depopulabatur, petitur, ut tam ipſe, quàm Apollinarius & Paulinus per litteras Epiſcoporum Occidentis ad omnes Eccleſias Orientis perſcriptas, niſi errores corrigant à communione ſepararentur. Ita & admittuntur ad communionem, & ab eâ excluduntur, quos Romanus pontifex Petri ſucceſſor, cui aſſident Epiſcopi Occidentales cauſâ cognitâ admittit, vel repellit. Quarto ſæculo S. Athanaſius apolog. 2. ex epiſtolâ *Athan.* Julii papæ ad Euſebianos hæc verba Julii refert, *Quæ accipimus à beato Petro Apoſtolo ea vobis ſignifico*. Quæ verba denotant Julium eſſe ſucceſſorem Petri. Id teſtari iterùm videtur ſanctus Athanaſius epiſt ad ſolitariam vitam agentes, quâ refert Conſtantium pluris feciſſe mentem ac ſententiam Liberii Pontificis, quàm omnium Epiſcoporum Orientalium, quod ſanè non præſtitiſſet, niſi exiſtimaſſet Liberium eſſe ſucceſſorem ſancti Petri, & Vicarium Chriſti. *Trahitur* (inquit Athanaſius) *Liberius ad Imperatorem, quò cùm perveniſſet magnâ quoque & ibi liberalitate dicendi uſus eſt. Deſine, inquiens perſequi Chriſtianos, nè tenta per me hæreticā impietatem in Eccleſiam introducere. Ad omnia potius ſuſtinenda parati ſumus, quàm nos Chriſtiani, eò deveniamus, ut Arsani appellemur: nè coge nos fieri Chriſti perduelles. Ita tunc Liberius locutus omnibus admirationi erat* Infra. *Miſſis à Liberio ad Cæſarē, Eutropio Presbytero, & Hilario Diacono, alterum eorum nempè Presbyterum in exilium miſere: alterius verò terga detractis veſtibus flagellis conciderunt, flagellatumque exſortem fecére. Inter verbera ita Diacono verbis inſultantes. Quare Liberio non reſtitiſti; ſed ejus litteras attuliſti? ad iſtum modum Romanam Eccleſiam adorti ſunt pervertere, cupientes illi admiſcere ſuam impietatē.* Cur obedientiam præſtitam Liberio improperat, & propter illam tantas pœnas infligit? nonne multi alii erant Epiſcopi Liberianæ opinioni inhærentes? Cur Eunuchi jactant ſe: *Si Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, brevi ſuperabimus?* Cur mox Imperator dona mittit ad Liberium *Sperans per eum ſe omnes poſſe attrahere?* Cur idem Imperator Cōſtantius teſte Theodoreto lib. 2. cap. 16. ita Liberium affatur: *Tantanè orbis terræ pars, Liberi in te reſidet ut tu ſolus hominis impio ſubſidio venire, & pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas.* Niſi quia Liberius erat ſucceſſor Petri.

Cùm Anaſtaſio imperante Aſia variis erroribus maximè Eutychianorū illaquearetur II.

illaqueare tur Epiſcopi religionis Dardaniæ ut ab iis immunes evaderent, Gelaſio pontifici hanc epiſtolā ſcripſerunt, apud Baronium ad annum 492. num. 32. cum illâ inſcriptione, *Domino ſancto Apoſtolico, & beatiſſimo* Baron. *Patri Patrum Gelaſio urbis Romæ humiles Epiſcopi Dardaniæ.* Illum Patrem Patrum vocantes eodem honore afficiunt quo Petrum: Eundem quoque primatum aſſerunt quem Petri. Id contextu epiſtolæ confirmant. *Saluberrima apoſtolatus veſtri præcepta Tryphone viro religioſo filio noſtro deferente quâ oportet devotione ſuſcepimus: & maximas Deo omnipotenti & beatitudini veſtræ referimus gratias, quod nos paſtorali admonitione & Evangelicâ doctrinâ viſitare dignatus es Domine ſancte, Apoſtolice & Beatiſſime Pater Patrum. Deſiderii enim noſtri eſt juſſionibus veſtris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus noſtris accepimus, ſedis Apoſtolicæ, quæ vitæ & meritis delata eſt, præcepta intemeratè ſervare, &c.* His verbis, *Sedis Apoſtolicæ, quæ vitæ & meritis veſtris delata eſt,* agnoſcit Gelaſium ut Petri ſucceſſorem, quem infra iterùm ſic alloquitur. *Et ſi qui pravâ intentione (quid neque arbitramur, neque optamus) à ſede Apoſtolicâ ſe crediderint ſegregandos, ab eorum nos aliás eſſe cōſortio profitemur quoniam (ut dictum eſt) Patrum in omnibus cuſtodientes præcepta & inviolabilia ſacroſanctorum canonum inſtituta ſectantes, Apoſtolicæ & ſingulari illi ſedi veſtræ communi fide, & devotione parere contendimus.* Gelaſii ſedem vocat Apoſtolicam & ſingularem; cui omnes Epiſcopi Dardaniæ communi fide & devotione parere contendunt. Baronius ad annum 495. num 3. Dardanorum litteris ſcribit reſpondiſſe his verbis, quibus ſe ſucceſſorem indubitatum ſancti Petri aſtruit. *Non reticemus autem, quod cuncta per mundum novit Eccleſia: quoniam quorumlibet novit ſententiis ligata ſedes Beati Petri Apoſtoli jus habet reſolvendi, ut potè quod de omni Eccleſiâ fas habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio, ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illâ autem nemo ſit appellare permiſſus. Quapropter cum ſatis conſtet Acacium nullum habuiſſe Pontificium, ſententiâ ſedis Apoſtolicæ damnatum ſine ullâ ejus actione ſolvendi, dicant certè quâ Synodo hoc ille præſumpſit, quod nec ſiquidem abſque Apoſtolicâ ſede fas haberet efficere? Cujus ſedis Epiſcopus? Cujus Metropolitanæ civitatis Antiſtes?* III *Nonne parœciæ Heracleenſis Eccleſiæ.* Per illa verba, *Abſque Apoſtolicâ ſede, &c.* innuit privilegia conceſſa Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ abſque conſenſu ſedis Apoſtolicæ nulla eſſe, contra quæ indubiè reclamaſſet Euphemius, ſi Gelaſius non fuiſſet ſucceſſor Petri. Quod conſequenter indicat affirmans Romanum Pontificem non indigere Synodali cōventu ut judicet. *Sed nec præterimus, quod Apoſtolica Sedes frequenter (ut dictum eſt) more majorum, etiam ſine ullâ Synodo præcedente, & abſolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippè Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum ſedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam Catholicorū Præſulum certè damnarat, quem ſimili modo ſedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit. Itemque ſanctæ memoriæ Flavianum Pontificem congregatione damnatum pari tenore, quoniam ſola ſedes Apoſtolica non conſenſit, abſolvit; potiusque (qui illic receptus fuerat) Dioſcorum ſecundæ ſedis præſulem ſuâ auctoritate damnavit, & impiam Synodum non conſentiendo ſubmovit, ac pro veritate ut Synodus Chalcedonenſis fieret ſola decrevit, in quâ pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Epheſino veniam poſcentibus ſola conceſſit, & in ſuâ perfidiâ permanentes nihilominus ſuâ auctoritate proſtravit: quam congregatio, quæ illic pro veritate reportandâ collecta fuerat eſt ſecuta. Quoniam ſicut id, quod prima ſedes non probaverat, conſtare non potuit, ſic quod illa cenſuit judicandū tota Eccleſia ſuſcepit, &c.* Gelaſius alia exempla adducit, quibus oſtendit Romanam ſedem eſſe omnium primam & Apoſtolicam, ideſt

ab Apoſtolo Petro fundatam. Ibidem ridet Euphemium qui ob regiam dignitatem ſupra Orientales Præſules ſibi primatum arrogabat, quem tamen ut ſchiſmaticum ſede dejecit, & ab Eccleſiæ gremio abſcidit.

III. Sæculo ſexto Patres Orientales ſcribunt Symmacho papæ, eumque Petri ſucceſſorem clarè ac ingenuè fatentur. Poſtquam drachmæ ovis perditæ parabolam cum aliis produxerunt, ſubſunt. *Hæc diximus, Sanctiſſime, auſi ſupplicare non pro perditione unius ovis, neque perditione unius drachmæ; ſed pro amicâ nobis ſalute non Orientalium partium tantùm, ſed trium propè plagarum habitabilis mundi; non corruptibili argento aut auro redemptarum, de vanâ converſatione à parentibus traditâ, ſed pretioſo ſanguine agni Dei, ſicut docuit beatus glorioſorum Apoſtolorum princeps, cujus Cathedram beatitudini tuæ credidit Chriſtus optimus paſtor.* Ait Symmachum in Petri Cathedrâ ſuccedere & ſedere, non humano alicujus principis, ſed Chriſti beneplacito. Anno 516. Ioannes Nicopolis Archiepiſcopus totius Epiri Metropolitanus recens creatus more majorum ſe communicare Eccleſiæ ac ſedi Romanæ ſignificavit. *Ergo cunctas referens Deo, qui balbutientium linguas liberas facit; decenter ad veſtras orationes concurro, ut juxta conſuetudinē Apoſtolicæ ſedis veſtræ, quæ cunctarum Eccleſiarum curam habet, & Nicopolitanorum habere dignemini, ſecundùm antiquam ſpiritualem diſpoſitionem veſtram.* Particulæ *Antiquam ſpiritualem diſpoſitionem veſtram*, denotant Symmachum eſſe legitimum Eccleſiæ paſtorem ac Petri ſucceſſorem. Idem aſſerit infra de Leone. *Sequens in omnibus Synodicas & Apoſtolicas epiſtolas ſcriptas à vero Præſule Romanæ Eccleſiæ Leone. Rogo autem plenius atque perfectius, quæ ſervari oportet commonete; & à quibus abſtinere debeam, veſtris cuſtodibus litteris intimate, ut ſi fortaſſis adhuc inexercitatus ordini deputer lectionum, ſeu dixi, ſeu egi Apoſtolicis veſtris doctrinis incongruum, veſtris imbutus ſermonibus poſſem hæreticorum obſiſtere machinis. Hoc enim facientes, Sanctiſſime, firmiores noſtra ſancta Synodi invenietis Epiſcopos bonorū actuum clerum & populum conformabitis, tanquam familiarem vobis reddentes ſanctam Metropolitanam Eccleſiam. Venerabilem verò Diaconum Ruffinum ad tam directam cauſam pacificè, ſicut decet, rogatu ſuſcipite, & fiduciam tribuentes, celerem ejus recurſum ad nos præſtare dignemini portantem ſpiritualia atque Apoſtolica decreta.* Quod autem non tantùm Joannes Epiri Metropolitanus: ſed etiam Synodus Provincialis Epiſcoporū Epiri habita Hormiſdam ut caput Eccleſiæ & Petri ſucceſſorem aſſereret, patet ex epiſtolâ Synodali relata à Baronio citato num. 47. & 48. Anno 517. apud Baronium num. 57. Monachi à Severo exagitati eundem Hormiſdam Romanum Pontificem ut caput Eccleſiæ, ac Petri ſucceſſorē interpellant. „Deprecamur, Beatiſſime Pater, ſupplicantes & rogantes, „ut exurgatis cum fervore & zelo, & „condoleatis juſtè pro corpore laniato (nam caput eſtis omnium) & ut „vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam. Vobis autem à „Deo data eſt poteſtas & auctoritas „ligare & ſolvere. Non opus habent „qui ſunt ſani medicis, ſed malè habentes. Exurgite Patres ſancti venientes ad liberandum nos: imitatores eſtote Domini noſtri, qui de „cœlo ſuper terram advenit quærere „errantem ovem. Petrum illum reſpicite principem Apoſtolorum, cujus ſedem ornatis. Per illa verba: „Petrum reſpicite principem Apoſtolorum, cujus ſedem ornatis, teſtantur Hormiſdam eſſe Petri ſucceſſorem in ſede Apoſtolicâ.

In Corollario tomi 6. Baronius has legationis literas à Gabriele Alexandrino Patriarchâ ad Clementē VIII. anno 1593. ſubjecit item aliam, quorum egregia accipe verba. *Petra fidei ſuper eam cathedrâ in magnâ Româ ſedenti, cui data eſt à Deo poteſtas ligandi atque ſolvendi; cujus mentio fit in ſacro Evangelio, cùm dicit: Tibi à Petre dedi claves regni cœlorum: Quod ligaveris ſuper terram, ligatum erit in cœlis, & quod ſolveris ſuper terram ſolutū* IV.

erit

erit in cælis. Tu enim loco ejus conſtitutus & ſucceſſor es ſuper terram Pater noſter, atque corona capitis noſtri Dominus Papa Clemens VIII. Papa Romæ. Nota illa verba. *Succeſſor es ſuper terram* Idem innuit conſequenter. *Gratias agimus Deo altiſſimo, eumque ſanctificamus & magnificamus, quod te conſtituit Chriſtus Catholicæ fidei habenas tenentem, & ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Dei Eccleſiæ fundamenta ſervantem, miſericordem & pium ſuper univerſum populum Chriſtianum ac diligentem omnes in Chriſtum credentes inſtar beatiſſimi Petri, qui te ſuccedere fecit in ejus Cathedram. Tu qui effectus es caput & maximus Patriarcharum, & Magiſter, & Prædicator totius populi Dei, illos doctrinis tuis ſpiritualibus irrigas, eoſq́ ſermonibus tuis cibas ſalubribus.* Narrat poſtea quomodò legati à variis Pontificibus olim miſſi fuerint cum omni ſubmiſſione ac benevolentiâ, rogatque ut Pontifex Romanus benignè excipiat, qui ex Alexandriâ ad ipſum miſſi ſunt. *Rogamus ut nos benignè excipiat, & commendatos habeat: utque ad nos ejus ope & auxilio ſalvi redeant & incolumes ad continuam dilectionem. Et hujus negotii, ac divinæ ſervitutis quam nobis injunxiſti perfectionem, & ipſi innoteſcere faciant ſanctitati veſtræ ore, abſque ſcriptis, quod ſis Chriſti Vicarius & Patriarcharum, atque Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ caput, tibiq́ ore proprio exhibeant, & quidquid dixerint, veluti ex ore noſtro accipe, & quæ Pater eos docuerit nobis ſignificaverint, cùm ad nos reverſi fuerint, acceptabimus, nemine repugnante, & quæ ipſis mandaveritis, & præceperitis nos exequemur.* Non minùs clarè ſucceſſionem Apoſtolicam aſtruit idem Patriarcha monens ſuos legatos ad urbem directos. *Convenimus ut ipſos mitteremus ad Dominum Patrem Patrum, & Patriarcharum principem, ſuper ſancti Petri Apoſtoli Cathedram in regione Romanâ ſedentem, Catholicum & Apoſtolicum Chriſti Domini ſuper gregem ejus ſucceſſorem & vicarium Dominum Papam Clementem VIII. &c.* Infra. *Ubi pervenerint ad Dominum Papam Clementem, pedes ejus pro nobis deoſculentur, ejuſq́ mandata auſcultent & obediant, ſintque coram eo, & in ejus famulatu ſtantes, & obedientes, ejusque ſermones auſcultantes, ac ſi eſſent ex ore Chriſti Domini, &c. Utque ad nos redeatis ejus auxilio ſalvi & incolumes ad continuam dilectionem, & ad omnium quæ vobis præcipimus obſervantiam in divinâ ſervitute erga Dominum papam Chriſti ſucceſſorem, qui eſt caput Patriarcharum, & baſis Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ. Et quidquid dixeritis ex ore veſtro, tanquam ex noſtro erit prolatum, & in ſermonibus ejus confirmamini: quoniam omnia, quæ ipſe ore ſuo dixerit, tanquam ex ore Chriſti erunt prolata, &c.* Addit Baronius ad eundem Clementem epiſtolam Joannis Comi Alexandriæ, quem antiquitas nominare ſoluit Corepiſcopum, utpotè qui res Eccleſiæ Alexandrinæ loco Epiſcopi adminiſtraret. *Diſcipulus, peccator inutilis oſculatur terram inclinans caput ſuum, peccatis obnoxium, inclinatum, vile, ſubtus pedes mundos, Dominicos, paternos, patriarchales, Patris noſtri capitis, & principis noſtri & vigilantis de ſalute animarum noſtrarum, patris noſtri juſti & vaſis honorabilis, electi patris patrum, & principis principum, &c. Angeli ſpiritualis ſedentem ſupra ſedem ſancti Petri Apoſtoli, tenentis in manu ſuâ purâ ſceptrum principatus.* Infrà. *Sumus ſub obedientiâ: Nam Pater eſt ſummus Patriarcharum, & caput capitum, & ſucceſſor ſancti Petri Apoſtoli & quod ligaverit erit ligatum, & quod ſolverit erit ſolutum, &c.* Ibidem refert ſolemnem legatorum profeſſionem, in quâ hæc dixerunt. *Teneo & confiteor ſanctam & Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem eſſe ſucceſſorem Beati Petri principis Apoſtolorum & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ eſſe caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESU Chriſto, plenam poteſtatem traditam eſſe.* Quamvis nihil clarius, nihil amplius poſſit excogitari, vel ab Eccleſiâ expectari, quo pateat modernum pontificem eſſe ſancti Petri

ſucceſſorem: tamen in horum omnium confirmationem adjicienda ſunt verba Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani in epiſtolâ ad Vigilium
Eutych. pontificem, quæ habetur in fine primæ collationis S. Synodi tomo 2. Conciliorum. *Scientes* (inquit) *quantorum bonorum cauſa eſt pax Dei, ideò feſtinantes unitatem ſervare ad Apoſtolicam ſedem veſtræ beatitudinis manifeſtum facimus, quod ſervamus fidem à Chriſto Apoſtolis traditam, & à ſanctis Patribus, maximè à ſanctis quatuor Synodis explanatam ſuſcipimus, & epiſtolas Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ. Et ideò petimus præſidente nobis veſtrâ beatitudine de tribus capitulis quæri & conferri.* Vocat ſedem Vigilii Apoſtolicam, quia Petri ſucceſſor eſt, quam ſucceſſionem iterùm approbat dicens *ſuſcipimus & epiſtolas Romanæ ſedis,* quia ſcilicet eſt ſedes Petri.

§. 8.

Teſtimonium Eccleſiæ Africanæ.

I. Quod Eccleſia Africana coluerit Romanos Pontifices, ut Petri ſucceſſores in primatu Eccleſiæ teſtatur S. Cyprianus epiſt. 67. ad Stephanum pontificem Romanũ eum monens, ut opportuno remedio Arelatenſi Eccle-
Cyprian. ſiæ proſpiciat, & Martianum ejuſdem civitatis Epiſcopum ſuo munere privet. *Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubvenire frater chariſſime.* Oſtendit quale onus incumbit ſacerdotibus, ut ſaluti animarum conſulant. Poſtea agnoſcit Romani pontificis auctoritatẽ dum illum urget, ut Martianum Epiſcopum è ſede ſuâ deturbet, & alium in ejus locum inſtituat. Quod ſanè præſtare non poſſet, niſi Petri ſucceſſor foret. *Quapropter* (inquit) *facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, nè ultra Martianum pertinacem, & ſuperbum, & divinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum collegio veſtro inſultare patiantur.* Et paucis interjectis. *Dirigantur à te litteræ in provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem, &c.* Ex quibus Baronius ad annum Chriſti 258. colligit auctoritatem Romani pontificis ut Petri ſucceſſoris fuiſſe cognitam ab Africanâ Eccleſiâ, quandoquidem Antiſtites reos ubicumque locorum eſſent, poſſit deponere, ac alium ſubrogare. Idem S. Cyprianus libr. 1. epiſt. 3. ad Cornelium diſſerens de ſchiſmate Novatianorum, qui Cornelium pontificem non agnoſcebant. *Neque enim* (inquit) *aliundè hæreſes ſubortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm indè quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm Magiſteria divina obtemperaret fraterna univerſa, nemo adverſùs ſacerdotum collegium quidquam moveret, &c.* Quæ verba de Romano pontifice intelligenda ſunt. Nam ſermonem dirigit ad Cornelium, quem unicum in Eccleſiâ Chriſti vice gerentem nominat, & ejus Eccleſiam Romanam poſtea vocat Petri ſedem & principalem. Quod confirmat lib 2. epiſt. 10. ad eundem Cornelium, eum nominans caput Eccleſiæ, cui contrarium caput creare volebant. *Miſeramus* (inquit) *ſuper collegas noſtros, ut ad Catholicæ Eccleſiæ unitatẽ ſciſſi corporis membra componerent. Sed diverſæ partis obſtinatio & inflexibilis pertinacia non tantùm radicis & matricis ſinum atque complexum recuſavit: ſed etiam adulterum & contrarium caput extra Eccleſiam fecit.* Ideſt ſicut Cornelius eſt caput omnium Catholicorum: ita Novatianus omnium Novatianorum. Vel quaſi diceret Cùm ſit unus Deus, unus Chriſtus, una Eccleſia à Chriſto fundata ſuper petram, una Matrix omnium Eccleſiarum. Novatiani Deum, Chriſtum, Eccleſiam, Petrum dividere volunt, dum præter Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem legitimum Novatianum agnoſcunt. Quod iterùm inſinuat lib. 1. epiſt. 8. ad plebem univerſam. *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper petram Domini voce fundatam aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium novum fieri præter unum altare & unum ſacerdotium non poteſt.*

Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Si unus eſt Epiſcopatus ſupremus, ſcilicet Romanus, quomodò ſunt tam multi in orbe, tam multi in Italiâ, in Africâ, in Galliâ, in Germaniâ, &c. Eſt unus Epiſcopatus, ex quo alii prodeunt quaſi rami ex arbore, ex fonte rivuli, ex ſole radii. Porrò Corneliũ eſſe non tantùm paſtorem univerſalem, ſed & verum Petri ſucceſſorem declarat lib. 4. epiſt. 2. *Ipſe vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus acciperet. Et factus eſt Epiſcopus à plurimis collegis noſtris, qui tunc in urbe Romà aderant, cum Fabiani locus, id eſt locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.* Vocat ſedem Fabiani, cui ſuccedit, locum Petri. Quod confirmat conſequenter. *Tùm deinde ſedit intrepidus Romæ in Sacerdotali Cathedrâ eo tempore (ſcilicet ſub Decio) cùm tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cùm multò patientius & tolerabilius audiret levari adverſum æmulum principem, quem conſtitui Romæ Dei Sacerdotem.* Quibus verbis ſignificat Romani pôtificis ſedem, cunctis fidelibus & Eccleſiis particularibus præfectam tantum incuſſiſſe terrorem Cæſaribus, ut illam magis pertimeſcerent, quàm proprii imperii æmulos Cæſares in throno Imperiali trepidabant. Cornelius in ſacerdotali ſeu pontificiâ Cathedrâ intrepidus ſedebat, illi cincti ingenti ſatellitio non erant ſecuri. Cornelius & alii Petri ſucceſſores ſolis Chriſti promiſſionibus fulti, ſtipati ſtabant. Gentiles non tam imperiti erant, quin ſcirent Romanos pontifices eſſe Petri ſucceſſores, & hæretici malitioſiores ignorantiam prætexunt.

II. *Auguſt.* Audiamus ſanctum Auguſtinum variis in locis illam ſucceſſionem Romanorum pontificum aſtruentem lib. de utilitate credendi cap. 17. *Dubitabimus nos illius Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolicâ ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circumlatrantibus culmen auctoritatis obtinuit.* Ideſt nullo modo dubitandum eſt ſed credendum eſt, quod ab Apoſtolo Petro ſucceſſio Romanorum Pontificum uſque ad noſtra tempora nunquam fuerit interrupta. Quod brevius, ſed non minùs patenter declarat epiſt. 162. *In Romanâ Cathedrâ ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus.* Non ait, à centum annis, à ducentis, à trecentis annis, &c. ſed ſemper, ideſt ex quo Sanctus Petrus Romæ ſedem ſuam fixit. Vnde cùm Zozimus papa præcepiſſet Epiſcopis Africanis, ut Concilium celebrarent apud Cæſaream S. Auguſtinus epiſt. 157. apud Optatum cenſet eſſe illi obtemperandum, quia ſedet in Cathedrâ Petri. *Ate apud Cæſaream præſente venerunt, quo nos injuncta nobis à venerabili papâ Zozimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.* Idem ſanctus Doctor epiſt. 92 ad Innocentium rogat cum toto Concilio Milevitano Innocentium Pontificem ut pro paſtorali curâ coerceat Pelagianos, qui Palæſtinam, & maximè Africam ſuis erroribus labefactabant. Cur ſanctus Auguſtinus non ſcribit Patriarchæ Hieroſolymitano, ſeu Metropolitano Palæſtinæ? Cur non Carthaginenſi Epiſcopo, Primati Africæ? quia ſcit Romanum Pontificẽ eſſe Petri ſucceſſorem, majorique auctoritate pollere etiam in Palæſtinâ, Africâ, quam illi Patriarchæ in propriis ſedibus, ex eo quod ſedes Romana ſit Apoſtolica, ſit ſedes Petri. *Quia* (inquit ille ad Innocentium) *Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolicâ collocavit, talemque nobis temporibus præſtitit, nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſiâ ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quam ea tu poſſis vel faſtidiosè, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris.* Quibus verbis ſanctus Auguſtinus agnoſcit Innocentium ut paſtorem univerſalem Eccleſiæ, & Petri ſucceſſorem, & cum univerſâ Synodo Milevitanâ rogat ut coerceat Pelagianos. Idem contra epiſtolas fundamenti cap. 4. aſſerit ſe in Eccleſiâ Romanâ perſiſtendi præcipuum motivum eſſe Pontificum à Petro ſucceſſionem non interruptam. *In Eccleſiâ me tenet ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus*

commendavit uſquè ad præſentem Epiſcopatum, ucceſſio ſacerdotum. Et epiſt. 165. ait illam ſucceſſionem eſſe indubitatam. *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſervandus eſt, quantò certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram propter Apoſtolatus ſui principatum gerenti Dominus ait, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus.* Et poſt. *Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Syricius, Syricio Anaſtaſius, qui nunc eandem Cathedram tenet. In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta invenitur.* Iterùm lib. 1. cōtra Iulianum Pelagianum. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in quâ primum Apoſtolorum ſuorum voluit Martyrio coronare, cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium (ſi audire voluiſſes) jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perſeveranter Eccleſia.* Ait eidem Eccleſiæ (in quâ Deus voluit Petrum glorioſo Martyrio vitam finire) Innocentium ut ſucceſſorem præſidere. Eandem ſucceſſionem tacitè innuit contra Pelagium & Cœleſtium libro 2. cap. 8. *Pelagius fefellit judicium Palaſtinum, propterea ibi videtur eſſe purgatus: Romanam Eccleſiam, ubi enim eſſe notiſſimum ſcitis, fallere uſquequoque non potuit. Recoluit enim Beatiſſimus papa Zozimus quod imitandus præceſſor ejus de ipſis ſenſerit geſtis, attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adverſus ejus errorem pro veritate Catholicâ ſtudia conſonantia concorditer flagrare cernebat.* Et lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. *Quomodo ab iſtis fidei deſertoribus & oppugnatoribus gratiæ Romani Clerici prævaricationis arguuntur ſub Epiſcopo Zozimo, quaſi aliud ſenſerint in ordinatione poſteriore Pelagii & Cœleſtii, quàm quod ſub Innocentio in priore ſenſerint: Quia utique cum litteris Venerabilis Innocentii de parvulis, niſi baptiſarentur in Chriſto in æternâ morte manſuris Catholicæ fidei clareret antiquitas, profectò Eccleſiæ Romanæ prævaricator potius eſſet quicumque ab illâ ſententia deviaſſet.* His adjungo clariſſimum ſancti Hieronymi Dalmatæ ſuffragium tomo 2. epiſt. 57. ad Damaſum. *Cum Succeſſore Piſcatoris & diſcipulo Crucis loquor, ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri cōmunione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* Et epiſt. 58. *Siquis Cathedræ Petri jungitur meus eſt.* Vocat ſedem Damaſi (cui ſcribit) ſedem Petri. Idem epiſt. ad Principiam. *Succedit in pontificatu vir inſignis Anaſtaſius.* Et apologiâ 3. adverſus Ruffinum, *Confeſſionem ab omnibus Italiæ Epiſcopis aſſeris eſſe ſuſceptam, & tamen miror quomodò probaverit Italia, quod Roma contempſit, Epiſcopi ſuſceperunt, quod fides Apoſtolica condemnavit.* Vocat fidem Romani Pontificis Apoſtolicam: quia Apoſtoli Petri in fide & ſede ſucceſſor eſt. Idem innuit ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis. *Quiſquis es aſſertor novorum dogmatum, quæſo te ut parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſtoli voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſcivimus? Cur profers in medium quod Petrus & Paulus edocere noluerūt.* Solas aures Romanas & fidem in medium adducit, quia ejus ſedes eſt ſedes Petri.

III. *Optatus Mil.*

Accedit Optatus Africanus Epiſcopus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum ubi oſtendit Eccleſiam Romanam non tantùm eſſe Petri, ſed etiam ſucceſſorum, quod probat enumeratione pontificum. *Petro* (inquit) *ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c.* Et conſequenter uſque ad Syricium. Tandem poſt relatas quinque dotes Eccleſiæ Catholicæ, concludit. *Igitur de dotibus ſupradictis cathedra eſt prima, quam probavimus noſtram eſſe.* Quid intelligit per hæc verba. *Cathedra eſt prima?* Scilicet in quâ Petrus ſedit, & ſucceſſor Linus, &c. niſi quod ſit unica, ſingularis, univerſalis, ſeu prima prioritate, ſeu potius univerſalitate juriſdictionis, & poteſtatis.

IV.

Pro coronide videamus mentem Eugenii Epiſcopi Carthaginenſis, hic

teſte

teſte Victore Vticenſi lib. 2. de perſecutione Wandalicâ interrogatus ab Hunerico Rege Ariano, reſpondit: *Se ſcripturum fratribus ſuis ut in Africâ veniant, & præcipuè Romana Eccleſia, quæ caput omnium Eccleſiarum.* Audiamus quid Victor Carthaginenſis Epiſcopus poſt ſuam creationem fecerit. Habetur in actis Concilii Romani ſub Martino, quod miſerit legatos ad Theodorum Papam, profitens ſe per omnia Catholicum, nec Monothelitarum hæreſi ullo modo ſubſcribere velle. *Vt autem ipſius Apoſtolicæ Sedis decretis per omnia confirmemur, Leonis Beatiſſimi Prædeceſſoris veſtri Apoſtolicæ memoriæ definitionem inſeri pervidimus, quæ continet, &c.* Vocat Sedem Theodori Apoſtolicam, & eum ſucceſſorem Leonis.

Victor Vticen.

Victor Carth.

§. 9.

Teſtimonium Conciliorum Africanorum.

I. QVod Concilia Africana congregata fuerint auctoritate Pontificum & ab iis approbata, patet ex Concilio Carthaginenſi, de quo Baronius tomo 5. ad annũ Chriſti 401. „Quod „hoc anno (inquit) Anaſtaſius papa „de Eccleſiâ univerſali curam gerens, ſciens ipſam Eccleſiam Africanam ex Donatiſtarum ſchiſmate „maximè laceratam de unitate ardentiore ſtudio procurandâ litteras „dedit ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, aliosque aliarum in „Africâ Provinciarum Epiſcopos. Iidem plurimi facientes admonitionẽ „Romani Pontificis indixerunt Concilium Generale Carthagine, quo „ex omnibus provinciis Africanis „hoc anno ad idus Septembris de his „acturi convenerant Epiſcopi. Hæc „quidem omnia de his, quæ idem Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus in „eadem Synodo præfatus eſt, ſatis „explorata redduntur, &c. Recitatis „epiſtolis beatiſſimi Patris & conſacerdotis noſtri Anaſtaſii Eccleſiæ „Romanæ Epiſcopi, quibus nos paternæ & fraternæ charitatis ſollicitudine ac ſinceritate adhortatus eſt, „ut de hæreticorum & ſchiſmaticorum Donatiſtarum inſidiis & improbitatibus, quibus Africanam „Catholicam Eccleſiam graviter vexant, nullo modo diſſimulemus, „gratias agamus Domino Deo noſtro „quod illi optimo, & S. Antiſtiti ſuo „tam piam curã pro membris Chriſti, quamvis in diverſitate terrarum, „ſed in unâ compage corporis conſtitutis inſpirare dignatus eſt, iſta ipſe „coram Patribus Aurelius proſecutus eſt. Expende illa verba *Admonitionem Romani Pontificis, &c.* Item. *Recitatis epiſtolis, &c.* Quibus clariſſimè ſignificat Anaſtaſium Pontificem Romanum, ut Petri ſucceſſorem univerſali Eccleſiæ præeſſe ac proſpicere. Quod Baronius probat reſpondens dubio, quod præfata verba poſſent ſuggerere. *Quibus intelligas Romani Pontificis univerſale in Eccleſiâ regimen, ſciensque pariter ſic Aurelium appellare Anaſtaſium collegam, fratrem, & conſacerdotem, ut tamen eundem recognoſcat & Patrem, cùm commendat ejus paternam & fraternam erga omnes charitatis ſollicitudinem.* Adde quod ſi Anaſtaſius ab illâ Synodo non coleretur ut legitimus Petri ſucceſſor, litteræ illius non ibi recitarentur, nec paſſim Pater appellaretur (nam nomen Patris aliquod jus & ſuperioritatem arguit.) Nec obſtat quod idem Concilium Canone 35. dicat. *Placuit, ut litteræ mittantur ad Fratres & Coepiſcopos noſtros, & maximè ad ſedem Apoſtolicam, in quâ præſidet Venerabilis Frater & Collega noſter Anaſtaſius, ut noverit habere Africam magnam neceſſitatem, ut ex ipſis Donatiſtis quicumque Clerici correcto Concilio ad Catholicam unitatem tranſire voluerint in ſuis honoribus ſuſcipiantur.* Nam per *maximè ad ſedem Apoſtolicam,* ſatis apertè ſignificat Anaſtaſium eſſe Petri ſucceſſorem, & in ejus ſede eſſe.

II. Nec obſtat ſecundò quod canone 68. ejuſdem Concilii legatur. *Placuit etiam, ut de diſſenſione Romanæ atque Alexandrinæ Eccleſiæ ad ſanctum Papam Innocentium ſcribatur, quod utraque intra*

intra ſe pacem quam Dominus præcepit, teneat. Quibus verbis Patres Concilii videntur monere & corrigere Romanam Eccleſiam. Correctio autem nō competit inferioribus, ſed ipſis ſuperioribus, vel ſaltem æqualibus. Ad hoc dico, quod Cōcilium ſtatuit monendum & corrigendum eſſe Romanum Pontificem, non monitione, quæ ſit actus juſtitiæ (talis enim actus ſolis Prælatis competit) ſed correctione, quę ſit actus charitatis, & competit unicuique reſpectu cujuſlibet perſonæ, modò careat proterviâ & duritiâ, ſed fiat cum manſuetudine & reverentiâ, juxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. cap 5 verſ. 1. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra, ut Patrem.* Vndè S. Thomas 2. 2. quæſt. 33. art. 4. in corpore & in reſp. ad 3. *conſiderandum* (inquit) *quod cùm aliquis Prælatum charitativè monet non propter hoc ſe majorem exiſtimat, ſed auxilium impertitur ei, qui quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo majori verſatur.* Monent itaque Patres Concilii Africani Innocentium (inſtar Pauli monentis Petrum) de pace ineundâ inter Romanam Eccleſiam & Alexandrinam, non per actum qui præ ſe ferat juriſdictionem, ſed charitatem. Quod verò Apoſtolicâ auctoritate Conciliorum Africanorum ſtatuta confirmari deberent, clarè innuit Divus Auguſtinus epiſt. 106. *Miſſa ſunt ex duobus Conciliis, Carthaginenſi & Milevitano relationes ad Apoſtolicam Sedem ad omnia nobis ille reſcripſit, eo modo, quo fas erat atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* Idem innuit epiſtola Carthaginenſis, quæ eſt 91. apud eundem Auguſtinum. *Statuiſtis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas.* Cur auctoritatem ſedis Apoſtolicæ adhiberi neceſſe eſt? Reſpondet Vincentius Lyrinenſis in ſuo commentario. *Lecta ſunt quædam ad quoſdam epiſtolæ ſancti Fœlicis Martyris, & ſancti Iulii urbis Romæ Epiſcoporum. Et ut non ſolùm caput, verùm etiam latera illi judicio teſtimonium perhiberent; adhibitus eſt à meridie Beatiſſimus Cyprianus, Septentrione Sanctus Ambroſius.* Non poteſt Romanus Pontifex orbis caput appellari, niſi quia eſt ſucceſſor ſancti Petri.

1. Tim. c.5. v.1.

Auguſt.

Vincent. Lyrin.

§. 10.

Epiſcopi Africani oppreſſi recurrentes ad Romanum Pontificem, eum S. Petri ſucceſſorem aſtruunt.

Tempore Damaſi papæ Epiſco- 1.
pi Africani ſœculo quarto injuſtè ſedibus ſuis expulſi, non ad Patriarcham Antiochenum, Alexandrinum, Contanſtinopolitanum, vel Hieroſolymitanum ſcribunt, ſed ad Damaſum Romanum pontificem, ut patet tomo 1. Conciliorum ante epiſt. 4. Damaſi papæ, cui talem titulum præmittunt. *Beatiſſimo Domino & Apoſtolico culmine ſublimato ſancto Patri Patrum Damaſo, & ſummo omnium Præſulum Pontifici, Stephanus Archiepiſcopus Concilii Mauritaniæ, & univerſi Epiſcopi de tribus Conciliis Africanæ provinciæ.* Vocant Romanum pontificem Patrem patrum, ſummum omnium præſulum pontificem, qui tituli ſicut ſoli Petro olim competebant reſpectu omnium Apoſtolorum & fidelium, ita & Romano pontifici reſpectu omnium Chriſtianorum. Subjiciunt. *Notum veſtræ facimus beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis poſiti quoſdam fratres noſtros venerabiles, videlicet Epiſcopos inconſultis vobis à proprio dejiciunt gradu, vel dejicere moliuntur, cùm veſtra Sedi Epiſcoporum judicia, & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum in honore beatiſſimi Petri Patrum decreta omnium cunctam reſervare ſententiam.* Non ait cùm ſedi Alexandrinæ, &c. ſed *veſtræ ſedi,* non ait leviorum, ſed *ſummorum negotiorum finem.* Quare & quo titulo? *In honore Beatiſſimi Petri,* cujus ſcilicet ſucceſſor es. Quemadmodum olim ad Moyſem ſummorū negotiorum controverſiæ devolvebantur, ut ab eo ultimatè terminarentur. Quæ auctoritas non uſurpata eſt à Romanis Pontificibus, ſed iis jure divino competit. *Antiqui enim* (inquit)

(inquit) *regulis cenſitum eſt, ut quidquid horum, quamvis in remotis agerentur provinciis, non prius tractandum, vel accipiendū ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuerit deductum, ut ejus auctoritate juxta quod fuiſſet pronunciatum, firmaretur.* Quibus verbis Damaſum ſedere in Cathedrâ omnium ſupremâ juxta avitam & receptam Dei ordinationem innuunt.

II. Sæculo ſeptimo Theodoro pontifice ſedente, Epiſcopi provinciæ Africanæ, illi ſcribunt de erroribus Monothelitarum ſub hac verborum formulâ. *Domino Beatiſſimo, Apoſtolico culmine ſublimato Patri Patrum Theodoro, ſummo omnium Præſulum Pontifici, Columbus primæ ſedis Epiſcopus Cōcilii Numidiæ, Stephanus primæ ſedis Epiſcopus Bizaoni, & Reparatus primæ ſedis Epiſcopus Concilii Mauritaniæ, & univerſi Epiſcopi de tribus Conciliis antedictis Africanæ provinciæ. Magnum & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam ſedem conſiſtere fontem nullus ambigere poſſit, de quo rivuli prodeunt affluentes, univerſum largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum. Cui etiam in honorem Beatiſſimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevêre reverentiam in inquirendis Dei rebus, quæ omnia & ſollicitè debent, maximè verè juſtèque ab ipſo præſulum examinari vertice Apoſtolico.* His verbis. *Magnum & indeficientem omnibus Chriſtianis, &c.* Item *Vertice Apoſtolico*, ſignificat Eccleſiæ primatum eſſe annexum ſedi Romanæ. Particulis, *In honorem beatiſſimi Petri*, denotatur ſucceſſio Romani Pontificis à S. Petro derivata.

III. Apertè Epiſcopi Africani tomo 2. Conciliorum affirmant Bonifacium, qui tunc erat Pontifex eſſe Petri ſucceſſorem, dum ei applicant verba Chriſti ad Petrum. *Non poteſt Domini ſententia non eſſe vera, dicentis: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & hæc quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus, quia in ſede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica ſervata religio.* Alia Synodorū Africanarum omitto teſtimonia.

§. II.

Teſtimonium Eccleſiæ Germanicæ.

DE Germaniâ quædam hic dicenda occurrunt: ſi enim illius gentis converſionem intueamur, inveniemus factam fuiſſe à viris Apoſtolicis, ac non tantùm à ſancto Petro ut Maternus & ſocii: ſed etiam ſæculis poſterioribus à ſede Apoſtolicâ ſeu Romanis Pontificibus. Nolo hic univerſæ Germaniæ hiſtoriam revolvere; tantùm aliquas regiones luſtremus. Gregorius II. pontifex miſit in Germaniam Bonifacium Monachum, ut illam gentem ad fidem cōverteret. Hic ſcribens Zachariæ papæ, ei primò congratulatur de Pontificatu, deindè ſubdit. *Optantes Catholicam fidem, & unitatem Romanæ Eccleſiæ ſervando dilatare, & quantoſcunque audientes, vel diſcipulos in iſtâ legatione mihi Deus donaverit ad obedientiam ſanctæ ſedis & unitatem invitare non ceſſo.* Deindè poſtulat, ut pontifex cōfirmare dignetur tres Epiſcopos à ſe creatos, & totidem Epiſcopatus erectos. *Hæc tria loca propriâ chartâ auctoritate Apoſtolatus veſtri roborari & confirmari diligenter poſtulamus. Etſi Dominus voluerit, per auctoritatem & præceptum ſancti Petri juſsionibus Apoſtolicis fundatæ & ſtabilitæ ſunt tres in Germaniâ Epiſcopales ſedes. Et ut præſentes vel futuræ gubernationes non præſumant vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Apoſtolicæ Sedis.* Quæ verba manifeſtè teſtantur Romanum pontificem eſſe legitimum ſucceſſorem Divi Petri, ejuſque auctoritate ſedes Epiſcopales & Eccleſias eſſe in Germaniâ inſtitutas. Idem ſcribens Stephano III. pontifici, ait ſe ſub tribus prædeceſſoribus ſuis duobus Gregoriis, & Zachariâ ſedi Apoſtolicæ inſerviiſſe, & legatione eorū in converſione illius gentis pluſquam triginta annis functum eſſe. I.

Hanc ſucceſſionem legitimam planius explicat epiſt: ad Gudibertum Archiepiſcopum Angliæ. *Decrevimus* II.

in noſtro Synodali conventu & confeſſi ſumus Catholicam fidem, & unitatem ac ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ ſine tenus vitæ noſtræ velle ſervare ſancto Petro & Vicario ejus velle ſubjici, Synodum per omnes annos congregare, Metropolitana pallia ab illâ ſede quærere, & per omnia præcepta S. Petri Canonicè ſequi deſiderare, ut inter oves ſibi commendatas numeremur. Vocat Romanum pontificē Petri Vicarium, imò aſſerit præcepta ejus eſſe præcepta Petri.

III. Quod etiam Concilia in Germaniâ celebrata ſunt Romani pontificis ut ſucceſſoris Petri auctoritate, Hiſtorici non tantùm domeſtici, ſed etiam exteri mentionē faciunt. Anno 809. apud Baronium, & Annales Francorum, celebratum eſt Concilium Aquiſgranenſe poſt acceptam licentiam à Leone papâ III. Occaſione motæ quæſtionis de proceſſione Spiritus ſancti à Filio. Anno 948 (ſecundùm Schafnaburgenſem) Synodus Ingelheim congregata pontificem Romanum ut Petri ſucceſſorem venerata eſt, illi enim Marinus Legatus Apoſtolicus præſedit. Et ut ad noſtra ſæcula deveniamus quædam Provincialia Comitia recenſebimus, Anno 1536. Fidem atque obedientiam erga Romanum pontificem teſtatus eſt Clerus Colonienſis dum in Concilio ibidem celebrato, facta eſt expreſſa renovatio decretalis epiſtolæ Honorii III. in parte 12. cap. 7. & anno 1549. dum ibidem Synodus habita decrevit. *Ubi Canonici qui ex indulto Apoſtolico præbendas habent cum onere legendi collatas muneri ſuo, juxta tenorem bullæ ſummi pontificis ſatisfacere jubentur, alioqui decernitur negligentiam eorum deferendam ad ſummum Pontificem, & petendam proviſionem quâ huic caſui provideatur.* Eodem anno celebrata eſt Synodus Moguntina, ubi juxta Eccleſiæ Romanæ fidem ac conſuetudinem, necnon ſedis Apoſtolicæ obedientiam cuncta decernuntur, ita Synodus concludit. *Hæc omnia cum debitâ obedientiâ ſubmittimus ſacroſanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ judicio, cujus auctoritatem in omnibus ſalvam conſervari volumus.* Anno 1548. Synodus Trevirenſis Eccleſię etiam ſedis Romanæ fidem retinere ſtatuit. Unde ibi *Doctor Pelargus* (inquit) *Petri naviculam fluctibus ventiſq; concuti, ſed non ſubmergi.* Anno 1549. alia ibidem celebrata habet. *Quando vera & in IESUM Chriſtum fides fundamentum eſt, & petra illa de quâ Salvator noſter dixit Matthæi cap. 16. Super eam ædificandam Eccleſiam ſuam, adverſus quam inferorum portæ nunquam prævalituræ eſſent (prævalerent autem ſi Eccleſia errare pernicioſè poſſet, aut docere noxia) fateri oportet Eccleſiam in fide & veritate radicatam & fundatam errare non poſſe. Nam & in confeſſo eſt teſtantibus nimirùm ſanctæ Eccleſiæ Patribus, ac reipsâ clamante, Chriſti Apoſtolos Petrum & Paulum Dei ſancto Evangelio, in ſanguine quoque ipſorum ſignatum Romanæ Eccleſiæ reliquiſſe, atque in illius fidem Eccleſias omnes, quæ ubique ſunt fideles in toto orbe terrarum religioſè conſpirare, atque ſocietate ſacramenti confœderatas & conjunctas eſſe. Itaque cum ad nos per Epiſcoporum ſucceſſionem perpetuò continuatam ea fides pervenerit, non dubitamus hanc unam eandemq; eſſe, atque adeò veram fidem; quæ ab Apoſtolis ipſis in veritate eſt tradita, & uſque nunc religioſè ſemper cuſtodita, & in Eccleſiâ ſemper conſervata, &c.* Particulæ illæ *per Epiſcoporum ſucceſſionem perpetuò continuatam* denotant ſucceſſionem Romanotum pontificum non fuiſſe interruptam uſque ad annum 1549. De hac ſucceſſione non dubitarunt Optimates tā Eccleſiaſtici quàm Sæculares Germaniæ, maximè Princeps Ferdinandus Archiepiſcopus Saltsburgenſis, plurimi Epiſcopi Guilelmus & Ludovicus Duces Palatini Rheni, quibus præſentibus Laurentius Campegius Cardinalis Sedis Apoſtolicæ ad Germaniam, ac Hungariæ, Poloniæ, Bohemiæque regna de latere Legatus communicavit, ac publicavit Ratisbonnæ conſtitutionem piam auctoritate Apoſtolicâ editam, ad revocandos abuſus, ac reformandam vitam Cleri, quam Conſtitutionem cum aliis decretis Catholicis renovavit. Anno 1548, Otho Cardinalis & Epiſcopus Auguſtanus in Synodo Diœceſanâ, in quâ etiam cap 19. obſervari

obſervari juſſit caſus ſedi Apoſtolicæ reſervatos. Denique hanc Romanorum Pontificum ſucceſſionem clariſſimè aſſerit Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis editum in Concilio Colonienſi de Sacramento Ordinis. *Patriarcharum* (inquit) *ſummus eſt Romanus, non quod ordine Sacerdotii cæteros antecellat, ſed magis plenitudine adminiſtrationis regiminis & poteſtatis.* Infra. *Pontifex Romanus (veluti ſucceſſor illius, in cujus perſonâ Chriſtus hanc poteſtatem tradidit) hanc in univerſum ſuper totum gregem Chriſtianum tenet. In hoc enim conſtitutus eſt, ut fratrum ſuorum negligentiam ſuppleat, Lucæ cap. 22.*

IV. Concilium Conſtantienſe prope Helvetiorum partes convocatum fuit à Joanne 23. anno 1414. ut patet etiã ex bullâ convocationis inſertâ ſeſſioni 4. ejuſdem Concilii, imò ipſemet Pontifex cum maximo ampliſſimoq; Cardinalium aliorumque Prælatorum comitatu Conſtantiam venit, ac poſt paucos dies Concilium auſpicatus eſt. Huic Concilio interfuerunt plurimi viri doctrinâ & probitate clariſſimi, necnon magnates nobiliſſimi ac potentiſſimi. Sigiſmundus Rex Romanorum cum multis principibus Germaniæ & Hungariæ. Patres hujus Concilii judicarunt unitatem Eccleſiæ, ac unionem omnium Chriſtianorum non poſſe conſiſtere abſque uno certo ac indubitato Romano pontifice Petri ſucceſſore, cui omnes Chriſtiani ſubeſſent, ut patet ex hiſtoriâ præfati Concilii præfixâ tomo 4. Cõciliorum editorum Romæ anno 1612. & in actis ejuſdem Concilii. In eo Concilio renunciatus eſt Otho Columna natione Romanus ex nobiliſſimâ Columnenſium proſapâ oriundus, qui Martinus V. vocatus eſt, eo quod in feriis ſancti Martini creatus eſſet, ut patet ex actis ejuſdem Concilii ſeſſ. 23. & deinceps. De his legendus noſter Thomas Waldenſis qui eidem Pontifici ſuos libros cõtra Wicleffum & Joannem Hus dedicavit, & ut paſſim in opere ſuo, ſic in epiſtolâ dedicatoriâ Petri ſucceſſorem nominat. *Mulier (inquit) illa fortis, unica ſponſa tua, Eccleſia Chriſti, Mater & Virgo clamat ad te tenentem poſt Petrum regale Sacerdotium.* Vide Marianam de rebus Hiſpaniæ cap. 6. 7. & 9.

V. Concilium Tridentinum fuiſſe auctoritate Apoſtolicâ congregatum, confirmatum & conſummatum patet ex bullâ Pauli Romani pontificis datâ anno 1545. quæ illam ſacram Synodum indicit & ſeſſ. 2. 3. & 4. incipit. *Sacroſancta OEcumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata præſidentibus in eâ tribus Apoſtolicæ ſedis legatis.* Seſſ. 7. in proœmio idem repetit, & canone 3. de Baptiſmo. *Si quis dixerit in Eccleſiâ Romanâ, quæ omnium Eccleſiarum Mater eſt & Magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam anathema ſit.* Seſſ. 14. poſtquam in proœmio dixit, *Eadem ſacroſancta OEcumenica & Generalis Tridentina Synodus præſidentibus in eâ eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legato & Nuncio.* *Concilii Triden.* Seſſione 23. canone 6. *Si quis dixerit in Eccleſiâ Catholicâ non eſſe Hierarchiam divinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris anathema ſit.* Cujus hierarchiæ Rom. Pontificem eſſe caput patet ex can. 8. *Si quis dixerit Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur non eſſe legitimos, & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanũ, anathema ſit.* Joannes Moronus Cardinalis Concilii Tridentini Legatus, & primus præſidens in generali congregatione inter alia. *Parendum* (inquit) *fuit Vicario Chriſti, qui Petro & ejus ſucceſſoribus oves ſuas paſcendas, regendaſque commendavit. Huc igitur juſſus venit.* Denique concluſit ſacra Synodus, ut omnium & ſingulorum, quæ tam ſub Paulo III. Julio III quã ſub Pio IV. Romanis Pontificibus in eâ decreta & definita ſunt cõgregatio nomine ſacræ Synodi per Apoſtolicæ ſedis legatos & præſidentes à Pio IV. confirmatio petatur quę hic Pontifex cõfirmavit, & inviolabiliter obſervari mandavit. Quoad Modernos Germaniæ Præſules inſtar omnium ſit Sereniſſimus Elector Colonienſis, noſterque Epiſcopus Leodienſis, &c. qui non tantùm modernum Pontificem Petri ſucceſſorem agnoſcit, ſed etiam

id paſſim fatetur litteris & diplomatibus.

VI. Bozius tomo 2, part. 2. lib. 22, de ſignis Eccleſiæ cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. recenſet innumera bona tam temporalia, quàm ſpiritualia cœlitus communicata Germaniæ & regioni Septentrionali, ex quo fidem Catholicã amplexa eſt, & Romani pontificis ſucceſsionẽ & obedientiam profeſſa eſt, quæ tantùm ſummariè recenſebo; nè in alienam meſſem falcem immittere videar. Hæc porrò ſunt: expulſio cultus dæmoniaci, expulſio cultus efferati, ceſſatio ſtolidarum conſultationum, ceſſatio efferatarum conſultationum, liberatio à ſtolidis ſuperſtitionibus, ceſſatio magicarum ſuperſtitionum, ceſſatio magicarum crudelitatum, unius Dei cultus, incredibilis animorum in divinâ fide ac doctrinâ colligatio, innumera ſanctiſſimorum virorum multitudo, ſanctiſſimi viri virginitatis puriſsimæ integerrimi cuſtodes, iidemque aut Reges aut Regum filii, innumeri Virginum ſacrarum chori, Virgines ſanctiſſimæ vitæ, Virgines ſanctitate, doctrinâ, ſcriptiſque editis illuſtres, Virgines ac mulieres prophetiæ dono admirabiles. Fœminæ Ordinum religioſarum inſtitutrices, Reginæ, regumq́; aut Imperatorum ſorores ac filiæ auctrices Ordinum Religioſorum, innumera mulierum Martyrum multitudo, innumeri Martyrum exercitus, Reges Martyres, Reginæ Martyres, Imperatores ſancti, Imperatrices ſanctæ, Imperatores & Imperatrices cõjunctim in matrimonio Virgines, Imperatrices ſanctæ Ordinum Religioſorum auctrices, Reges ſancti, Principes ſancti, Pontifices ſancti, Archiepiſcopi ſancti, Epiſcopi ſancti, Abbates ſancti, Viri ſanctitate & doctrinâ ſimul conſpicui, Religioſorum Ordinum Auctores, cultus Chriſtiani amplificatores, Cœtuum Religioſorum ſolitariorum inventores, Ordinum Religioſorum militariorum fundatores, Clericorum Regularium congregatorum inſtitutores. Plures Pontifices, Cardinales plurimi, honor ſacerdotalis in conſeſſu & in eligendo Imperatore. Collegia magnifica Sacerdotum inſtita, Epiſcoporum nobilitas ac poteſtas, Abbatum nobilitas ac poteſtas, Monaſteria illuſtriſſima, Monaſteria innumera, Monaſteria ditiſſima, Templa magnificentiſſima, innumera Templa, Templa ornatiſsima, opes Eccleſiaſticæ maximæ. Theologi profundiſsimi, innumera ſcripta Theologica, Concionatores ſacri, litterarũ cognitio & uſus, linguarum multiplicium ſtudium, humanarum diſciplinarum comparatio, ſcholæ frequentes. Philoſophiæ academiæ, Philoſophi ſummi. Aſtrologia, Aſtrologi ſummi. Arithmetica, Arithmetici ſummi. Geographia, Geographi ſummi. Dioptria, Dioptrici ſummi. Meteoroſcopia, Meteoroſcopi ſummi. Dioptris inventa. Geometrica, Geometræ ſummi. Gnomonica inventa. Mathematica, & Mathematici ſummi. Hiſtorica, & Hiſtorici veri. Medicina, & Medici præſtantes, Medica inventa ex gemmis, Medica inventa ex animalibus, cœteriſque rebus. Muſica, Muſici libri & exercitationes, Muſica inſtrumenta, Muſici ſummi. Pictura, pictores excellentes, Plaſtica Statuaria, impreſſio Imaginum. Architectura, Horologiorum fabricatio, inventio Typographiæ, Diſciplinarum liberalium gymnaſia publica, omnium diſciplinarum publica gymnaſia, tot omnium diſciplinarum gymnaſia, collegia, innumera ad colendos, erudiendoſque gratis juvenes in omnibus liberalibus diſciplinis, maxima librorum copia, publicæ locupletiſsimæ bibliothecæ. Et poſt recenſita 56. alia bona oſtendit cap. 8. Imperium in Occidentem per Pontificem Romanum tranſlatum, ejus diuturnitatem ſpeciali præfati Põtificis ſollicitudini paternæ aſcribendum. Et poſt enumerata alia bona uſque ad ducenta, concludit. *Ad ſummam nullus hominum cœtus unquam fuit ab orbis fabricatione tot nationibus toto orbe diffuſis conflatus, in unam rerum divinarum doctrinam conſentiens, uniq́ue ſacrorum Pontifici parens, qui tot tantiſque virtutibus, in quibus ponitur eſſentia fœlicitatis ornatus, tot ac tanta Imperia, Regnaq́; cum maximis opibus ſit nactus, ac tanta cum celeberrimo laudum*

ſplendore

ſplendore adminiſtrarit, & ad bonum totius humani generis commune dederit in lucem tamdiu durarit, ut Eccleſiæ Catholica populus Pontifici Romano parens, &c.

§. 12.

Teſtimonium Eccleſiæ Gallicanæ.

I, DE Galliâ nemo negat, niſi hæreticus ſit & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ignarus, eam ſemper coluiſſe Pontifices Romanos, ut veros Petri ſucceſſores, Inter Reges, Carolus Magnus de Romano Pontifice verba faciens. *In memoriam* (inquit) *Beati Petri Apoſtoli honoramus ſanctam Romanam Eccleſiam, ſedem Apoſtolicam, ut quæ nobis ſacerdotalis Mater eſt dignitatis, Eccleſiaſticæ debet eſſe Magiſtra rationis. Quare ſervanda cum manſuetudine humilitas.* Ait ſe honorare non Eccleſiam Rhemenſem, vel Noviomenſem in quâ inauguratus fuerat, ſed *Sanctam Romanam Eccleſiam, ſedem Apoſtolicam.* Eam vocat ſacerdotalis dignitatis Matrem, ac Eccleſiaſticæ magiſtram rationis. Anaſtaſius Bibliothecarius qui floruit ſœculo nono apud Baronium ad annum Chriſti 799. numer. 6, ſcribit, quod cùm Leo III immani perſecutione Romæ impeteretur etiam ad Carolum Magnum profectus eſt. *Ipſe verò Chriſtianiſſimus & orthodoxus atque præcipuus, clementiſſimus Rex illicò ut audivit, miſit in obviam ejus Gildualdum Archiepiſcopum, &c. Poſtmodùm proprium filium ſuum Pipinum excellentiſſimum Regem, cum aliis Comitibus obviam ei iterùm, & uſque ubi ipſe magnus Rex obviavit, & ſicut Vicarium Beati Petri Apoſtoli venerabiliter & honorificè, cum hymnis & canticis ſpiritualiter eum ſuſcepit, &c.* Vocat Leonem Vicarium beati Petri Apoſtoli. Idem Baronius cum Anaſtaſio anno 800. ait eundem Carolum Magnum fuiſſe in Imperatorem coronatum. *Pontifex* (inquit) *manibus ſuis propriis pretioſiſſimâ coronâ coronavit eum. Tunc univerſi fideles Romani videntes tantam defenſionem, & dilectionem, quam erga ſanctam Romanam Eccleſiam, ut ejus vicarium habuit, unanimiter altiſſimâ voce, Dei nutu, atque Beati Petri clavigeri regni cœlorum exclamarunt, &c.* Quo facto idem Cæſar ſolemni juramento ſe obligavit ſe fore ſanctæ Romanæ Eccleſiæ defenſorem.

Baron.

Vt ad noſtra tempora veniamus II. Franciſcus Françorum Rex miſit Petrum Daneſium ad Synodum Tridentinam à Pontifice Romano indictam qui in Oratione coram Synodo habitâ hanc ſucceſſionem profeſſus eſt his verbis. *Cùm Franci Romanam Eccleſiam, cui ille Apoſtolorum princeps præſediſſet Petrus orbis terrarum principatum ſemper obtinuiſſe, ejuſque Epiſcopum captis loco reliquis magno conſenſu Epiſcopis habitum eſſe didiciſſent, &c.* Particulæ *ſemper obtinuiſſe,* Denotant ſucceſſionem; quam verbis diſertis poſtea exprimit. *Ab his profectus Majoribus Chriſtianiſſimus Rex Franciſcus, cùm animadverteret quantã ſemper vim habuiſſet ad res continendas eſſe unum in Eccleſiâ Romanum Epiſcopum, utpotè Petri ſucceſſorem reliquorum & dignitate & auctoritate principem, ad quem cæteri, ut ad caput referentur, &c.* Eandem ſucceſſionem teſtatur Raynaldus Ferrerius oratione ad Concilium habitâ.

Franciſ. Rex.

Nullus etiam ex antiquioribus Galliarum Epiſcopis & Doctoribus fuit, III, qui hanc ſucceſsionem Pontificiam non agnoverit, quoſdam eorum audiamus. S. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis, qui floruit ſœculo quarto poſt enumerata flagitia & perſecutiones Conſtantii Cæſaris, ait libr. contra Conſtantium defunctum. *Tribuni tui adierunt ſancta ſanctorum, protraxerunt de altari ſacerdotes, vertiſti deinde uſque ad Romam bellum tuum, eripuiſti illinc Epiſcopum.* Cur ita exaggerat violentam manuum injectionem in Epiſcopum Romanum? Cur ſcelera perpetrata Alexandriæ, Treviris, Mediolani, & alibi in Præſules non recenſet inter graviſsima? niſi quia Epiſcopus Romanus ſit ſucceſſor Petri.

Hilarius

Sanctus Proſper Aquitanicus Epiſcopus Regienſis lib. de ingratis canit. IV,

Sedes Romæ Petri, quæ paſtoralis
s Proſp. *honoris*
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

Vocat Romam ſedem Petri, factam caput mundi orbem univerſum non tantùm tenuiſſe, ſed & nunc tenere, quod ſucceſſionem denotat. Sic etiam intelligendus eſt lib. 2. de vocatione gentium cap. 6. *Amplior facta eſt arce Religionis, quàm ſolio poteſtatis.*

V. Sæculo ſexto S. Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſtor. cap. 1. ſcribit de S. Britio Epiſcopo Turonenſi, quod de ſede Epiſcopali injuſtè deturbatus. *Romanæ urbis Papam expetiit flens & ejulans &c. Romam veniens cuncta, quæ pertulerat, Papæ defert, qui ad ſedem Apoſtolicam reſidens, plerumque miſſarum ſolemnia celebrãs, &c. Inibi ſeptimo igitur regreſſus anno à Româ, cum auctoritate Papæ Turonos redire diſponit, &c.* Cur Romanæ urbis Pontificem expetiit, quam alium, cùm tunc Gallia tot abundaret Epiſcopis? quia Romanus Pontifex Petri ſucceſſor erat. Idem lib. de Joanne Papá & Martyre. *Hic cum ad Epiſcopatum veniſſet ſummo ſtudio hæreticos execrans Eccleſias eorum in Catholicos dedicavit, &c.* Quibus verbis innuit non unius, ſed omnium Eccleſiarum curam habuiſſe inſtar Petri.

Gregor. Turon.

VI. Hilduinus Abbas ſancti Dionyſii propè Pariſios ſæculo nono in Areopagitis. *Dionyſius* (inquit) *cùm arcis Romanæ mœnibus præſentiam intulit, Beatum Clementem Pontificem, ſanctæ & ſummæ Apoſtolicæ ſedis jam apicem gubernantem invenit. Cui Clemens ait: Frater chariſſime Dionyſi, quia de omnibus Catholicæ veritatis es ſufficienter edoctus, in nomine Domini partes Occidentis aggredere, & Apoſtolicâ noſtrâ auctoritate omnem ſuſcipiens Galliam opus fac Evangeliſtæ. Ita Beatus Dionyſius ſedis Apoſtolicæ privilegio tradente beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore Lutetiam Pariſiorum Domino jubente pervenit.* His verbis patentiſſimè docet Clementem eſſe Petri ſucceſſorem, & primatum habere non tantum Eccleſiarum Italiæ, ſed omnium Tranſalpinarum, quam ſucceſſionem agnoverunt Martialis, Dionyſius & alii viri Apoſtolici ac Miſſionarii dum profecturi in Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, &c. acceperunt litteras legationis ſuæ non à Regibus, vel Epiſcopis qui illos præceſſerunt & in aliquâ parte illorum regnorum reſidebant, ſed à ſolo Romano Pontifice, ut paucis teſtatur Hugo de S. Victore, qui ſcripſit ſæculo duodecimo. Hic lib. 2. de Sacramentis part. 3. cap. 15 *Apoſtolica ſedes cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſiis.*

Hilduin

De hac ſucceſſione Romani Pontificis mellifluè diſſerit S. Bernardus eodem ſæculo lib. 2. de conſideratione cap. 8. dum ſic Eugenium Pontificem affatur. *Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii janitores, & gregum paſtores. Sed tu tantò glorioſius, quantò differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos tibi univerſi crediti uni unus. Nec modò ovium: ſed & paſtorum tu unus omnium paſtor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dicam Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè tota commiſſa ſunt oves? Si me amas Petre, paſce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? oves meas, inquit. Cui non planum deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes. Nihil excipitur ubi diſtinguitur nihil.* Quomodò ſanctus Bernardus ait. *Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt?* Quomodò Chriſtus dedit Eugenio claves, quando commiſit illi oves? quando Petro dedit, & commiſit, eo quod Eugenius eſt ſucceſſor Petri, ut patet ex illis verbis. *Vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti.* Quod nomen? Paſtoris & janitoris univerſalis: quod confirmat his verbis. *Greges tibi univerſi crediti unus uni.* Pondera particulam *Tibi*, ſcilicet ut ſucceſſori Petri. Vnde ſanctus Bernardus aſſerit, quod verba, quibus Chriſtus Petrum affatus eſt, ad ipſum Eugenium directa ſunt, *Sic indiſcretè & abſolutè totæ commiſſæ ſunt oves. Si me amas, Petre, paſce oves meas.* Eandem ſucceſsionem paulò poſt urget his verbis VII.

Bernar.

verbis, *Ergò juxta canones tuos alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinē poteſtatis vocatus, &c.* Poſt multa concludit. *Stat ergò inconcuſſum privilegium tibi, tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis.* Idem S. Doctor oſtendit lib. 2. cap. 7. ſuæ vitæ Innocentium eſſe legitimum & verum Petri ſucceſſorem, ac univerſalis Eccleſiæ caput. At verò Petrum Leonē eſſe invaſorem ovilis & arcæ Chriſti. *Vna arca tempore diluvii fuit, in hac octo animæ cæteris omnibus pereuntibus evaſerunt, & quotquot extra arcam inventi ſunt, perierunt. Arcam hanc typum habere Eccleſia nemo eſt qui ambigat. Arca nuper alia fabricata eſt, & cum ſint duæ, alteram neceſſe eſt eſſe adulteram, & in profundum demergi. Arca quam regit Petrus, ſi ex Deo eſt, neceſſe eſt, ut arca, quam regit Innocentius obruatur.* Ideſt ſi Petrus Leonis eſt ſucceſſor Petri, & arca quam regit Petrus Leonis ea eſt quam rexit Apoſtolus Petrus. *Peribit ergò Orientalis Eccleſia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania. Iberi & Angli & barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldulenſis, Carthuſienſis, & Cluniacenſis, & Grandimontenſis, & Ciſtercienſis, & Præmonſtratenſis, aliaque innumerabilia ſervorum & ancillarum Dei collegia neceſſe eſt, ut ſub uno turbine corruant in abyſſum. Epiſcopos & Abbates & reliquos Eccleſiæ Principes collo præcipiti molâ aſinariâ alligatâ pelagus vorax excipiet, ſolus ex principibus mundi arcam Petri intravit ille Rogerius, & cæteris omnibus ebecatis ſolus iſte ſalvabitur? Abſit, ut totius mundi Religio pereat, & ambitio Petri, cujus vita palam eſt, qualis extiterit regnum cælorum obtineat.* Ecce quomodò docet in eâ ſolâ arcâ potuiſſe ſalvari, quæ erat arca Petri, & cujus rector erat verus Petri ſucceſſor. Proavorum veſtigiis inhærens Clerus Galliæ primatum Petri ac legitimam ejus ſucceſſionem agnoſcens anno 1653. declaravit Innocentium X. verum Petri ſucceſſorem dum ad eum recurrit pro cenſurâ doctrinæ Janſenianæ.

§. 13.

Teſtimonium Conciliorum Galliæ.

Si ad Concilia in Galliis celebrata deveniamus, reperiemus illa nonniſi auctoritate ſedis Romanæ fuiſſe coacta & confirmata. Baronius ex Petri Pithæi bibliothecâ habet depromptam epiſtolam, quam Patres Synodi Arelatenſis miſerunt ad Sylveſtrum papam de iis, quæ geſta eſſent, cui talis eſt inſcriptio. *Dilectiſſimo Papæ Sylveſtro, &c.* Ad eum tamen non ſcripſiſſent potius quàm Mediolanenſem, Florentinum, Ravennatem, vel alios: nec ei miſiſſent acta iſtius Synodi, niſi fuiſſet ejus auctoritate & conſenſu congregata. Vndè Baronius oportunè corollarium facit, dicens morem fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ leges in aliquo Concilio ſancitas ad Romanum Pontificem, ut verum Petri ſucceſſorem mittere, ut eas ſuâ auctoritate probaret ac promulgari præciperet. Accipe verba canonis primi iſtius Synodi. *Quæ decrevimus communi Concilio charitati tuæ ſignificamus, ut omnes ſciant quid in futurum obſervare debeant de obſervatione Paſchæ Domini, ut uno die & tempore per omnem orbem obſervetur, & juxta conſuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.* Hæc verba *juxta conſuetudinem*, denotant Sylveſtrum eſſe Chriſti Vicarium, paſtorem & caput omnium Eccleſiarum; ac ſucceſſorem S. Petri. I. Conciliū Arelat.

Idem colligo ex Concilio quarto Aurelianenſi anno 545. canone 1. ubi ait. *Quoties aliquid de ſolemnitate Paſchatis dubitabitur inquiſita vel agnita per Metropolitanos à ſede Apoſtolicâ ſacra conſtitutio teneatur.* Cur potius de ſede Apoſtolicâ ſeu Romanâ facit mentionem? niſi quia Pontifex Romanus ſedet in Cathedrâ Petri & ejus ſucceſſor eſt. II. Concil. 4 Aurel.

Sic intelligendus eſt canon 2. Concilii ſecundi Turonenſis celebrati anno 570. *Quis (inquit) Sacerdotum contra decreta talia, quæ à ſede Apoſtolicâ proceſſerunt* III. Concil. 2 Turon.

proceſſerunt, agere præſumat, & quorum auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos ſedes Apoſtolicâ ſemper intromiſit, & Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. Illa vox *Semper*, quid aliud ſignificat, quã ſucceſſionem. Ita explicandum Concilium tertium Turonenſe circa annum 809. contra ſectas Neſtorii & Eutychetis. *Quas* (inquit) *ſedes Apoſtolica ſancta condemnat, cum ſuis auctoribus & ſectatoribus execramur.* Et Clerus Gallicus ſcribens Leoni papæ. *Apoſtolico honore & venerando Papæ Leoni Deo gratias agimus, quod tanta fides, tantaq; doctrina Apoſtolicæ ſedis, unde religionis noſtræ propitio Chriſto fons & origo manavit Antiſtitem dederit.* Si Leo non foret ſucceſſor Petri, non vocaret ejus ſedem. *Vnde religionis noſtræ propitio Chriſto fons & origo manavit.* Idem affirmat Concilium Senonenſe anno 1528. contra Lutheranos. *Intelleximus* (inquit) *Lutheri libellos pernicioſos jam pridem cum ſuo auctore à ſanctiſſimis Pontificibus Leone papâ & Adriano, necnon Clemente papâ moderno damnatos.* Idem in decreto tertio. *Si ubi duo vel tres in nomine Domini congregantur, in medio eorum ſit Dominus, quanto magis ubi ſummus Pontifex cæteriſque primores Eccleſiaſtici conveniunt.*

IV. Vrſpengenſis in Chronico 1107. narrat, quod cùm Pontifex Paſchalis in Germaniam proficiſci ſtatuiſſet, tranſiit per Gallias, ubi celebravit Trecenſe Concilium. Quanto autem honore ſit exceptus audi illum. *Vt verè Chriſti diſcipulus & Apoſtolorum vicarius ingenti honore ſuſcipitur, & dignâ veneratione tractatur, nõ aliter quàm legifer de cælo miſſus auditur &c. Itaque apud Trecas Concilium habuit, ubi inter multa, quæ pro tẽpore & neceſſitate corrigenda erãt, correxit.* Vocat illum Apoſtolorum Vicarium, ait eum omnium Eccleſiarum curã gerere, ac correxiſſe quæ corrigenda erant. Subdit conſequenter aliquos Patriarchas anathematizatos, aliquos Epiſcopos ſuſpenſos, alios privatos: quæ omnia efficaciter probant Paſchalem eſſe verum Petri ſucceſſorem, ac poteſtatem ſupremam habere in gregem Chriſtianum, in Epiſcopos ac Patriarchas.

V. Quod ſi quædam Concilia Nationalia ſeu Provincialia congregata ſunt, inſcio ſeu inconſulto Romano Pontifice, quæ in iis actitata fuerant rata non fuerunt, niſi Romani Pontificis ut Petri ſucceſſoris auctoritate firmarentur explicitè vel implicitè. Hinc plura eorum decreta poſtea à Romano Pontifice irritata fuerunt. Sanctus Gregorius Turonenſis lib. 5. hiſtoriæ Francorum cap. 20. Aimoinus lib. 3. de geſtis Francorum cap. 27. narrant de Salonio Ebredunenſi Epiſcodo, & Sagittario Vapicenſi in Synodo Lugdunenſi Præſide Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo fuiſſe convictos multorum criminum reos ac exauctoratos, qui ad Joannem Pontificem Romam profecti ſunt, cui cùm perſuaſiſſent ſe fuiſſe injuſtè damnatos, ejus decretum ad Guntheranum Regem delatum eſt, quo pontifex percipiebat, ut illos Epiſcopos ſuis ſedibus reſtitueret, quod Rex præſtitit. Vndè Baronius ad annum 570. ſubjungit. *Vigebat his etiam temporibus (uti ſemper viguit) uſus ille à quovis ad ſedem Apostolicam appellandi, quod & hi feciſſe noſcuntur.* Concluditque *Videſnè Lector, quantam reverentiam exhibuerint reges atque Epiſcopi ſententiæ Romani Pontificis, ut quamvis iiſdẽ videri potuiſſet quod injuſtè eſſent reſtituti, quos Synodus juſtè damnaſſet, parere tamen ipſi minimè prætermiſerunt.* Idem de Synodo Nationali teſtatur ſanctus Gregorius papa libr. 11. indict. 6. epiſt. 8. ubi Brunechildis Regina ab eo petiit facultatem congregandi Synodum Nationalem. *Filii noſtri ex veſtrâ perhibuêre juſſione ſibi mandatum, ut talis debeat à nobis in Galliis perſonâ tranſmitti, quæ facta Synodo cuncta, quæ contra Canones perpetrantur omnipotenti Deo auctore poſſit corrigere.*

§. 14.

Teſtimonium Eccleſiæ Hiſpanicæ.

I BAronius ad annum 610. num. 12. narrat celebratam fuiſſe Synodum Toletanam ſub Bonifacio IV. Pontifice, & Gundemaro Rege, quam papa approbavit. *Vt non* (inquit Baronius) *unius Carthaginenſis provinciæ, ſed totius Hiſpaniæ Toletanus Epiſcopus primas eſſet, ab Eccleſiâ Romanâ Toletanam Eccleſiam eſſe conſecutam certum eſt. Neque id ſemel, ſed repetitis ſæpius poſtea privilegiis perpetuò ſtabilitum.* Gaſpar Loaiſa in collectione Conciliorum Hiſpaniæ ad decretum Gundemari poſt Synodum Toletanam, oſtendit primatum Eccleſiæ Toletanæ fuiſſe inſtitutum à ſancto Petro Apoſtolorum principe, qui illuc miſit Eugenium, eumque Epiſcopum ordinavit, quem Romani pontifices Petri ſucceſſores variis privilegiis coornarunt. Arridet Rodericus lib. 2. rerum Hiſpanicarum ſcribens Cindaſumdum Regem obtinuiſſe à Romano pontifice privilegium, ut juxta beneplacitum Pontificis primaria dignitas Hiſpaniæ eſſet Toletana, ſicut fuerat ab antiquo. Franciſcus Tarapha de rebus 6. Synod. *His temporibus* (inquit) *Vrbanus papa II. Archiepiſcopum Toletanum inſtituit totius Hiſpaniæ, ac regem Galliciæ cum omni Diœceſi S. Iacobi anathematis vinculo ligavit, quia Epiſcopum in carcerem inauditâ cauſâ conjecerat.* Rex Alphonſus clariſsimè ſucceſsionem Apoſtolicam admittit apud eundem Rodericum lib. 5. cap. 16. *Cùm Rex Alphonſus duos Presbyteros ad Ioannem Papam deſtinaſſet. Is reſcripſit in hæc verba, in curâ totius Chriſtianitatis Beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſores Onetenſem in veſtro conſenſu & aſsiduâ petitione Metropolitanam conſtituimus.* De tertiâ Synodo Toletanâ ita ſcribit Baronius ad annum 589. art. 9. *Non ſine ſcientiâ, atque conſenſu, ſimulque auctoritate Pelagii Papæ generale hoc celebratum eſſe Concilium ex eo intelligi poteſt, dum Lucas Tudenſis ait Leandrum huic interfuiſſe, & præfuiſſe legatione functum pro Romano Pontifice, quod abſque controverſiâ credi debet, cum certum ſit Romanos Pontifices tum in aliis, tum in Hiſpaniarum Provinciis vices ſuas delegare conſueviſſe.* Dum ait pręfuiſſe legatione functum pro Romanō Pontifice denotat hunc fuiſſe verum Petri ſucceſſorem, quandoquidem tam eximius ſanctus pro eo legati munus obierit. Idem affirmat Gaſpar Loaiſa de ſubſcriptionibus illius Concilii. *Interfuit* (inquit) *tunc dignitate primus ille Catholicus & Orthodoxus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ legatus, ſanctitate & doctrinâ perſpicuus.*

In hujus ſucceſsionis legitimæ recognitionem narrant Hiſtorici Hiſpani Reccaredum regem poſt ſuam converſionem miſiſſe ad ſedem Apoſtolicam, cui S. Gregorius præerat (ut patet ex lib. 7. indict. 2. epiſt. 126.) Legatos cum muneribus, & S. Gregorium viciſsim eundem Reccaredū in ſuſceptâ religione, laudaſſe, quod oblata Judæorum munera renuiſſet, imò legem contra eos latam executioni mandaſſet; miſit partē ligni ſanctæ Crucis, Capillos ſancti Joannis Baptiſtæ, duas claves quarum una ſacrata erat cōtactu corporis S. Petri, curabatque morbos: altera continebat Ramenta ex ejuſdem Apoſtoli catenis detracta. Idem Pontifex pallium miſit Leandro pontifici. II.

Ex quibus colligitur quod Reccaredus Rex, & omnis Hiſpania agnovit Pontificem Romanum, ut Petri ſucceſſorem, ac ſupremum totius Eccleſiæ Catholicæ caput. Vt etiam innuere videtur caput primum ejuſdem Synodi. *Permaneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & Synodicæ ſanctorum Præſulum Romanorum epiſtolæ.* Dum in Hiſpaniâ eſſet controverſia an baptiſmati trina merſio eſſet adhibenda, vel una ſufficeret, Patres illius Concilii canone 6. cenſuerunt conſulendum eſſe Romanum Pontificem. *Quid à nobis in hac Sacramenti diverſitate faciendum ſit, Apoſtolicæ Sedis informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtitutionem* III.

ſequentes. Deinde referunt quid aliàs de hac quæſtione S. Gregorius reſponderit ſancto Leandro Epiſcopo Hiſpalenſi, & quanti olim Eccleſia Hiſpanica æſtimarit judicium Sedis Apoſtolicæ.

IV. Duodecima Synodus Toletana eandem Romanorum Pontificum auctoritatem ac ſucceſſionem aſtruit. Nam Joannes Vaſæus in ſuo Chronico anno 681. de hoc Concilio ſcribens. *Ex hujus* (inquit) *Concilii capi-* Vaſæus. *te ſexto conſtat jam tum electionem Epiſcoporum fuiſſe Regum Hiſpaniæ, ſed quæ electio debebat approbari ab Epiſcopis, & præcipuè Toletano, an erat à ſummo Pontifice generalis faciendi Concilii poteſtas.* Quæ verba denotant eos Romano pontifici fuiſſe ſubjectos, ut patet ex Loaiſa, qui ad Canonem 6. Concilii Toletani hæc ſcribit. Loaiſa. *Omnia hæc fiebant conceſſione Romanæ & Apoſtolicæ ſedis, cujus auctoritatem Eccleſia Hiſpaniæ ſemper majorem in modum coluit & obſervavit.*

V. Non omittenda hic ſubmiſſio Epiſcoporum Tarraconenſium ad Hilarium papam ſœculo ſexto. *Ad fidem* (inquiunt) *recurrimus Apoſtolico ore laudatam.* Epiſcop. Tarrac. *Indè reſponſa quærentes, undè nihil errore, nihil præſumptione, ſed pontificali totum deliberatione præcipitur.* Quæ verba non auderēt pronunciare niſi Hilarius foret legitimus Petri ſucceſſor, cui ſoli Chriſtus pollicitus eſt veritatem infallibilem. Eandē ſuam ſucceſſionem innuiſſe videtur Simplicius papa ſcribens Zenoni Epiſcopo Hiſpalenſi. Simplic. papa. *Congruum duximus vicariæ ſedis noſtræ te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, vel ſanctorum terminos Patrum nullo modo tranſcendi permittas.* Vocat ſedem ſuam vicariam ſcilicet Chriſti, à Petro olim occupatam. Sic indictâ continuatione Concilii Tridentini Philippus Rex Hiſpaniarum mittens illuc Oratorem ait. *Cum beatiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Pius IV. Divinâ providentiâ ſacroſancta Romanæ ſedis Pontifex maximus.* Sola Petri ſedes ſacroſancta nuncupatur, in quâ ait Pium IV. ſedere.

§. 15.

Teſtimonium Eccleſiæ Luſitaniæ.

Concilium Bracarenſe, cui ex ordinatione Sedis Apoſtolicæ præfuit Lucretius Bracarenſis Epiſcopus, ſexto ſæculo, & damnavit hæreſim Priſcilianiſtarum, & aliorum hæreticorum ſeptemdecim capitulis teſtatur de litteris à Romano Pontifice. I. *Præcipuè cum & de certis quibuſdam cauſis inſtructionem ſedis Apoſtolicæ apud nos habeamus quæ ad interrogationes ſuas quondam venerandæ memoriæ prædeceſſoris tui Profuturi prudentiâ, ab ipſâ Beatiſſimi Petri accepit Cathedrâ.* Deinde lecta eſt epiſtola Romani pontificis, quam omnes profeſſi ſunt ſe in omnibus ſequi, in ipſis præfertim ſacris ritibus, inter alios de Miſsâ Canone 22, *Placuit et eodem ordine Miſſæ celebrarentur ab omnibus, quem profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipsâ Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcipit ſcriptum.* Et Canone 23. *Nullus ordinem baptiſandi prætermittat, quem pro amputandâ aliquorum dubietate prædictus Profuturus ſibi decretum à ſede Beatiſſimi Petri Apoſtoli ſuſcepit.* Vocat ſedem Romani Pontificis tunc ſedem ſancti Petri, quia ejus ſucceſſor eſt.

Quantùm ipſi Reges coluerint Pōtifices Romanos, ut ejuſdem Petri ſucceſſores teſtatur mandatum Sebaſtiani Regis Luſitaniæ mittentis ad Concilium Tridentinum. II. *Conſtituimus N. noſtrum Oratorem ad ea noſtro nomine Tridenti agenda, quæ ad cæterorum membrorum cum Romano Pontifice Catholicæ Eccleſiæ ſupremo Præſide, & Chriſti Vicario.* Quaſi diceret quemadmodum ſanctus Petrus fuit Romanus Pontifex, Eccleſiæ ſupremus Præſes, Chriſti Vicarius: ita modernum pontificem talem agnoſco, & conſequenter verum S. Petri ſucceſſorem.

§. 16.

Teſtimonium Eccleſiæ Polonicæ.

I. BOzius de ſignis Eccleſiæ part. 2. tomo 2. lib. 29, ſigno 83. ſcribit Boleſlaum Pudicum Jazigas domuiſſe, & ad Chriſti religionem perduxiſſe, Tartaros ſæpius fudiſſe. Idem à Caſimiro Magno, aliisque ſequentibus regibus ac ducibus religioni obſequium præſtitum fuiſſe refert Martinus de rebus Poloniæ lib. 3. additque quod Miecislao I. Polonorum Chriſtiano Principe. *Ad Diœceſes Epiſcopis, & provincias Archiepiſcopis diſtribuendas, & Baſilicas dedicandas Ægidius Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus Ioannis XIII. Pontificis Maximi ſæculo decimo Legatus præfuit.* Idē ait, quod Adalbertus Pragenſis Epiſcopus admonitionibus ſuis apud Pragenſes nihil proficiens. *Romam primùm, ac deindè impetrato à Pontifice maximo commeatu in Vngariam profectus eſt.* Vbi Stephanum Regis filium vel baptiſavit (ut aliqui volunt) vel prius baptiſatum confirmavit. Indè Poloniam perrexit, ubi Gnenenſis Archiepiſcopatus ei delatus eſt. Tandem ſecundùm Ottonem Friſingenſem lib. 6. cap. 26, tempore Ottonis III. prædicans Pratenis Martyrio coronatur anno 997. Quæ omnia demonſtrant Poloniam agnoviſſe Pontificum ſucceſſionem.

II. Eandem ſedem Apoſtolicam ac divi Petri, Polonia venerata eſt, teſte Cromero lib. 4. de rebus Polonicis. Nam regio diademate Poloniæ Rex privatus eſt à Joanne papâ ob cædem ſancti Staniſlai à Gregorio VII, perpetratam. Vndè poſtea ſucceſſores non reges, ſed principes ſunt appellati per annos 215. donec anno 1295. illud nomen regium reſtitutum eſt, poſtquā Gerardus Vladiſlavienſis Epiſcopus miſſus ad ſedem Apoſtolicam illud diadema regium recuperavit pro Wladiſlao, quæ privatio & reſtitutio honoris regii à Romano pontifice ablati & redditi manifeſtè oſtendit, quanti Polonia æſtimarit Romanos pontifices, ut ſancti Petri ſucceſſores.

III. Quos ſucceſſores Divi Petri non tantùm verbis, ſed etiam ſcriptis coluerit, ac propugnavit. Duos tantùm proponam ſcilicet Staniſlaum Hoſium Cardinalem Epiſcopū Warmienſem in Concilio Tridentino præſidem, & Martinum Cromerum proximè citatum. Ille in confeſſione Catholicæ fidei Chriſtianâ, ſeu potius explicatione quadam confeſſionis in Synodo Petriconienſi à Patribus provinciarum Gneſnenſis & Leopolienſis in regno Poloniæ factæ anno 1551. in epiſtolâ dedicatoriâ ad Regem Sigiſmundum laudat quod ſuos populos in obedientiâ Eccleſiæ & Sedis Romanæ contineat. Idem Hoſius cap. 28, lib. de fide & ſymbolo oſtendit, quod ubi legitima Epiſcoporum ſucceſſio eſt, ibi doctrina Apoſtolicâ, ibi vera eſt una, ſancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia. Accipe quædam ejus verba. *Porrò doctrina Apoſtolorum ibi eſt, ubi legitima Epiſcoporum ſucceſſio, à temporibus Apoſtolorum ad hæc uſque noſtra, quæ ſucceſſio ubi non eſt, ibi non eſt Eccleſia Chriſti, ſed Satanæ ſynagoga: hanc Eccleſiæ notam, quia non habent, non agnoſcunt hæretici,* Vbi oſtendit ex Patribus in Eccleſiâ Romanâ vigere ſucceſſionem. Subdit præcipuum hæreticorum ſtudium verſari in evertendo papatu. *Itaque ſataniſtarum non eſt majus aliud ſtudium, quàm ut Chriſti Vicarium (quem Petri ſucceſſorem eſſe vident) cujus miniſterio fieri perſpiciunt ut in Eccleſiâ ſpiritus unitas in vinculo pacis retineatur, ejus auctoritati detrahant.* Id infra probat à ſimili *Quemadmodum qui vult regnum everſum, aut aliquam in eo ſeditionem concitatam caput regni petit in primis; illud famoſis libellis proſcindit, & quibuſcumque poteſt artibus in odium & contemptum omnium adducere conatur. Sic illi dum hoc unum ſtudent, ut Eccleſiam perturbent, ut illius unitatem ſcindant, caput Eccleſiæ ſub Chriſto capite, quibus modis poſſunt, etiam confictis criminationibus oppugnant.* Vbi doctè & eleganter de authoritate Romanorum pontificum Petri ſucceſſorum, Synodorum, imò & ipſorum hæreticorum ſententiam protulit

protulit, tandem concludit. *Quamobrem ferendi non ſunt qui Pontifici ſe dicto audientes fore profitentur, non autem Paulo aut Iulio, ſibiq; hoc arrogant, ſuum ut eſſe velint judicium, quando ut Pontifex, quando ut Iulius decernat. Quæ ſi ſemel admiſſæ fuerint captiones, omnis erit è terris obedientia ſublata. Cur enim non eadem ratione ſibi ſumat quiſquam, ut de regis ſententiâ judicet, quod Sigiſmundum, non autem regem pronunciaſſe dicat. Nihil captione hac pernicioſius cogitari poteſt.* Cap. 26. de eadem Romani pontificis ſucceſſione hæc pronunciat. *Chriſtus cùm ſibi ſub tempus Paſſionis oraſſet Patrem, ut eos quos dederat ſibi ſervaret ut eſſent unum, ſicut ipſe cum Patre unum eſt: quò facilius unitas hæc ſempiternis temporibus retineri poſſet, aſcenſurus ad Patrem, uni curam Eccleſiæ ſuæ mandavit uni Petro paſcendas oves commiſit, unum illum principem deſignavit multis argumentis ut ipſe quidem in cœlis auctor eſſet unitatis perpetuæ. Petrus autem, & quiſquis ei ſucceſſiſſet, ejuſdem retinendæ dux & Princeps in terris haberetur. Vnitatis itaque conſtituendæ principium, & retinendæ per eundem Chriſtum Petrus & ejus ſucceſſor ſtatuitur. Hoc univerſa credidit antiquitas. Hoc ſacroſanctum Nicænum Concilium confeſſum eſſe legimus.* Id probat à ſimili exemplo apum, brutorum animantium, arborum, in quibus eſt primatus ſucceſſio aliqua.

IV. Quod autem hanc rationem capitis & fundamenti abſque ſuæ dignitatis detrimento Petro & ejus ſucceſſoribus communicaverit Chriſtus, paulò poſt oſtendit optimâ deductione, quæ hæreticas cavillationes reprimit. Quam iterùm infra breviter reproducit & explicat quomodò Chriſto & Petro illa nomina competãt, ſed modò planè diverſo. Nam Petrus eſt petra propter Chriſtum. Infra ſubdit. *Quamobrem ſi talem eſſe volumus Eccleſiam, quæ videri & agnoſci poſſit, neceſſe eſt ut viſibilem eſſe petram ſtatuamus ſuper quam illa ſit viſibilis ædificata, ut petra nomine Petrum, Petrique ſucceſſorem confitentem Chriſtum intelligi velimus.* Cap. 27. invehitur in hæreticos ut calumniatores. *Eccleſiæ præſides, præcipuè verò Chriſti Vicarium, Petrique ſucceſſorem falſis etiam criminationibus in odium & contemptum omnium adducere conantur. Quæ eſt autem iſta tam inſana maledicendi rabies? aut à quo alio, quàm à ſatanâ auctore profecta? facile ut ſataniſtam agnoſcere liceat. Certè Dei præceptum eſt, principi plebis tuæ non maledices, &c.* Fuſius ibi oſtendit quomodò hæretici ſint criminatores, & quantùm peccent. Infra ubi de Sacramento Ordinis cap. 54. oſtendit quid & quo modo ab Epiſcopis Papa differat. Idẽ diſſerens de traditionibus humanis, ait poſt S. Auguſtinum tertiam Eccleſiæ notam eſſe ſucceſſionẽ Romani pontificis. *Vbi ſucceſſio ſacerdotum ab ipsâ Petri ſede uſque ad præſentem Epiſcopatum.* Infra loquens de hæreticis. *Nam & ordinem ab Apoſtolo Petro cœptum, & uſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſervatum perturbant ordinem, ſibi ſine origine vendicantes, hoc eſt corpus ſine capite profitentes.* Idem epiſtolâ dedicatoriâ ad regem Poloniæ contra Brentium, laudat illum regem quod Legatum miſerit ad Romanum pontificem de procerum Polonorum conſenſu. *Cum nonnulli contenderent negaſſe proceres eam rem ad Romani pontificis & Epiſcoporum cognitionem & dijudicationem pertinere, cùm ex comitiorum decreto, quæ ſunt ante biennium Petriconiæ habita, Nuncius à te miſſus fuerit ad Pontificem Maximum, &c.* Libro 1. refert ipſius Lutheri erga pontificem ſubmiſſionem. *Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus, quæ ſunt & habeo, vivifica, occide, voca, revoca, approba, ut placuerit. Vocem tuam vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam, &c.* Lib. 2 mores hæreticorum exprimens. *Nihil eſt quod minus ferre poſſint hæretici, quam ut aliquid ſacerdotum legitimæ ſucceſſioni tribuatur; quæ ſi quam debet auctoritatem retinuerit, jam ſectas ſuas conſiſtere non poſſe perſpiciunt, atqui demonſtravimus hoc alibi, quod & ibi eſt Eccleſia, ubi eſt legitima Sacerdotum & Epiſcoporum ſucceſſio; & ab hac ſucceſſione ſemper doctrinæ veritas eſt petita.* Succeſſionem illam variis Patrum auctoritatibus probat

probat infra. *Hæc eſt* (inquit) *ſucceſsio Sacerdotum Brenti, de quâ nos gloriamur, quam ſempiternæ Spiritus ſancti præſentiæ promiſsionem habere perſuaſum firmiter habemus.* Et poſt multa, *ſucceſſerunt igitur omnes Pontifices Romani, ſi minus in pietatem & ſanctitatē, ſaltem in fidem & donationem Petri, quam ſemper publicè profeſsi ſunt.* Lib. 5. reſpondens Brentio contendenti eſſe tantùm unum caput, ſcilicet Chriſtum, ait. „Propterea negas pe-„nes nos eſſe Catholicam Eccleſiam, „quod agnoſcimus in terris pro ca-„pite noſtro Romanum pontificem, „cùm Eccleſia Catholica ſolum unū „caput agnoſcat Chriſtum. Quaſi ve-„rò, qui pro capite Pontificem agnoſ-„cit, non agnoſcat caput Chriſtum. „Dicit etiam de Catholicâ Eccleſiâ, „quod ſolum Chriſtum Dei filium ag-„noſcit Dominum. Num igitur nul-„lus eſt in terris Dominus agnoſcen-„dus, quia ſolum Chriſtum Eccleſia „Dominum agnoſcit? Non ideò ſa-„pientiſſimus Princeps Sigiſmundus „auguſtus Rex, & Dominus noſter eſ-„ſe delinet, quia Chriſtum Regem & „Dominum noſtrum eſſe confitemur, „&c. Eſt caput Eccleſiæ Chriſtus, ne-„que tamen propterea non eſt caput „Eccleſiæ Pontifex. Eſt Rex & Do-„minus noſter Chriſtus, neque tamē „propterea non eſt caput Eccleſiæ „Pontifex. Eſt rex & Dominus noſter „Chriſtus, neque tamen propterea „non erit Rex & Dominus noſter Si-„giſmundus. Quis eſt, qui neſciat ſo-„lum Chriſtum regere ac regnare in „Eccleſiâ, & imperium hoc ſolo il-„lius verbo exerceri, atque admini-„ſtrari. Sed quia viſibili præſentiâ in-„ter nos non habitat, ut voluntatem „ſuam ore ſuo coram nobis declaret, „hominum in hoc miniſterium adhi-„bet, & quaſi vicariam operam: nos „ad eos jus, honoremque ſuum tranſ-„ferendo, ſed ut ſuum tantùm per eos „opus agat ipſe qualiter ad opus quo-„que faciendum artifex utitur inſtru-„mento. Quare manet ipſe caput Ec-„cleſiæ nihilominus regit, regnat, & „imperium exercet ipſe in Eccleſiâ: „Verum opus hoc ſuum per Ponti-„ficem agit miniſtrum ſuum. Non „quod non poſſit id per ſe ipſum ſine „alio quovis aut adminiculo, aut or-„gano præſtare: ſed hoc modo viſum „eſt illi ſuam erga nos dignationem „declarare &c. Vides Brenti nihil de-„trahi Chriſto capiti ſi ſubjectum illi „Romanum Pontificem caput in ter-„ris agnoſcamus? Non magis, quam „ſi caput regni Poloniæ Regem & „Dominum noſtrum Sigiſmundum „Auguſtum eſſe profiteamur, non „propterea non erit caput, non prop-„terea nō erit rex & Dominus JESVS „Chriſtus Dei Filius: cui ſicut Eccle-„ſiæ, ſic & regni caput ſubjectum eſt. Et infra. „Apud Paulum 1. Corinth. „cap. 11. Epheſ. cap. 5. Vir caput „mulieris. Num ideò Chriſtum eſſe „caput mulieris negavit? minimè „gentium: Verum hoc dicere voluit „Chriſtum caput mulieri conſtituiſſe „virum, ut eam gubernaret. An au-„tem ideò non gubernat eam Chri-„ſtus? imò gubernat, ſed per virum, „cui vult mulierem eſſe ſubjectam. „Sic etiam cum dicitur Pontifex ca-„put Eccleſiæ, abſit, ut Chriſtum ex-„cludamus, qui verè caput exiſtens „verè gubernat Eccleſiam. Sed ſicut „mulieri virum, ſic huic ſponſæ ſuæ „caput conſtituit Petrum & ejus ſuc-„ceſſorem, cujus miniſterio illam gu-„bernaret, quando dixit: Paſce oves „meas. Ipſe caput, ipſe gubernator „eſt Eccleſiæ ſuæ. Ipſe Paſtor & Epiſ-„copus animarum noſtrarum. Sed in-„terea Petrum elegit, Petrique ſuc-„ceſſorem, cujus in eâ paſcendâ, gu-„bernandâq; miniſterio uteretur, &c. Illi ſubſcribens Martinus Cromerus de falsâ Lutheranorum Religione libro 1. *Omnes Chriſtiani fuerunt, ac debent eſſe ſub uno Præſide & Paſtore, non tantùm Chriſto, ſed & Papâ Chriſti Vicario, & ſucceſſore Divi Petri, cui Chriſtus Matthæi cap. 16. claves regni cœlorum tradidit, & oves, agnoſque ſuos Ioannis cap. 21. Paſcendos & regendos commendavit.*

§. 17.

Teſtimonium Eccleſiæ Anglicanæ.

I. DE Regno Anglorum ferunt Hiſtorici, quod Arnulphus illud ſedi Apoſtolicæ tributarium fecit ſub Leone IV. Illud Henricus II. pro ſe & ſuis ſucceſſoribus à ſede Apoſtolicâ in feudum recognovit. Idem regnum Joannes Henrici filius obtulit Pontifici. Polydorus Virgilius lib. 16. hiſtoriæ Anglorum ſcribit. *Anno 1237. Gregorius IX. Pontifex Romanus rege non invito miſit Othonem Cardinalem in Angliam Legatum, qui ſacerdotalis ordinis ſtatum recognoſceret, aut quatenus opus eſſet corrigeret. Antiſtitum, aliorumq; Sacerdotum conventum Londini celebrem fecit, in quo poſt longam conſultationem de Patrum ſententiâ leges plurimas tulit, quæ deinceps ſacerdotalem dignitatem maximè conſervarunt.* Si Gregorius non fuiſſet Petri ſucceſſor indubiè omnes Præſules contra ejuſmodi Synodum juſtè reclamaſſent.

II. Accedit Venerabilis Beda lib. 2. hiſtoriæ Anglicanæ cap 1. *Cùm primum in toto orbe Gregorius gereret Pontificatum & converſis jam dudum ad fidem veritatis eſſet prælatus Eccleſiis noſtram gentem idolis mancipatam Chriſti fecit Eccleſiam.* Expende illa verba *In toto orbe gereret Pontificatum.* Item. *Eſſet prælatus Eccleſiis*, ſcilicet ut *Petri ſucceſſor.* Beda.

III. Quod confirmat Sanctus Anſelmus libro de incarnatione verbi cap. 1. quem Vrbano Pontifici dedicat his verbis. *Domino & Patri univerſæ Eccleſiæ in terrâ peregrinantis ſummo Pontifici Vrbano Frater Anſelmus, &c. Metropolis vocatus Epiſcopus debitam ſubjectionem cum humili ſervitio & devotis orationibus. Quoniam divina providentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitã & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, &c.* Anſelm. Vocat Vrbanum ſummum pontificem, cui non aulicam, ſed debitam ſubjectionem exhibet, ſubditque Vrbanum divinâ providentiâ electum, cui Chriſtus ſuam Eccleſiam regendam & cuſtodiendam commiſit ut Petri ſucceſſori.

IV. Hoc nomen ſucceſſoris explicitè innuit Reginaldus Polus lib. 2. pro unitatis Eccleſiaſticæ deſenſione, ubi Henricum VIII. Regem Angliæ ita affatur. *Interroga majores Deuteron. cap. 32. & dicent tibi, Petrum à Chriſto accepiſſe Chriſti in terris locum, capitis locum in Eccleſiâ, cui ſuccedunt Romani Pontifices eundem locum teneant.* Infra *In Dei Dei filiis Petrum unum neque alium præterea tutorem relictum. Poſt tot ſæcula oves Chriſti Petri, & ejus ſucceſſoribus cuſtodia commiſſas tam à ſucceſſore Petri abigere hæretici ſtudent.* Cardin. Polus.

V. Thomas Morus pro Henrici VIII. Regis Catholico libello (quem is de ſacramentis contra Lutherum ediderat) ita eundem Lutherum alloquitur. *Nec dubium eſt, quin jam olim Paſtorem ſui gregis reſpexiſſet Chriſtus, ſi Chriſtianus populus patris potius precari quàm perſequi, & nuditatem patris tegere, quam pudenda ridere maluiſſet. Sed non deſeret Luthere Vicarium ſuum Deus, reſpiciet aliquando, & nunc fortaſſe reſpicit eum Patrem, dolore quem patitur à perditiſſimo filio flagellat.* Plura huc adduci poſſent tum ex Sandero, tum ex luc idiſſimis duobus aſtris noſtri Ordinis Thomâ Waldenſi, & Joanne Baccone. Sed hæc ſufficiant cum iis quæ diximus tomo 1. tract. 4. cap. 6. §. 20. Thomas Morus.

§. 18.

Teſtimonium Eccleſiarum Scotiæ & Hiberniæ.

BEda in ſuâ Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Anglicanâ lib. 2. cap. 4. de Scotis ſermonem faciens, ait, quod multo tempore ante imperium Juſtini junioris. *Relicto errore idololatriæ fidem veritatis acceperant prædicante eis verbum Nima Epiſcopo reverendiſſimo & ſanctiſſimo viro de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & myſteria veritatis edoctus.* Non dicit in

in Galliâ, in Hiſpaniâ: ſed Romæ ſcilicet ſub obedientiâ & diſciplinâ Romani pontificis ut Petri ſucceſſoris. Quod à pontifice Romano Miſſionarii illuc fuerint delegati teſtatur Proſper in Chronicis. *Papa Cæleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſuâ mittit, ut deturbatis hæreticis Britannios ad Catholicam fidem dirigat.* Infra. *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Cœleſtino papâ Palladius, & primùs Epiſcopus mittitur.* Cur potiùs à Cœleſtino papâ, quam ab Archiepiſcopo Senonenſi, vel alio primate mittuntur? quia Cœleſtinus eſt Petri ſucceſſor. Idem fuſius contra collatorem. *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen juſtitiæ, ſed ſolùm pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum. Cæleſtinum quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem totius Italiæ finibus juſſit extrudi. Nec verò ſegniore curâ ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, &c.* Ait à Cœleſtino papâ fuiſſe purgatam Britanniam, & Scotis aſſignatum Epiſcopum, quo munere non functi ſunt Galli viciniores, quia Cœleſtinus eſt caput & paſtor univerſalis Eccleſiæ, ac Petri ſucceſſor.

II. Vndè Beda hiſtor. Anglic. lib. 3. cap. 29. ingenioſè notat Oſwi à Scotis in fide educatum miſiſſe legationem ad Romanum Pontificem, ut obedientiam ac debitam ſubmiſſionē illi ſuo nomine exhiberet. Et libr. 5. cap. 20. refert quod Vuilfridus animadvertens minimè perfectam eſſe virtutis viam, quæ à Scotis tradebatur. *Propoſuit animo venire Romam, & qui ad ſedem Apoſtolicam ritus Eccleſiaſtici, ſivè Monaſteriales ſervarentur, videre.* Cur non propoſuit aliò proficiſci? quia Romæ eſt ſedes Apoſtolica, in quâ ſedit Petrus, in quâ ejus ſucceſſores ſedent.

Hector Boethius hiſtoriæ Scotiæ lib. 6. exiſtimat Eccleſiam Scoticam tam antiquam, ut ejus originem refundat in tempora Victoris Papæ ſedentis anno 203. ſub Donaldo Rege Scotiæ. *Donaldus* (inquit) *Scotiæ Rex apud Victorem Pontificem, qui quintus decimus poſt Petrum Eccleſiæ præfuit, per legatos obtinuit, ut viri doctrinâ & religione inſignes in Scotiam ab eo miſſi ſe cum liberis & conjuge Chriſti nomen profitentes Baptiſmate inſignirent, &c,* illis verbis, *qui quintus decimus poſt Petrum Eccleſiæ præfuit,* denotat Victorem eſſe ſucceſſorem Petri. Quare non ab Epiſcopis Galliæ, ſed à Romano pontifice Donaldus Rex Miſſionarios poſtulat?

Quoad Hiberniam, Probus de rebus geſtis ſancti Patricii narrat, quod anno 429. Palladius Scotorum Epiſcopus cum navigaſſet in Hiberniam, & illic Evangelium prædicaſſet mandato Cœleſtini papæ morte præventus fuit; quam miſſionem abſolvit ſanctus Patricius prævia facultate non Epiſcoporum Galliæ (quamvis oriundus eſſet in Galliâ, progenitus ex ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi Sorore, & ab eo Martinus Clericus ordinatus eſſet, & quadriennio ſub ejus diſciplinâ perſtitiſſet, ac à ſancto Germano Antiſiodorenſi in ſacris litteris foret imbutus) ſed à ſede Apoſtolicâ. Quare Romam ad Cœleſtinum papā acceſſit, accepturus ex more ab Apoſtolicâ ſede ad illius gentis converſionem Apoſtolatum. Quod iter ut auſpicaretur (inquit Beda) tomo. 3. lib. 1. vitæ ſancti Patricii hanc orationem fudit. *Perduc me obſecro Domine ad ſedem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ut acceptâ inde auctoritate prædicandi cum fiduciâ verbum tuum fiant Chriſtiani per me populi Hibernorum. Nec multò poſt Vir Domini Patricius venit ad caput, &c.* Magno cum fructu Evangelii Chriſti, non ad ſedem Lugdunenſem, vel aliam accedit, ſed Romanam, quam ſanctam & Apoſtolicam vocat, & caput omnium Eccleſiarum, ſcilicet ſicut olim dum Petrus ſederet. III. Beda.

Bozius tomo 2. part. 2. lib. 22. & tomo 1. de ſignis Eccleſiæ narrat, quod ex quo Britannia & Hibernia Chriſti fidem ſuſceperunt, ac Romanæ Sedi obedientiam promiſerunt, nullum animal venenatum generatum eſt, nec aliundè illatum ibi nutritur. Munſterus lib. 3. ſcribit id beneficium conceſſum inſulis illis meritis ac precibus Epiſcopi Dominil. Ab eo tempore IV.

pore Hibernia hoc amplius habet, ut quælibet beſtia orta in illâ inſulâ plurimum profit adverſus venena. Idem Bozius recenſet alia beneficia.

§. 19.

Teſtimonium Eccleſiæ Hungaricæ.

I. ZElus regni & regum Hungarorum in Eccleſiæ Romanæ propagationem, ac obedientia erga Romanum pontificem ut Petri ſucceſſorem ſufficienter patet ex iis quæ refert Antonius Bonfinius decadis 2, lib. anno 1000. *Stephanus* (inquit) *cum bello contra Cupam pro fide Chriſtianâ inito, victor evaſiſſet, Aſtrium virum ſanctitate conſpicuum Romã adſummum Pontificem mittendum eſſe cenſuit, mandata dat, ut à Chriſti vicario in Vngaros, qui ejus fidem nuper inierint, Apoſtolicam benedictionem imploret, & inter oves Petri adnumeret. Poſt hæc ut Strigonienſem Baſilicam Metropolitanam eſſe jubeat Item cæteros Epiſcopatus nuper in Hungariâ erectos ſacroſanctâ auctoritate confirmet. Demùm quando poteſtas omnis à Deo eit & maxima cæpta ſine Divinâ ope confirmari nequeant regalia inſignia cum Pontificiâ benedictione aſſequatur.* Infra. *Ad unamquamque Romani pontificis mentionem Stephanus ſpectante populo, inclinato capite ſeſe ingeniculabat, ut exemplo ſuo, ad Romani Pontificis, Apoſtolicique ſenatus obſequium & obſervantiam omnes hortaretur.* His patet S. Stephanum Regem, Deo chariſſimum non ab Epiſcopis Germanis, Gallis, &c. Sed à Romano Pontifice, ut Chriſti Vicario, ſupremo omnium paſtore, ac Petri ſucceſſore viros Apoſtolicos poſtulaſſe, à quibus ipſe regiis inſignibus decoraretur, Hungaria fidem ſuſciperet.

Bonfin.

II. Refert Theodoricus Auyem lib. 1. de ſchiſmate cap. 2. ubi agit de electione Vrbani VI. & cap. 15. narrat Carolum Imperatorem & Ludovicum regem Hungariæ ſcripſiſſe ac rogaſſe Clementem, & ejus Cardinales (cùm adhuc eſſent Fundis) *ut ab incœpto ſchiſmate reſilirent, & ipſi Vrbano, quem ipſis Regibus, & toti Chriſtianitati generalem pontificem paulò ante dederant, ut ſummo pontifici obedirent, adjicientes, ſi ſchiſma illud procederet ulterius multa indè mala Chriſtianitati ſucceſſura.* Quæ verba ſatis patenter inſinuant Vrbanum ut Petri ſucceſſorem ab illis principibus fuiſſe recognitum.

III. Bonfinius teſtatur ab eodem Ludovico innumera templa fuiſſe conſtructa, & locupletata: ita ut exemplo atque operâ illius tertia regni pars ſpectaret ad Sacerdotes, & illud regnum licet vicinum ditioni Turcicæ ab illius Monarchâ, ſeu potius tyranno ſuperari nequiverit, quamdiu Romanæ ſedi obtemperavit. Quamvis anno 1526. Rex ipſe cum ſuo exercitu periiſſet ad Mochaz. *Tamen nihil ex iſta provinciâ in Turcarum manus, niſi ex quo pervaſit in eam virus Lutheranæ pravitatis, cùm defuncto Ioanne Zapoliâ Solymanus cum potentiſſimo exercitu evocatus ab Iſabellâ Ioannis uxore nobiliores illius regionis urbes in ſuam poteſtatem adduxit anno 1543.* hæc Bozius tomo 2. part. 2. lib. 24. cap. 1. qui lib. 19. ſigno 8. cap. 5. ſcribit à Romano pontifice exercitum ſæpius miſſum ad Germaniam, & maximè Hungariam contra Turcas tutandam. *E contra Lutherus* (inquit Bozius *ſupra omnes homines Pontifici infenſiſſimus edidit epiſtolam quandam contra duo mandata Imperialia, in quâ orat omnes nè eant contra Turcas, nè quid adverſus eos auxilii dent.* Idem ait quod Virginitas (quæ etiam in ipsâ aulâ Hungaricâ floruit) cum fide & regno perire incœpit pravis Lutheri conſiliis.

Bozius

§. 20.

Teſtimonium Eccleſiæ Danicæ, Suecicæ, & Norvegienſis.

I. PAuca de hac & aliis regionibus dicemus, Saxo Grammaticus Hiſtoriæ Danicæ lib. 9, narrat quod *Frotho apud Angliam ſolemnibus aquis humectatus privatam ſalutem ſuam*

im

in publicam exuberare cupiens ab Agapeto (qui tunc Civitatis Romanæ ſacris præerat) Daniam divinitus erudiri petunt, ſed fatis ſuis Romanæ legationis præcucurrit adventum. Cur ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, vel alio viciniore Præſule legatos, miſſionarios & alios viros Apoſtolicos non emendicat, ſed ad Romanum pontificem tam diſſitum recurrit? quia hic eſt paſtor univerſalis Eccleſiæ, & Petri ſucceſſor. Vndè lib. 12. iterùm ſcribit quod *Hamburgenſis Antiſtes ob inanes & falſas ſuſpiciones Ericum execratione mulctandum cenſuerat.* Vt hanc pœnam Rex averteret? non ad Cæſarem, non ad aliquem Metropolitam, ſed ad Pontificem Rom. ut Petri ſucceſſorem recurrit. *Quod veritus rex appellatione ſententiam præcucurrit, Romamq; è veſtigio petivit, ubi cauſa ſuæ examine diligentius habito, Pontificis accuſationem potenter repulit, cunctiſque defenſionis partibus actore ſuperior rediit.* Quibus verbis innuit Romanum pontificem eſſe Hamburgenſi ſuperiorem, quæ ſuperioritas non aliundè provenit, quàm ex eo quod ſedet in Cathedra Petri, eſtque ejus ſucceſſor. Vlterius progreditur ut auctoritatem ſedis Romanæ probet, *Quamobrem Romam regreſſus tum ſe; tum etiam patriam, ac domeſtica ſacra Saxonicâ prælatione liberari petivit.* Cur potius Romam quàm aliò ſe confert? quia Romanus pontifex omnibus ſpiritualiter dominatur, omnium bono maximè in materiâ religionis paterno planè affectu proſpicit, maximè Daniæ. *Nè* (inquit Saxo) *religionis ratione exteris admodum obſequi cogeretur; aut ejus diſciplinam ab alienigenis petere neceſſe haberet. Nec difficilem curiæ conſenſum habuit, &c.* Iſte recurſus ad Romanam ſedem manifeſtè teſtatur Vrbanum II, (cujus judicium poſtulabat) eſſe caput Eccleſiæ ac ſucceſſorem S. Petri. Apud eundem Saxonem Grammaticum libro 14, Cùm Eskillus Archiepiſcopus contenderet, ut cum beneplacito regio ſibi liceret ſe abdicare Archiepiſcopatu, quoniam ſummus pontifex Romanus eam ſibi licentiam feciſſet, votis ejus annuere ſe dixit Rex Waldemarus quod Romanæ ſententiæ decreto obviam ire nequeat, penes quam publicæ religionis norma conſiſtat. Ecce quomodò Rex non contradicit, ſed ſubſcribit Romanæ ſedis nutui, quod ſanè non præſtaret, ſi penes regem primatus Eccleſiæ eſſet vel Romanus pontifex non foret Petri ſucceſſor.

II. *Brigitta.* Pro regno Sueciæ ſufficiat Sanctæ Brigittæ ſuffragium lib. 1. cap. 41. revelationum Deus conqueritur Romano pontifice. *Conqueror* (inquit) *ſuper te caput Eccleſiæ meæ, qui ſedes in ſede meâ, quam Petro & ſucceſſoribus ejus tradidi ad ſedendum in eo triplici auctoritate & dignitate. Primò ut poteſtatem haberent ligandi & ſolvendi à peccato. Secundò ut aperirent cœlum pœnitentibus. Tertiò ut clauderent cœlum maledictis & contemnentibus, &c.* Eodem lib. 4. cap. 49. inducit Romanum Pontificem Deo ita loquentem. *Ecce Vicarius tuus, qui ſedet in ſede tuâ in mundo reduxit jam ſedem ſuam in antiquum & priorem locum, ubi ſedit primus Papa Petrus, qui fuit princeps Apoſtolorum.* Ibidem cap. 137. Filius Vrbano V. ſic reſpondet. *Regulam Religionis quæ fundare debet incipi in loco Warzſteno volo, ut non ſolùm auctoritate tuâ confirmetur, ſed & benedictione tuâ, qui Vicarius meus es in terris roboretur.* Ibidem Beata Virgo ſanctam Brigittam ſic affatur. *Audi & attende diligenter quid ego volo dicere de duobus filiis meis, quos tibi volo nominare. Primus, quem dico eſt filius meus IESVS Chriſtus: ſecundus, quem reputo pro filio meo eſt ille; qui reſidet in papali ſede: videlicet ſede Dei in mundo.* At non alius reſidet in papali ſede, ſeu ſede in mundo niſi ſucceſſor Petri. Hæc ſedis Romanæ præeminentia & ſucceſſio probatur ex revelatione quam habuit de excidio Reipublicæ Græcæ multis ante ſuum obitum annis; ſic enim Deus regni Cypri ruinam revelavit lib. 7, cap. 19. *Iſta* (inquit) *verba loquar ego ad illos Chriſtianos Latinos, obedientiæ Chriſtianæ ſubjectos, qui mihi in Baptiſmo rectam fidem Romanam Catholicā devoverunt, & per opera mihi contraria à me totaliter receſſerunt. Græcos autem, qui ſciunt quod omnes Chriſtia-*

nos tenere oportet unam tantùm ſidem Chriſtianam, Catholicam, & uni tantummodò ſubeſſe Eccleſiæ, ſcilicet Romanæ, unumque ſolum Vicarium generalem in mundo, videlicet Romanum ſummum Pontificem ſupra ſe ſpiritalem habere paſtorem, & tamen noluit ſe eidem Romanæ Eccleſiæ, & Vicario meo ſpiritualiter ſubjicere & humiliter ſubjugare. Plura ibi. Ad illam accedit Sereniſſi-
II. ma Chriſtina Guſtavi Regis Sueciæ unica filia ac hæres, quæ ſpreto regio diademate ac connubio, ſpretâ aulâ & patriâ, Eccleſię Romanæ fidem profeſſa eſt, & præ univerſis orbis regionibus Romanam urbem elegit, ut ſub obedientiâ pontificis legitimi Petri ſucceſſoris ſolita pietatis ac religionis munia liberius exerceat.

III. Norvegia regio Septentrionalis, vicina Daniæ, ejusque regi tributaria ſatis patenter manifeſtavit obedientiam ſuam erga ſedem Romanam & ſucceſſorem Petri, dum anno 1490. (ut vult Raphael Volaterranus lib. 7. Geographiæ cap 4 & poſt eum Onuphrius Panuinus in chronico. Claudius Sainctes repetitione 10. de Euchar. cap. 3. & alii apud Vaſquez tractatu de Euch. diſput. 223. cap. 1.) Norvegii poſtularunt ab Innocentio VIII. diſpenſari, ut unâ tantùm ſpecie panis conſecrarent, pro cujus privilegii expeditione Volaterranus addit miſſam fuiſſe in Norvegiam à Romano Pontifice legationem. Sed hanc hiſtoriam non eſſe admittendam paſſim docent Theologi tum propter rationem, quam affert Volateranus: quia ſcilicet vinum in eâ regione areſcit, quod experientiâ conſtat eſſe falſum, ſi quidem nunc de facto Catholici conſecrant in utraque ſpecie, tum etiam quia dicit neceſſe fuiſſe, ut calix abſque vino ſacrificaretur, quaſi alius liquor poſſit pro vino conſecrari, quod eſt contra ſubſtantiam iſtius ſacramenti. Veritatē vel falſitatem huius hiſtoriæ diſcutere nolo: ſed concludo Norvegios recurriſſe ad Romanum Pontificem non autem ad alios Epiſcopos vel Metropolitas, quia illum ſucceſſorem Petri agnoverunt, in quorum prælatis tantus Chriſtianæ religionis cultus fuit, tanta erga Petri ſucceſſores obſervantia, ut dum Chriſtiernus rex Daniæ, & Guſtavus rex Sueciæ ſectatores Lutheranæ pravitatis omnes Epiſcopos Daniæ, Norvegiæ, Iſlandiæ, Sueciæ, Gothiæ in vincula conjecerunt, eoſque precibus, muneribus, promiſſis, minis, variis ſuppliciis ad abjurandam fidem Chriſtianam, & obedientiam Romanæ Sedi detractandam inducere ſtuduerunt, neminem ſeducere valuerunt.

§. 21.

Teſtimonium Eccleſiæ VVandalicæ, Ruſſiæ, Bavaricæ, Brandeburgenſis, & Bulgariæ.

Is quæ tomo 1. de Wandalis diximus pauca adjiciam, ſeu potius annotabo ex Staniſlao, Orichonio Roxelano in ſuâ chymerâ. *Admonita piorum virorum quorundam, Mieſcone Monarcha cùm audiviſſemus eſſe civitatem quandam Dei, cujus Antiſtes eſſet Romanus Petrus, penes quem auctoritas eſſet ſumma ex ſervitute diaboli in libertatem Chriſti homines vindicandi ab hoc ipſo titius civitatis Antiſtite Mieſcone Monarcha, opem adverſus Diaboli vim imploravimus. Itaque Ioannis XIII. Vicarius IESV-Chriſti, Simonis autem Petri ſucceſſor exoratus à Monarchâ Senatu ac populo doctiſſimos viros, &c. ad nos Wandalos miſit, &c.* Expreſſis verbis vocat Joannem XIII. qui ſedit ſæculo decimo, Vicarium JESU-Chriſti, Simonis Petri ſucceſſorem. I.

II. De Ruſſis, ſivè Ruthenis Baronius in appendice ad tomum ſeptimum ſcribit habere ſeptem Epiſcopos cum Metropolitano, qui *Cupientes* (inquit) *iterùm uniri Eccleſiæ, à quâ multo tempore alieni erant, ablegarunt hac duos ex medio reverendos Dominos, &c.* Idem Cardinalis Baronius poſt Matthæum Mich. lib. 2. cap. 1. de rebus Polonicis ait religionem Ruſſorum eſſe antiquiſſimam. De eorum ſecundâ converſione audi ex Ioanne Curopalate nobiliſſimo Hiſtorico in Baſilio, qui ait

ait eorundem converſionem factam
Ioann. operâ Baſilii Imperatoris Macedonis
Curopal. hoc modo. *Cùm adhuc ſuperſtitione detinerentur, & ipſe princeps & proceres illius, atque adeò omnis natio, ſuumque priſtinum cultum examinarent & Chriſtianorum fidem, &c.*

IV. Hæc hiſtoria ac veræ divinitatis manifeſtatio accedit ad propoſitionē ſancti Patris Eliæ, qui cum videret populum Iſraeliticum in religione in-
3. Reg. 18. v. 23 conſtantem, dixit Baalitis lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 23. *Dentur nobis duo boves, & illi eligant ſibi bovem unū & in fruſtra cædentes ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant, & ego faciam bovem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam. Invocate nomina Deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei, & Deus qui exaudierit per ignem ipſe ſit Deus. Reſpondens omnis populus, ait, optima propoſitio.* Videamus quid Curopalates narret conſequenter accidiſſe.
Ioann. Curopal. *Cùm ſacerdos ſublevatis ad Deum oculis ac manibus dixiſſet, oſtende glorioſum ſanctum nomen tuum IESV-Chriſte Deus noſter in oculis nationis hujus.* Quaſi diceret ſanctus Elias lib. 3. Re-
3. reg. 18. v. 36 gum cap. 18. verſ. 36. ait. *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie, quia tu es Deus Iſrael: & egò ſervus tuus, & juxta præceptum tuum fere omnia verbo hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu convertiſti cor eorum iterùm.* Curopalates refert quod Archiepiſcopus coram Baſilio Imperatore & omni populo librum Evangelium projecit in ignem, ac illæſum reſumpſit. *In fornacem projectus eſt Evangelii liber, incenſaque fornace ad horas aliquot, deindè penitus extincto & conſumpto igne ſacrum illud volumē inventum eſt permanſiſſe inviolatum atque illæſum nullo ab igne accepto detrimento, quod conſpicati Barbari, & miraculi magnitudine perculſi ſine ullâ controverſiâ ad baptiſmum confugêre.* Eandem hiſtoriam referunt Zonaras tomo 3. in Baſilio Maced. Cedrenus & Nicephorus. Sic lib. 3. Regum poſt orationem Elianam verſ. 38. *Cecidit autem ignis Domini & voravit holocauſtum, & ligna & lapides, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidiſſet omnis populus cecidit in faciem ſuam & ait, Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Id eſt ſolus à nobis adorandus & colendus eſt. Illud monumentum ære perennius ſubmiſſionis Ruſſianæ erga Romanam Eccleſiam & ſedem præterire non poſſum, ſcilicet quod regnum ſancto Petro donatum fuerit, ut patet ex epiſtolâ Gregorii VII. referente illam donationem ac Demetrii regis Ruſſorum ab eo dependentiam & acceptationem, quam refert Baronius ſupracitatus ex Gregorio lib. 2. epiſt. 74. *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Demetrio regi Ruſſorum, & reginæ uxori ejus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Filius veſter limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit, & quod regnum illud dono ſancti Petri per manus noſtras vellet obtinere, eidem beato Petro Apoſtolorum principi debilitate exhibitâ, devotis precibus poſtulavit, indubitanter aſſeverans, illam ſuam petitionem veſtro conſenſu ratam fore ac ſtabilem, ſi Apoſtolicæ auctoritatis gratiâ ac munimine donaretur. Cujus votis & petitionibus (quia juſta videbantur, tum ex conſenſu veſtro, tum ex devotione poſcentis) tandem aſſenſum præbuimus, & regni veſtri gubernacula tibi ex parte Beati Petri tradidimus, eâ videlicet intentione atque deſiderio charitatis ut Beatus Petrus vos & regnum veſtrum, omniaque veſtra bona ſuâ apud Deum interceſſione cuſtodiat, &c. Quin etiam nos paratiſſimos eſſe, noverit veſtræ nobilitatis ſerenitas, ut ad quæcumque juſta negotia hujus ſedis auctoritatem pro ſuâ neceſſitate petierit, proculdubio continuò petitionum ſuarum conſequentur effectum.* Hoc diplomate pontifex manifeſtat ſe eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, quandoquidem Ruſſiam aliàs à legitimo rege oblatam ſancto Petro Apoſtolorum Principi Gregorius VII. ejus nomine regi Demetrio conceſſerit. Quamvis autem illud regnum donatum ſancto Petro poſtea tyrannicè invaſum fuerit & occupatum. *Perſeveravit tamen* (inquit Baronius) *ejuſdem populi erga eandem Romanam Eccleſiam propenſio haud mediocris, quæ Græcis æmulationē*

movit: adeò ut omni ſemper ſtudio laboràrint eoſdem Ruthenos ab ipsâ revocare, cùm facti ſunt ipſi ſchiſmatici. Suam erga Romanum pontificem obſervātiam exhibuerūt, dum Staniſlaus dux Mazoviæ & Ruſſiæ mittens legatos ad Concilium Lateranenſe celebratum per Iulium II. *Iuſſis* (inquit Simon Begninus) *Sanctiſſimi Domini noſtri morem gerentes, &c.* Ipſorum Archiepiſcopus Iſidorus, in totius Chriſtianæ religionis theatro in ipſo OEcumenico Concilio Florentino haud vulgare, ſed planè egregium ſpecimen dedit, dum unà cum Beſſarione Trapezuntio Nicæno Archiepiſcopo Græcorum omnium cum Latinis concordiæ auctor extitit, cujus rei gratiâ meruit unà cum eodem memorato Collegâ in ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ordinem cooptari. Rutheni iterùm relapſi poſt centum quinquaginta annos. *Peccati* (inquit Baronius) *confeſſione & deteſtatione ad reintegrandam ſciſſam ſchiſmate tunicam inconſutilem quàm citiſſimè miſsâ Romam ad Apoſtolicam ſedem legatione concurrit, quam ſacris comitiis habitis ante biennium, anno videlicet* 1594. *communibus ſuffragiis, votis paribus ejus provinciæ Epiſcopi decreverunt, hùque ſcriptis ſignificarunt.* In illâ deliberatione & concluſione hæc inter alia pronunciant. *In quâ unione incipiendo à Chriſto Salvatore noſtro & ſanctis illius Apoſtolis prædeceſſores noſtri perſtiterunt, ac unum ſummum paſtorem, primumque Antiſtitem in Eccleſiâ Dei hic in terris (prout ea de re Concilia & Canones manifeſtos habemus) & non alium præter ſanctiſſimum Papam Romanum profitebantur, illique parebant in omnibus, &c.*

V. Proſequitur Baronius, ac refert litteras DD. Archiepiſcopi Kiovienſis, & aliorum Epiſcoporum Ruthenorū ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem Papam VIII. ſuper eorum unione cum ſanctâ Eccleſiâ Romanâ datas die 12. Julii 1595. *Sanctiſſime Pater, Domine, & Paſtor ſupreme Eccleſiæ Chriſti, Domine Clementiſſime repetentes memoriâ conſenſum in omnibus, atque unionem Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, quam majores noſtri ſub obedientiâ & regimine ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Romanæ coluerunt, &c. mittimus ad ſanctitatem veſtram chariſſimos fratres noſtros Reverendos, &c. ut ſedi ſancti Petri, & ſanctitati veſtræ uti ſummo paſtori Eccleſiæ Chriſti debitam obedientiam deferant, &c.* Ubi legati Romam appulerunt & auditi Præfectus cubiculi Pontificii ad nos converſus juſſu Pontificis ſubjunxit. *Ad petram fidei, ſupra quam Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam ædificavit, ad montem ſanctum; in quo habitare beneplacitum eſt Deo, ad Matrem & Magiſtram omnium Eccleſiarum ſanctam Romanam Eccleſiam reditis Rutheni Epiſcopi poſt annos* 150. *&c. Ut intelligeretis Deum Patrem non habere, qui Eccleſiam Matrem non habet, quæ una eſt Catholica & Apoſtolica ſub uno viſibili Romano Pontifice, qui eſt Pater Patrum & Paſtor paſtorum, cui in beato Petro Apoſtolorum Principe, & agni & oves Chriſti ſunt creditæ, & cui à Domino mandatum eſt ut fratres ſuos Epiſcopos confirmet.* His verbis. *Cui in Beato Petro, &c.* Innuit Clementem VIII. eſſe Petri ſucceſſorem. Quam ſucceſſionem non minus clarè exprimit his verbis ſequentibus. *Rectè igitur & prudenter, & piè Venerabilis Metropolita veſter, & vos, & collegæ veſtri feciſtis, &c. ut ad Beati Petri legitimo ſucceſſori, vero in terris Chriſti Vicario debitam obedientiam præſtaretis.* Illa verba. *Beati Petri legitimo ſucceſſori, vero in terris Chriſti Vicario.* Hac oratione peractâ ſinguli legati fidei Catholicæ profeſſionem ſcriptis editam, manuque ſuâ ſubſcriptam coram ipſo Pontifice recitarunt. Quam quidem Hypatius primùm Latinis verbis conceptam, quod eam linguam calleret edidit atque emiſit in hunc modum. *Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater, &c. firmâ fide credo & confiteor, &c. Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco, Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac IESU-Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro, &c.* Dum anno 1659. Romæ eſſem vidi in Collegio de propagandâ fide unū Ruthenum propugnantem theore-

mata

mati publica de Pontifice; Conciliis aliiſque rebus ad Hierarchiam Eccleſiaſticam ſpectantibus.

§. 22.

Teſtimonium Bavariæ.

I. QUod Duces Bavariæ S. Petri ſucceſſores ſemper ſuſpexerint teſtantur Ditmarus & alii Hiſtorici. Hic pauca dicam: extincto ſtemmate imperantium Ottonum, ac Deo ulciſcente delicto, quæ in ſedem Apoſtolicam perpetrarant, & inſtar Saulis lib. 1. Regum cap. 13. Oziæ libr. 2. Regum cap. 6. Oziæ libr. 2. Paralip. cap. 26. ſacra attentaverant. Henricus Dux Bavariæ in regem Germaniæ aſſumptus eſt anno 1002 ac Moguntiæ inauguratus ab Archiepiſcopo Willigiſo, Papiæ coronatus anno 1005. eodemque anno celebrata in Germaniâ magna Synodus Trevonienſis, in quâ idem rex Henricus egit magnâ inſtantiâ apud Epiſcopos pro Eccleſiæ reformatione. Quod ab eiſdem pro viribus præſtitum eſt diligenter, ſtatutis in eâ communi conſenſu ſacris canonibus, quibus in priſtinum uſum revocarentur Sanctiſſimæ Euchariſtiæ leges, & exularent, qui irrepſiſſent in Clerum ac populum pravi mores. His rebus præclarè geſtis Rex ſibi conciliavit Deum propitium, aperuitque viam ad victoriam de hoſtibus reportandam & Romanum imperium obtinendum. Anno 1006. in eadem Germaniâ Synodus Francofordienſis celebratur; in quâ inter alia ad inſtantiam Henrici regis in dilectiſsimâ ipſius urbe Bambergâ erecta auctoritate Apoſtolicâ. Cathedra Epiſcopalis. De eo illud cõmendatione dignum refert Ditmarus qui adeſſet, quod cùm allocuturus eſſet Epiſcopos humi ſe proſterneret, nec ſurgeret, niſi qui Synodo præeſſet Willegiſus Archiepiſcopus Moguntinus cum ſuis manibus levaret. Anno 1007. priuſquam Germaniæ Imperator ungeretur (ut ſcribit auctor vitæ S. Wolfangi Epiſcopi Ratiſponenſis) Henricus de futuro imperio prædictionem accepit ſubobſcuram dum ei in ſomnis Wolfangus jam defunctus jubens characteres in muro exaratos aſpicere, ipſe Henricus nihil aliud vidit, quàm poſt ſex. Itaque expergefactus primùm ſuſpicatus, ſe poſt ſex dies moriturum, multa largitus eſt pauperibus. A ſex evolutis diebus, cùm nihil in corpore ſentiret moleſtiæ, ad ſex menſes attinere arbitrabatur. His autem abſque periculo elapſis ad ſex annos verbórum ſignificationem retulit. Porrò ſex annis jam expletis ſeptimò anno à Pontifice maximo Benedicto VIII. Imperator unctus & coronatus eſt; ſimulque ejus uxor ſanctiſſima Cunegundis, corona inſignita, Auguſtæ nomine decorata eſt. Accipe verba Ditmari libr. 7. *Henricus Dei gratiâ rex inclytus à ſenatoribus duodecim vallatus; quorum ſex raſi barbâ, alii prolixâ myſticè incedebant cum baculis cum dilectâ conjuge Cunegunde ad Eccleſiam ſancti Petri Papâ expectante venit. Et antequam introduceretur ab eodem interrogatus ſi fidelis vellet Romanæ patronus eſſe & defenſor Eccleſiæ, ſibi autem ſuiſque ſucceſſoribus per omnia fidelis. Devotâ profeſſione reſpondit, priorem autem coronam ſuper altare principis Apoſtolorum ſuſpendi præcepit.* Addit Benno Augienſis Abbas lib. de rebus ad Miſſam ſpectantibus, quod cùm Imperator Romanos ſacerdotes interrogaſſet cur poſt Evangelium (ut aliæ Eccleſiæ ſolebant) Symbolum non canerent, cauſamque reddidiſſent, quod Romana Eccleſia nullâ unquam fuiſſet hæreſeos labe infectâ, ſed ſecundùm ſancti Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa; & ideò magis neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquâ potuerunt hæreſi aliàs labefactari. Nihilominus tamen Imperator (ex eodem Benone) perſuaſit Benedicto papæ ut in publicâ Miſsâ Symbolum caneretur. Baronius ad annum 1014. ſcribit quod Henricus patrimonia ac privilegia Romanæ Eccleſiæ ab anteceſſoribus piis regibus Galliarum, atque imperatoribus, nempè Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio, & Ottonibus quondam Ditmar.

collata, Benedicto papæ gratitudinis ergò, & pietatis in principem Apoſtolorum amore, ſigillatim omnia recenſendo confirmarit, ac liberam pariter Romani Pontificis electionẽ Clero, populoque Romano reliquerit aliaque plurima dona, juraque conceſſerit, reſervatis tamen ſibi juribus ab Eugenio & Leone Pontificibus aliis Imperatoribus conceſsis. Baronius ad annum 1019. poſt Hermannũ Lambertum, Marianum Scotum, Abbatem Vrſpergenſem & alios, ait, Benedictum Papam rogatum ab Imperatore in Germaniam veniſſe ac Bambergenſem Eccleſiam dedicaſſe. Imperator tanto honore affectus civitatem Bambergenſem cum juribus ſuis plenè ſubjecit Romanæ Eccleſiæ ac Sedi, cui ut annuum cenſum perſolveret, offerret equum album cum cunctis ornamentis & phaleris ſuis ac centum Marchas argenti, quo tributo, ut Henricus junior Bambergenſem Eccleſiam exornaret tempore Leonis noni ſucceſſoris tradidit Romanæ Eccleſiæ ac Sedi civitatem Beneventanam, ut teſtantur antiqua Caſsinatis Monaſterii monimenta, Leo Oſtienſis lib. 1. cap. 47. non tantùm Pius Imperator primatum ſedis Romanæ, ac Pontifices Romanos ut ſucceſſores Petri veneratus eſt: ſed etiam tota ſtirps Bavarica. Vndè ſœculo decimo quinto Joannes Camerarius Wormatienſis Epiſcopus in oratione ad Innocentium VIII. nomine Ducis Bavariæ hæc dicit. *Si Majores noſtri Romã communem generis humani eſſe patriam volebant, nec intelligi potuiſſe in exilio fuiſſe ejus, qui undecumque veniens Romæ fuiſſet, hacque ratione velut ſacro quodam affectu animos omnium urbi terrarum principi obligabant. Quam ergò neceſſe eſt nunc mentem, quod ſtudium cunctis erga hanc urbem, & ſanctiſsimũ illius, atque adeo orbis terrarum Antiſtitem & rectorem.* Vocat Pontificem ſanctiſsimum rectorem non Europæ, vel Aſiæ, vel Africæ: ſed orbis terrarum: non quoad temporalia, ſed ſpiritualia, eo modo quo ſanctus Petrus, cui Chriſtus dixit Matthæi cap. 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c.*

II. Omitto quæ de aliis provinciis Germaniæ dici poſſent, tantùm dicam à Joachimo Marchione Brandeburgenſi legatos miſſos fuiſſe ad Concilium Lateranenſe indictum à Julio II. & à Leone X. continuatum. Et quoad Bulgariam, quæ ſecundùm recentiores eſt Europæ regio ſupra Thraciam inter Danubium & Pontẽ Euxinum ſita, Daciæ & Mæſiæ contermina, etiam Romanis pontificibus ut Petri ſucceſſoribus legitimis debitam præſtitit obedientiam. Nam ut ſcribit Rhegino anno Domini 868. *Directi ſunt à ſede Apoſtolicâ in Bulgarorum gentem.* (quæ jam cœperat ad religionem Chriſtianam tranſire,) Sacerdotes ac viri Religioſi, qui incultã Barbariem ſacris dogmatibus incolerent, & ſecundùm Odericum Rayn ad annum 1204. num. 44. tempore Innocentii III. Baſilius illius regionis primus hanc fidei profeſsionem, ac obedientiæ erga Romanam Sedem teſtimonium exhibuit. *Ego Baſilius Archiepiſcopus Trinonitanus primus totius Bulgariæ & Valachiæ fidelis, & obediens Beato Petro, ſanctaq; Romanæ ſedi & Domino Papæ Innocentio, ejuſq; Catholicis ſucceſſoribus, &c. Cumque quemlibet de meis Suffraganeis in Epiſcopum conſecravero, faciam illum jurare, ut Romano Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ perpetuam obedientiam, debitum honorem impendat.* Rhegino.

§. 23.

Teſtimonium Eccleſiæ Belgicæ.

I. NOn omittendos exiſtimavi Doctores qui in Belgio, & maximè in Academiâ Lovanienſi floruerunt, horum igitur nonnullos referam. Joannes Haſſels à à Lovanio librum edidit de perpetuâ Cathedræ Petri firmitate. Vbi cap. 2. poſtquam variis Scripturæ textibus Petri ſedem fore inexpugnabilẽ dixit, ſubijcit. *Vnde etiam ad Petri ſucceſſores tranſeunt, ut compleatur quod dictũ eſt diſcipulis. Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Haſſels.

ſæculi. Et cap. 3. *Hac maxima fidelium conſolatio quâ ſecuri ſunt per Petrum ejusque ſucceſſores, ſemper fidei doctrinā propugnandam, atque cuſtodiendam, ſeque errare non poſſe in fide, cùm Petri Cathedram ſequuntur, &c.* Poſtquam oſtendit Deum olim promittentem quod ſtirps David non deficeret, ſuis promiſſis ſtetiſſe, ſubjungit. *An putamus & tempore gratiæ & effuſionis largiſſima Spiritus ſancti non promiſſum etiam ſenſibilem & corporalem ſucceſſionem, in quam intuentes fideles expectarent ex eâ Chriſti ſolidam doctrinam fides & pietatis cuſtodiam.* Cap. 4. *Omnes igitur veri fideles in promiſſionem Petro factam intuentes, non tam attenderunt in ſucceſſoribus Petri mores.* Cap. 12. *Sic ſemper Petri ſucceſſores immaculatam fidem cuſtodiſſe legimus, &c. Denique hoc divina miſericordia providit, per ipſam ſedem Beati Petri, ut primitus errores ſive imperitiâ & rerum experientiâ, ſive malitiâ, cujus tamen certum exemplum non habemus Petri ſucceſſores ſurrepentes ſtatim per eandem ſedem aboleret, ut Eccleſia non nocumentum ſed tutelam in fide à Petri ſede ſuſceperit omnibusque modis firma ſit Chriſti vera promiſſio.*

II. Melchior Canus de locis Theologicis lib. 6. cap. 7. *Si legum Chriſti interpres nullus ſuavior eſt, quem perpetuus Eccleſiæ uſus; Eccleſia verò in fidei religionisque quæſtione, ac cæteris graviſſimis controverſiis, non ad Antiochenum, Alexandrinum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Mediolanenſem, Pariſienſem, Colonienſem, Toletanum, aut Bracharenſem Epiſcopos, ſed ad Romanum omni ſemper ætate recurrit, quis dubitet hunc eſſe, quem ut Petri ſucceſſorem, ita quoque doctrinæ Apoſtolicæ Magiſtrum, quæſtionumque de fide judicē habemus, &c.* Paulò poſt. *Quid quod ipſo rerum experimento cōperimus Chriſti de Petro & ſucceſſoribus vaticinia in Eccleſiâ Romanâ manifeſtius impleri.*

III. Franciſcus Titelmannus in cap. 7. verſ. 5. Canticorum ad illa verba, *Caput tuum ut Carmelus.* Subdit. *Caput Eccleſiæ duplex conſideramus. Alterum primum & principale, quod eſt Chriſtus Epheſi cap. 1. Alterum ſecundum & Vicarium, cui Dominus tradidit univerſalem & plenariam poteſtatem ſolvendi atque ligandi ſuper univerſitatem omnium Chriſti fidelium. Qui propter ſui eminentiam Papa, id eſt Pater Patrum ab Eccleſia meruit nominare. Voluit enim Sponſus à ſponsâ abſcedens, non ſolùm ipſe caput ejus inviſibile remanere: verùm etiam aliud viſibile caput ſuo loco ei aſſignare, nè quaſi acephala poſſet ab hoſtibus irrideri. Hujus capitis locum poſt Chriſti aſcenſionem primus tenuit Simon Petrus, quem totius Apoſtolici collegii caput & principem Dominus cōſtituit Matthæi cap. 16. Lucæ cap. 22. Ioannis cap. 21. Poſt hunc verò alii quoque ejuſdem capitis locum obtinuêre qui in ejus locum divinâ vocatione & canonicâ electione fuerunt ſubrogati, per quos illa Petri navicula inter fluctus & procellas turbulenti ſæculi extitit gubernata, & in fidei rectitudine hactenus non ſine peculiari Dei munere conſervata, &c.*

Cant. c. 7. v. 5.

Joannes Driedo de Eccleſiaſticis Scripturis libr. 4. *Romana Eccleſiæ Pontifex eſt univerſalis Eccleſia Epiſcopus, IESV Chriſti in terris Vicarius, & Petri Apoſtoli ſucceſſor, non quia Bernardus ſic docet. Non quia Cyprianus, aut Hieronymus, Auguſtinus, ſed quia Eccleſia Chriſti ab initio ſecundùm ſucceſſionem ſerie tractâ ad hæc uſque tempora ex ſcripturis ſic credidit, tenuit, docuit, & prædicavit.* IV.

Quod Eccleſia Leodienſis Romanum Pontificem ut Chriſti Vicarium & Petri ſucceſſorem ſemper veneratā ſit, oſtendimus tomo 1. tract. 4. cap. 6. §. 13. num. 4. & ſeq. V.

§. 14.

Teſtimonium Eccleſiæ Italicæ.

Quod univerſa Italia ſuſpexerit Romanos Pontifices, ut Petri ſucceſſores in confeſſo eſt apud omnes Auctores. In hujus veritatis confirmationē aliqua dumtaxat concilia & Patrum teſtimonia producemus. A Melchiade Papā celebratum eſt Romæ Concilium in Laterano, quo tempore Conſtantinus Cæſare idem Melchiadi I.

ſuum

ſuum palatium Lateranenſe dediſſe refert Baronius ad annum Chriſti 312. art. 82. hujus donationis ratione idem affert præſenti argumento oportunã. *Quorſum verò extra Melchiadis domum cogeretur Synodus & amplius ædium ſpatia requirerentur ad exiguum conventum Epiſcoporum decem tantùm & novem, quos idem Optatus enumerat, &c.* Quæ verba innuunt Melchiadem ut Petri ſucceſſorem tempore Conſtantini habitum fuiſſe. Romæ ex manuſcriptis Conventus noſtri Sanctorum Sylveſtri & Martini anno 324. Sylveſter Papa in prædio Æquitii, & intra thermas Titianas, Domitianas & Trajanas, *Synodum generalem collegit cui interfuerunt* 284. *Epiſcopi, &c.* Plura apud noſtrum Lezanam tomo 2. Annalium Ordinis noſtri. Eadem ferè referuntur tomo 1. Conciliorum juxta antiquam editionem. Alterum cõcilium ab eodem Pontifice convocatum eſt & celebratum in crypta ejuſdem loci Sanctorum Sylveſtri & Martini, ex eodem Lezana ad annum Chriſti 325. cui interfuerunt 275. Epiſcopi, & in quo confirmata ſunt acta Nicænæ Synodi, ſcilicet de celebratione Paſchæ, &c.

II. Hanc Romani Pontificis ſucceſſionem clarius teſtantur acta Synodi Romanæ coactæ apud ſanctum Petrum à Fœlice tertio, quò convenerunt 42. Epiſcopi, ubi illa Synodus inter cœtera hæc mandat. *Vt ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ ſacerdotum juxta conſuetudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium, Domino ad Beatum Apoſtolum dicente. Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c.* Nota primò hæc verba. *Vt ſucceſſor præſulum ſedis Apoſtolicæ.* Deindè illa. *Iuxta ſollicitudinem ſibi omnium Eccleſiarum competentem cuncta conſtituat, qui eſt caput omnium. &c.* Quæ ſucceſſionem & ſupremam in Sanctâ Eccleſiâ regimen denotant, contra quæ acta nullus Epiſcopus reclamavit, imò cuncti communi applauſu agnoverunt, quemadmotum etiam 318. Patres apud Nicæam congregati. *Confirmationem atque auctoritatem S. Romanæ Eccleſiæ detulerunt quam utramque uſque ad ætatem noſtram ſucceſſores omnes Chriſti gratia præſtante cuſtodiunt.*

Magnum Concilium Lateranenſe anno 1215. ab Innocentio III. congregatum eſt, cui interfuerunt Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus. Metropolitani 70. Epiſcopi 400. Abbates 12. Priores Conventuales 800. Græci & Romani imperii legati, Oratores regum Jeruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, & Cypri, qui omnes Innocentium ut caput Eccleſiæ ac Petri ſucceſſorem eſſe aſſeruerunt. In Concilio Florentino ſub Eugenio IV. anno 1438. Joannes Paleologus Imperator Græcorum; Patriarcha Conſtantinopolitanus; ac plurimi alii Epiſcopi Orientales primatum & ſucceſſionem Petri in Romano Pontifice approbarunt. *Definimus* (inquiunt) *Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe Beati Petri Apoſtolorum Principis, & verum Chriſti Vicarium, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalẽ à Domino IESV-Chriſto poteſtatem plenam traditam eſſe, quemadmodum etiam geſtis OEcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.* Quibus verbis aſſerit non tantùm in Pontifice Romano eſſe primatum ſeu curam univerſalem totius Eccleſiæ: ſed etiam ſucceſſionem legitimam, quam veritatem ſpecialiter aſſeruit Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus; dum Florentiæ morti proximus eſſet. *Beatiſſimum autem Patrem patrum, & ſummum Pontificem, Romæque veteris Papam Domini noſtri IESV-Chriſti Vicarium, atque animarum purgatorium non inficior.* Dum Papam vocat Patrem Patrum, ſummum Pontificem, JESV-Chriſti Vicarium, iiſdem encomiis inſigniunt, quibus S. Petrum. Nonnè hujus ſucceſſorem eſſe manifeſtè teſtantur. Omiſſis aliis Conciliis in Italiâ celebratis unicum tantùm referam, ſcilicet Lateranenſe celebratũ ſub Julio II. paulò ante defectionem Lutheri.

III.

IV. Bernardus Zane Archiepiſcopus Spalatrenſis ac Patritius Venetus ſeſſ. 1. hujus Concilii ita perorat. *Ego, qui coram*

Concilii Later. *coram te beatiſsime ac ſacratiſsime Pontifex Maxime Iuli: hoc eſt totius orbis principe & vero Chriſti Vicario in excellentiſsimo humani generis faſtigio poſito ſum verba facturus, &c.* Stephanus Patracenſis Archiepiſcopus ſeſſ. 10. *Quatuor Patriarchales Eccleſiæ, aliæq; innumerabiles propter illarum hæreſes rebellionem contra obedientiam ſanctæ ſedis Romanæ ad manus infidelium devenerunt, ſiquidem in ſede Romanâ in ſuo Vicario Deus ſibi obedientiam incommutabilem reſervaverat.*

V. Laurentius Lauredanus Dux Venetiarum Julium vocat univerſalis Eccleſiæ Maximum, verum in terris Chriſti Vicarium, Florentini ejuſdem ſeſſ. 6. Concilii ait. *Iulium ſecundum fuiſſe verum & indubitatum Chriſti Vicarium, Catholicæ Eccleſiæ Pontificem maximum. Petri ſucceſſorem.* Carolus Dux Sabaudiæ poſt obitum Julii ad illud Concilium mittit Oratores *Qui obedientiam exhibeant Leoni tanquam Vicario Chriſti, & Beati Petri Apoſtolorum principis vero ſucceſſori.* Imò Patriarcha Maronitarum. *Gratias* (inquit) *Deo reverenter agimus ſub mundiſsimis pedibus Patris noſtri ſanctiſsimi Chriſti Vicarii, & Domini noſtri Leonis decimi, qui vices beati Petri veritatis petræ gerit in terris, ſedetque ſuper Apoſtolicam ſedem ipſius ſanctiſsimæ benedictionis ſuper nos, Amen.* A tergo ſcriptum erat. *Præſentabuntur cum Dei gratiâ in manu Sanctiſsimi Domini noſtri Leonis qui ſuper ſanctam ſedem Petri Apoſtoli reſidet.* Nonnullos Patres Italos in medium proferamus.

VI. Caſſiodorus lib. 11. epiſt. 2. ad Joannem papam. *Vos ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis, vos Patris nomine univerſa diligitis,* Scilicet inſtar Petri cujus ſucceſſores eſtis. Idem Caſſiodorus cum à rege Theodorico curam urbis Romæ ſuſcepiſſet, fatetur tamen non omnimodam ſibi eſſe demandatam. *Quapropter* (inquit) *nos decet cuſtodire aliqua, vos omnia.* Ait ſe aliqua cuſtodire debere, quia Romanæ Civitatis adminiſtratio illi demandata eſt, ad Pontificem omnia quia eſt paſtor univerſalis gregis Chriſti. ſummum regale ſacerdotium regni Chriſti ſeu Eccleſiæ poſſidet ut ſucceſſor Petri, prout inferius. *Sedes illa orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores: quæ licet generalis mundo ſit præſtita, vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa.* Per localiter intelligit ſedem Romanam cui univerſalis omnium Eccleſiarum orbis, ſeu totius Eccleſiæ ſicut & Petro cura credita eſt. Sanctus Ambroſius in cap. 3. ad Timotheum. *Scribo tibi ut ſcias, quomodo Eccleſiam ordines, quæ eſt domus Dei, & cùm totus mundus Dei ſit,* S.Amb *Eccleſia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector eſt Damaſus.* Scilicet, quemadmodum Petrus olim fuit. Hujus Eccleſiæ fidem ſe conſtanter profiteri dixit Satyrus frater ejus, ut aſſerit in oratione funebri de obitu illius, longè poſt medium. *Advocavit ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam percunctatusque ex eo eſt, utrum nam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romanâ Eccleſiâ conveniret.* De quâ Romanâ Eccleſiâ ſeu ſede loquitur libr. 3. de ſacramentis cap. 1. ubi eundem Damaſum ut caput Eccleſiæ & legitimũ Petri ſucceſſorem veneratur.

Sanctus Hieronymus in epiſtol. in Agenchiam de monogamiâ. *Ante annos plurimos, cum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem.* VII. Hieron. Quaſi diceret Damaſus papa ab Orientalibus & Occidentalibus Synodis conſulitur, quia eſt Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ, in quâ Petrus ſedit, primatum inſtituit, cui regimen monarchicum ſpirituale reliquit, cujus rector & legitimus Petri ſucceſſor eſt Damaſus. Id confirmat in epiſt. ad Damaſum de nòmine hypoſtaſis, ubi præfatum pontificem ſic affatur. *Cùm ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ id eſt Cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt. Si quis in Arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Vocat Damaſum Petri ſucceſſorem, & ejus ſedem Petri Cathedram; & quicumque Romanam Eccleſiam ut

ut omnium ſupremam non agnoſcunt ait perituros, ſicut ſub aquis diluvii perierunt, qui erant extra arcã Noe. Undè ſubdit. *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinũ, quicumq́ tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Nonne ô Hieronyme nunc moraris in Diœceſi Paulini? nonnè Paulinus eſt non tantùm Epiſcopus, ſed etiam Patriarcha Antiochenus? Cur ergo ais te non noſce Vitalem, te Meletium reſpuere, te ignorare Paulinum? non meminiſti verborum Chriſti Joannis cap. 10. verſ. 4. *Paſtorem oves ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus.* Divus Hieronymus hoc dicit, ut oſtendat ſe malle adhærere Romanæ ſedis Pontifici, qui errare nequit in rebus fidei & morum, quàm Paulino Epiſcopo & Patriarchæ, vel alteri, qui omnes errare poſſunt: quia non ſunt ſucceſſores Petri, qui à fide deficere nequit, nec inferi portæ contra eum prævalere poſſunt. Sanctus Laurentius Juſtinianus de hoc primatu Petri & ſucceſſione ſic ratiocinatur lib. de obedientiâ cap. 12. ubi probat eſſe neceſſarium ut aliquis præſit in Eccleſiâ, & utitur ſimilitudine deductâ ab exercitu. *Quemadmodum bellatorum exercitus ad pugnam pergentium, ſi experto careat duce & ignoret cui obedire debeat, in deriſum vertitur inimicorum: æquè & caſtra fidelium, membra videlicet famulari Deo cupientium confundantur ad invicem, ſi eis, qui præſideat deſit, & qui opportuna negotia præcipiat in qualibet congregatione deficiat. Hinc eſt quod Redemptor noſter poſt reſurrectionem ſuam, glorioſamque aſcenſionem ad cœlum principem in terrâ vicem ſuam gerentem voluit habere in Eccleſia, cui ligandi & ſolvendi, ordinandi ac diſponendi pleniſſima ineſſet poteſtas: quemque omnes venerarentur ut præſulem, &c. Hujus ſiquidem ſedis Apoſtolicæ arcem, hujusq́ Eccleſiæ Catholicæ Monarchiam Apoſtolus Petrus primus accepit, quando Dei filium eſſe Dominum noſtrum IESVM-Chriſtum confeſſus eſt, dicens Matthæi cap. 16. Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: quamobrem ab eodem Domino audire promeruit: Et ego dico tibi quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Hanc quoque poteſtatem ſortiti ſunt, quotquot poſt illum electi canonicè in ipsâ Cathedrâ reſederunt, qui reſpectu cæterorum ſummi ſunt nuncupati Pontifices.* Ecce quam patenter admittit ſupremum in Eccleſiâ caput, & ejus authoritatem profitetur, & in illo munere ſucceſſionem exprimit. Quod verbis ſequentibus adhuc clarius ſignificat. *Iſtis utique tanquam Chriſti Vicariis totius Eccleſiæ eſt attributa facultas conferendi, &c. Cæteri Præſules certis deputati ſunt præeſſe in locis. Iſtis verò univerſalis Eccleſiæ incumbit regimen. Magnus procul dubio honor iſte eſt, prætelſa dignitas, authoritas veneranda, privilegium præcipuum, uni tantùm ex omni hominum numeroſitate prærogatum, onus quàm maximum, officium laborioſum, miniſterium vigiliarum plenum, & ſarcina penè intolerabilis, nec non cura ad quam ut expedit peragendam humanæ non ſuppetunt vires, &c.* Deindè occurrens objectioni, quod quamvis ſupremæ illi dignitati non correſpondeat vitæ ſanctimonia tamen ait illam colendam eſſe, illisque parendum. Quod Pontificia dignitas & authoritas in malo etiam Pontifice perſeveret docet Divus Auguſtinus lib. contra litteras Petiliani Donatiſtæ cap. 47. Sic ergò malitia Põtificis non deſtruit ſacroſanctã dignitatem à Chriſto inſtitutam, & ad ipſum ſucceſſivè devolutam. Idem Divus Auguſtinus cap. 48. ejuſdem libri illud probat oſtendendo quomodò in homine impio remaneat ſancta unctio & dignitas. Sic licet Pontifex nõ haberet innocentiam & vitæ ſanctitatem, tamen ab omnibus venerandus eſſet propter unctionem ſacram, & ſanctam pontificis dignitatem, alioqui Saulis impii unctio magis coleretur quàm Pontificis. Ei ſubſcribit Divus Gregorius lib. 25. Moralium cap. 15. Quaſi dicens, etſi in Eccleſiâ nullus eſſe debeat pontifex vel prælatus qui non ſit omnibus virtutibus præditus, omnibus verbo, opere, & exemplo præluceat, ab omnibus peccatis defæcatus, tamen ſi quis flagitioſus ad ejuſmodi dignitates promoveatur, vel promotus à viâ virtutis deflectat. *Subditorum mens à ſervandâ*

magiſterii

Ioann. c. 10. v. 4.

S. Laur. Juſtin.

magiſterii reverentiâ non recedat. Audi opportunam Apoſtoli ratiocinationē Rom. cap. 3. verſ. 3. *Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt, numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Abſit. Eſt autem Deus verax, & omnis homo mendax.* Ita ſi aliqui Pontifices peccarunt, non ideò excidit verbum Domini, nec perpetuitas & perpetua ſucceſſio promiſſa interrumpitur Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Tertullianus lib. de præſcriptione cap. 3. ei ſubſcribens, *Fides non eſt probanda ex perſonis, ſed perſona ex fide.* Quamvis igitur pontifices pravis moribus ſint imbuti, tamen fidem & ſanctitatem quam prædicant, & definiunt non oportet improbare, nec à communione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ recedere, nec criminari Eccleſiam, quia capitulum ejus non laudabiliter vivit. Sicut Petilianus Donatiſta faciebat, qui Cathedram Apoſtolicam peſtilentiæ cathedram nuncupabat. *Si omnes* (inquit Divus Auguſtinus lib. 2. contra ipſius litteras cap. 51.) *per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in quâ Petrus ſedit, in quâ hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in quâ Iacobus ſedit, & in quâ hodie Ioannes ſedet; quibus nos in Catholicâ unitate connectimur: & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui & non facere: numquid Dominus IESUS Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait, dicunt & non faciunt, Cathedræ in quâ ſedebāt ullam fecit injuriam? nonne illam Cathedram Moyſi commendavit, & illos ſervato honore Cathedræ redarguit? ait enim Matthæi cap. 18. Super cathedram Moyſis ſedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Hæc ſi cogitaretis, non propter homines quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam cui non communicatis. Sed quid eſt aliud, quàm neſcire quid dicere, & tamen non poſſe niſi maledicere.* Sic licet aliquis Pontifex flagitioſè vivat, tamen ſervandus eſt honor Cathedræ, nec ideò perit primatus; authoritas Sedis Apoſtolicæ, vel ſucceſſio interrumpitur.

Rom. 3. v. 3. *Matt. c. 16. v. 18.* *Tertull.* *Auguſt.*

§. 25.

Teſtatur Ratio.

1\. THomas Stapletonus in libro cui titulus eſt *Principiorum fidei doctrinalium demonſtratio methodica*, controverſia 2. lib. 6. cap. 15. probat octo rationibus ejuſmodi primatus Petri ſucceſſionem eſſe continuam, etſi omnes Petri ſucceſſores probatis moribus imbuti non fuerint. Primam rationem petit ab officio paſtorali. Secunda eſt, quia uni nominatim ſcilicet Petro, tota paſcendi cura & poteſtas pariter commiſſa eſt. Tertia, quia Petro ut publicæ perſonæ ſtabilitas fidei conceſſa eſt. Quarta, quia ſemper ædificanda eſt Eccleſia. Quinta, ex fine capitis à Chriſto inſtituti. Sexta, quia debet eſſe in Eccleſia unum caput miniſteriale. Septima, quia Synagoga habuit unum perpetuò ſummum pontificem: undè non tam ratione figuræ, quam vi argumenti à minori ad majus concludit in Eccleſiâ Chriſti ejuſmodi caput perpetuò haberi. Octava, quod hunc primatū Petro datum ad ſucceſſores ejus in Romanâ Eccleſiâ perveniſſe antiqui Patres ex ſcripturis demonſtrent. Ex his rationibus quintam ponderemus. Eadem ratio propter quam Petrus factus eſt caput Apoſtolorum & totius Eccleſiæ non minus urget, ut ſemper exiſtat in Eccleſiâ per ſucceſſionem quam tunc. Cauſa autem unius capitis tunc temporis à Chriſto inſtituendi fuit conſervatio unitatis. *Propterea* (inquit D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum) *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. *Una eſt ſingularis cathedra in quâ prior ſedit Petrus, ut in illâ unitas ſervaretur.* Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ: *Hoc fuerunt cæteri Apoſtoli quod & Petrus, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut una Eccleſia monſtretur.* Si itaque Apo-

Staplet. *Succeſſio ratione probatur* *Hieron.* *Optatus Mil.* *Cyprian.*

ſtoli, qui primitias Spiritus habebant, & iis gratiis ac virtutibus præditi erant, à quibus excidere facilè nequibant unitatem ſervarent, debuerunt habere unum caput; multò magis reliqua tota Eccleſia per totum orbem diffuſa, & uſque ad reditum Eliæ, ſeu ſecundum Chriſti adventum perſeveratura, debuit habere unum caput ad ſervandam unitatem: maximè cùm fideles ſint obnoxii ſchiſmati, & omnibus ſæculis Eccleſia variis hæreſibus fuerit impugnata: Apoſtoli verò tale ſchiſma vereri non poterant, cùm eſſent confirmati in gratiâ. Cùm igitur ſingularis Dei providentia Apoſtolis unum caput præfixerit, à fortiori futuris temporibus toti Eccleſiæ. Quamvis enim omni ſæculo fuerint Doctores, qui magno ingenio pollerent, tamen alicujus capitis magiſterio & catechiſmo indigebant. Rectè D. Auguſtinus lib. de unitate credendi cap. 10.

August.

Divina ſecreta certâ ratione capere valeant, tamen fide quoque, & illi ducendi ſunt. Quia etſi facto ſibi nihil noceant, tamen nocebunt exemplo cæteris, ſicut ſi qui volare poſſent: tamen necui eſſet pericula exemplum pauliſper cogantur incedere, quia etiam cæteris tutum eſt. Hæc eſt providentia veræ religionis. Sic etſi Apoſtoli potuerint carere capite, tamen unum caput habuêre, ut aliis darent exemplum. *Etſi* (inquit Cyprianus ſupra) *pari conſortio præditi eſſent omnes honoris & poteſtatis, tamen ut una Eccleſia monſtretur exordium ab unitate proficiſcitur.* Ideſt ab unitate capitis. Idem Cyprianus

S. Cypr.

lib. 1. epiſt. 3. innuit, *Cathedram principalem undè unitas ſacerdotalis exorta eſt*, vocans. Quem ſequitur S. Leo

S. Leo.

ſerm. 2. in Natali Apoſtolorum. *Petro ſingulariter poteſtas datur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur.* Ex quibus ſatis liquet quam neceſſarium ſit in Eccleſiâ unum caput: quandoquidem ipſimet Apoſtoli ſub uno capite fuerint conſtituti. Quod autem illud Eccleſiæ caput non poſſit eſſe Epiſcopus Antiochenus patet ex hoc, quod non fuit Petro ſubſtitutus, nec Petro ſucceſſit in primatu & regimine totius Eccleſiæ, ſed ſolius Antiochenæ. Nam creatus eſt Epiſcopus Antiochenus ipſo Petro vivente & regente. Vivens autem & ſuperſtes Petrus non poterat poteſtatem univerſalem regendi Eccleſiam in alium transferre, & tamen adhuc illam retinere, illâ uti. Nam Petrus ex quo diſceſſit Antiochiâ ſupervixit 25. annis. Item Petrus habebat tantùm poteſtatem delegatam quam non poterat ſublegare. Non igitur Petrus deſignavit Epiſcopum Antiochenum in ſucceſſorem pro regimine univerſalis Eccleſiæ, ſed Romanum Præſulem. Cardinalis Cajetanus tract. de inſtitutione Romani pontificis, poſtquam Petri primatum ex Evangelio confirmavit cap. 13. ait,

Cajetan.

Mors Petri à Chriſto (ut Ambroſius lib. 5. poſt epiſt. 32.) præcepta in urbe Roma, firmavit Romam ſedem in Petri ſucceſſione, &c. Ratio autem inſtitutionis eſt Evangelica inſtitutio. Romanus ſiquidem Pontifex Petro ſuccedens auctoritatem habet Apoſtolicam ab Evangelica Chriſti voce paſce oves meas. Scitur autem hoc divinâ revelatione factâ tum univerſali Eccleſiæ, tum ſanctis Doctoribus innumeris, tum ſacris Conciliis. Infra. *Firmare fideles in ambiguitatibus & quæſtionibus fluctuantes, quæ circa fidem emergunt, quia miniſteriale opus eſt Petri & ſucceſſoris, ideò dicitur Petro & ſucceſſori confirma fratres tuos.* Et Clemens Monilianus Cardinalis de Ara Cœli Catholicarũ inſtitut. cap. 57.

Clemens Molin.

Romanus Pontifex ſuccedit Beato Petro in eâ perfectione poteſtatis & dignitate Vicariatus Chriſti, quâ ipſe Beatus Petrus à Chriſto in Eccleſiâ eſt ſublimatus. Non minùs egregiè Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis de poteſtate Romani Pontificis cap. 22.

Thomas Campeg.

Cùm paſtor auctoritate & poteſtate major ſit grege, cujus eſt paſtor, & Petrus & ejus ſucceſſores paſtores ſint Dominici gregis ex eo quod dictum eſt Petro Ioannis cap. ult. Paſce oves meas, ſubſequitur Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem fore ſuperiorem Eccleſiâ univerſali, & Concilio generali illam repræſentante. Vndè Epiſcopis Alexandrino, Antiocheno, Conſtantinopolitano, Hieroſolymitano à fide & doctrina deficientibus ſola Romanâ Eccleſia & ejus caput (quidquid oblatrent adverſarii) in fide ortho-

doxâ

doxâ conſtantiſsimè perſeveravit, ut *Martin. Papa.* ſcribit Martinus Papa ad Athanaſium; *Sancta & immaculata Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam errare probatur, ſed illibatâ fide hactenus manet ſecundùm Dei promiſſionem.* Vndè meritò concludit Cardinalis Baronius tomo 7. ad annum Chriſti 563. *Ita* *Baron.* *quidem more majorum uſus ſemper ille viguit in Eccleſiâ Catholicâ, qui ab exordio ipſius incipiens, indè ad poſteros ſemper propagatus eſt, nempè ut ad Apoſtolicam ſedem, ipſam Romanam Eccleſiam veniant omnes longè latèq; per orbem univerſum ſitæ Eccleſiæ, &c.*

II. Omitto plures rationes præfatæ ſucceſsionis, quæ videri poſſunt apud Bellarminum tomo 1. de Rom. Pontifice cap. 12. & 13. Amicum tomo 4. diſp. 6. ſect. 3. Philippum à Sanctiſsimâ Trinitate noſtri Ordinis Diſcalceatũ 2 2. diſput. 1, dub. 4 quia hæc fundata ſunt in iis, quæ diximus. Non refero etiam ſeriem Chronologicam Romanorum Pontificum nominatim qui à ſancto Petro ſedem Romanam ſucceſsivè, ac legitimè occupàrunt. Tum quia noſter P. Lezana in Annalibus Ordinis, Jacobus Gualterus, & alii à nobis ſupra relati, ita clarè & explicitè eam recenſent, ut nihil deſiderari queat. Tum quia præfatorum Pontificum effigies cum anno creationis & obitus eorum paſsim venales publicè exponuntur in compitis uſque ad Alexandrum VII. modernum Pontificem, quem Deus ut verum Petri ſucceſſorem diutiſsimè ſervet incolumem, ut Eccleſiæ ſuæ ſanctificandæ, ac magis magisque religionis propagandæ incumbat.

III. Ex quibus patet Eccleſiam nunquam caruiſſe capite viſibili, poſſumusque concludere cum Gerſone lib. de auferibilitate Papæ ab Eccleſiâ conſider. 20. & ultimâ. *Auferibilis non eſt uſque ad conſummationem ſæculi vicarius, ſponſus Eccleſiæ, quin aliquis certus & unicus, & hoc lege ſtante, & præſuppoſitâ mundi duratione longiſſimâ detur oppoſitum, tunc Eccleſia maneret imperfecta uſque ad conſummationem ſæculi, nec ſuorum gauderet integritate membrorum, & præſertim membri principalis.* Quaſi diceret ſublatâ illâ Pontificum ſucceſſione Eccleſia non eſſet perfecta & ſancta. Quomodo enim corpus deſtitutum parte præcipuâ, ſeu capite ſanum & perfectum eſſe poteſt? Scio potuiſſe à Deo introduci aliud regimen in Eccleſiâ, ſicut Deus poterat alio modo hominem liberare à peccato, quàm paſſione ſuâ, ut paſſim docent Theologi 3. part. Nihilominus ſicut cõvenientius fuit hominem ab illâ peccati ſervitute liberare modo illo poſſibilitatis, ſic alii modi regendi Eccleſiam non deerant Chriſto, tamen præ cœteris elegit hoc regimen Monarchicum & continuam ſucceſſionem capitis ſeu paſtoris univerſalis viſibilis, quia eſt magis congruum. Sanctus Auguſtinus de primo differens libr. 3. de Trinitate cap. 10. *Oſtendimus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cujus poteſtati cuncta æqualiter ſubjacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientiorem alium modum non fuiſſe, neque eſſe potuiſſe.* Cur illum convenientiorem judicat? quia majorem perfectiorem & ſanctitatem inducit. Sic Concludendum eſt Eccleſiam ſemper futuram ſanctam ſi ſucceſſio Romanorum pontificum ſit ſemper futura ejuſmodi. Quod autem nullam interruptionem ſit admiſſura præter hæc Chriſti promiſſa Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, &c.* Doctrina Ariſtotelis etiam arridet lib. 3. de cœlo cap. 3. ubi ut probet cælos eſſe incorruptibiles, ait quod ideò nulla generatio, corruptio, aut mutatio in cælis reperitur, quia nunquam auditum eſt, quod ante hac in cælis, vel aliquâ illorum parte fuerit facta mutatio. Sic de perpetuâ pontificum Romanorum ſucceſſione ratiocinari poſſumus. Jam ab initio naſcentis Eccleſiæ per tot ſæcula uſque ad Alexandrum VII. pontificem ſucceſſio incorrupta & inconcuſſa fuit, ita ut nec bellis, nec perſecutionibus, Martyriis, aliiſque inferorum machinationibus perire potuerit, igitur inconcuſſa ac inexpugnabilis etiam in ſuâ ſucceſſione permanebit.

§. 26.

Solvuntur Rationes adverſariæ.

I. QUamvis ſanctus Parens Elias ſecundùm ſanctum Chryſoſtomum homiliâ 2. de Eliâ, idem ſit ac ſol, atque ex ſeptem Pontificum Xiſti IV. Joannis XXII. Julii III. Pii V. Gregorii XIII. Xiſti V. Clementis VIII. diplomatibus noſter Ordo Carmeliticus ab eo ſumpſerit originem, ac uſque in hodiernum diem tam in capite quàm in membris ab eodem propheta hæreditariam ſucceſſionem poſſideat, ac (ut inquiunt) *Tanquam Religionis ſpeculum & exemplar claritate fulgentes, ſanctorumque Prophetarum Eliæ & Eliſei, & aliorum Patrum qui montem ſanctum Carmeli juxta Eliæ fontem habitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes.* Primarios illos ſuæ inſtitutionis fundatores colant ut patronos, dies feſtos in eorum honorē celebrent, ac propria officia in eorum memoriam recitent: nihilominus illam ſucceſſionem hæreditariam quidam non tam impugnare, quàm negare contendunt.

II. Sic licet Deus *in ſole poſuerit tabernaculum ſuum*, pſalm. 18. verſ. 4. ideſt Eccleſiam ſuam (inquit ſanctus Auguſtinus tract. 2. in epiſtolam Joannis.) Et ex Origene homil. 30. in Matthæum *Pœna eſt fulgore ab Oriente uſque ad Occidentem.* S. Chryſoſtomo homiliâ 4. in cap. 6. Iſaiæ. *Facilius ſolem extinguit, quam Eccleſiam obſcurari.* Obſcurari (inquam) etiam reſpectu Romani pontificis, qui paſſim luminare majus nuncupatur. Tamen hoc jubar luce meridianâ ſplendidius, tenebris offundere; vel nullam dari ſucceſſionem, vel aliquam eclypſim paſſam eſſe contendunt Calvinus, & Antonius de Dominis, ac alii his rationibus.

Pſal. 18. verſ. 4.

Origenes

Chryſoſ.

III. Prima, tempore Apoſtolorum nulla Eccleſia habuit ſpecialem ac proprium Epiſcopum, ſed præcipuæ quæque Eccleſiæ à pluribus ſimul Epiſcopis inſolidum regebantur. Igitur Epiſcopus Rom. nequit dici alicujus certi capitis ac Apoſtoli ſucceſſor. Antecedens eſſe falſum patet primò ex Jeroſolymitanâ Eccleſiâ, cujus ex omniū conſenſu ſanctus Jacobus fuit proprius ac ſpecialis Epiſcopus. Secundò, ex Epheſinâ, cujus (teſte Euſebio lib. 3. cap. 4.) Timotheus fuit Epiſcopus. Tertiò, ex Cretenſi, cujus (ſecundùm eundem Euſebium) Titus fuit Epiſcopus. Quartò, ex ſeptem Eccleſiis Aſiæ ſcilicet Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiceæ Apocal. cap. 1. quorum Epiſcopi vocantur Angeli cap. 3.

IV. Ratio ſecunda hæreticorum eſt; Si Petrus fuit Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ eo modo fuit quo Antiochenæ. Igitur eadem ratione habuit ſucceſſores Antiochena Eccleſia, quā Romana. Reſpondeo Petrum alio modo habuiſſe ſedem ac ſucceſſores in Antiochenâ Eccleſiâ & Romanâ. Nam habuit ſucceſſores Antiochenę Eccleſiæ ut particularis, Romanæ verò ut univerſalis: quam univerſalis Eccleſiæ curam paſtoralem non amiſit mutatione loci, ſed morte: at non obiit Antiochiæ ſed Romæ. Proindèque Romæ illam amiſit, ibique Eccleſiæ univerſalis ſucceſſorem habuit.

V. Tertia ratio: Si Romana Eccleſia primatum & ſucceſſores Petri poſſidet, quia Petrus ibi obiit. Igitur Antiochena præcedit Jeroſolymitanam, Jeroſolymitana in quâ ſedit & occubuit Jacobus Epheſinam, quam Paulus & Joannes fundarunt, ibique Joannes uſque ad extremum diem moratus. Et tamen Alexandrina ſemper præcedit Antiochenam, Jeroſolymitana eſt ultima. Epheſina autem nullum certum locum habet in Conciliis. Reſpondet Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 12. numerum & dignitatem ſedium Patriarchalium non pendere ex dignitate Epiſcoporū qui ſederunt in illis: ſed ex voluntate & dignitate Petri: cui reſponſioni favent SS. Anacletus & Gregorius, ille epiſt. 3. *Prima (inquit) ſedes eſt Chriſti beneficio Romana Eccleſia. Secunda autem ſedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco ejus diſcipulo, Evangeliſtâ conſecrata eſt. Tertia autem ſedes*

Anacl. *ſedes apud Antiochiam ejuſdem, ideſt B. Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis: quia illic priuſquam Romæ veniret, habitavit, & Ignatium Epiſcopum conſtituit.* Sanctus autem Gregorius lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum. *Itaque* (inquit) *cùm multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum principis ſedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit ſedem, in quâ etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit ſedem, in quâ ſeptem annis quamvis diſceſſurus ſedit. Cùm ergò unius atque una ſit ſedes, cui ex auctoritate divinâ tres nunc Epiſcopi præſident. Quidquid ego de vobis audio, hoc mihi imputo.* Cur autem Antiochenâ Eccleſia in quâ Petrus per ſe ipſum ſedit, ſequatur Alexandrinam in quâ dumtaxat per ſuum diſcipulum, hanc rationem affert Baronius, ſeu potius Henricus Spondanus in epitome annalium ad annum Chriſti 45. num. 16. *Meritò* (*id agente divino Numine*) *ſubiiſſe in mentem Petri Paſtoris omnium, ut dilectiſſimum diſcipulum Marcum mitteret Alexandriam, quoniam erat illa velut quoddam orbis theatrum, ad quod ex Aſiâ, Africâ, & Europâ univerſæ fermè gentes confluerent, quam & ideò Ammianus lib. 22. verticem omnium civitatum appellat. Herodianus lib. 7, item primum ei locum poſt Romam tribuit, &c.*

Gregor.

Spond.

VI. Ratio quarta: Petrus non accepit munus regendi Eccleſiam propter ſe; ſed propter Eccleſiā, quæ nunc æquè ac tempore Apoſtolorum indiget uno ſupremo capite ac paſtore, quod officium eſto quod non debuerit cum ipſo capite deſinere, ſed perſeverare in ſuis ſucceſſoribus toto tempore, quo Eccleſia duratura eſt: Tamen ſicut Chriſtus ſedem Epiſcopalem non addixit Eccleſiæ Jeroſolymitanæ vel alteri, ita nec Petrus debuit reſtringere primatum ſuum & rationem capitis ad certum locum, nec aliquis Epiſcopus verbi gratiâ Romanus debuit in primatu ſuccedere Petro. Reſpondeo, quamvis Sanctus Petrus non acceperit Eccleſiæ primatum affixum loco, potuit tamen Petrus illum aſtringere certo alicui loco; figendo illi ſuam ſedem dependenter à voluntate Chriſti etiam quoad loci fixionem. Vndè Romanus Pontifex non ideò ſimpliciter ſuccedit Petro in primatu Eccleſiæ univerſalis, quia Petrus Romæ obiit (nam potuiſſet Romæ ultimum diem claudere retinens Epiſcopatum Antiochenum:) ſed ideò ſuccedit, quia ibi fixit ſedem, fixit univerſalem Eccleſiam. Quemadmodum ſanctus Parens Elias elegit montem Carmeli, ut eſſet natale ſolum totius ſui Ordinis, non quiâ exindè raptus eſt, ſed quia in eo monte cœlitus ignem devocavit, Baalitas ſuperavit, pluviam poſt triennalem ſiccitatem ac famem impetravit, duos quinquagenarios igne cœleſti abſumpſit, & illuc confluxerant plures viri Religioſi qui toti orationi, divinis rebus ac laudibus vacabant.

Opponunt huic reſponſioni auctoritatem Concilii Nicæni Canon. 6. aſſignantis Romano Pontifici non orbem univerſum regendum, ſed ſolam regionem Romanam. *Antiqua* (inquit) *conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo par illis mos eſt.* Sive ut in 3. lib. ejuſdē Concilii conſtitutum eſt. *Vt Epiſcopus Ægypti, ideſt Patriarcha Alexandrinus præſideat & habeat poteſtatem totius Ægypti, & omnium locorum quæ ſunt circa eam, quia ſic convenit. Siquidem ſimiliter Epiſcopus Romæ, ideſt ſucceſſor Petri Apoſtoli poteſtatem habet omnium Civitatum ac locorum, quæ ſunt circa eā. Ac ſimiliter Epiſcopus Antiochiæ, ideſt Patriarcha poteſtatem habeat provinciæ illius totius & eorum locorum quæ circa eam ſunt.* Et Canone 8. *Antiquiores obtineant, qui apud Ægyptum ſunt & Lybiam & Pentapolim: ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum habeat ſollicitudinem, quia & urbis Romæ Epiſcopo ſimilis mos eſt.* Reſpondet primò Amicus ſupra ſolutionem pendere ex legitimâ Canonis tranſlatione inſertâ Concilio Chalcedonenſi actione 16. ubi Paſchaſius legatus Sedis Apoſtolicæ & Vicarius, ait, *Canon ſextus, quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*

VII. *Concilii Nicæni*

matum, teneat autem & Ægyptus ut Epiſcopus Alexandrinus omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hac eſt conſuetudo. Similiter autem qui in Antiochiâ conſtitutus eſt, & qui in cæteris provinciis primatus habeat Eccleſia civitatum ampliorum. Poſt cujus Canonis propoſitionem Concilium 318. Patrum decrevit. *Ex his quæ geſta ſunt, & ab uno quoque depoſita perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundùm canones antiqua Roma Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Dixit antiquæ Romæ ad differentiam novæ, ſeu Conſtantinopolis. Hæc explicatio confirmatur primò ex epiſt. 1. & 2. Julii I. ad Orientales Epiſcopos, in quarum primâ ait ex decreto Nicænæ Synodi Romanam Eccleſiam primatum tenere, in ſecundâ inſerit 36. Canones exceptos ex actis Nicænæ Synodi, in quorum pleriſque decernitur auctoritas & primatus Romani pontificis ſupra cœteros. Confirmatur ſecundò ex Canone 39. Nicæni, qui incipit, *Sic præeſt Patriarcha, &c.* quem Canonem collector ait citari ab Auguſt. Stencho libr. 2. de donat. Conſtant. Turriano lib. de dogmat. Charact. Alano Copo in dialogis, ſubditque illum Canonem extare Arabicè in bibliot. Marcelli I. papæ num. 44. his verbis. *Veneramur, &c.* Reſpondet ſecundo Bellarminus lib. 2. de Romano pontifice cap. 13. ſenſum eſſe quod Epiſcopus Alexandrinus debeat regere ſuam provinciam, quia Romanus Epiſcopus ante omnem Concilii definitionem conſuevit permittere Epiſcopo Alexandrino regionem Ægypti, Lybiæ, Pentapolis: ſicut conſuevit per Epiſcopum Alexandrinum illas provincias regere. Quam explanationem colligit ex Nicolao I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem. Vbi etiam conqueritur, quod Ignatius Patriarcha ſit privatus ſua ſede abſque conſenſu Romani Pontificis.

Concilii Chalced.

VIII. Quinta ratio. Si Romanus Pontifex foret ſucceſſor Petri, datus fuiſſet ejus legatis primus locus in Conciliis, at contrarium conſtat in Concilio Nicæno, ubi Vito & Vincentio legatis Julii I. papæ aſſignatus eſt quartus locus, & præſedit Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus. Secundò, in Concilio Epheſino legati Cæleſtini papæ ſedent in loco inferiori, interrogati ſententiam ſubſcribunt, ut autem Pontifex obliquo artificio videretur in eo primum locum habere ſuas vices committit Sancto Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, qui aliàs in eo Concilio præcedere debebat. Tertiò in ſecundo Concilo Epheſino non legati Leonis, ſed Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus jure ſuo præcedit. Quartò, in Chalcedonenſi Concilio legati Romani Pontificis præfuerunt non jure, ſed privilegio Imperatoris, ut teſtatur Leo epiſt. ad Marcianum Imperatorē, quia ibi non erat perſona idonea, qui præeſſet: qui enim jure præeſſe debebant ſeſe loco excluſerunt per ſuam libidinem & intemperiem. Quintò, in Concilio Conſtantinopolitano prima ſedes data non eſt legatis Romani Pontificis, ſed Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitano. Sextò, in Carthaginenſi non legati papæ, ſed ſanctus Auguſtinus præfuit loco Archiepiſcopi, cùm tamen tunc eſſet controverſiâ de auctoritate Romani pontificis. Septimò, celebratum eſt in Italiâ Concilium univerſale cui præfuit ſanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, non verò legati Romani pōtificis. Reſpondeo negando minorem, ſicut enim in Diœceſanis Epiſcopus, in provincialibus Metropolitanus, in Nationalibus Patriarcha, vel primas præeſt; ſic in generalibus Romanus Pontifex vel ejus legati primum locum occupant. Vt patet Inductione. Nam primo Concilio Jeroſolymitano præfuit ſanctus Petrus, primus ſententiam tulit, quem cœteri ſecuti ſunt. In Concilio Nicæno Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, Vitus & Vincentius legati ſedis Apoſtolicæ præfuerunt, & primi ſubſcripſerunt, ut videre eſt apud Spondanum ad annum Chriſti 327. num. 7. & alios, ubi necdum erat Athanaſius Epiſcopus, & poſt legatos ſubſcripſit Alexander Epiſcopus Alexandrinus, cum quo tamen venerat Athanaſius Diaconus, & quinto menſe à celebrato Concilio ſufficitur Epiſcopus Alexandrinus

loco

loco demortui, ita Spondanus anno Chriſti 326. Quod Concilium ſecundum generale ſeu Conſtantinopolitanum fuerit celebratum auctoritate Damaſi papæ patet ex Baronio ad eundem annum, vetuſto codice Vaticani, litteris Damaſi ad Synodum, & Synodi ad Damaſum, quas citat Theodoretus lib. 2. Eccleſ. hiſtoriæ cap 9. quod autem non legatus papæ, ſed Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus præfuerit, ratio (inquit Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 19.) eſt, quia cùm poſt cõvocatos Orientales Epiſcopos Conſtantinopolim, Papa vellet eos vocare Romam ad Concilium celebrandum: illi ob juſtas cauſas ſe excuſarunt, ſicque non miſſis legatis permiſſus Epiſcopus Cõſtantinopolitanus præſidere. Tertio Concilio generali Epheſino celebrato anno 432. præfuit noſter ſanctus Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus nomine Cæleſtini I. ut multi teſtantur apud Bellarminum citatum, & patet ex epiſtolâ Cœleſtini ad Cyrillum inſerti concil. 1. part. cap. 15. quâ vices illi committit, & quomodo Neſtorium debeat excommunicare, & epiſt. S. Cyrilli ad Neſtorium cap. 26. ejuſdem Concilii, & 2. part. ejuſdem Concilii. Quarto Concilio, ſcilicet Chalcedonenſi præfuerũt Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, Bonifacius & Baſilius Præsbyteri contra Dioſcorũ miſſi à Leone I. abſque conſenſu Imperatoris, ut patet ex eodem Cõcilio. Quintũ Concilium generale ſeu Conſtantinopolitanum 2. fuit cõvocatum à Juſtiniano Imperatore auctoritate Vigilii papæ anno 553. cui Eutychius Epiſcopus Cõſtantinopolitanus Mennæ ſucceſſor præfuit, cui tamen debuiſſet præſidere Romanus Pontifex; ut patet ex epiſtolâ ipſius Eutychii ad Vigilium, quod approbarunt Vigilius & S. Gregorius lib. 1. epiſt. 24. Sexto generali, ſeu Conſtantinopolitano 3. anno 680. præfuit Romanus Pontifex per ſuos legatos Theodorum & Georgium Præsbyteros, & Joannẽ Diaconum, & Conſtantium ſubdiaconum, & primi ſententiam dixerunt, ut patet ex Concilio. Ibi tamen non ut Judex, ſed honoris gratiâ, & conſentiens Imperator primus ſedit, & ſubſcripſit. Vnde ait, *Ego conſentiens &c.* Legati autem, *Ego definiens, &c.* In Concilio ſeptimo generali, ſeu Nicæno 2. anno 787. Petrus Archipræsbyter & Petrus Præsbyter Abbas S. Sabæ Romæ loco Papæ præfuerunt, primi ſententiam tulerunt, ſubſcripſerunt, ut patet ex Concilio. Octavo Generali ſeu Conſtantinopolitano 4. anno 869. Donatus & Stephanus Epiſcopi cum Martino Diacono præfuerunt, ſententiam dixerunt, ſubſcripſerunt ante Patriarchas & Imperatorem, quod non abrogatum fuiſſe inde apparet, quod Romani Pontifices ſtatim creati ſolemniter voverunt acceptare & defendere; quæ in iis octo Conciliis generalibus definita ſunt, ut refert Severinus Binnas in fine 8. Synodi in explicatione particulæ *Approbatum.* Omitto Concilium Sardicenſe celebratum anno 437. ſub Julio I. cui etiam legati Rom. Pontificis Archidamus & Philoxenus præfuerunt, ut teſtatur S. Athanaſius apol. 2. & Severinus Binnas explicans particulam *Oecumenicum.* Primo quia non recenſetur inter Concilia generalia. Secundò quia vocatur appendix Concilii Nicæni. Vide Baronium & Sozomenum. Quoad generalia Occidentalia Concilium Lateranenſe anno 1122. illi præfuit Pontifex. Item Lateranenſi 2. anno 1139. Item Lateranenſi 3. ſub Alexandro III. anno 1180. Item Lateranenſi 4. anno 1215. Item Lugdunenſi 1. ſub Innocentio IV. anno 1245. Item Lugdunenſi 2. ſub Gregorio X. anno 1274. Item Viennenſi ſub Clemẽte V. anno 1311. Item Florentino ſub Eugenio 4. anno 1438. in quo Imperator Joannes Palæologus adfuit, non ut judex, ſed ut ſpectator & conſentiens, ſubſcripſitque poſt Cardinales. Item Lateranenſi anno 1512. ſub Leone X. Item Tridentino ſub Paulo III. anno 1545. uſque ad Pium IV. anno 1563. Omitto Conſtantienſe ſub Sigiſmundo Cæſare anno 1413. ad tollendum ſchiſma quod erravit decernens ſeſſ. 4. & 5. poteſtatem Concilii eſſe ſupra poteſtatem Papæ, cujus oppoſitum definivit Concilium Florentinum in decreto Eugenii VI. Ratio cur hoc conciliũ

erraverit, eſt, quia illi non præfuit legitimus Pontifex electus, niſi tantùm ſeſſ.41.anno 1417.ſcilicet Martinus V. qui ſtatim ab electione præſedit, & confirmavit, quæ erant confirmanda.

IX Sexta ratio; nullus Apoſtolus perſonaliter ac ſingulariter habuit ſucceſſorem, igitur nec Petrus. Reſpondeo abſolutè falſum eſſe in Eccleſiis particularibus nullum fuiſſe ſucceſſorem Apoſtolorum. Nam in Eccleſia Jeroſolymitana Jacobo ſucceſſit Simeon filius Cleophæ teſte Euſebio lib.3.hiſt. cap. 11. Verum tamen eſt nullum Apoſtolum habuiſſe ſucceſſionem perpetuam in ſuâ Eccleſiâ particulari, ſed ſoli Petro in Romanâ fuiſſe conceſſum juxta Chriſti promiſſionem Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

Lucæ cap. 22.

X. Septima: Epiſcopi omnes ſunt ſucceſſores in ſolidum omnium Apoſtolorum etiam Petri. *Eccleſiaſticam* (inquit S. Leo ſerm. 3, de ſuâ aſſumptione ad Pontificatum) *poteſtatem quam Petrus habuit, ad omnes Eccleſiæ principes, id eſt Epiſcopos commeaſſe.* Reſpondeo negando omnes Epiſcopos in ſolidum eſſe ſucceſſores Petri. Id enim ſoli Papæ competit, & Epiſcopis in partem. Quod autem S. Leo nobis potius faveat, quàm adverſariis, ipſemet loco citato aſſerit. *Vnus* (inquit) *de toto mundo eligitur, qui & univerſarũ gentium vocationi & omnibus Apoſtolis cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Et paulò poſt. *Propter quod dicit beatiſſimo Petro tibi dabo claves: tranſivit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti hujus conſtitutio commeavit, ſed non fruſtra uni commendatur quod omnibus intimatur.* Non ait poteſtatem Eccleſiaſticã à Petro in omnes Epiſcopos in ſolidum commeaſſe, vel omnes Epiſcopos eſſe ſucceſſores Petri, alioqui ſibi ipſi contradiceret. Nam particula *Præponatur*, quæ denotat eminentiam, nequit tranſire in ſolidum in omnes Epiſcopos, quia eſt impoſſibile, ut omnes & ſinguli Epiſcopi omnibus aliis Epiſcopis præponantur.

S. Leo.

Octaua Ratio: Si Romanus pontifex eſſet Petri ſucceſſor modus electionis ejus non adhuc controverteretur, an ſcilicet debeat eligi tantùm à Clero Romano, an ab univerſali Eccleſiâ, an à Concilio repreſentante Eccleſiã univerſalem. Nam ſi à Clero Romano tantùm debeat eligi, non eligeretur ut ſucceſſor Petri, & caput Eccleſiæ univerſalis. Si ab Eccleſiâ univerſali debeat eligi, non eligitur ut Epiſcopus Romanus & Petri ſucceſſor in Eccleſiâ Romanâ. Nam Eccleſia univerſalis poteſt eligere quemcumque non alligando illum ad hanc vel illam Eccleſiam particularem. Reſpondeo Pontificem Romanum eligi à Cardinalibus, non ut ſunt Clerici Eccleſiæ Romanæ particularis: ſed ut ſunt procuratores & miniſtri totius Eccleſiæ, XI.

TRACTA-

TRACTATUS SECUNDUS DE POTESTATE SPIRITUALI SEDIS APOSTOLICÆ CIRCA RES FIDEI, ET MORUM, &c.

PROLOGUS.

PRÆMISSA demonſtratione de unitate regiminis Monarchici in Eccleſiâ, ejuſque à S. Petro uſque ad modernum Pontificem continuâ ſucceſſione nunc examinandum eſt quali auctoritate polleat, quid definire, ſeu quid ligare & ſolvere queat: & quidem hoc tractatu quid infallibiliter in materiâ fidei, morum, &c. decernere poſſit.

CAPUT PRIMUM.

Certum eſſe certitudine fidei hunc numero Romanum Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, ac legitimum Petri in terris ſucceſſorem hiſtoria Eliana adumbrat.

I. EX dictis tomo ſuperiori tract. 2. cap. 25. conſtat Romanum Pontificem non eſſe Antichriſtum (ut calumniantur Acatholici) ſed inſtar noſtri Parentis Eliæ eſſe antagoniſtam Baal, ſeu Antichriſti, & huic adhærentium. Nunc videndum eſt, quâ certitudine credendum ſit, eum eſſe legitimum Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, ac univerſalis Eccleſiæ caput, pro cujus intelligentiâ præmittimus ſanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſei hiſtorias.

Certum videtur certitudine fidei non humanæ, ſed divinæ hos inſignes Prophetas de jure divino præfectos fuiſſe regimini filiorum Prophetarũ. Id fusè docet noſter Lezana tomo 1. annalium noſtri Ordinis anno mundi 3127. num. 6. ubi diſſerens de præcipuis motivis ac finibus quibus Elias ſanctus Dei Propheta permotus hoc inſtitutum modumque vivendi ordinare decrevit, prout ex ſacrâ paginâ & Doctoribus colligi poſſunt, hæc fuerunt. *Primùm Dei vocationi ſeu inſpirationi, quâ id ipſi præcipiebatur, morem gerere. Teſtante enim Ioanne Ieroſolymitano lib. de inſtitut. Monachorum cap. 2. Eliam religioſam & prophetalem vitam eremiticam Sancto dictante & mandante* II. Lezanâ

mandante Spiritu inchoavit, & inſtituit. Hoc autem Dei præceptum præter internam ſibi factam inſpirationem, in illis etiam verbis agnovit. Recede hinc & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith. Illis enim (ut ſub anno 3124. num. 3. diximus trium votorum aliqualis obſervantia in eremo & ſolitudine ab ipſo amplectenda, & aliis monenda denunciabatur. An autem de jure divino ejus inſtitutio ſit dicenda, licet communiter noſtri affirment ſpecialiter Philippus Ribotti in Speculo Ordinis lib. 10. cap. 5. Ioannes Bacco inter Scholaſticos doctiſſimus in compendio hiſtoriali particulâ 7. & alii poſt ipſos. Cautius tamen eſt ab hoc modo loquendi oportet abſtinere, & dicere, quod licet hujuſmodi Propheticæ religionis inſtitutio reſpectu Eliæ & Eliſei fuerit de jure divino particulari præcipiente: hoc eſt ex divinâ ordinatione ipſis intimatâ, ſeu inſpirante illis factâ, quia ſolùm Elia ut eam inſtitueret, & Eliſeum vocare: à Deo præcipiebatur, reſpectu tamen aliorum dumtaxat de jure divino conſulente & approbante ſit dicenda adinſtar ſuo modo, quo de religionis ſtatu in lege Evangelicâ loquitur Suarez tomo 3. de religione lib. 3. cap. 2. ex Thoma Waldenſi, & aliis. Hæc verba paulò attentius cõſideremus, primo ait ex Joanne Jeroſol. *Elias religioſam & prophetalem vitam eremiticam Sancto dictante & mandante Spiritu inchoavit & inſtituit.* Dicit non tantùm dictante, ideſt inſpirante, ſed etiam mandaſſe, ideſt præcipiente Spiritu ſancto inchoavit & inſtituit; quod patet ex verbis ſequentibus. *Hoc autem Dei præceptum præter in terram ſibi factam inſpirationẽ in illis etiam verbis agnovit, recede huic, &c.* Deindè quærit an talis inſtitutio prophetica ſeu religioſa ſit de jure divino, licet dubitet de inſtitutione in ſe, non tamen dubitat de illâ. *Reſpectu Eliæ & Eliſei fuiſſe de jure divino particulari præcipiente, hoc eſt ex divinâ ordinatione ipſis intimatâ, ſeu inſpirante illis factâ, quia ſolùm Eliæ, ut eam inſtitueret, & Eliſeum vocaret à Deo præcipiebatur.*

§. 1.

Chriſtus ordinat.

SIc à fortiori de Eccleſiâ Romanâ philoſophandum eſt, ſcilicet certum eſſe, non tantùm certitudine morali, ſed etiam divinâ, Papam, qui pro tempore ab Eccleſiâ eſt receptus, eſſe verum ſucceſſorem Petri, & habere ſupremam poteſtatem in Eccleſiâ fundatâ ſuper petram uſque ad conſummationem ſæculi, & quod eis totius Eccleſiæ principatus, non tantùm à Deo inſpirante ſed etiam mandante fuerit communicatus. Id patet ex illis verbis Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* In vulgatâ vocatur *Petra*, à Syriacis vocatur *Cephas*, ab Hebræis *Saxum* ſeu *Rupes.* Quaſi diceret, tu es cephas, tu es ſaxum, tu es rupes: & ſuper hanc petram, hunc cepham, hoc ſaxum, &c. *ædificabo, &c.* Græcè enim petros ſivè petra idem eſt ac lapis, ſeu ſaxum. Quod de Petro intelligendum eſt, juxta hymnum S. Ambroſii in officio Dominico ad Laudes. 1.

Matt c. 16. v. 18

Hoc ipſa Petra Eccleſiæ
Canente, culpam diluit.

S. Amb.

Vndè D. Auguſtinus lib. 1. retractationum cap. 21. ait quod ſuo tempore ſumeretur indiſcriminatim Petrus & petra, ſuper quam Dominus Eccleſiam ſuam ædificavit. Quam explicationem amplectuntur Patres tum Græci, tum Latini apud Bellarminũ tomo 1. lib. 1. de Pontifice cap. 10. Origenes homil. 5. in Exodum. Sanctus Athanaſius in epiſt. ad Fœlicem ſcriptâ nomine ſuo & Synodi Alexandrinæ, S. Baſilius lib. 2. contra Eunomium, S. Gregorius Nazianzenus oratione de moderatione ſervandâ in diſputationibus. S. Epiphanius in anchorato. S. Chryſoſtomus homil. 55. in Matthæum, & homil. 4. in cap. 6. Iſaiæ, S. Cyrillus lib. 2. cap. 2. in Joannem. Pſellus in cap. 5. Canticorum apud Theodoretum in Cantica. Theophilactus in cap. 22. Lucæ. Euthymius in cap. 16. Matthæi, Tertullianus lib. de prçſcriptione, Cyprianus in

in epiſt.ad Quintum. Hilarius in cap. 16. Matthæi, Ambroſius ſermone 45. S. Hieronymus in cap. 16. Matthæi, S. Auguſtinus ſermone 15. de ſanctis, Maximus ſermone 1. de ſanctis Petro & Paulo, Paulinus epiſt. 4. ad Severũ, Leo ſermone 2. de Anniverſ. S. Gregorius lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium. Quod autem hæc verba accipienda ſint non tantùm perſonaliter de ſolo Petro, ſed de ſede Petri, ſeu etiam de ſucceſſoribus audi D. Auguſtinum in pſalmum contra partem Donati.

Auguſt. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſâ Petri ſede, ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Divus

Hieron. Hieronymus in epiſt. ad Damaſum de nomine hypoſtaſis loquens de ſede Petri ait ad illa verba. *Super hanc petram,* Non tam ſupra Petrum, ut eſt perſona particularis, quàm ut eſt pontifex vel ſuper ejus ſedem, in quâ ſedet Damaſus, in quâ ſederunt Sacerdotes, id eſt ſucceſſores Petri. Illis arridet S. Leo ſermone 2. de Anniver-

S. Leo ſario ſuæ aſſumptionis ad Pontif. *Manet diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in acceptâ fortitudine Petræ perſeverans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit, perſeverat videlicet Petrus & vivit in ſucceſſoribus ſuis.* Quaſi diceret, quemadmodùm verum & certum eſt non certitudine morali, ſed fidei, Petrum eſſe illam petram, de quâ dixit Chriſtus Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c.* Sic eâdẽ veritate & certitudine fidei credendum eſt, quod eadem fortitudo petræ perſeveret, quod eadem Eccleſiæ gubernacula, quæ Petrus accepit à Chriſto, perſeverent in ſucceſſoribus: & Petrus ut pontifex & Chriſti vicarius vivat in ſucceſſoribus.

II. Pelagius Idem patet ex decretis diſtinct. 21. cap. *Quamvis.* ubi Pelagius papa hæc ſcribit. *Quamvis univerſæ per orbem Catholicæ Eccleſiæ unus thalamus Chriſti ſit, tamen ſancta Romana Eccleſia Catholica, & Apoſtolica nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata, ſed Evangelicâ voce Domini noſtri primatum obtinuit. Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c:* Expende illa verba. *Sancta Romana, &c. Evãgelicâ voce Domini noſtri primatum obtinuit, Tu es Petrus, &c,* Non ait ſolum Petrum, ſed Romanam Eccleſiã, ſeu ſedem Apoſtolicam, *Evangelicâ voce Domini noſtri.* Vt ſignificet non jure humano, ſed divino eſſe, non certitudine morali, ſed Divinâ credendum, quod primatus Eccleſiæ ſeu Cathedra ſancta Petri ſit in Eccleſiâ Romanâ. Idem Jus Divinum ſeu certitudinem fidei collegerunt ex verbis citatis Imperatores. Vt patet ex epiſt. *Inter claras*, in Codice Juſtiniani de ſummâ Trinitate & fide Catholicâ. His adjicienda ſunt quæ ſcribit Alciatus Juriſconſultus doctiſſimus, & in rebus antiquis verſatiſſimus. *Numquid humanis ſanctionibus* (inquit) *potius quàm jure divino probetur, quod Pontifex Romanus principatum habeat Eccleſiarum. Nodus eſſet haud ſane facilis, niſi veteres & ſancti illi Eccleſiæ Antiſtites præfuiſſent, & juris divini id eſſe demonſtraſſent. Cùm enim dixiſſet Chriſtus Dominus noſter Petro: Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: apparet per hæc verba ei univerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem promiſſam. Quod autem ab eo promiſſum eſt fatuum eſſet opinari non & fuiſſe ſervatum conſenſuque prudentium proditur, tunc verè traditam, cum poſt reſurrectionem ei dixit paſce oves meas, ut enim caput fidei ipſe Chriſtus eſt, qui gratiam quotidie in Eccleſiam ſuam inviſibiliter infundit, ita & loco ſui Petrum ejuſque ſucceſſores in terris reliquit, qui ea, quibus Eccleſia indiget inviſibiliter ipſi conficerent.* Quibus verbis patenter teſtatur, non tantum Petrum, ſed etiam ſucceſſores in terris relictos eſſe. Et hoc non certum eſſe tantùm certitudine morali, & fundatâ in humanis ſanctionibus, ſed certitudine fidei fundatâ in jure divino & promiſſionibus Chriſti. Alciatus

Eadem certitudo patet ex ejuſdem Chriſti verbis Matthæi cap. 16. verſ. 19. *Et tibi dabo claves regni Cælorum.* Quam promiſſionem à Chriſto factã fuiſſe & certam eſſe de fide, docet Divus Auguſtinus libr. contra duas epiſtolas Gaudentii cap 23. ubi oſtendit claves Eccleſiæ traditas eidem, qui ipſum confeſſus eſt. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Et cui Chriſtus dixit. III. Matt c. 16. v. 19

 Vade

S. Amb. *Vade retro ſathana*, Divus Ambroſius lib. de Iſaac cap. 3. ad illa verba. *Non potes me ſequi modò, ſequeris poſtea.* Subdit. *Claves commiſerat regni cœlorũ, & ſequelam imparem indicavit.* Per claves intelligitur poteſtas in omnem Eccleſiam, de quâ Sanctus Gregorius Gregor. lib. 4. indict. 13, epiſt. 32. ſcribens ad Imperatorem Mauritium, antequam Phocas illius parricidio ſibi viam ad Imperium paraſſet. *Cunctis* (inquit) *Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominicâ ſancto & omnium Apoſtolorum principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippè dicitur Petre amas me: paſce oves meas. Ipſi dicitur: Ecce Sathanas expetiit cribare vos ſicut triticum: Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. Ecce claves regni cœlorũ accipit, poteſtas ligandi atque ſolvendi tribuitur, cura totius Eccleſiæ & principatus cõmittitur.* Vbi quod Petro collatum eſt id ſibi communicatum eſſe aſſerit. Igitur quo jure commiſſa fuit cura Petro, eodem communicata eſt Gregorio: Et quâ fide credimus commiſſam eſſe poteſtatem Petro, eâdem ſibi demandatam ſuſtinet eſſe credendum, ut patet ex illis verbis. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominicâ ſancto & omnium Apoſtolorũ Principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, &c.* Et quaſi ſibi eadem voce Dominicâ cura totius Eccleſiæ commiſſa ſit, ſubdit. *Ecce claves regni cœlorum accipit, poteſtas ligandi ac ſolvendi tribuitur, cura totius Eccleſiæ & principatus committitur, & tamen univerſalis Epiſcopus non vocatur, & vix ſanctiſſimus conſacerdos meus Ioannes vocari univerſalis Epiſcopus conatur.* Scilicet Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus, (ut idem Sanctus Gregorius epiſt. 38.) ſibi nomen pontificis & univerſalis Epiſcopi arrogabat. Nota tamen ad illa verba. *Et tamen univerſalis Epiſcopus non vocatur.* Rom. Pontificẽ eſſe univerſalem Epiſcopum cùm ejus juriſdictio & authoritas ſit à Chriſto collata in omnes fideles, & Epiſcopatuum novorum inſtitutio à Pontifice Romano dependeat, ut docet Bellarminus tomo 2. ac Epiſcopi ab eo juriſdictionem accipiant, ut habet idem Bellarminus tomo 1. lib. 4. de Romano pontifice cap. 24. poſt D. Bernardum epiſt. 131. ad Mediolanenſes ubi, *Poteſt* (inquit) *Romana Eccleſia novos ordinare Epiſcopatus ubi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit; ita ut de Epiſcopis Archiepiſcopos creare liceat, & è converſo ſi neceſſe viſum fuerit.* Bernar. Tamen ſanctus Gregorius noluit vocari Epiſcopus univerſalis ex humilitate, ut tantò magis ab eo titulo (eo quod arrogantiam nimiam præ ſe ferre videbatur) abhorreret Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui erat unus ex multis Epiſcopis. Et hic ſenſus & mens Sancti Gregorii recuſantis titulum Epiſcopi univerſalis, colligitur ex ejus verbis. *Aliud eſt, quod conſervandæ unitati fidei, aliud quod debemus comprimendæ elationi.* Quibus verbis duo diſtinguit, humilitatem perſonæ, & eminentiam dignitatis. Titulum univerſalem recuſat ex humilitate, nè per appellationem, & titulum univerſalis Epiſcopi aliis Epiſcopis injuriam facere videretur, quaſi ille foret ſolus Epiſcopus in Eccleſiâ, & cæteri Epiſcopi vel vicarii ejus, vel nullo modo Epiſcopi cenſerentur. Quod patet ex epiſt. 38. citatâ ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. *Ad hoc* (inquit) *quandoque perductus es, ut deſpectis fratribus Epiſcopis appetas ſolus vocari.* Ibidem ſcribit Apoſtolicæ Sedis Antiſtites vocatos eſſe univerſales, quando talis honor eis delatus eſt. *Sed tamen* (inquit) *nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit, nè ſibi in pontificis gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe videretur.* Et lib. 7, indict. 2. epiſt. 70. ſcribens ad aliquos Epiſcopos. *Si enim* (inquit) *univerſalis eſt, reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis.* Ex quibus patet quod licet Romanus Põtifex nolit vocari Epiſcopus univerſalis

ſalis, tamen non deſinit habere Epiſcopatum, ſive curam univerſalem Eccleſiæ jure divino, ex Chriſti inſtitutione idque certum eſſe certitudine fidei, non verò morali. Hanc totius Eccleſiæ curam jure divino demandatam Eugenio papæ innuere videtur Divus Bernardus lib. 2. de conſideratione, ubi eum ita affatur. *Age indagemus adhuc diligentius quis ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſiâ Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii cœli janitores, gregumque paſtores: ſed tu tantò glorioſius, quantò differentius utrumque præ cæteris nomē hæreditaſti. Habent ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modò ovium, ſed & paſtorum, tu unus omnium paſtor.* Ex his verbis: *Sed tu tantò glorioſius quantò differentius.* colligo nomen & juriſdictionem ſacerdotis magni, ſummi pontificis, &c. collatum Romano Pontifici longè differre, & eſſe glorioſiorem nomine & poteſtate aliorum Epiſcoporum. Nam Epiſcopi non habent ſuum nomen, & poteſtatem immediatè à Chriſto, & ex jure divino: at verò Pontifex Eugenius & nomen, & dignitatem, & poteſtatem ſeu juriſdictionem habet immediatè à Chriſto, idque certum non certitudine morali ſeu humanâ, Nam non eſt certum certitudine morali Chriſtum tradidiſſe claves Petro; ſed certitudine fidei. Ergò eadem certitudine conſtat traditas eſſe Eugenio & moderno pōtifici, quandoquidem D. Bernardus dicat. *Tu es cui claves traditæ, &c.*

Bernar.

IV. Id evidenter aſſerit Gelaſius in Cōcilio 70. Epiſcoporum. *Sancta (* inquit *) Romana Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit.* Expende illa verba. *Evangelicâ voce Domini.* De quâ Eccleſiâ, de quâ ſede loquitur? quis illi Eccleſiæ præſidet? quis in illâ ſede ſedet, ipſe Gelaſius Romanæ Eccleſiæ pręeſt, in ejus ſede ſedet, quæ exiſtebat tempore Apoſtolorū. Idem confirmat Nicolaus I. in epiſt. ad Michaelem Imperatorem. *Iſta (* inquit *) privilegia huic ſanctæ Eccleſiæ à Chriſto ſunt donata, à Synodis non donata, ſed celebrata, & honorata.* Supra Gelaſius dixit. *Nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit.* Nicolaus verò ait privilegia à Chriſto ſunt donata; à Synodis non donata: quaſi diceret, juriſdictio Romanæ Eccleſiæ: ſeu Sedis Apoſtolicæ non eſt de jure humano, ſed divino, non eſt certâ certitudine humanâ & morali; ſed divinâ. Idem colligitur ex diſtinct. 22. cap. *Omnes.* ubi Nicolaus papa. *Illam (* inquit *) Romanam ſolus ipſe fundavit, & ſupra petram fidei maximè naſcentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clavigero, terreni ſimul & cæleſtis Imperii jura commiſit. Non ergò quælibet humana ſententia: ſed illud Verbum, quo conſtructum eſt cælum & terram Romanam fundavit Eccleſiam: Illius certè privilegio fungitur cujus authoritate fulcitur, &c.* Dicit Petrum clavigerū terreni & cæleſtis imperii non accepiſſe ſua jura aperiendi & claudendi ab humanâ ſententiâ, ſed ab illo verbo, quo conſtructum eſt cœlum & terra: ab eo (inquam) dicit fundatam eſſe Eccleſiam Romanam, & claves traditas Atqui certum eſt certitudine fidei Petro claves illas eſſe conceſſas: ergò & ſucceſſoribus: Quandoquidem eodem nomine Petri eos nuncupet. Et colligitur ex his verbis. *Humanâ ſententiâ*, ideſt, humano decreto, humanâ ſententiâ & opinione vel principis, vel cœtûs alicujus, vel concluſione aliquâ Theologicâ, ſed fide divinâ eſſe verum; hancque veritatem ſeu firmitatem ac infallibilitatē à Chriſto immediatè pendere.

Gelaſius

Nicol. I.

V. Audiamus quale judicium de hâc certitudine ferat Concilium primum Epheſinum anno 431. in quo poſtquam Cœleſtini I. papæ litteræ fuerunt lectæ, locuti ſunt tres legati, & inter cæteros Philippus Præsbyter

tomo

Concilii Ephesin. tomo 2. cap. 16. ubi ſubditur. *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt Sanctum Beatiſſimumq; Petrum, Apoſtolorum principem & caput, fideiq; columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamentũ à Domino IESV-Chriſto Salvatore noſtro, humaniſque generis redemptori cœleſtis regni claves accepiſſe ſolvendique atque ligandi poteſtate, quam acceperat uſum fuiſſe, necnon per ſucceſſores ſuos huc uſque ſemper vivere, cauſaſq; decernere, ſemper victurum eſſe. Hujus itaque Ordinarius ſucceſſor & vicarius ſanctus, Beatiſſimusque Papa, & Epiſcopus noſter Cœleſtinus nos ſuos pro ſe quaſi vicarios ad hanc ſanctam Synodum miſit, &c.* Baronius infert. *Intelligit nè quem ſibi locum in Eccleſiâ Catholicâ jure vendicare conſueverunt Petri ſucceſſores, Romani pontifices, & in quam frequenti auditorio, quamque cœlebri totius planè Catholici orbis theatro, cunctis ſpectantibus & audientibus ſit tantæ rei veritas prædicata.* Aliud infero ex his verbis. *A Domino IESV-Chriſto humaniq; generis redemptore cœleſtis regni claves accepiſſe, necnon per ſucceſſores ſuos huc uſque ſemper vivere, ſemperq; victurum eſſe.* Si ſemper vivat: ſi ſemper victurus eſt per ſucceſſores ſuos, igitur hi eodem jure æquè immediatè accipiunt cœleſtis regni claves *à Domino IESV-Chriſto, &c.* quo Petrus, eâdemque fide credere debemus Petrum vivere in moderno papâ & victurum in ſucceſſoribus, non perſonaliter, ſed poteſtativè, quo vivebat poſt aſcenſionem Chriſti, & dum exiſteret Romæ. Nam dicit. *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt.* At primo ſœculo nulli dubium erat, ſed notum erat & certum certitudine fidei eſſe Chriſti Vicarium. Igitur ſœculis omnibus ſeu reliquis notum eſt & certum certitudine fidei Cœleſtinum & reliquos uſque ad Alexandrũ VII, incluſivè eſſe Chriſti Vicarios, &c.

VI. Epiſtola Gallæ Placidæ. Idem colligitur ex epiſtolâ Gallæ Placidæ Auguſtæ ad Theodoſium auguſtum filium ſuum. *Decet huic maximè Civitati quæ Domina eſt omnium civitatum tuarum in omnibus reverentiam conſervare.* Et paulò ante. *Secundùm formam & definitionem Apoſtolicæ Sedis, quam & nos tanquam præcellentem ſimiliter veneramur, ut res ad Concilii, & Apoſtolicæ Sedis judicium trãſmittatur: in quâ primus ille, qui cœleſtes claves dignus eſt accipere primatum Epiſcopatus ordinavit.* Expende illa verba. *Primus ille qui cœleſtes claves dignus fuit accipere.* Si Petrus primus accepit cœleſtes claves immediatè à Chriſto, & eſt de jure divino ac de fide quod acceperit, erit pariter de fide quod ejus ſucceſſores & noviſſimè Alexander VII. acceperit.

VII. Brigitt. Non omittendum hic quod refert ſancta Brigitta libr. 1. revelationum cap. 41. ubi introducit Chriſtum ſic Pontificem Romanum alloquentem. *Conqueror ſuper te caput Eccleſiæ meæ, qui ſedes in ſede meâ, quam Petro & ſucceſſoribus ejus tradidi ad ſedendum su eâ triplici dignitate, & auctoritate. Primò ut haberent poteſtatem ligandi animas & ſolvendi à peccato. Secundò ut aperirent cœlum pœnitentibus. Tertiò ut clauderent cœlum maledictis & contemnentibus.* Ait ſe Petro & ſucceſſoribus tradidiſſe, ut aperirent cœlum pœnitentibus, ut clauderent cœlum maledictis & contemnentibus. At conſtat de fide, & eſt jure divino Chriſtum immediatè tradidiſſe claves Petro, igitur eâdem fide credere debemus illas claves ejus ſucceſſoribus traditas eſſe juxta illud teſtimonium divinũ. Vndè idem ſubdit, quod ſi ſe magis exhibeat mercenarium, quàm paſtorem: oves potius diſpergat, quàm cõgreget: nec poteſtate ligandi & ſolvendi, ſeu clavibus ſibi traditis debitè utatur. Quod etſi à nemine mortalium judicetur, tamen Deo ſit rationem redditurus, & ab eo quem nullum latet ſecretum irremiſſibiliter judicabitur.

VIII. His adjiciendum eſt teſtimonium ſanctæ Catharinæ Senenſis dono Prophetiæ præditæ, quod ex divinâ revelatione accepit. Sanctus Antoninus 3, part. tit. 23, cap. 14. §. 4. 9. & 17, ejus ſeu potius Dei revelantis de Romano Pontifice mentem refert. Cùm Pater Raymundus mitteretur ad Regem Galliæ, ut eum à ſchiſmate revocaret poſt creationem Vrbani VI. cui Clemens Antipapa adverſabatur

Cather. Senenſis batur, ſancta dixit. *Habeatis pro certo hunc Vrbanum eſſe verum Pontificem ſummum, ſucceſſorem Petri, & Vicarium IESV-Chriſti, &c.* Quando hæc verba proferebat nomine Dei revelantis loquebatur, certitudoque illa ac fides, quâ perſuadebat Vrbanum IV. eſſe Pontificem, non erat humana ſed divina. Licet enim certitudo illa inniteretur privatæ revelationi tamen non diſtinguebatur ab eâ fide, quæ innititur authoritati divinæ, prout in ſacrâ Scripturâ & Eccleſiæ doctrinâ manifeſtatur. Quam doctrinam ſuſtinent Vega, Catharinus, Aragonius, Corduba, Bellarminus, Suarez, Granadus, Cardinalis de Lugo & alii. Et ex noſtris Philippus à SS. Trinitate tomo 3. diſput. 1. Lezana tomo 3. Theol. tractat. 1. de fide diſput. 1. quæſt. 7. docentes ejuſdem ſpeciei eſſe fidem, quæ innititur revelationibus communibus factis toti Eccleſiæ, quâ credimus dogmata ſeu articulos: & quæ innititur revelationibus privatis, & quâ credimus revelata per ipſas. Colliguntque primò ex Apoſtolo ad Hebræos cap. 19. qui agens de fide divinâ cõmendat eam, quam habuerunt Patres antiqui ſcilicet Abraham, Sara, Iſaac, Gedeon, Barach, Sampſon, Jephte, David, Samuel, Elias, Eliſæus, & alii Prophetæ revelationibus particularibus, quo ſatis innuit fidem particularium revelationum eſſe eandem cum fide divinâ communi. Item ex Concilio Tridentino ſeſſione 6. cap. 12. & 13. & Canon. 16, ubi cõmendatur fides, quâ aliquis crederet particulari revelationi ipſi factæ de ſuâ ſalute, indicans etiam illam fidem eſſe fidem communem. Tertiò, quia utraque fides tam particularium quàm communium revelationum innititur eidem motivo ſeu objecto formali, quo, ſcilicet divinæ veritati revelanti: & differunt tantùm in ratione particularis & univerſalis. Non enim particularis revelatio pertinet ad prophetiam vel prudentiã infuſam. Denique Fides, Spes, Charitas, gratia, quam habuerunt Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, & Joannis cap. 21. Apoſtoli eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtrâ. At illorum fides non erat nixa teſtimonio divino propoſito per Eccleſiam.

Idem probatur ex cap. 21. verſ. 17. IX. Joannis. *Paſce oves meas.* Quæ verba *Ioann. c. 21. v. 17* referens ſeptima Synodus actione 2. dum recipit epiſtolam Adriani ad Tharaſium eodem modo loquitur de *Synod. 7* ſucceſſore Petri ac de Petro. *Cujus ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Vnde & ipſe Beatus Petrus Apoſtolus Dei juſſu Eccleſiam paſcens nihil omninò prætermiſit, ſed ubique principatum obtinuit & obtinet.* Pondera illa verba. *Obtinuit & obtinet.* Vbi loquitur eodem modo de principatu præterito ac de præſenti. Sicut igitur principatus præteritus Petri eſt certus immediatè certitudine fidei: ſeu eſt immediatè à Deo præcipiente, revelante: ita & præſens principatus Alexandri VII.

§. 2.

Concilia & Pontifices decernunt, Patres affirmant.

HVic veritati favet Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cui Græci & Latini interfuere cap. 5. I. *Romana Eccleſia diſponente Domino ſuper omnes alias ordinaria poteſtatis obtinet principatum, ut pote univerſorum Chriſti fidelium Mater & Magiſtra.* Expende. *Diſponente Deo obtinet principatum.* Non dicit diſponente Domino obtinuit, &c. *ſed obtinet.* Quaſi diceret, quemadmodum credimus Petrum obtinuiſſe principatum, ita & credere debemus Alexandrum VII. Non eſt alia diſpoſitio, alia credibilitas divina circa Alexandrum VII. ac circa Petrum.

Id Clarius exprimit Florentinum Concilium præſentibus & convenientibus Græcis, Latinis. II. *Concilii Florent.* *Definimus* (inquit) *Sanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem Rom. ſucceſſorem eſſe B. Petri principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Do-*

ſtorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV-Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Definimus ſcilicet eſſe de fide Romanum Pontificem, qui tunc ſedebat eſſe ſucceſſorem Beati Petri. Cui arridere videntur Patres Sanctus Chryſoſtomus lib. 2. de ſacerdotio propè initium.

Chryſoſ.

Quanam de cauſâ idem ille ſanguinem effudit ſuum? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat. Quibus verbis non diſtinguit modum committendi oves Petro & ſucceſſoribus, ſed Petro commiſſas eſſe oves à Chriſto eſt immediatè de fide. Igitur etiam eſt immediatè de fide commiſſas oves ſucceſſoribus ejus. Et confirmatur, quia jure divino & de fide eſt exiſtere paſtorem ovium Chriſti aliquem Petri ſucceſſorem viſibilem in Pontificatu, ac Eccleſiæ adminiſtratione, quia ex ſancto Leone ſermone de anniverſario ſuæ aſſumptionis. *Manet diſpoſitio veritatis & Beatus Petrus in acceptâ fortitudine petræ ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit.*

S. Leo

Sed non poteſt eſſe alius niſi Romanus Pontifex: nec Eccleſia alium agnoſcit quàm hunc. Quis enim eſt, ut cum ſancto Leone proximè citato loquar. *Qui nunc plenius & potentius ea, quæ ſibi commiſſa ſunt peragit & omnes partes officiorum, atque curarum in ipſo, & cum ipſo, per quem eſt glorificatus exequitur. Si quid itaque à nobis agitur, rectèque diſcernitur: ſi quid à miſericordia Dei quotidianis ſupplicationibus obtinetur, illius eſt operum atque meritorum, cujus in ſede ſuâ vivit poteſtas, & excellit authoritas.* Ex his verbis. *Cujus in ſede ſuâ vivit poteſtas, & excellit authoritas.* Vrgeo, ſed quod authoritas & poteſtas ſit à Chriſto collata Petro eſt immediatè de fide. Igitur quod vivat ejus poteſtas & excellat authoritas Petri eſt etiam immediatè de fide. De quo poteſt verificari illud quod idem S. Leo paucis interjectis ait. *In univerſâ namq; Eccleſiâ tu es Chriſtus filius Dei vivi quotidie Petrus dicit, & omnis lingua quæ cõfitetur Dominum magiſterio hujus vocis imbuitur.* Per illa verba. *Quotidie Petrus dicit.* Non in perſonâ, ſed in ſucceſſore, cujus magiſterio vocis imbuitur, qui confitetur Chriſtum. Non alius autem Petrus agnoſcitur tunc in Eccleſiâ, quàm Alexander VII. Quemadmodùm igitur ſic Petrus in perſonâ exiſtens in mundo, credebatur immediatè ſedere, & Vicarius Chriſti; ita & is qui hodie dicit. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* His verbis arridere videtur Julius I. epiſt. ad Orientales, quæ extat in apologiâ ſecundâ ſancti Athanaſii. *Quæ accepimus à beato Petro ea vobis ſignifico, non ſcripturus alioqui, quæ nota apud nos eſſe arbitror niſi facta ipſa vos conturbaſſent.* Ait ſe accepiſſe officium judicandi cauſas Epiſcoporum Orientalium quaſi ibi eſſent Patriarchæ primarii. Addit, *Quæ nota apud vos eſſe arbitror.* Scilicet notitiâ & certitudine fidei, imò eâdem certitudine. *Quando namque* (inquit Del Bene in 1. part. diſput. 1. quæſt. 30.) *Pontifex ſeu paſtor univerſalis proponit aliquid, non ſolùm tenemur certò credere quod ipſe proponit; ſed etiam eâdem certitudine tenemur credere ipſum in proponendo non poſſe falli, ac ideò eſſe legitimum Paſtorem Eccleſiæ & habere omnia requiſita ad ſummum pontificem.*

Del Bene

De hac fide mentionem facit Sanctus Syricius papa epiſtolâ ad Hunericum Epiſcopum Terraconenſem. *Pro officii noſtri conſideratione, non eſt nobis diſſimulare, non eſt ſacere libertas quibus major cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur, quin imò hæc portat in nobis beatus Petrus Apoſtolus, qui nos in omnibus ut confidimus adminiſtrationis ſuæ protegit & tuetur hæredes.*

Syricius

Particulâ *Confidimus*, eadem eſt quod credimus. Eodem modo intelligenda ſunt hæc verba ſancti Leonis epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalon. *Sicut præceſſores mei, præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum ſecutus exemplum vices mei moderaminis delegavi, ut curam quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divinâ inſtitutione debemus imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares.* Per illa verba. *Quam principaliter ex divinâ inſtitutione debemus.* Oſtendit ſe non revocare in dubium, nec ex

S. Leo

aliquibus

aliquibus promiſſis deducere ſe eſſe legitimum Petri ſucceſſorem: ſed im. mediatè & principaliter refundit in divinam inſtitutionem.

III. Joann.2. Idem de ſe cenſet Joannes II. ſedens ante mille annos in epiſt. ad Juſtinianum ſeniorem Auguſtum, quæ habetur in codice Juſtiniani in primo titulo. *Inter claras ſapientiæ ac manſuetudinis veſtræ laudes Chriſtianiſſime Principum, puriore luce tanquam aliquod ſydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis ſtudio edocti, Eccleſiaſticis diſciplinis Romanæ ſedis reverentiam conſervatis, & ei cuncta ſubjicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus authorem hoc eſt Apoſtolorum primum Domino loquente præceptum eſt, paſce oves meas. Quam eſſe omnium Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ & Principum ſtatuta declarant, &c.* Quibus verbis docet Cathedram in quâ ſedet, eſſe de quâ Chriſtus ait: *Paſce oves meas.* Ac inſinuat eſſe credendum quandoquidem & patrum regulæ, & principum ſtatuta declarent; non quod credibilitas illa ſoli authoritati humanæ innitatur, alioquin ſequeretur Romanam Eccleſiam & ſedem eſſe caput fidelium certitudine morali: ſed quia Patres & Principes credendum eſſe fide divinâ promulgarunt.

VI. Anaſtaſ. Idem conſtanter aſſerit Anaſtaſius II. epiſtolâ ad Imperatorem Anaſtaſium. *Per miniſterium humilitatis meæ, ſicut ſemper eſt ſedes Beati Petri in univerſali Eccleſiâ aſſignatum ſibi à Domino teneat principatum.* Dicit, *teneat*, ideſt nemo dubitat, non ratiocinatur, non hæret; ſed indubitanter credit, quia *tenet.* Et ne fortè quis objiciat Pontifices præfatos ſibi favère, ut potè judices in propriâ cauſâ, audiamus quid Patres tam Græci quàm Latini ſentiant tam de Sede Apoſtolicâ, quàm de Eccleſiâ Romanâ, & quâ fide eam colant.

V. S. Iren. Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 3. *Hanc enim Eccleſiã propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam: hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in quâ ſemper ab his qui ſunt undique ſervata eſt quæ ab Apoſtolis eſt traditio.* Expende illa verba, *Neceſſe eſt*, opponit neceſſitatem probabilitati, conjecturæ, & contingentiæ. Item hæc, *Omnem convenire Eccleſiam propter potentiorem principalitatẽ.* Quaſi diceret, neceſſe eſt ut omnes conveniant ſub uno paſtore, qui eos regat, & paſcat. Addit. *In quâ ſemper ab omnibus conſervatâ Apoſtolica traditio.* Quæ verba denotant non ex ratiocinatione, ſed per Apoſtolicam traditionem, ſeu fidem ſucceſſores Petri, & modernum Pontificem ab omnibus fidelibus agnoſci. Idem profitetur ſanctus Athanaſius in epiſt. ad Fœlicem Papam. *Ob id vos prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicoſque videlicet Præſules in ſummitatis arce conſtituit; omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit ut nobis ſuccurratis, &c.* Quaſi diceret, quemadmodum ſuis ovibus proſpicit, illas errantes ad ovile vel gregem paſtor reducit, ſcabioſas curat, à lupinis dentibus arcet: ita credo quod nos Deus conſtituit in ſummitatis arce, voſque conſtituens præcepit ut nobis ſuccurratis. Anaſtaſ.

Ex Latinis Patribus occurrit mihi S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum de nomine hypoſtaſis. *Quanquam tui me terreat magnitudo, incitat tamen humilitas, à paſtore præſidium ovis peto. Cum ſucceſſore Piſcatoris & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ ideſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſupra illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt: Si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Particula illa *Scio*, Non ſignificat quod mediatè, ſed immediatè per fidem credat, ut patet ex illis verbis, *Nullum primum niſi Chriſtum, &c.* Quæ ſignificant primo Chriſto, deindè Chriſti Vicario adhærendum, & credendum eâdem fide. Vnde ſubdit. *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, &c.* Ideſt Paulinus eſt Patriarcha Antiochenus ſcio: ſed quod ſit paſtor & pontifex totius Eccleſiæ non credo, nego. Eum ſequitur Divus Auguſtinus epiſt. 82. ubi ſic Innocentium affatur. *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in ſede Apoſtolicâ collocavit, talemq; noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpâ* VI. Hieron. Auguſt.

 negli-

negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſiâ ſuggerenda tacuerimus, quam ea tu poſſis vel faſtidioſè vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtorem diligentiam quæſumus adhibere digneris. Seclusâ omni ratiocinatione diſcurſus abſolutè affirmat præcipuo, ſeu ſpeciali gratiæ divinæ munere Innocentium in ſede Apoſtolicâ eſſe collocatum.

§. 3.

Rationes perſuadent.

I NOn deſunt rationes, quæ immediatam iſtam fidem perſuadeant, Alexandrum VII, eſſe legitimum Petri ſucceſſorem. Prima Ratio ex eo patet, quod omnes controverſias fidei dirimere & concludere poſſit ut docet Concilium Chalcedonenſe actione 1. 2. & 3. Et epiſt. ad Leonem in hæc verba. *Et poſt hæc omnia inſuper, & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt extendit inſaniam, ideſt contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem.* Pondera hæc verba. *Cui vineæ cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt.* Quomodò, & unde Concilium ſcit ei cuſtodiam vineæ Eccleſiaſticæ eſſe commiſſam ad factiones & ſchiſmata ſolvenda? non aliundè quàm per fidem, ut patet ex his verbis Lucæ cap. 22. verſ. 31. *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribaret ſicut triticum: ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quando Chriſtus ait. *Ego oravi pro te,* non loquitur de ſolâ perſonâ Petri: nam de illius & Apoſtolorum perſeverantiâ Patrem oraverat his verbis Joannis cap. 17. verſ. 11. *Pater ſancte ſerva eos in nomine meo quos dediſti mihi.* Sed his verbis, *Ego autem rogavi pro te, &c.* Loquitur de aliquo dono, quod debebat Petro communicari in aliorum utilitatem, ſcilicet Eccleſiæ: nè poſſet tam ipſe, quàm ſucceſſores hæſitare in fide. Audi Lucium I. Papam Martyrem in epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ. *Eccleſia Romana Apoſtolica eſt, & Mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit juxta illius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te, &c.* At de fide eſt Chriſtum rogaſſe nè caput Eccleſiæ erraret, ſed errantes in fide confirmaret. Igitur de fide eſt Petrum, ſeu ejus ſucceſſorem, pro quo Chriſtus oravit uſque ad finē errare non poſſe. Quod Chriſtus pro fide Petri oraverit, ſuggerit Sanctus Leo ſermone 3. de aſſumptione ſuâ ad pontificatum. *Specialis cura patri à Domino & pro fide Petri propriè ſupplicatur tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo innuitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.* Quod verò hæc verba non de ſolâ perſonâ Petri, ſed etiā de ſucceſſoribus intelligenda ſint, audi Agathonem Papam epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, quæ lecta eſt in ſextâ Synodo actione 4. Et poſtea actione 8. ab omnibus probata. *Dictum eſt Petro, Simon Simon, ecce ſathanas, &c. Ego autem rogavi pro te, &c. Hic ſedem Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper eſt agnitum.* Expende hæc verba. *Semper cunctis eſt agnitum:* At non poſſunt cuncti maximè idiotæ formare Syllogiſmum, ex quo colligant quæſtionem Theologicam, quod Alexander VII. ſit legitimus Pontifex & Petri ſucceſſor. Et tamen cunctis tam doctis quàm indoctis ſemper eſt cognitum, quod Alexander VII. eſt legitimus Pontifex Petri ſucceſſor. Id igitur illis omnibus conſtat per fidem non humanam & moralem, ſed divinam.

Concilii Chalced.

Lucæ c. 22. v. 31.

Ioan. 17. v. 11.

Lucius I.

S. Leo.

Agatho.

II Rectè Nicolaus I, in epiſt. ad Michaelem. *Privilegia iſtius ſedis perpetua ſunt divinitus radicata atque plantata, impingi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt, evelli non poſſunt, &c. Nam & inter cætera is, per quæ nobis præcipuè iſta ſunt privilegia collata, tu aliquando converſus audivit à Domino,*

Nicol. I.

confirma fratres tuos. Primò facit mentionem ſedis. *Privilegia iſtius ſedis,* quod intelligi debet de ipſo ſedente, non tantùm poſt aſcenſionem Chriſti, ſed de futuris temporibus, uſque ad conſummationem ſœculi, ut patet ex hac particulà *perpetuò ſunt.* Vnde ſubdit per quem nobis præcipuè iſta ſunt privilegia collata, ideſt mihi Nicolao, prædeceſſoribus, & ſucceſſoribus meis. Quandoquidem certò ſciret ſe errare non poſſe, ſed debere confirmare, eâdem certitudine ſciebat ſe eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, quâ dogmata à ſe confirmata. Audi Leonem IX. ad Petrum Antiochenum.

Leo 9. *Nimirùm ſolus eſt pro quo nè deficeret fides ejus Dominus & aſſeruit ſe rogaſſe dicens, rogavi pro te, &c. quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit quod hactenus fides Petri nec defecit nec defectura creditur in throno illius.* Dicit, *creditur.* Quæ particula intelligi debet de fide divinà immediatè: cùm enim caput Eccleſiæ loquatur. & de re tam gravi, non poteſt intelligi fides humana ſed divina, quandoquidem etiam inter fideles particula *Credo, Credit, Creditur* paſſim accipiatur pro fide divinâ. Id inſinuare videtur S. Petrus Chryſologus in epiſtol. ad Eutychetem, quæ habetur in 1. Conciliorum ante Concilium Chalcedonenſe.

Petrus Chryſol. *Hortamur te frater honorabilis, ut his quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quia Beatus Petrus qui in propriâ ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Expende illa verba. *Quæ à Beatiſſimo Papâ Romanæ civitatis ſcripta ſunt obedienter attendas.* Quaſi diceret cum Apoſtolo, captives intellectum in obſequium fidei. Item hæc; *Quia Beatus Petrus qui in propriâ ſede vivit, & præſidet, præſtat, &c.* Non dicit, *vixit, præſedit, præſtitit*: ſed nunc *vivit, præſidet, præſtat.* Ideſt eadem certitudine & fide ejus verba excipere deberis, quaſi ex ipſo perſonali ore Petri prodirent, & eâdem fide credere eſſe Papam, quâ crederetis Petrum eſſe Papam, ſi nunc perſonaliter nobis adeſſet.

III. Bernar. Idem ſatis patenter aſſerit Sanctus Bernardus de Innocentio ad quem ſcribit epiſt. 190. *Oportet ad veſtrum referrri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala regni Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei ubi poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Pondera illud verbum *Oportet ad veſtrum.* Quaſi diceret certus ſum certitudine fidei ibi *potiſſimum reſarciri, &c.* Et eâdem certitudine credo ô Innocenti te eſſe in eâ ſede, in illo Apoſtolatu Petri. Hac fide præditi Sanctus Auguſtinus & alii tum Orientis tum Occidentis Epiſcopi, tum Græci tum Latini in controverſiis fidei conſuluerunt ſedem Apoſtolicam omni ſœculo, & ab eâ inſtrui voluerunt, memores horum verborum Chriſti Lucæ cap. 22. *Rogavi pro te, &c.* Quibus verbis Chriſtus non tantùm loquitur Petro, ſed ejus ſucceſſoribus. Lucæ cap. 22. Cùm enim Petrus eſſet moriturus, & morte Deum clarificaturus, Eccleſia verò uſque in finem mundi permanſura firma in fide, licet variis errorum ventis agitata debuit ab aliquo dirigi, à quo in fide confirmarentur fideles. Hanc firmitatem Eccleſiaſticam exprimit lepidum reſponſum Gregorii IX. ad illos verſus miſſos à Friderico II. Imperatore.

Roma diu titubans longis erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Gregorius Chriſti promiſſis innixus reſpondit.

Niteris in caſſum navem ſubmergere Petri [illegible] *ratis.*
Fluctuat, at nunquam mergitur illa

Vide Krantium. Krant. Quæ Gregorii IX. replica, ſicut & Chriſti promiſſio, non poſſunt aliâ ratione intelligi, quàm quod in Petri ſucceſſoribus oratio Chriſti eam vim & effectum habeat, cùm illis incumbat ex munere regere Eccleſiam & confirmare fratres ſuos.

IV. Gregor. Divus Gregorius lib. 4. indict. 13. epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum ſcribit, quod nullus ſucceſſor Petri erraverit id illis eſſe ſpeciale: quod de aliis Epiſcopis dici non poteſt, maximè de Conſtantinopolitano, qui ita

ambitioſè illum primatum ſibi arrogare contendit. *Certè* (inquit) *multos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in hæreſeos voraginem incidiſſe novimus Sacerdotes: & non ſolùm hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos. Indè quippè Neſtorius qui mediatorem Dei & hominum IESVM-Chriſtum eſſe perſonas exiſtimans: quia Deum fieri hominem potuiſſe non credidit, uſque ad Iudaicam perfidiam erupit. Indè Macedonius, qui Conſubſtantialem Patri, & Filium Spiritum ſanctum Deum eſſe denegavit.* His addendi Eudoxius Arianus, Demophilus Arianus, Accatius ob communionem cum hæreticis etiam poſt mortem è ſacris diptychis expuncti, Anthimus ob hæreſim ab Agapeto papâ remotus, adde & Monothelitas Sergium, Pyrrhum, Paulum. De Anthimo ſic loquitur Baronius ad annũ Chriſti 534, producens novellam 42, *Intuere itaque ad Mennam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham itidem de Romanâ Eccleſiâ ſcribit, dum de Agapeto Romano Pontifice quod Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopum jure depoſuit Anthimum, eo quod cum Eccleſiâ Romanâ minimè conveniret, ut potè quæ tanquam lapis Lydius, quæ ſincera, quævè ſpuria dogmata probet, atque etiam quæ Apoſtolicâ auctoritate præcellens omnes cujvis ampliſſimæ Eccleſiæ Sacerdotes à recto fidei tramite devantes condemnet.* Ibidem Baronius.

Baron. *Quemadmodum & nuper factum eſſe circa Anthimum ſcimus, qui quidem dejectus eſt de ſede hujus regiæ urbis, à ſanctæ & glorioſæ memoriæ Agapeto Sanctiſſimæ Eccleſiæ antiquæ Romæ Pontifice: eo quod nullo modo ſibi ipſi convenienti cõtra omnes ſacros Canones ſe intrujerat ſedi: ſed & communi ſententiâ ipſius ſanctæ memoriæ viri primùm atque etiã ſacræ Synodi hic celebratæ condemnatus atque depoſitus fuit, eo quod à rectis dogmatibus receſſit.* Quibus verbis innuit Anthimum fuiſſe condemnatum ab Agapeto, cujus ſententiæ tota Synodus poſtea ſubſcripſit, ut notat Anaſtaſius in Agapeto I. *Ex præcepto Au-*

Anaſtaſ. *guſti accerſito Epiſcopo Conſtantinopolitano nomine Anthimo, & diſcuſſione factâ nunquam voluit confiteri in doctrinâ Catholicæ reſponſionis ad interrogationẽ Beati Papæ Agapeti duas naturas in uno Domino IESV Chriſto &c. Tunc piiſſimus Auguſtus Iuſtinianus gaudio repletus humiliavit ſe ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, & adoravit Beatiſſimum Papam Agapetum. Eodem tempore ejecit Anthimum à communione, & expulit in exilium. Tunc piiſſimus Auguſtus Iuſtinianus rogans beatiſſimum Agapetum papam, & in locum Anthimi Epiſcopum conſecravit Catholicum nomine Mennam.* Idem teſtimonium ferunt tria Concilia Africana, quod ſcilicet Romanus Pontifex pro tempore exiſtens ſit infallibilis, & ad eum ſolum pertineat falſa dogmata reprobare. Audi Synodalem illorum Conciliorum epiſtolam, quæ extat in Concilio primo & apud Baronium ad annum Chriſti 646. cujus inſcriptio hæc eſt. *Domino beatiſſimo Apoſtolico culmine ſublimato ſancto Patri Patrum Theodoro Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici. Columbus primæ ſedis Epiſcopus Concilii Bizanceni, & Reparatus Epiſcopus primæ ſedis Concilii Mauritaniæ, & univerſi Epiſcopi de tribus Conciliis antedictis Africanæ Provinciæ.* Epiſtola Syn. cit. Afric. Hujus autem epiſtolæ initium ita habet. *Magnum & indeficientem omnibus Chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam ſedem conſiſtere fontem nullus ambigere poſſit; de quo rivuli prodeunt affluenter univerſum largiſſimè irrigantes orbẽ Chriſtianorum. Cui etiam in honore Beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevêre reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò & ſollicitè debent: maximè verò, juſtèque ab ipſo Præſulum examinari vertice Apoſtolico: cujus vetuſta ſollicitudo eſt tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum: ut ejus auctoritate, juſta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur, indèq; ſumerent cætera Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diverſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei ſacramenta ſalutis.* Ecce quanti faciant Romanum pontificem Eccleſiæ

Africanæ

Africanæ quantopere exiſtiment ejus judicium in rebus dubiis fidei reſolvendis, & explanandis: quomodò ad eum ſolum confugere ſoluerint; ejuſque ſententiæ utpotè infallibili acquieſcant. Quod ſi non dubitent de ejus Apoſtolico judicio minùs ſanè de perſonâ Apoſtolicâ. Quod ſi certitudine fidei immediatè credunt oraculis, quæ ex ejus ore procedunt: eandem fidei certitudinem habere debent de ejus perſonâ pontificatum poſſidente.

V. Hanc rationem concludam teſtimonio ſingulari quod Rhegino lib. 2. Rhegino Chronic. ad annum 866. habet. *Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri ſedem aliquo pravo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit, nec ab aliquâ hæreſi unquam falli potuit.* Imò fallentibus ſeu errantibus viam veritatis pandit. Occaſio hujus Encomii fuit, quod Lotharius Rex Filius Lotharii Imperatoris frater Ludovici Imperatoris, nepos Ludovici Pii, pronepos Caroli Magni, odio habens legitimam uxorem Thietbergam, propter Waldradam concubinã ſuam circa annum 864. ut referunt Anaſtaſius in pontificali, Rhegino, Marianus Scotus, Sigebertus, Aventinus, libr. 4. Annalium Boiorum, Sigonius lib. 5. de regno Italiæ. Lotharius rex egit cum Gunthero Epiſcopo Colonienſi & aliis: ut authoritate Epiſcopali liceret ei uxorem repudiare. Cui annuit Guntherus, eamque ſententiam pronunciari curavit in Concilio Metenſi ab Epiſcopis: ubi etiam ipſa Thietberga de inceſtu cum fratre perpetrato poſtulata teſtibus ſubornatis revincitur. Alter poſtea Cœtus Aquiſgrani cogitur, ubi ſtatuitur Thietbergam legitimam uxorem non fuiſſe, quæ publico judicio Inceſtus damnata eſſet: ipſumque Lotharium ritè aliam uxorem ducere poſſe. His impetratis Lotharius lætus Waldradã ſibi in matrimonio copulavit. Fratres Thietbergæ rem totam ad Nicolaum Pontificem referunt, poſtulantes jus ſibi ac ſorori facere in cauſâ, quæ ſummam religionis attingeret. Nicolaus exiſtimans hæc ſacris legibus omninò contraria nequaquam eſſe ferenda, duos legatos illicò deſtinat, qui de rebus geſtis ſtudioſè ac accuratè cognoſcerent, cognitaque renunciarent. Quid aliud expectare poterat Thietberga, quàm ſummi Pontificis authoritatẽ ſpiritualem & Apoſtolicam, quam Nicolao ineſſe credebat. Nam Epiſcopi Germaniæ & Galliæ in publicâ Synodo vel ſeducti erant; vel alios ſeduxerant. Legati quos Sedes Apoſtolica miſerat acceptâ pecuniâ rem infectam reliquerunt. Lotharius Rex injurioſè dimiſsâ conjuge Epiſcoporum decreto ſecundam ducit. Hoc audito Pontifex, ut fidei præſidium & honeſtatis tutela Archiepiſcopos Colonienſem & Trevirenſem Romam citat. Hi Imperatoris opem implorant; ſed fruſtra. Nam Nicolaus eos omni Eccleſiaſticâ dignitate privat: anathema denunciat Lothario, niſi abdicatâ pellice legitimam uxorem revocet. *Vnde* (inquit Rhegino lib. 2. Chron. ad Rhegino annum 866.) *vellet nollet Thietbergam reginam in matrimonium recipit.*

VI. Rectè Sanderus lib. 2. de Monarchiâ Eccleſiaſticâ viſibili, *f.* 649. in Sander. confirmationem verborum quę ſupra ex Rheginone produximus. *Manifeſtè apparuit, quam neceſſarium ſit, non modò ut unus ſummus Pontifex Eccleſiæ toti præſit, verum etiam, ut is à Spiritu ſancto gubernetur: ut Eccleſiam in re quapiam graviſſimè errare non permittat; alioqui partim vi ac tyrannide, partim opibus ac blanditiis principum juſtitia penitus extinguěretur.* Particula *neceſſarium*, non denotat fidem aliquam moralem; quandoquidem ſubdat *à Spiritu ſancto gubernetur*. Addit Sigebertus ad annum 863. Archiepiſcopi Sigebert. Romæ à Nicolao papâ pro adulterio Regis Lotharii examinati, cum & ſuis Synodalibus geſtis, quæ præferebant, & ſuorum ore etiam convicti fuiſſent Epiſcopatu & ſacris gradibus exordinati anathematizati ſunt, eiſque tamen laicalis communio conceſſa eſt. Trithemius in Hirſaugienſis Monaſterii chronico ad annum 865. *Sanctus* Trithem. (inquit) *Papa Nicolaus I. Lotharium regem fratrem Imperatoris propter Thietbergam reginam injuſtè repulſam und cum pellice Waldradâ excommunicat ad inſtantiam*

inſtantiam fratrum reginæ, qui cauſam ad Apoſtolicam audientiam detulerunt. Ob eandem cauſam Guntherus, Colonienſis & Thietgardus Trevirenſis Archiepiſcopi ab eodem Papâ depoſiti uſque ad laicalem ſtatum dignam iniquitatis ſuæ mercedem acceperunt, quippe qui falſis criminibus arte confictis Reginam innocentem damnare præſumpſerunt. Rheginno nominat Nicolaum infallibilem in materiâ fidei, Sanderus à Spiritu ſancto gubernatum, Sigebertus ait exauctoraſſe & anathematizaſſe Archiepiſcopos Colonienſem & Trevirenſem, Trithemius dictos Archiepiſcopos fuiſſe redactos uſque ad ſtatum laicalem. Quibus omnibus pœnis tum Lotharius Rex, tum illi Archiepiſcopi non paruiſſent, niſi, credidiſſent fide non morali ſed divinâ Nicolaum eſſe Pontificem, Chriſti Vicarium, ac legitimum Petri ſucceſſorem.

VII. Secunda ratio hæc eſt, credimus quod jure divino debeat aliquis Petro in Pontificatu, & regimine Eccleſiæ univerſæ ſuccedere, quia Pontifex eſt propter Eccleſiam, non autem Eccleſia propter Pontificem. Sic innuere videtur D. Auguſtinus lib. de paſtoribus cap. 1. *Quod Chriſtiani ſumus propter nos eſt, quod præpoſiti ſumus propter vos eſt.* (August.) Idem tractat. 23. in Joannem. *Qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe non Chriſti, ſe convincuntur amare non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & ſubveniendi, & Deo placendi charitate.* Id Chriſtus innuiſſe videtur dum Joannis cap. 21. trinâ interrogatione urget Petrum dicens. *Petre amas me.* Et audito hoc reſponſo. *Tu ſcis Domine quia amo te.* verſ. 17. committit illi curam ſui gregis. *Paſce oves meas.* Quaſi diceret, ad hoc te paſtorem mei gregis facio, ut ſolùm me, bonumque ovium ſpectes. Nam ſecundùm eundem lib. 19. de civitat. cap. 14. *In domo juſti adhuc à cœleſti civitate peregrinantis, & qui imperant ſerviunt eis, quibus videntur imperare: neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbiâ, ſed providentia miſericordiâ.* Accedit D. Chryſoſtomus (S. Chryſ.) homil. 8. in epiſt. ad Epheſios. *Præceptoris virtus eſt nihil honoris, nihil gloriæ à ſubditis, ſed ſalutem ipſorum quærere, & hujus rei gratiâ nihil non facere: ita qui non illud ſed gloriam ſuam quærit, non præceptor, ſed tyrannus eſt.* Idem homiliâ 59. in Joannem. *Magnum quiddam eſt Eccleſiæ prælatio, & quæ multum indiget ſapientia, ut nunquam oves deſeramus; & lupo generosè reſiſtamus. Hæc enim inter paſtorem & mercenarium differentia, alter propria contemptis ovibus, alter ſua contempta ovium ſemper ſaluti invigilat.* Propriũ ſuum alloquens populum hom. 4. in 2. epiſt. ad Theſſal. ait. *Ad veſtram utilitatem poſiti ſumus.* Et homiliâ 26. ad populum de ſeipſo ita loquitur. *Hanc aſcendere Cathedram non tolero niſi magna præſtiturus. Nam ſi quid tale fieri non patet melius in imo ſtare. Principi namq; qui ſubditis nihil prodeſt miſerius nihil.* Divus Gregorius Nazianzenus in apolog. pro ſuâ fugâ. *Hic ſpiritualis omnis præfecturæ finis eſt privatâ utilitate contemptâ commodis aliorum inſervire.* (Gregor. Naz.) Per commoda non intelligit corporalia, ſed ſpiritualia ſalutis, ut paulò poſt declarat. *In his ergò cogitationibus dies noctesque verſor. Hæ medullas ipſas abſumunt, & carnem obrodunt, nec me audacem eſſe ſinunt, altâque cervice incedere: hæ animam meam dejiciunt, & mentem contrahunt, & linguam vinculo coercent, faciuntque, ut non de præfecturâ, nec de corrigendis, & aliis gubernandis cogitem; id quod exuberantis cujuſdam facultatis eſt: ſed quomodò ipſe venientem iram effugere potero.* Poſt ſuſceptum Epiſcopatum quomodò Juliano loquatur audiamus *Niſi* (inquit oratione ad Julianum) *gregem meum ornare ſtuderem iniquiſſimè facerem.* Eundem ſcopum proponit S. Athanaſius epiſtol. ad Dracontium. *Id ſcire te oportet te priuſquam ordinabaris tibi vixiſſe, ordinatum autem illis vivere, quibus ordinatus es: & antequam acciperes Epiſcopi gratiam nullus te cognoſcebat. Ex quo Epiſcopus factus es, populi expectant, ut cibum illis feras ex doctrinâ ſcripturarum.* (Athan.) Omiſſis aliorum ſanctorum placitis quomodò ſuperiores ad hoc poſiti ſint, non tam ut præſint, quàm proſint. Audiamus Divum Bernardum qui ipſum

Pontificem

Pontificem ſic affatur lib. 2. de Conſideratione. *Non eſt quod blandiatur celſitudo, ſollicitudo major, &c. Nam & Propheta cùm ſimiliter levaretur audivit Ierem. cap. 1. ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Quid horum faſtum ſonat? ruſticani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritualis expreſſus eſt. Et nos igitur ut multum ſentiamus de nobis impoſitum ſenſerimus miniſterium non dominium datum, &c. Diſce exemplo prophetico præſidere non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum, quod tempus requirit.* Libro 3. *Tu præſis ut provideas, ut conſulas, ut procures, ſerves. Præſis ut proſis, ut fidelis ſervus & prudens, quem cõſtituit Dominus ſuper familiam ſuam Matthæi cap. 24. Ad quid? ut des illis eſcam in tempore, hoc eſt, ut diſpenſes non imperes. Hoc fac & dominari non affectes hominum homo, &c.* Infra. *Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in teſtimonium ſingularis primatus tui: at tu ſi ſapis non primatu gaudebis ſed fructu. Apoſtolis dictum eſt Lucæ cap. 10. Nolite gaudere quod ſpiritus ſubjiciantur vobis. Appellatur ad te ut dixi, & utinam tam fructuosè quàm neceſſariè, utinam cum oppreſſus clamat ſentiat oppreſſor, & non ſuperbiat impius undè incenditur pauper, &c.* Tandem in fine oſtendit quam generalem ſollicitudinem omnium ſibi ſubditorum habere, & ilis maturè providere debeat. *Supereſt ut generaliter ſuper univerſum Eccleſiæ ſtatum intendat, conſideratio tua.* Bernar.

VII. Hanc Pontificis Romani inſtitutionem pro communi totius Eccleſiæ utilitate colligo ex eo, quod ſit in Eccleſiâ quaſi ſol in mundo, quaſi Elias in Synagoga. Elias ideſt ſecundùm divum Chryſoſtomum hom. 2. de Eliâ, ſol; quare ſol? quia non eſt à Deo miſſus, niſi ut proſit. Cur Deus produxit ſolem Geneſis cap. 1. verſ. 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant lucem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos, &c.* Cur producitur Sol? ut cum magis quàm aliæ creaturæ reſplendeat, ut etiam illis imperet? minimè, ſed potius ut illis miniſtret. Sic terram reſpondentem introducit D. Ambroſius lib. 4. hexameron cap. 1. *Bonus quidem ſol, ſed miniſterio non imperio: bonus meæ fœcunditatis adjutor ſed non creator: bonus meorum altor fructuum, ſed non author mihi eſt in uſum datus, mecum eſt labori mancipatus, mecum ſubjectus eſt vanitati, mecum corruptionis ſubditus ſervituti.* Id de Eliâ rectè dicere poterat Synagoga tempore Achabi, & Eccleſia tempore Anti-Chriſti: id de pontifice Romano eadem Eccleſia. In eâ quippe eſt quaſi ſol, Imperator quaſi luna. Utriuſque poteſtatis comparatio cum ſole & lunâ habetur apud Innocentium III. epiſt. ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, quæ refertur extra. de minoritate & obedientiâ cap. *Solitæ*, his verbis. *Noſcere debueras quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento: Luminare majus ut præeſſet diei, luminare autem minus ut præeſſet nocti, utrumque magnum, ſed alterum majus. Ad firmamentum igitur Cæli, hoc eſt univerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo luminaria magna, ideſt duas inſtituit dignitates; quæ ſunt Pontificalis authoritas, & Regalis poteſtas, ſed illa quæ præeſſet diebus ideſt ſpiritualibus major eſt; quæ verò carnalibus minor eſt, ut quanta eſt inter ſolem & lunam, tanta inter Pontificem & Regem differentia cognoſcatur.* Tam de Eliâ quàm de pontifice Romano Eccleſia dicere poteſt ea verba apud Divum Ambroſium proximè citatũ. *Mecum congemiſcit, & comparturit, ut veniat adoptio filiorum, & humani generis redemptio, qua poſſimus & vos à ſervitio liberari, &c.* Cap. 5. Divus Ambroſius de eodem ſole apparente verno tempore, *Cùm verò meridianis decedens partibus ſuper terram redit, noctis ac diei exæquat tempora, & quò magis moras ſuis adjungit curſibus, eò paulatim temperiem aeris hujus reducit, & revocat aurarum clementiam; quâ fovens omnia repetendos cogit in partus ut terra germinet, ac reſolutâ ſulcis ſemina reviviſcant, vireſcant arbores ad perpetuitatem quoque conſervandi generis eorum, quæ vel in terris ſunt, vel aquis gaudent annuis fœtibus ſucceſſio propagetur.* Eandem utilitatem afferre debet Romanus pontifex Eccleſiæ, quam ſol naturæ, quod ſi Patris nomen

Chryſoſ. S.Amb. Innocen. S.Amb.

magis arrideat, cùm pontifex ſit ovium Pater & Paſtor, ſanè patris & paſtoris erga ſubditos officia præſtare debet. Prælato nomen Matris attribuit Sapiens Cantic. cap. 3. verſ. 4. *In domum matris meæ & in cubiculum genitricis meæ.* Divus Bernardus ſermone 23 in Cantic. ſic prælatos affatur. *Diſcite ſubditorum Matres eſſe debere non Dominos.* Quaſi diceret, ſicut à naturâ matribus ubera tumeſcunt non ſui gratiâ, ſed filiorum; ita Prælatus, & Pontifex, ſi præſit aliis, ideò præeſt, ut proſit, ut totum quod in dignitate habet in ſubditorum utilitatem & gratiam conferat.

Cantic. 3. v. 4.

Bernar.

VIII. Dicitur etiam paſtor, ut ovem errantem reducat, & inventam Lucæ cap. 15. verſ. 5. *Imponit in humeros ſuos gaudens.* Vt gregem ſuum paſcat, Iſaiæ cap. 40. verſ 11. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congagrebit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtus ipſe portabit.* Sicut Moyſes, cui Deus dixit Numer. cap. 11. verſ. 12. *Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſoles nutrix infantulum.* Id ni fallor intendere videbatur Eliſeus alloquens Eliam, & Rex Joas Eliſeum. Ille lib. 4. Regum cap. 2. verſ. 12. hic cap. 13. verſ. 14. *Pater mi, pater mi currus Iſrael & auriga ejus.* vel ut alia verſio. *Magiſter, magiſter mi.* Cur Pater, cur magiſter, cur currus, cur auriga? quia patris ſtudium eſt pro utilitate filiorum, magiſtri diſcipulorum, currus eorum quos vehit, ſic Pontifex. Audiamus Romani pontificis monile pulcherrimum ſcilicet divum Gregorium lib. 2. in Ezechielem hom. 21. *Quid eſt quod Elias currus Iſrael & auriga dicitur? niſi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergò qui mores populi & per patientiam ſuſtinet & ſacri eloquii verba docet, & currus dicitur & auriga. Currus quia tolerando portat, auriga quia exhortando agitat. Currus quia mala ſuſtinet, auriga quia populum bonis admonitionibus exercet.* Hoc ergò ſuppoſito & luculenter probato quod Pontifex ſit propter Eccleſiam, & pro eâ totis velis ac remis contendere & laborare debeat. Vrgeo, ſed in Eccleſiâ non minus nunc neceſſarius eſt unus paſtor, & Chriſti Vicarius, quàm tempore Apoſtorum, imò videtur magis neceſſarius cùm Chriſtiani ex quibus coaleſcit Eccleſia numero & malitiâ ſuperent Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ. Eſt igitur de jure divino & de fide quod aliquis ſit ſucceſſor Petri & Vicarius Chriſti, ſeu (ut verbis ſancti Leonis ſerm. 2. de anniverſario ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum utar. *Manet diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in acceptâ fortitudine petræ perſeverans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit, perſeverat videlicet Petrus & vivit in ſucceſſoribus ſuis.* Quaſi diceret eâdem fide credere debemus Petrum perſeverare in acceptâ fortitudine quâ credimus illum primitus accepiſſe. Eâdem fide credere debemus quod Petrus ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit, quâ credimus illa ſuſcepiſſe. Tam verum eſſe exiſtimare debemus quod Petrus perſeverat, & vivit in ſucceſſoribus ſuis, & nunc in Alexandro VII. quam cùm incepit, niſi velimus dicere ovile Chriſti manſurum uſque ad conſummationem ſœculi abſque paſtore. Vel fideles non eſſe oves Chriſti, nec Chriſtum pro modernis fidelibus eſſe paſſum & mortuum. Si enim eſſent oves Chriſti: eas alicui paſtori paſcendas traderet, ſeu earum regimini proſpiceret, ſicut olim hanc illationẽ ſuggeſſit Divus Chryſoſtomus lib. 2. de ſacerdotio circa principium. *Quânam de causâ ille ſanguinẽ effudit ſuum? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat.* Secundò, niſi etiam velimus aſſerere Eccleſiam non eſſe unum corpus contra Apoſtolum 1. Corinth. cap. 12, & alibi. Vel eſſe corpus viſibile abſque capite viſibili in terris. Quâ igitur fide credimus Eccleſiam eſſe corpus, eâdem credere debemus habere caput viſibile, nunc quidem eſſe Alexandrum VII. & qui illud caput non credunt, non ſunt illius corporis partes, neque manent in unitate illius Eccleſiæ, quæ diffuſa per totum orbem à Deo Patre (juxta illius promiſſa pſalm. 2.) tanquam hæreditas eſt data Chriſto Domino: & hæreticis aliiſque Acatholicis dicere licet quod Optatus Milevitanus contra Parmenia-

Luc. c. 15. v. 5.

Iſaiæ c. 40. v. 11

Num. 11 verſ. 12.

l. 4. Reg. c. 2. v. 2. cap. 13. v. 14.

S. Leo.

Chryſoſ.

Optatus Milev. Parmenianum & Donatiſtas illius gregales ſcribebat. *Siricius hodie Pontifex Romanus Damaſi ſucceſſor, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totius orbis commercio formaturum in unâ communionis ſocietate concordat.* Si Eccleſiæ Catholicæ per omnes mundi provincias propagatæ conſociantur, & illa vobiſcum in unâ communionis ſocietate concordat, debetis cum illâ in unitate doctrinæ & capitis convenire. Nam ſecundùm Sanctum Cyprianum epiſt. 66. ad Florentium. *Eccleſia Catholica una eſt, non ſciſſa, & diviſa, ſed utique connexa, & cohærentium ſibi invicem ſacerdotum glutine copulata.* Ideſt ſuccedentium ſibi invicem Pontificum, vel cohærentium ſacerdotum cum Epiſcopis, & Epiſcoporum cum ſupremo omnium ſcilicet Romano Pontifice. Clariſſimis verbis id exprimit Sanctus Gregorius libr. 11. epiſtolâ 42. *Apoſtolicæ ſedis reverentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim membrorum ſtatus integer perſeverat, ſi caput fidei nulla pulſet injuria.* Quod eſt illud caput fidei? eſt Sedes Apoſtolica, ut ipſemet ſcribit epiſt. 54. *Sedes Apoſtolica omnium Eccleſiarum caput eſt.* Idem docet explanatione 4, in Pſalmos Pœnitentiales, niſi aſſerere velit quis Eccleſiam eſſe domum Jacob in quâ Chriſtus regnat in æternum, domum ædificatã à viro ſapiente Chriſto Domino, ſed domum abſque fundamento, domum non fundatam ſuper petram, ſed ſuper arenam, in quam deſcendens pluvia, venientes torrentes ac flumina, flantes & irruentes venti funditus everterunt. Quid enim aliud accidere poteſt domui quæ fundamento caret. Fundamentũ & Petra Eccleſiæ eſt Pontifex Romanus ſecundùm Divum Hieronymum epiſt. 1, ad Damaſum de nomine hypoſtaſis. Igitur quâ fide quis credit ſe eſſe in Eccleſiâ, & eam inexpugnabilem, eâdem credere debet Pontificem Romanum modernum eſſe ejus petram ac fundamentum. *Unam Cathedram* (inquit Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 3.) *Chriſtus conſtituit & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit.* Poſt *Primatus Petro datur ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur.* Ibidem. *Hanc Eccleſiæ unitatem, qui non tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit in Eccleſiâ ſe eſſe confidit.* Quaſi diceret, cum corpus vivum eſſe non poſſit, niſi ſit unitum capiti: cùm domus firmiter ſtare non poſſit, niſi fundamento fulciatur: ſi aliquis credit ſe eſſe in corpore, in illâ domo, & non vult agnoſcere unitatem illius domus cum fundamento, ſuper quod fundata, & cui innititur, eſt impoſſibile fruſtra tenere ſe fidem credit, fruſtra confidit ſe eſſe in corpore, qui renititur ejus capiti, fruſtra confidit ſe eſſe in domo, qui reſiſtit petræ ſurper quam fundata eſt. Idem Cyprianus quid Catholici credere debeant declarat cap. 33, *Nos Eccleſiæ unius caput & radicem tenemus, nam Petro primum domus ſuper quem ædificat Eccleſiam, & undè unitatis originem inſtituit & oſtendit poteſtatem iſtam dedit.* Ideſt nos credimus unius Eccleſiæ eſſe caput, eſſe radicem, eſſe fundamentum ſuper quod Dominus ædificat Eccleſiam: ſi enim non unum fundamentum, una radix, unum caput non eſt unitas in Eccleſiâ, fideles nõ ſunt uniti: unitas enim Eccleſiæ & domus ab unitate fundamenti pendet: nam ſi non eſt fundamentum, vel ſunt duo fundamenta diviſa, ædificium ruere debet. Fundamentum autem illud unum, Sedes Romana, Pontifex Romanus modernus eſt, ita ut de eo effari liceat, quod Divus Bernardus epiſtolâ ad Hildebertum Turonenſem Archiepiſcopũ. *Qui Dei ſunt libenter junguntur Innocentio papæ: qui ex adverſo ſtat aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus.* Bernar.

Cyprian.

Gregor.

S. Cypr.

X. Tertia Ratio: Concilia generalia, vel Provincialia non convocantur, vel confirmantur niſi auctoritate Romani Pontificis. Id patet (aliis omiſſis) ex iis quæ alibi referuntur ex confeſſione Imperatorum Catholicorum. Marcianus Imperator epiſt. ad Leonem papam. *Tuam (inquit) Sanctitatem, principatum in Epiſcopatu fidei obtinentem invitamus, atque rogamus ad celebrandã Synodum te auctore.* Marcian Imper.

Idem Imperator ſic eundem Pontificem affatur non præcipiens ſed rogans. *Supereſt, ut ſi placuerit tuæ beatitudini in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, noſtris utique deſideriis veſtra ſanctitas ſatisfaciet & ſacræ religioni quæ utilia ſunt decernet.* Cui Leo reſpondet ſe eò mittere ſuos legatos, qui vices ſuas poſſint implere, &c, ſuo nomine præſidere. Idem ſcribit ad Theodoſium Auguſtum Carolus Magnus apud Flodoardum hiſtoriæ Carolus Mag. Rhemenſis lib, 6. cap. 26. *Auctoritas Eccleſiaſtica atque Catholica docet, non debere abſque ſententiâ Rom. pontificis Concilia celebrari.* Vnde Baronius ad annum Chriſti 770. ſubjungit. Baron. *Quotquot ſub iiſdem Francorum regibus legiſti celebrata fuiſſe, eorum ordinatione concilia, eadem nonniſi aſſenſu Romanorum Pontificum habita eſſe.* Leo ſcribit S. Leo. epiſt. 61. ſanctam Synodum Chalcedonenſem habitam ex conſenſu Pontificis. *In ſolâ videlicet fidei causâ quod ſæpè dicendum eſt; propter quam generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Sedis Apoſtolicæ placuit congregari.* Leo pontifex ſcribens ad Pulcheriam Auguſtam epiſt. 51. *Quod Synodum Chalcedonenſem haberi clementia veſtra præcepit; cum à me ut in Italiâ haberetur manſuetudo veſtra retineat poſtulatum, ut omnes noſtrarum partium convocati Antiſtites ſi ſecuritas temporis ſuppeteret convenirent: adò tamen non aſpernanter accepi, ut binos de Coepiſcopis meis & Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere ſufficerent, etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus ſcriptis, quibus fraternitas advocata cognoſceret quam formam ſervare in dijudicatione deberet.* Ex quibus verbis ſatis conſtat ejuſmodi Synodum habitam eſſe de conſenſu Pontificis, ab eoque præſcriptam formam: quæ in illâ ſervari deberet. Bellarminus lib. 1. de Concilis cap. 12. fuſius docet Pontificis eſſe congregare Concilia, probatque maximè ex Concilio Chalcedonenſi actione 1, ubi Dioſcorus Alexandrinus jubetur non ſedere inter Epiſcopos quia auſus fuerat facere Synodum abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, & addit *Quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Bellarm. Bellarminus lib. de Conciliis cap. 19. indè probat legatos Pontificis ut judices, ſeu nomine pontificis præfuiſſe illi Concilio. *Ipſi enim* (inquit) *in omnibus actionibus primi nominantur, primi ſedent, primi loquuntur, primi ſubſcribunt, ipſi ſententiam definitivam in Dioſcorum proferunt.* Scilicet nomine Pontificis Romani. Vt patet ex action. 3. ubi Julianus Epiſcopus Hyppepenſis nomine totius cœtus legatos ſic affatur. *Petimus veſtram ſanctitatem, qui habes, magis autem, qui habetis locum Sanctiſſimi Papæ Leonis promulgare in eum, & regulis inſitam contra eum proferre ſententiam: omnis enim & tota univerſalis Synodus concors efficitur veſtræ ſanctitatis ſententiæ.* Hanc igitur ſententiam damnationis in Dioſcorum proferunt legati, *Vndè Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo per nos & præſentem Synodũ cum ter Beatiſſimo & omni laude digno B. Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille qui eſt rectæ fidei fundamentũ nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quàm ab omni ſacerdotali abalienavit miniſterio.* Poſſem huc plura cõgerere, ſed hoc ſufficiat quod Pelagius II. anno 581, Pontifex electus ſcripſit ad Epiſcopos qui Conſtantinopolim convenerant de non celebrando Concilio abſque Pelag. 2. Romani Pontificis auctoritate. *Relatum eſt* (inquit) *ad Apoſtolicam ſedem Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum univerſalem ſe ſcribere, voſque ex hac ſua præſumptione ad Synodum convocare generalem, cum generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apoſtolicæ Sedi beati Petri ſingulari privilegio ſit tradita. Vt nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolicâ auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quidquid in prædicto veſtro conventiculo (quia Synodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ſtatuiſtis ex auctoritate ſancti Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Salvatoris voce, quâ Beato Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi ipſe Salvator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus ejus indubitanter tranſivit, præcipio & vana & caſſa eſſe, ita ut deinceps*

inceps appareant ſed ventilentur. Ecce quomodò ſexcentis primis annis Romanus pontifex habuit jus & auctoritatem indicendi Concilia. Quâ auctoritate anterioribus & poſterioribus ſæculis alios pontifices uſos fuiſſe teſtantur Patres: teſtatur hiſtoria Eccleſiaſtica, teſtantur ipſamet Conciliorum decreta, canones & ſeſſiones, quorum alibi fecimus mentionem & infra dicemus. Cùm igitur definitiones omnes, quæ illis Conciliis conduntur, & quæ Pontifex ex Cathedrâ pronunciat (ut patet ex nuperrimè emanatis ab Innocentio X. decretis contra quinque propoſitiones Janſenianas) credantur & habeantur ut definitiones fidei. Certè æquali fide divinâ credendum eſt Innocentium eſſe legitimum Vicarium Chriſti & Petri ſucceſſorem. Quomodò enim credere poſſum fide divinâ definitiones Innocentii X. & Alexandri VII. ſi non credam fide illos eſſe Pontifices. Quomodò Pelagiana hęreſis damnata fuiſſet ab Innocentio tempore Divi Auguſtini ſi non credebatur immediatè de fide quod Innocentius eſſet legitimus Pontifex.

XI. Et tamen D. Auguſtinus diſputans contra Julianum Pelagianum lib. 1. docet ei ſufficere debuiſſe Romanæ Sedis ſententiam. *Cui* (inquit) *Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam nunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes cum cæteris perſeveranter tenet Eccleſiæ?* Cur Divus Hieronymus doctiſſimus conſuliſſet Damaſum Papam an dicendæ eſſent tres hypoſtaſes in Trinitate, vel tacendæ. Quomodò crediſſet penes illum eſſe judicium de rebus fidei, ſi non credebat eſſe legitimum Pontificem? Cur apud Epiphanium hæreſi 68. Vrſatius & Valens Pannoniæ Epiſcopi Romam profecti fuiſſent ad Julium Papā pro ratione reddendâ de ſuo errore & inſidiis à ſe contra Athanaſium ſtructis, ſi dubitaſſent eum nō eſſe Pontificem? Cur Inſtantius, Salvianus, & Priſcilianus in Synodo apud Cæſar-Auguſtam damnati, profecti ad Damaſum ut objecta purgarent, ſi non certi fuiſſent certitudine fidei eſſe Petri ſucceſſorem: Cur Waldenſes ſeu pauperes de Lugduno (teſte Abbate Wſpergenſi in Chronico anni Chriſti 1212.) petiiſſent ſectam ſuam à ſede Apoſtolicâ confirmari, & privilegiis augeri? cur Wiclefus ad Urbanum VI. ſcribens *Romanus* (inquit) *Pontifex, cùm ſummus Chriſti vicarius ſit fidem meam, ſi ſit Orthodoxa confirmabit, & ſi erronea emendabit?* Cur Lutherus ſectariorum noſtri temporis anteſignanus ad Leonem X. ſcribens. *Proſtratum* (inquit) *me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus quæ ſum, & habeo, vivifica, occide, voca, revoca, approba, revoca vocem tuam vocem Chriſti in te præſidentis & loquentis agnoſcam?* Si non exiſtimaſſent eſſe de fide Romanos Pontifices eſſe legitimos Chriſti Vicarios? cur teſte Epiphanio hæreſi 42. Marcion excommunicatus ab Epiſcopo ſuo in Ponto Romam veniſſet ad Apoſtolicam ſedem ut abſolveretur, ſi fidelibus non conſtitiſſet certitudine fidei eſſe verum Chriſti Vicarium? Cur Vitalis Antiochiæ agens fautor hæreſis Apollinaris, ob id in crimen vocatus ad dicendam cauſam apud Damaſum Romam ſe contuliſſet, ſeque injuſtè hæreſis accuſatum exclamaſſet?

Auguſt. — Wiclef. — Luther.

XII. Quomodò S. Hieronymus ad Demetriadem diceret conſtare Anaſtaſii Romani Epiſcopi fuiſſe condemnare hæreſes, & illius authoritate fuiſſe repreſſam hæreſim Origeniſtarum? *Dum eſſes parvula* (inquit) *& ſanctæ ac beatæ memoriæ Anaſtaſius Romanam regeret Eccleſiam, de Orientis partibus hæreticorum ſæva tempeſtas ſimplicitatem fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt polluere & labefactare conata eſt, ſed vir ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtatim noxium percuſſit caput & ſibilantia hydræ ora compeſcuit, &c.* Ideſt judicio Anaſtaſii Romani Pontificis damnata eſt.

Hierony.

XIII. Quarta Ratio: ſi non foret certum certitudine fidei Pontificem Romanū eſſe legitimum Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem, quomodò ſe talem profiteri palam auderet, & vi illius

cenſuram ferre, non in plebeios ſed in Reges, ſed in Imperatores, quas cenſuras ex compoſito omitto, hac ſolà contentus latâ in Arcadium & Eudoxiam Auguſtos auditâ S. Chryſoſtomi morte, quam referunt Gennadrius, Nicephorus, Glycas, imò & Codex Vaticanus, ut teſtatur Baronius ad annum 407. art. 23. ubi recitat litteras Græcè exaratas, quæ inter cœtera hæc habent. *Itaque ego* (inquit) *Innocentius minimus & peccator, cui thronus magni Apoſtoli Petri creditus eſt ſegrego & rejicio te & illam* (*ſcilicet Arcadium & Eudoxiam auguſtos.*) A perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti Dei noſtri: Epiſcopum etiam omnem, aut Clericum Ordinis ſanctæ Dei Eccleſiæ, qui adminiſtrare aut exhibere ea vobis auſus fuerit, ab eâ horâ quâ præſentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate ſuâ excidiſſe decerno, &c. Infrà. *Arſacium quem pro magno Ioanne in Thronum Epiſcopalem produxiſtis, etiam poſt obitũ exauctoramus unà cum omnibus, qui conſultò cum eo cõmunicarunt Epiſcopi: cujus etiam nomen ſacro Epiſcoporum albo non inſcribatur, Indignus eo honore eſt, qui Epiſcopatum quaſi adulterio polluerit, &c. Ad Theophili anathematiſmum addimus abrogationem.* Expende illa verba. *Ego, &c. cui thronus magni Apoſtoli Petri creditus eſt, &c.* Ideſt cui creditum eſſe omnes indubitanter credunt. Quomodò auſus fuiſſet Pontifex mandare, ut nomen Joannis Chryſoſtomi in tabulis Eccleſiæ ſcriberetur, de quo Baronius ad annum 407. art. 21. *Idem* (inquit) *Pontifex ipſi Ioanni defuncto licet conſultum voluit, nimirum ut etſi non ipſe, nomen ſaltem in Conſtantinopolitanam reſtitueretur Eccleſiam, perſtititq; in ſententiâ, nunquam niſi id fieret communicare vellet cum Orientalibus Ioannis adverſariis Epiſcopis, quos ob iniquam ſententiam in ſanctum Ioannem latam judicaverat à communione Catholicâ alienos, illud ab iis obnoxiè contendens ut ejuſdem Ioannis nomen in tabulas referretur Eccleſiaſticas, è quibus fuerat ſententia adverſariorum expunctum, teſtatur id Theodoretus lib. 5. cap. 34.* Ad quem finem Innocentius ſcripſit ad Bonifacium Conſtantinopoli fungentem legatione. Vide Baronium ſupra.

Innocen. *Baron.* *Theodor.*

XIV. Quinta Ratio: tam eſt de neceſſitate ſalutis ſubjici Alexandro VII. Romano Pontifici, quàm eſſe ovem Chriſti, aut membrum Eccleſiæ, ita ut quemadmodum Chriſtus dicens Petro, *Paſce oves meas.* Neminem excludit, ſed comprehendit non tantùm populos, non tantùm Sacerdotes, ſed etiam Reges & Imperatores; ita ut ſi Principes & Imperatores ſalvari velint debent inter alia hujus Romani Pontificis authoritatem & juriſdictionem agnoſcere. Id colligo ex decretali Bonifacii quæ habetur libr. Extravag. communium de Major. & Obedientiâ, & incipit. *Vnam ſanctam &c.* His verbis ſequentibus. *Vnam ſanctam Catholicam, & ipſam Apoſtolicam urgente fide credere cogimur & tenere, noſque hanc firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, extra quam nec ſalus eſt, nec remiſſio peccatorum, &c.* Infra. *Eccleſia unius & unica, unum corpus, unum caput, non duo capita quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet & Chriſti Vicarius Petrus, Petriq; ſucceſſor, dicente Domino ipſi Petro: Paſce oves meas: Meas generaliter, non particulariter has vel illas: per quod commiſiſſe ſibi intelligitur univerſas.* Quibus verbis innuit Bonifacius quod eâdem fide, & æquè immediatè oporteat credi ab omnibus etiam Principibus Petrum eſſe caput Eccleſiæ, eſſe Chriſti Vicarium, Romanum Pontificem tunc ſedentem eſſe Petri ſucceſſorem, & conſequenter eſſe marem, baptizatũ, eſſe ordinatum, habere omnia requiſita de jure divino, ut ſit capax talis dignitatis quâ creditur Eccleſiam eſſe unum, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam. Idem rectè concludit Pontifex. *Sivè Græci, ſivè alii ſe dicunt Petro ejuſque ſucceſſoribus non eſſe commiſſos fateantur neceſſe eſt ſe de ovibus Chriſti non eſſe dicente Domino in Evãgelio unum & unicum eſſe paſtorem.* Se non eſſe fidelem, non eſſe membrum & ovem Chriſti; ſi non agnoſcant unicum & univerſalis Eccleſiæ paſtorem & pontificem. Quia, inquit, Del-Bene in 1. part. diſput. 1., quæſt. 31

Ioan. 21 *Decret.* *Del Bene*

Eccleſia

Eccleſia præſertim juncta ſuo capiti non poteſt in hac univerſali acceptione errare, cum Spiritus ſanctus, qui illi aſſiſtit, id non permittat. Idem aſſerit S. Cyrillus epiſt. 10. ad Neſtorium, epiſt. 11. ad Clerum & Populũ Conſtantinopolitanum, ubi ſcribit quod niſi Neſtorius intra terminum à Cœleſtino papâ Romano præſcriptum hęreſes ſuas revocet ab omnibus, ut excommunicatum & depoſitum debere vitari: & in epiſt. 18. ad Cœleſtinum, quem ſanctiſſimum Patrem in inſcriptione appellat, petit ab eo num velit cum Neſtorio adhuc communicare? an verò deinceps ab omnibus vitari? Quibus ſatis patenter innuit quomodo Cœleſtinus papa ab omnibus crederetur totius Eccleſiæ paſtor, quemadmodum ab eo omnes faterentur dependere damnationem dogmatum Neſtorii, ejuſque depoſitionem. Quod clarius oſtendit in libro Theſauri. *Petro* (inquit) *jure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Domino IESV obediunt.* Item, *Debemus nos, ut qui membra ſumus capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ ſedi adhærere, &c.* Hæc verba citant D. Thomas opuſculo contra Græcos, & Gennadius Scholarius Græcus auctor, in libro de primatu Romani Pontificis: licet non habeantur in libris theſauri, qui nunc extant. Multi enim libri theſauri perierunt, Nam ſexta Synodus actione 10. citat 32. libros theſauri Cyrilli, quorùm tamen tantùm extant quatuordecim. Inſuper Andræas Coloſſenſis Epiſcopus in Concilio Florentino ſeſſ. 7. aſſerit Pontificis Romani auctoritatem plurimùm laudari à ſancto Cyrillo in ſuis theſauris, cui nullus contradicit, eo quod Pontifex aliquid definiens, & Eccleſiæ credendũ proponens, non poſſit errare ſecundùm fidem. Igitur neceſſariò ei ſubeſſe debemus, utpotè habenti authoritatem ad infallibiliter definiendum & fideles obligandos, ſeu fratres ſuos confirmandos, nè vacillent in fide: juxta illud Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Scilicet nè vacillent in fide, circa quam antea dubitabant: quâ confirmatione ſeu definitione factâ non amplius hæreant & dubitent. Quia cum ſit regula fidei animata, quando aliquid credendum fidelibus proponit non licet cuiquam dubitare. Sanctus Leo ſerm. 3. de anniverſario ſuæ aſſumptionis. *Pro fide Petri propriè ſupplicatur tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit.* Cui adſtipulantur ſanctus Chryſologus epiſt. ad Eutychetem, quæ habetur in 1. tomo Conciliorũ ante Concilium Chalcedonenſe. *Hortamur te* (inquit) *frater venerabilis, ut quæ à Beatiſſimo Papâ Romanæ Civitatis ſcripta ſunt obedienter attendas: quia Beatus Petrus, qui in propriâ ſede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Expende illa verba. *Præſtat quærentibus fidei veritatem.* Nõ dicit præſtitit quaſi ſolus Petrus præſtare potuerit quærentibus veritatem, *ſed præſtat*, quod perſeverantiam in ſucceſſoribus denotat, ut clarius innuit Agatho papa epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, quæ lecta eſt in 6. Synodo actione 4. *Hæc eſt veræ fidei regula, quàm & in proſperis & in adverſis veraciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur: nec hæreticis novitatibus unquam depravata ſuccubuit. Quia dictum eſt Petro, Simon, Simon ecce ſathanas, &c. Ego autem rogavi pro te, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit & confirmare eum fratres ſuos admonuit quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt agnitum.* Igitur eſt de fide, tenemurque de neceſſitate ſalutis huic Pontifici Petri ſucceſſori ſubeſſe: cùm cunctis ſit agnitum eum ſicut & prædeceſſores eſſe infallibilem. Id confirmat Rupertus lib. 2 de officiis cap. 22. oſtendẽs aliarum Eccleſiarum præſules erraſſe: imò alios in errorem induxiſſe. *Conſtantinopolitana Eccleſia, non ſolùm hæreticos ſed & hæreſiarchas protulit nobis. Romana verò Eccleſia ſuper Apoſtolicæ fidei Petra altius fundata firmiter ſtetit, & tam Græciæ quam totius orbis hæreticos ſemper confutavit, & de excelſo fidei tribunali datâ ſententiâ judicavit,* Nec

Cyrillus. S. Leo. S. Chryſ. Rupert. Lucæ c. 22. v. 32

Nec quiſquam alios errores novos & prava dogmata judicare & damnare auſus eſt eo inſcio, inconſulto, nullam cenſuram facere, niſi Romani Pontificis cenſura præceſſerit, ut patet ex erroribus Petri Abalardi, quos cum Epiſcopi apud Senonas congregati damnare contenderent, id tamen non effecerunt niſi præviâ papæ Innocentii ſententiâ, ut patet ex litteris ad eum exaratis, & epiſt. 191. apud ſanctum Bernardum, in quâ teſtantur eum ad ſedem Apoſtolicam appellaſſe, ideóque ſe Apoſtolicæ ſententiæ deferentes nihil in ejus perſonam egiſſe: ſed ſolùm capitula librorum ejus, nè morbus ſerperet neceſſitate medicinali abjudicaſſe. Hujus rei iterùm meminit D. Bernardus ſcribens Innocentio Papæ, ubi expreſsè docet quod condemnare hæreſes & controverſias fidei judicare ad ſedem Apoſtolicam pertineat. Ipſe Pontifex annuens Epiſcopis Abalardum & ſectatores ejus anathemate ferivit & prava dogmata condemnavit: ut patet ex epiſt. 194 ejuſdem Divi Bernardi. Cumque prædictus Petrus Abalardus iter Romam aggrederetur ſuam appellationem proſecuturus divertens Cluniacum libenter paſſus eſt ſe retineri à venerabili Petro Abbate illius Monaſterii, cujus ſtudio & errores abjuravit, & à ſuis libris expunxit, cum D. Bernardo pacificè contulit, in eoque monaſterio reliquum vitæ tranſegit, ut colligi poteſt ex Petro Cluniacenſi lib. 5. epiſt. 3. ad Innocentium. Id innuere videtur Picus Mirandulanus ſcribens ad Julium II. Pontificem de poteſtate Apoſtolicâ judicandi cõtroverſias fidei, plura infra.

XV. Sexta ratio, deducitur ex veneratione quam Chriſtianus orbis, etiam primis Eccleſię temporibus exhibuit Romano Pontifici, quam ipſi etiam Reges & Imperatores detulerunt. Cùm Joannes Pontifex anno 525. Conſtantinopolim perrexiſſet Juſtinus Imperator cùm tota urbe illi obviam proceſſit, & ejus pedibus venerationis causâ advolutus eſt, eum poſtea ad templum deduxit, & ad ſiniſtram coram omni populo aſſedit, deinde auguſtalia inſignia ſibi detrahens petiit, ut rurſus ipſum adornaret. Cùm Conſtantinus Pontifex Nicæam Bythyniæ ſe contuliſſet, Juſtinianus Imperator urbem ingreſſus venit ad Põtificem ex compoſito, ac de more coronatus ad ejus pedes provolutus eſt, & eos oſculatus. Anno 754. cùm Stephanus II. in Galliam veniſſet, nobiliſſimus & ampliſſimus quiſque officii causâ ad primos fines occurrit in Comitatu principis Caroli adoleſcentuli, qui ob ſuam virtutem ac fœlicitatem cognominatus eſt Magnus. Pipinus Pontifici venienti ad tertium lapidem à Cariciaco oppido obvius, pedes exoſculatus, equo inſidentem deduxit. Anno 774. cùm Carolus Romam veniſſet Pontifex illum expectavit cum Clero in Vaticano Palatio, Carolus ut cruces aſpexit, ſtatim ex equo deſiliens perrexit ad Pontificem? ad quem in ſummo gradu ſedentem quando pervenit, accedens eum de more veneratus eſt. Anno 799. Leo tertius cum eadem veneratione Stephanum II, excepit. Anno 844. Sergius II. Ludovicum Pium Romam adventatum eodem ritu excepit: nam eum in Vaticano expectavit, ſuoſque pedes oſculandos præbuit. Anno 858. Idem Ludovicus Pius obviam ivit Nicolao Pontifici ad ſe venienti per aliquod itineris ſpatium, ac pedes comitatus eſt abeuntem equi frænum tenens pedeſque ejus exoſculatus eſt. Henricus IV. eodem honore affecit Paſchalem II. Fredericus I. Adrianum IV. Ludovicus VII. Galliarum Rex, & Henricus II. Rex Angliæ Alexandrum III. Pontificem. Omitto alios Imperatores & Reges, qui pari honore deinceps proſecuti ſunt Romanum Pontificem: juxta illud vaticinium Iſaiæ cap. 60. verſ. 14. *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Quæ verba prænunciant futurã Eccleſiæ dignitatem ac venerationem à gentibus exhibendam, etiam per oſculum pedum. Nomine autem Eccleſiæ intelligitur caput illius, nam Eccleſiæ (quæ eſt cœtus) non poteſt veneratio illa exhiberi. Igitur intelligitur de præſule illius. Nam ex ſancto Cypriano

Iſaiæ c. 60. v. 14.

Cypriano. *Eſt Eccleſia in Epiſcopo.* Qui
Cyprian. ſunt illi qui Eccleſiam ſeu ejus caput venerati ſunt, & coram illo ſe humiliaverunt? Sunt Imperatores, Principes, &c. Sicut enim Achab & prædeceſſores ejus perſecuti ſunt Eliam, & tamen idem libr. 3. Regum cap. 18.
l.3.Reg. 18.v.16 verſ. 16. *Venit in occurſum Eliæ* Ita Imperatores ad Eccleſiæ caput venerandum curvi acceſſerunt, quod tamen antea tanto odio proſecuti erant, ut patet ex Pontificibus martyrio affectis juſſu Imperatorum. Rectè Hector Pintus. *Prædicit converſionem ad fidem*
Pintus. *Conſtantini Imperatoris, & illius innumerabilis multitudinis quæ tempore Divi Sylveſtri Pontificis Maximi recepit Evangelium. Tunc enim filii tyrannorum & eorum qui Eccleſiam vexabant converſi ſunt ad Chriſtum, ad eumq; humiles ac ſupplices acceſſerunt. Nam Magnus ille Conſtantinus illuſtriſſimus orbis Imperator templum Romæ in honorem Beati Petri Apoſtolorum principis à fundamentis excitavit, & pulcherrimis ac pretioſiſſimis ornamentis munivit: & ipſe ſuis manibus jecit fundamenta. Ex quibus ſuis propriis humeris duodecim corbulas terræ in honorem duodecim Apoſtolorum aſportavit. Tunc quieverunt Chriſtiani, & ceſſaverunt eorum afflictiones & cruciatus, quibus ab infidelibus torquebantur.* Infra. *Vide divinam potentiam & pietatem, hi qui Eccleſiam affligebant, erantque filii ad ipſam Eccleſiam poſtea ſupplices acceſſerunt. Quod intuens animo Iſaias, ipſam Eccleſiã in iis verbis alloquitur. Et venerunt ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te.* Eandem explicationẽ habet Palatio. Nota per Eccleſiam, ut dictũ eſt, intelligendum eſſe caput Eccleſiæ: ita ut de pontificibus Romanis verius dicendum ſit, id quod Sanctus Ambroſius lib. de dignitate ſacerdotum cap. 2. dicit de Sacerdotibus ſeu Epiſcopis. *Regum colla & Principum ſub-*
S.Amb. *mittuntur genibus ſacerdotum exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum ſe credunt communiri.* Quandoquidem ex præmiſſis omnes ſubſint Romano Pontifici, & ſit illis neceſſarium neceſſitate ſalutis Pontifici ſubeſſe, & illum ſingulari honore proſequantur: Eâdem fide credere debemus, imò æquè immediatè hunc Alexandrum VII. eſſe caput Eccleſiæ, quâ credimus Eccleſiam eſſe veram. Sicut eâdem fide credere debebat populus Iſrael Synagogam eſſe veram religionẽ, quâ credebat Eliam eſſe prophetam & miſſum à Deo, pro quo Elias militabat & tam conſtanter prœliabatur. Non verò credere immediatè Synagogam eſſe verã & Eliã eſſe miſſum à Deo credere tantùm mediatè per modum cõcluſionis Theologicæ. Item ſicut unâ eademq; fide credebãt Joas rex, filii prophetarũ & populus Eliſeum eſſe currũ & aurigam Iſrael, & in Iſrael eſſe verã religionem, ſeu cõgregationem fideliũ. Idem credere debemus de Eccleſiâ & Papâ.

Fundamentum hujus Analogiæ XVI.
Eccleſiæ cum Synagogâ, & hujus pontificis cum Eliâ, vel Eliſeo, eſt quod ſicut Elias miſſus eſt à Deo tempore Achab lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 1.
Factum eſt verbum Domini ad Eliam in l.3.Reg.
anno tertio dicens: Vade & oſtende te 18.v.1.
Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ. Et juſſu Dei Eliſeus ab eodem l.3.Reg.
Eliâ unctus eſt lib. 3. Regum cap. 19, cap. 19.
& lib. 4. Regum cap. 2. *Requievit ſpi-* l.4.Reg.
ritus Eliæ ſuper Eliſeum, in ſignum cap. 2.
ſucceſſionis in officio prophetali & regimine populi: Sic ad regendum corpus myſticum Chriſti Pontifex Rom. non ab hominibus; ſed à Deo præficitur, ut eleganter docet S. Leo epiſt. S. Leo
82. *Curam univerſis Eccleſiis principaliter ex divinâ inſtitutione credere debemus.* Et Synodus Chalcedonenſis
aſſerit. *Vineæ Eccleſiæ cuſtodiam à Sal-* Concilii
vatore Pontifici Romano commiſſam eſſe. Chalced.
Non dicit à populo Romano, à Clero, ab Imperatore, à Cardinalibus: ſed à Deo *ex divinâ inſtitutione, à Salvatore Pontifici Romano commiſſam.* Ratio eſt quia ſucceſſio ipſa eſt de jure Divino, & ex Chriſti inſtituto, ac de fide eſt quòd perſeveret: cùm Chriſtus ipſe inſtituerit Pontificatum in Petro duraturum uſque ad finem mundi; ac proindè quicumque Petro ſuccedit à Chriſto accipit pontificatũ. At non alia fide Petrus ſedet, & ejus ſucceſſio perſeverat. Confirmatur de jure divino & de fide eſt eum eſſe agnoſcendum, ut verum pontificem, cui ex Chriſti præcepto tenemur ob-

temperare in iis quæ ſpectant ad fidem & mores: ut patet ex iis locis quibus Chriſtus dedit Petro & ejus ſucceſſoribus poteſtatem paſcendi oves pabulo fidei & morum. Sed ex Conciliis generalibus, Pontificum decretis, Patrum conſenſu, & traditione ſoli Romano pontifici competit paſcere fideles pabulo fidei & morum, ſeu doctrinâ indubitatâ, & infallibili. De hac poteſtate à Chriſto tradita Petro, & ejus ſucceſſoribus loquitur ſanctus Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſuâ ad pontificatum. *Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.* Nō dicit illam firmitatem fuiſſe aliis collatam ut in fide conſtanter perſeverent, ut illam infallibiliter exponant, & explicent: ſed *Petro.* Quæ particula *Petro,* non tam afficit perſonâ quàm officium, & conſequenter ſucceſſores. Sic intelligenda ſunt verba Ruperti lib. 2. de divinis officiis cap. 22. in fine, ubi loquens de Romanâ Eccleſiâ.
Rupert. *Quæ beata, quod in fundamento ſuo petram illam excepit, quam in ſuo veritas ore laudavit & beatificavit. Talis ſtructura ſuper illam ædificata eſt, ut contra omnes hæreſes perſtaret murus inexpugnabilis.* Quibus verbis licet innuere videatur perſonam Petri laudatam à Chriſto, tamen certum eſt Eccleſiæ fundamentum etiam in poſteris Petri extare. Cùm hi hæreſes convellant, fideleſque in verâ fide confirment. Quod inſinuare videtur Franciſcus Picus ſcribens ad Julium II. Pontificem. *Nullus Chriſtianus addubitavit*
Picus. *unquam judicium univerſalis Eccleſiæ errare poſſe; & in ferendâ ſententiâ ſi contingeret, & in acceptandâ ea, quæ à Pontifice Eccleſiæ capite & univerſali Concilio eam repræſentante proferretur: quæ quidem cum recipitur, non ſecus ſuſcipienda eſt, ac ſi tota Eccleſia unita voce ſanxiſſet.* Quæ verba innuunt regulam fidei, & infallibilitatem, non tantùm eſſe in Petro, ſed etiam in ſucceſſoribus, & ea quæ à Romano Pontifice in fidei controverſiis decernuntur admittenda eſſe, eiſque inhærendum. Quod clarius exprimit Theoremate 3. *Inter ſe diſſentientibus Patribus eorum dogmata circa rectam fidem & hæreticorum condemnationem vel à Concilio, vel à Pontifice probantur ſequenda & obſervanda ſunt. Repræſentat enim Concilium legitimè congregatum univerſalem Eccleſiam.* Dicit legitimè cōgregatum, ſcilicet authoritate Pontificis Romani. Subdit. *Pontifex autem Eccleſiæ caput eſt, Petrique ſucceſſor, Chriſtique Vicarius: Cui ſi ad Pontificatum canonicè habiliſque electus fuerit neceſſariò Chriſtiani omnes ſubeſſe debent: quemadmodum per multos canones ab univerſali Eccleſia receptos oſtenditur, &c.* Plura ibi de auctoritate Romani Pontificis, ubi revelationem ſanctæ Brigittæ profert quæ Græcis minatur, eo quod Romani Pontificis & ſacris dogmatibus inhærere noluit, quas minas ſecuta eſt divina ultio: Et Theoremate 13. vocat Romanam Eccleſiam *Caput Eccleſiarum ob Apoſtolicam Petri ſedem, quæ de fidei controverſiis adverſus hæreticos ſemper victrix triumphavit.* Item Theoremate 22. *Gratias quam maximas habere Deo Chriſtiani debemus, qui ſuperno lumine gratiæ ſuæ nobis affulſerit, quo diſcimus Evangelio ſimpliciter credendum, & in Evangelii expoſitione Catholicæ & in Eccleſiæ Catholicæ ſenſu percipiendo doctrina Romana Eccleſia, & in doctrinâ Romanæ Eccleſiæ noſcendâ, probatorum ab eo Doctorum, & præſertim Theologorum ſententiis, atque conſenſui. Ita enim ſuperno illo lumine didicimus & in celebratiſſimorum Doctorum ſcriptis ſparſim poſtea hæc ipſa vel expreſſa, vel immixta invenimus. Quare cum inextricabilia menti ſuæ occurrerint ad obl[illegible]atorium illud judicium Romanæ [illegible] ſe referent, tumque ei poſtea exquiſitor veritas patefiet, in eoque adimplebitur quod in pſalmis ſcriptum eſt: Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia.* Expende illa verba, *Obligatorium illud judicium.* Quæ innuunt cunctos fideles teneri ſubeſſe non tantùm Romanæ Eccleſiæ, ſed etiam ejus judicio maximè in rebus fidei & morum; de quibus plura infra.

XVII Septima Ratio, tenemur credere Pontificem in canonizatione Sanctorum eſſe infallibilem, fideleſque teneri credere ſanctos ſic canonizatos eſſe

in cœlis, eoſque colendos & invocandos, eorumque reliquias & imagines venerandas, ut patet ex Clement. & Extravagant. de reliquiis & veneratione ſanctorum, & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. decreto de eâ re, & ex dicendis infra. Si ergò decernit eſſe credendum, & eſſe de fide talem eſſe ſanctum, colendum, invocandum, de fide eſt Pontificem id decernentem eſſe Chriſti Vicarium, legitimum Petri ſucceſſorem, cùm ſolus ſucceſſor Petri ſit infallibilis, ſolus nullam falſitatem credendam proponere queat. Deus ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus ſancti revelet quæ ſpectant ad regimen univerſalis Eccleſiæ: Sicut enim non poteſt definire aliquid tanquam de fide credendum ipſi Eccleſiæ quod ſit erroneum, ſic non poteſt toti Eccleſiæ proponere aliquem ſolemni ac publico cultu venerandum qui jam ſanctus & in cœlis receptus non ſit. Ergò pariter eſt de fide hunc numero Pontificem eſſe verum Chriſti Vicarium, Petrique ſucceſſorem. Hâc veritatem propugnant Valentia 2. 2. diſput. 1. puncto 7. Martinez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. 2. part. princip. dubio 1. ad 2. Arragonius eadem quæſt. & art. tract. de Conciliis dub. princip. ad 3. principale: ubi poſtquam probavit hoc Concilium eſſe legitimum ſecundùm fidem, ſubdit eadem ratione poſſe probari Gregorium eſſe verum Pontificem & baptizatũ. Idem docet Ludovicus de Leon part. 2. quæſt. & art. citatis Albertinus tomo 1. princ. 3. Corollario 3. dubitatione 3. Suarez diſput. 10. de fide, ſect. 5. Pater Bonaventura tractat. de authoritate Papæ dubio 3. Sylvius lib. 4. de controverſ. quæſt. 2. art. 9. Amicus diſput. 3. de objecto fidei ſect. 5. Thomas Del Bene in ſumma tomo 1. diſput. 9. & 30. Tannerus apud noſtrum Lezanã tomo 3. Theologiæ, tractat. de fide, diſput. 8. quæſt. 5. Philippus à Sanctiſſimâ Trinitate 2. 2. diſp. 7. dubio 5. Puteanus quæſt. 1. art. 6. dub. ultim. Salmeron in epiſtolam Pauli libr. 1. diſput. de Eccleſiâ contra Canũ lib. 6. de locis cap. 8. aſſerentem eſſe tantùm certũ certitudine fidei humanę morali quod Pontifex pro tempore exiſtens ſit ſucceſſor Petri & Eccleſiæ caput. Item contra Bannez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. dubio 2. ad 2. Malderum diſp. 5. de ſummo Pontifice in ſolutione ad quartum, Didacum de Arce 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Alphonſum à Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes cap. 9. & quoſdam alios aſſerentes eſſe quidem certum quod hic numero ſummus Pontifex ſit verè Chriſti Vicarius, &c. Non tamen immediatè de fide divinâ tenendum, ſed ita ut oppoſitum ſit temerarium, (ut vult Bannez) vel ſit erroneum, quæ eſt certitudo concluſionis Theologicæ. His favere videtur Bellarminus tractatu de Conciliorum auctoritate cap. 9. his verbis. *Naturali ſolùm evidentiâ, aut ſolâ fide humanâ haberi Concilium Nicænum & Epheſinum fuiſſe legitimè congregatum, & hoc ſufficere quod definita ab illis habeantur tanquam de fide.* Contra quos infert Del Bene quæſt. 30. citatâ eandem eſſe quæſtionẽ, an ſit de fide hoc concilium eſſe legitimum, & an ſit de fide hunc numero Pontificem eſſe verum Pontificem, & ſuccedere Petro. Tamen exiſtimo Bellarminũ aſſerere quod certũ ſit certitudine fidei, Rom. Pontificem pro tempore exiſtentem eſſe caput, &c. ut patet ex libr. 2. de Romano Pontifice cap. 12. in obſervatione 3. ubi ait. *Romanum Pontificem ut Romanum Pontificem Petro ſuccedere ad fidem Catholicam pertinere. Etſi autem Romanum Pontificem ſuccedere Petro nõ habeatur expreſsè in ſcripturis: illum autem eſſe Romanum Pontificem habetur ex traditione Apoſtolicâ Petri. Quam traditionem Concilia generalia, Pontificum decreta, & Patrum conſenſus declaravit.* Quod fuſiſſimè capitibus ſequentibus oſtendit. Cæterùm præter authoritates Conciliorum & Patrum à nobis productas, & ex his rationes ac diſcurſus illativos, non deſunt aliæ rationes quas ſubminiſtrant Authores citati.

Bellarm.

XVIII. Octava Ratio, omnis veritas revelata eo ipſo quod innititur divinæ revelationi accipit certitudinem fidei à primâ veritate: ſed quando ab Eccleſiâ communiter acceptatur electio hujus Romani pontificis tanquam legitimè facta, & ejus perſona ut ritè

electa honoratur, ſubeſt revelationi primæ veritatis: quæ cum variis modis revelet, ſcilicet vel per ſcripturam vel acceptationem totius Eccleſiæ in concilio repræſentatæ, vel communem acceptationẽ, quâ modernus Pontifex honoratur, ut legitimè electus, eſt quædam ſpecies revelationis divinæ, quâ prima veritas revelat ſaltem implicitè Alexandrum VII. eſſe legitimum Petri ſucceſſorem. Hæc enim concors acceptatio & veneratio Eccleſiæ debet procedere ex inſtinctu Spiritus Sancti ex cujus aſſiſtentiâ Eccleſia errare non poteſt in acceptandâ electione legitimi Pontificis. Imò Divus Bernardus docet, quod ut is ſit canonicè & legitimè electus univerſalis Eccleſiæ concordia non eſt neceſſaria, ſed ſufficit quod in eum cócurrant major & ſanior pars eligentium, & aliam partem vitâ, famâ, ætate præcedat, ſuperet ſcientiâ, & electus competitorem iiſdem virtutis, ſcientiæ titulis ſuperet, &c. Sic enim author vitæ illius lib. 2. cap. 1. de Innocentio canonicè electo, & Petro Leone dicto Anacleto Antipapâ ſcribit. *Eâ tempeſtate Honorius papa viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Nec mora in electione diſſidentibus Cardinalibus, & diviſâ Eccleſiâ pluries numero, & ſaniores Concilio, vitâ probabiles, viri virtutum Præsbyteri, Diaconi, Epiſcopi Innocentium elegerant, cujus vita, & fama, & ætas, & ſcientia digna ſacerdotio ſummo habebatur. At verò pars altera infames auſus violentiâ non ratione corroborans, Petrum Leonis ad hunc apicem aſpirantem fraudulentis machinationibus ſeorſim & præcipitanter nominat Anacletum, & cæteris renitentibus ordinavit. Qui verò ex parte Catholicâ erant electum ſuum ſolemniter ordinatum collocarunt in Cathedrâ, & per loca illa, in quibus ſeſſiones habent, ex antiquâ conſuetudine Romani Pontificem circumduxere, & pro tempore honor debitus Apoſtolicæ affuit dignitati, &c.* De eâdem canonicâ electione ſic loquitur Ottho Friſingenſis libro 7. cap. 18. *Graviſſimum ſchiſma in Eccleſiâ Dei oritur Innocentio canonicè electo: ſed Petro Leonis filio violentiâ amicorum ſuorum, qui fortiſſimi in urbe erant, favente ſibi Rogerio Siculo intruſo. Cui dum Innocentius reſiſtere non valet, urbe cedit, tranſcenſiſque Alpibus Gallias ingreditur, &c.* De Anacleto Antipapâ ita proſequitur author vitæ S. Bernardi loco citato. *Petro tam propriâ generis virtute quam adhærentium ſibi affinitate multitudo tanta erat, ut ferè tota eum civitas ſequeretur, vel pecuniâ, vel commodis obligata. Congregaverunt ſanè opes innumeras tam in exactionibus Curiæ, quàm in exactionum negotiationibus, quas ad expectandas nundinas reſervarat. Inſuper & paterni cenſus ampla congeries eatenus ſigillata modò diſtributa in populum ad fas, nefas venalem plebem armaverat, quibus erogatis donaria Regum in ornamentis Eccleſiæ ab ipſis evulſis altaribus. Et nunc calices frangere, & Crucifixos aureos membratim ipſi prophani Chriſtiani, vel timerent, vel erubeſcerent, Judæos aiunt eſſe quæſitos qui ſacra vaſa & Imagines Deo dicatas audacter comminuerant.* Hujus impietatis ac ſacrilegii meminit D. Bernardus epiſt. 242. ac improperat Romanis ab Eugenio papâ deficientibus. *Recordare* (inquit) *quâ causâ, quo fine, per quos, & in quos uſus non longe ante hos dies, cunctarum, quæ te ſunt, Eccleſiarum omnis ornatus, & cenſus profligatus eſt. Quidquid in altaribus, & in altarium vaſis: quidquid in ipſis ſacris imaginibus auri & argenti reperiri tunc potuit, manibus impiorũ direptum, & aſportatum eſt. Quid ex his omnibus nunc in quis marſupiis invenis?*

Ottho Friſin.

Bernar.

XIX. Quibus verbis mellifluus Doctor opponit electionẽ Innocentii electioni Petri Leonis: quod illa per ſaniorem partem, prudentiorem & majorẽ facta ſit: hæc verò per ſacrilegos, impios & de perſonâ parùm timoratâ, ideóque illam legitimam, hanc verò minimè. De utriuſque electione loquiquitur Sanderus lib. 7. de viſibili monarchiâ Eccleſiaſticâ ſ. 312. Baronius ad annum Chriſti 1130. Sed audiamus iterùm D. Bernardum epiſt. 124. ad Hildebertum Archiepiſcopum Turonenſem, qui hanc Innocentii electionem canonicam deducit ex præfatis capitibus, quod ſcilicet electus ſit à majori, meliori parte, & quod vitæ probitate Petrum Leonem

ſuperet

ſuperet. *Funiculus triplex difficile rumpitur. Electio meliorum, approbatio plurium, & quod his efficacius eſt morum atteſtatio Innocentium apud omnes ſummum commendant Pontificem.* Vndè vocat illum Chriſtum Domini, ideſt unctum à Domino, non ab hominibus, ſed à Deo factum: Anacletum verò nuncupat Antichriſtum. *Ecce*
Bernar. *Chriſtus Domini iſte Innocentius poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum: Nam qui Dei ſunt libenter junguntur ei: qui autem ex adverſo ſtat aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus.* Illum eſſe Antichriſtum, hoc eſt habere malitiam futuri Antichriſti, eſſe illum non in perſonâ, ſed nequitiâ probat. *Cernitur abominatio ſtare in loco ſancto, quem ut obtineret, incendit ſanctuarium Dei. Perſequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam.* De ejuſdem Innocentii legitimâ electione ab Eccleſiâ receptâ, & Anacleti tyrannicâ, ac impiâ intruſione ſic loquitur epiſt. 125. *Meritò illum recipit Eccleſia, cujus & opinio clarior, & opinio ſanior inventa eſt, nimirùm eligentium & numero vincens & merito.* Infra Anacleti proceſſum ita improbat. *Beſtia illa de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias & bellum gerere cum ſanctis Petri Cathedram occupat tanquam leo paratus ad prædã.* Idem epiſt. 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ contra eundem Anacletum. *Velimus* (inquit) *nolimus, impleri quandoque neceſſe eſt veritatem Spiritus ſancti, fieriq; illam, quæ prophetico ſpiritu pronuntiata legitur in ſcripturis diſceſſio: ſed væ homini, per quem venit: melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Quis verò ille niſi homo peccati, qui ſuper electum à Catholicis Catholicum & canonicè locum ſanctum invaſit? quem tamen, non quia ſanctus, ſed quia ſummus eſt acceptavit. Invaſit (inquam) armis, igne, pecuniâ, non vita merito pervenit, in quo ſtat, & ſtat in quo pervenerit. Nam illa quam jactat juratorum ſuorum non electio ſed factio, umbra tantùm & occaſio, & velamentum malitiæ.* In eâdem epiſt. refert præfata motiva, quibus diſcerni poſſit Innocentii canonica & legitima electio, à violentâ Anacleti invaſione. *Duo ſunt de quibus contenditur quiſnam eorum verus videatur Papa: quorum primò quidem ſi perſonas compares (ut neutri ſanè vel derogare videar, vel adulari) dicam quod dici paſſim reperies, & neminem arbitror diffiteri, quia videlicet Innocentii noſtri vita, vel fama, nec æmulum timet cum alterius nec ab amico tuta ſit. Dehinc ſi electiones diſcutias, noſtri ibidem mox occurrit & promotione purior, & ratione probabilior, & prior tempore. Porrò de tempore conſtat, reliqua duo meritâ probant & dignitas eligentium. Hanc enim (ni fallor) partem ſaniorem invenies, tam Epiſcopos, quàm Cardinales, Diaconos, ſive Presbyteros, & quorum maximè intereſt de electione ſummi Pontificis, & quanti in eligendo juxta Patrũ ſcita ſufficiant.* Epiſtolâ 127. ex eodem argumento veram Innocentii electionem deducit. Ac primùm ſic de Anacleto ſcribit ex perſonâ Ducis Burgundiæ ad Guilelmum Ducem Aquitaniæ. *Quid boni, quid virtutis, quid honeſtatis afferunt de ſummo Pontifice ſuo, ut & nos provocent ad favorem? Si vera ſunt, quæ ubique divulgat opinio, nec unius dignus viculi poteſtate: ſi vera non ſunt, decet nihilominus caput Eccleſiæ non ſolùm vitæ habere ſanitatem, ſed & famæ decorem.* Poſtea verò ita de Innocentio philoſophatur. *Domini Papæ Innocentii, & innocens vita, & integra fama, & electio canonica prædicatur: priora duo hoſtes diffitentur, tertium calumniam habuit: ſed per Chriſtianiſſimũ Lotharium nuper falſi calumniatores in ſuo ſunt mendacio deprehenſi.* Ecce quomodò ex Innocentii innocentiâ, famâ, doctrinâ credat electionem eſſe canonicam: Anacleti verò nullam tum ob defectum legitimæ electionis tum ob vitam & mores depravatos, præcipuè quia calices, cruces, crucifixos ſacrilegè contrivit, templa donariis ornamentis ſpoliavit. Idem divus Bernardus alio argumento infert Innocentii electionem legitimam, ſcilicet quia major Chriſtiani orbis pars debitam Pontifici Romano venerationem defert. Sic enim ejus nomine ſcribit author vitæ ejus libr. 2. cap. 7. contra Petrum Piſanum, qui contendebat coram Rogerio Normano rege, Apuliæ, & Calabriæ ducatu

inveſtito electionem Anacleti eſſe canonicam. *Si arca quam regit Petrus ex Deo eſt, neceſſe eſt ut arca quam regit Innocentius obruatur. Peribit ergò Orientalis Eccleſia, peribit Occidens totus, &c. Abſit ut totius mundi religio pereat, & ambitio Petri (cujus vita palam eſt, qualis extiterit) regnum cœlorum obtineat.* Idem argumentū habet epiſt. 125. *Nec infructuosè Alemaniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum, & Ieroſolymorum reges cum univerſo Clero & populis favent & adhærent Domino Innocentio, tanquam filii Patri, tanquam capiti membra, ſoliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Idem Divus Bernardus epiſt. 126. Epiſcopis Aquitaniæ, recenſet numerum Epiſcoporum ſanctitate, authoritate, etiam apud adverſarios ſpectatiſſimorū cum Cleri totius Orientalis Eccleſiæ unanimi conſenſu. *Hi omnes* (inquit) *unanimes, non conducti pecuniâ, non ſeducti fallaciâ, non illecti privato carnis, vel cogitationis amore, non timore compulſi potentiæ ſæcularis; ſed Dei procul dubio voluntatem ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes Petrum Leonis ingenuè refutarunt, ac ſecurè Gregorium in papam Innocentium receperunt.* Infra, *Camaldulenſes, Wallambroſani, Carthuſienſes, Cluniacenſes, &c. Vniverſitas denique, & unanimitas fratrum quam Clericorum, quàm Monachorum regularis vitæ probataque converſationis ſequentes Epiſcopos tanquam greges paſtores ſuos, Innocentio firmiter adhærent, ſincerè favent, humiliter parent, verum Apoſtolorum ſucceſſorem fideliter recognoſcunt. Quid Reges & Principes terræ? nonne in eodem ſpiritu unà cum ſubjectis ſibi plebibus Innocentium pariter amplectuntur, confitentes & ipſi Papam & Epiſcopum animarum ſuarum? quis poſtremo in quocumque ordine vitæ illuſtris, & boni nominis homo id ipſum non ſapit?* Conſequenter oſtendit quod unus Rogerius reliquis principibus, unus Mediolanenſis Anſelmus reliquis Archiepiſcopis, unus Abbas Caſſinenſis Sinoretus reliquis Abbatibus non ſint cōferendi. Nam Ottho Friſingenſis ſcribit lib. 7. cap. 17. quod ille Anſelmus fuerat prius exauctoratus ab Honorio Pontifice, quia Conradum in Regem Italiæ unxiſſet, qui non erat ritè electus. Vndè ſecundùm Sigonium lib. 10. de regno Italiæ ad annum 1134. pœnitentiâ ducti quod Anſelmum ſecuti Anacleto, & Conrado adhæſiſſent auctore Ribaldo Archiepiſcopo, quem Anſelmo repudiato ſublegerant, Innocentii & Lotharii gratiam recuperare ſtuduerunt, & eâ de re litteras ad ſanctum Bernardum quem ſciebant eſſe magnæ authoritatis ſcripſerunt, rejectoque Anacleto Innocentium ut verum Catholicum Pontificem approbarunt, & Conrado repudiato palam agnoverūt Lotharium in regem & Dominum ſeu Imperatorem Romanorum. Vide de hac re S Bernardi epiſtolas 131. 132. 133. 134. Romaldus Abbas Caſſinenſis, ſucceſſor Sinoreti cum ſuis Monachis omne ſchiſma & hæreſim abjuravit. Rogerius etiam & omnes ei adhærentes operâ & favore Lotharii Imperatoris in gratiam Innocentii & communionem Eccleſiæ recepti ſunt.

Quantâ verò certitudine Lotharius cum aliis Innocentium ut verum Pōtificem agnoverit, hæc ſcribit Fugerius S. Dionyſii Abbas in vitâ Ludovici Craſſi. *Cui* (inquit) *cum Imperator Lotharius civitate Leodii, cum magno Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Teutonici Regni Optimatum collegio celeberrimo occurriſſet, in plateâ ante Epiſcopalem Eccleſiam humillimè ſe ipſum ſtratorem offerrent, pedes per medium ſanctæ proceſſionis ad eum feſtinat aliâ manu virgam ad defendendum, aliâ frænum albi equi accipiens tanquam Dominum deducebat. Deſcendente verò totâ ſtatione eum ſubbrachiando deportans Celſitudinem Paternitatis ejus notis & ignotis clarificavit.* Idem Lotharius quamvis in Colloquio Leodienſi paſſus eſſet repulſam de poſtulatis Inveſtituris, tamen Innocentium reduxit Romam cum numeroſo exercitu, & ab eo viciſſim diademate Imperiali inſignitus eſt, eo quod Anacletus baſilicam & aulam Vaticanam (in quâ Imperatores coronari conſueverant) præſidio firmatam tenebat (ut refert author vitæ ſancti Bernardi.) De colloquio & occurſu illo Imperiali XX.

Leodii

Leodii facto differunt etiam author vitæ ſancti Bernardi lib. 2. cap. 1. Baronius anno Chriſti 1131.

XXI. Ex hac Imperatoris, & aliorum Principum tum Eccleſiaſticorum tum Sæcularium veneratione Romano Pontifici etiam tempore ſchiſmatis exhibitâ colligere eſt quam firmiter crederent Innocentium eſſe legitimũ Eccleſiæ paſtorem & Petri ſucceſſorem: Non obſtante Petri Leonis rebellione & pertinaciâ in ſuo ſchiſmate pertinaciter perſeverantis, & in Vaticano firmo præſidio muniti, de quo author vitæ Sancti Bernardi libr. 2. cap. 2. *Petrus Leonis non ponens Deum adjutorem ſuum, ſed confœderatorum ſtipatus malitiâ in editioribus & tutioribus turribus manens Lotharii ludificavit virtutem, & interdicens ſuus congreſſus publicos, nec ſibi ſecuritatis ſuæ fecit periculum, nec cauſam conflictus hoſtibus dedit: ſed tantùm liberum eorũ diſcurſum machinis ſuperioribus, & obſtaculis variis impedivit. Vitavit etiam obſtinatiſſimè Imperatoris colloquium, nec minis, nec blandimentis flexus eſt, nec de ſtatu ſuo conſilium cujuſlibet perſonæ admiſit.*

XXII Eâdem fide divinâ armatus Divus Bernardus (ut teſtatur idem author vitæ ejus) ita Regem Angliæ hujus veritatis & fidei compotem reddidit, ut eum ad Innocentium adduxerit. *Cum omnimodis recalcitraret, & detractaret. Quid times? ait, times peccatum incurrere ſi obedias Innocentio, cogita quomodo de aliis peccatis tuis reſpondeas Deo: iſtud mihi relinque, in me ſit hoc peccatum. Ad quod verbum perſuaſus Rex ille tam potens extra terram ſuam Domino Papæ occurrit uſque Carnutum.* Ex quibus ſequitur eſſe de fide quod Alexander VII. ſit Chriſti Vicarius quandoquidem non tantùm major, vel ſanior pars Cardinalium eum ad ſupremum Eccleſiæ regimen extulerit, non tantùm intemerata ejus virtus & ſanctitas ad hoc ſanctitatis faſtigium evexerit, non tantùm in legationibus rerum benè geſtarum, fama & ſingularis prudentia ad Petri Cathedram promoverit, ſed omnes purpurati principes unanimi ſuffragiorum conſenſione elegerint, totus orbis Chriſtianus pro Patre, grex Chriſti pro paſtore, totum Eccleſiæ corpus pro capite conſpiciat ac veneretur: imò ipſi Acatholici, veræ fidei rebelles illum tali dignitate digniſſimum paſſim prædicent, ſingularique amore, cultu, & obſervantiâ excipiant.

Nona Ratio, articulus quem Pontifex nobis credendum proponit ſæpè non habet in ordine ad nos evidentiam credibilitatis: ut patet in illis veritatibus, quæ non ita evidenter deducuntur ex ſcripturâ: tamen ille articulus creditur à nobis, & credere tenemur: quæ obligatio non aliundè provenit, quàm quia præſupponimus illam propoſitionem eſſe de fide eo quod Modernus Pontifex ſit legitimus Pontifex, & tenemur credere eſſe talem, ſpecialemque Spiritus ſancti habere aſſiſtentiam, & à Spiritu ſancto immediatè dirigi. Si enim non credamus fide divinâ Pontificem hunc eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & habere potentiam ſufficientem ad decernendum aliquem fidei articulum, eſſeque regulam animatam, ac infallibilem, ceſſat obligatio credendi immediatè aliquid fide divinâ & infallibili. Quia ſi de veracitate proponentis dubitemus, neceſſe eſt ut ſimul dubitemus de veritate rei propoſitæ: quia illæ veritates non aliundè ſupponuntur certæ quoad nos & infallibiles: quàm quia ſupponimus perſonam definientem illum articulum pronunciare cum aſſiſtentiâ Spiritus ſancti. XXIII

Decima Ratio, Diſcrimen eſt inter hunc paſtorem univerſalem, & paſtorem particularem, quod quando hic univerſalis, ut ſupremum caput Eccleſiæ aliquid fidelibus credendum proponit, tota Eccleſia non tantùm obligatur certò credere ejus propoſitionem ſeu decretum; ſed etiam certitudine fidei tenetur credere ipſum Pontificem in proponendo eſſe infallibilem, ideòque legitimum Chriſti Vicarium, & Eccleſiæ paſtorem. At verò quando Paſtor particularis aliquid proponit credendum tota Eccleſia illi credere & obtemperare non tenetur. Ratio diſcriminis eſt, quia ſi XXIV.

ſupremus

ſupremus paſtor erraret; Eccleſia poſſet errare: cùm in terris non ſit ſuperior & major authoritas quæ poſſit illum corrigere. Nam ex Concilio Sinueſſano. *Prima ſedes à nemine judicabitur.* Quæ verba repetit Nicolaus papa in epiſt. ad Michaelem. Item ex Concilio Romano 280, Epiſcoporũ ſub Sylveſtro canone ultimo. *Neque ab Auguſto, neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo judicabitur prima ſedes.* Item ex aliis Synodis & Patribus. Sed paſtor particularis ſi erret poteſt à ſuperiore corrigi. Vnde licet ſubditi teneantur huic obtemperare, non tamen tenentur credere certitudine fidei non poſſe errare in ſuis propoſitionibus. Deus itaque ſpecialiter providit, ut Pontifex in Cathedra ſedens nequeat errare. Licet antequam aſſumeretur ad pontificatum permiſerit ut erraret. Sicut patet in Petro, qui antequam eſſet pontifex, negavit Chriſtum, non verò ex quo aſſumptus eſt. Hanc pontificis infallibilitatem innuere videtur Innocentius III, in epiſt. ad Epiſcopum Arelatenſem, & habetur in cap. *Majores.* extra. de Baptiſmo & ejus effectu.

Innoc.3. *Majores Eccleſiæ cauſas, præſertim articulos fidei contingentes ad Petri ſedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exoraſſe nè deficiat fides ejus.* Et Gelaſius epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem. *Hoc eſt quod Apoſtolica ſedes magnopere cavet, ut quoniam mundi radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nullâ rimâ pravitatis, nulla prorſus contagione maculetur.* Gelaſ.1. Etſi Pontifex haberet aliquem defectum, tamen Deus ei ſpecialem aſſiſtentiam præſtaret: vel ſi non præſtaret, non permitteret illum aliquid ex Cathedrâ pronunciare. Ex quibus infero eſſe immediatè de fide hunc Pontificem eſſe paſtorem univerſalem Eccleſiæ.

XXV. Vndecima Ratio, Eſt immediatè de fide non tantùm Eccleſiam in communi, ſed etiam hanc numero Eccleſiam quæ eſt ſub hoc numero Pontifice eſſe veram & legitimam. Eccleſia igitur eſt immediatè de fide hunc numero pontificem eſſe verum pontificem. Quamvis enim non individuetur hæc Eccleſia ab hoc pontifice determinato: quandoquidem illo defuncto eadem numero perſeveret, ſub ſingulis ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus, tamen individuatur, & ſpecificatur ut Eccleſia eſt hierarchica, etiam ſede vacante in ordine ad verum caput. Ergò cum ex conſenſu univerſalis Eccleſiæ habeat verum caput, debemus neceſſariò credere illud eſſe unum caput, quia ad conſtitutionem Eccleſiæ tam benè requiritur caput quàm membra, imò magis caput deſideratur, ut potè pars principaliter, quàm membra. Quemadmodùm igitur Eccleſia non poteſt conſtare membris, quæ non ſunt membra, ita nec poteſt habere caput, quod non eſt caput. Cùm igitur Eccleſia agnoſcat hunc Alexandrum VII. pro ſuo capite, illum veneratur ut talem non ex conjecturâ, cognitione probabili, ſed per fidem, & quidem eandem quâ credit hanc Eccleſiam eſſe veram, hæc decreta eſſe vera certitudine fidei. Confirmat exemplo Amicus diſput. 3. de objecti fidei propoſitione, ſect. 4. Quemadmodum determinatum corpus phyſicum includit determinatum caput phyſicũ, ita qui credit hanc determinatam Eccleſiam debet credere conſtare hoc determinato capite.

Duodecima Ratio. Idem eſt lumen XXVI. propoſitionis univerſalis ac ſingularis; ut Petrus eſt animal ad idem lumen pertinet, quo hoc, omnis homo eſt animal. Igitur etiam ad idem lumen ſpectat hæc ſingularis, Alexander eſt ſucceſſor Petri, quando eſt receptus, ac illa univerſalis, omnis ſucceſſor Petri eſt caput Eccleſiæ. Item ad idem lumen pertinet, Modernus Pontifex errare non poteſt in definitione fidei, ac Petrus errare non poteſt, ſeu omnis ſucceſſor Petri errare non poteſt, vel omne caput Eccleſiæ eſt infallibile & errare non poteſt. Juxta illud Lucii I. Papæ & Martyris Lucius I. epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ. *Eccleſia Romana Apoſtolica eſt, & Mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſecundùm ipſius Domini pollicitationem, dicentis*

centis: Ego rogavi pro te, &c. Ita ad idē lumen fidei pertinet, Alexander VII. eſt legitimus electus ſucceſſor Petri, & decreta fidei condit. Id innuere vide- Nicol. 1. tur Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem. *Privilegia iſtius ſedis perpetua ſunt, divinitus radicata atque plantata, impingi poſſunt, transferri non poſſunt, trahi poſſunt, evelli non poſſunt.* Quid per privilegia intelligit? Infallibilitatem, &c. Quæ non tantùm Petro promiſſa ſunt; ſed etiam huic Pontifici nunc ſedenti in Cathedrâ Petri. Audi eundem, non de alio, ſed de ſe ipſo loquentem, non ex motivo vanitatis, præſumptionis, ſed veritatis. *Nam* (inquit) *ibi, inter cætera is per quem nobis præcipuè iſta ſunt privilegia collata Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ait *nobis*, quod vocabulum innuit Nicolaum fuiſſe certum ſe eſſe caput Eccleſiæ eadem certitudine quâ credebat ſe errare non poſſe. D. Bernardus eâ fide & certitudine credidit Innocentium eſſe Pontificem, quâ exiſtimavit ſcandala regni quæ de fide contingunt ad ipſum referenda, ab eoque evellenda epiſt. 190. ad eundem Innocentium. *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque &* Bernar. *ſcandala regni Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namq; arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri ſedi dictum aliquando ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua.* Probat neceſſitatem ſeu neceſſarium recurſum in materiâ fidei, item neceſſariam & infallibilem certitudinem fidei eſſe in Innocentio, quam promiſit Chriſtus. Sed Petrum eſſe caput Eccleſiæ, omnem ſucceſſorem Petri eſſe caput Eccleſiæ pertinet immediatè ad fidem. Item definitiones fidei emanatæ à Petro, & quæ emanant à ſucceſſoribus ejus ſunt immediatè de fide: Igitur etiā quod Alexander VII. ſit caput Eccleſiæ, & ejus definitiones erunt immediatè de fide. Negant aliqui pertinere ad idem lumen Petrus eſt caput, omnis legitimus ſucceſſor Petri, & Modernus Pontifex eſt ſucceſſor Petri. Sed refelluntur ex eo quod Concilia, Patres, conſenſus concors totius Eccleſiæ aſſerant Modernum Pontificem eſſe à Chriſto inſtitutum, ſicut Petrus dicitur à Chriſto inſtitutus. Gregorius lib. 4. epiſt. Gregor. 32. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominicâ ſancto & omnium Apoſtolorum principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quippe dicitur; Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam.* Sic Concilium Chalcedonenſe epiſtolâ ad Leonem aſſerit hanc Eccleſiam à Chriſto Concilii Chalced. eſſe commiſſam illi Romano Pontifici. *Cui* (inquit) *vineæ cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt.* Item Florentinum (cui tam Latini quàm Græci interfuerunt.) *Ipſi* (inquit) *in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſa-* Florent. *lem Eccleſiam à Domino noſtro IESV Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, &c.* Id etiam patenter innuit ſanctus Athanaſius ſcribens Fœlici papæ. *Ob id* Athan. *vos prædeceſſoresq; veſtros Apoſtolicos videlicet præſules in ſummitate arcæ conſtituit, omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis, &c.* Hæc particula *vos*, denotat Pontificem pro tempore exiſtentem.

XXVII. Quod definitiones & decreta emanata ab Alexandro VII. ſint immediatè de fide, ſicut ea quæ à prædeceſſoribus, imò & à Divo Petro prodierunt; Theologi etiam adverſariæ opinionis concedunt, negant tamen quod habeamus eandem certitudinē de Moderno Pontifice definiente, ac veritatibus ab eo definitis, ſed quod ſit major certitudo in rebus definitis, quàm in perſonâ definiente: quia fides & certitudo divina quæ habetur de veritatibus definitis ab Alexandro VII. ut à capite Eccleſiæ, non innititur illi ut rationi formali, & regulæ principali, ſed tantùm ut inſtrumento per quod prima veritas, quæ eſt regula principalis & ratio formalis objecti fidei loquitur & revelat. Vel ut conditioni & regulæ quoad nos, ſine quâ divina revelatio de ejuſmodi veritatibus definitis nobis non communicaretur, nec applicaretur. Quēadmodum in naturalibus & artificialibus effectus eſt perfectior & nobilior inſtrumento & conditione. Ità in hoc caſu veritates definitæ poſſunt habere majorem certitudinem, quam

inſtrumentum & conditio. Sicut etiã in intellectualibus aſſenſus concluſionis ſcientificæ præſtantior eſt diſpoſitione ſyllogiſticâ in modo, & figurâ; à quâ tamen per ſe dependet ut à conditione. Sic (inquiunt) licet habeatur tantùm certitudo Theologica de veritate & electione legitimâ capitis definientis, tamen poteſt de rebus definitis per ipſum optimè haberi certitudo divinæ fidei: ſicque poteſt eſſe inæqualis certitudo de veritate capitis hujus, licet habeamus certitudinem fidei de rebus ab illo definitis. Sed contra, quia Deus eo medio utitur moderno pontifice in decretis fidei, quo uſus eſt ejus prædeceſſoribus uſque ad Petrum, cumque Eccleſia ſeu fideles eo modo conſiderant quo illos. Sed Deus providit ut fideles certo alicui & determinato capiti ſubjicerentur, talemque de eo exiſtimationem & certitudinem fidei haberẽt, qualem habent de definitionibus eorum in materiâ fidei; cùm caput Eccleſiæ pro tempore exiſtens tam ſpectet ad bonum Eccleſiæ univerſalis, quàm hæc definitio fidei, vel cultus hujus ſancti per ſolemnem canonizationem propoſitus. Quomodo enim poſſumus habere majorem certitudinem de effectu v. g. de re definitâ & ſancto canonizato, quàm de Ponfitice definiente, vel canonizante; ſicuti quomodo poſſumus certò ſcire baptiſmum eſſe verum, ſi non eâdem certitudine ſcimus aqua eſſe naturalem formam adhibitam eſſe veram, & miniſtrum habere intentionẽ? Quomodò certò ſcire poſſumus hanc hoſtiam eſſe conſecratam, ſi non eâdem certitudine ſciamus panem eſſe triticeum? Quomodò certò ſcire ſub his ſpeciebus vini eſſe ſanguinem Chriſti, ſi non certò ſciamus eâdem certitudine fuiſſe vinum ex uvis expreſſum. Sic quomodo poteſt nobis conſtare fide divinâ hanc ſcripturam eſſe ſacram, hanc traditionem eſſe Apoſtolicam, hoc Concilium eſſe legitimum ex definitione Pontificis; ſi eâdem fide divinâ non conſtet hunc Pontificem definientem eſſe verum Pontificem. Cùm illud objectũ quoad veritatem, pendeat ex infallibili authoritate proponentis; & totius corporis directio ab eo ut capite. Vndè ſi non teneor credere fide divinâ hunc hominem qui mihi proponit res credendas fide divinâ eſſe verum Pontificem, & habere Spiritus ſancti aſſiſtentiam, fieri poterit ut hic homo non ſit verus Pontifex; quidquid enim fide divinâ non creditur poteſt eſſe falſum. Audi ratiocinationem Cardinalis de Lugo de fide diſputat. ſect. 13. §. 5. *Sicut debemus fide credere quæ pontifex ab univerſali Eccleſiâ receptus definit & proponit, ita debemus credere abſque formidine eum eſſe verũ Pontificem. Nam vel poſſumus prudenter de hoc formidare, vel non poſſumus: Si poſſumus, ergò non poſſumus credere fide divinâ, quæ ipſe definiet. Quoties enim poſſumus prudenter formidare de authoritate Pontificis definientis, non poſſumus ab ejus definitione moveri prudenter ad cohibendam omnem formidinem circa rem definitam. Si verò non poſſumus prudenter formidare circa validitatem pontificatus, poſſumus ergò fide divinâ credere hunc eſſe verum Pontificem.* Quod confirmatur. *Quoties non poſſumus prudenter formidare an hoc individuum cõtineatur in univerſali revelatâ, poſſumus fide divinâ credere quod Deus de illo locutus fuerit. Cùm ergò de fide ſit, omnes Petri ſucceſſores eſſe veros Petri ſucceſſores, eſſe veros Pontifices, & aliundè non poſſimus prudenter formidare an hic homo ſit legitimè electus in Petri ſucceſſorem: conſequens eſt ut credamus fide divinâ etiam verum eſſe Pontificem & de hoc etiam Chriſtum locutum, quando Chriſtus dedit ſummis Pontificibus ſuam authoritatem & infallibilem aſſiſtentiam promiſit.* Ex quibus ſequitur eâdem fide divinâ conſtare hunc eſſe legitimum Pontificem, quâ credimus hoc eſſe decretum fidei, &c. alioqui fides Chriſtiana, quâ hæc fidei regula innititur, ruet.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Poteſt Romanus Pontifex deſignare modum eligendi Romanum Pontificem.

I. HÆc reſolutio patet primò ex variis conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ modum eligendi Pontificem præſcripſerunt, & referuntur in cap. *In nomine.* diſtin. 23. cap. *Licet de electione*, cap. *Ubi periculum*, eodem tit. in 6. Clement. *Ne Romani*, de electione. Ratio eſt, quia nullus jure divino eſt modus determinatus ad eligendum Pontificem. Licet enim jure divino videatur determinatum, ut electio Pontificis ſpectet ad Eccleſiaſticos; Tamen modus hic eligendi non eſt jure divino determinatus. Igitur ſpectabit ejuſmodi determinatio ad Romanam ſedem, cui commiſſum eſt ſupremum regimen Eccleſiæ. Hinc à Julio II. Paulo IV. Pio IV. Alexandro III. Nicolao II. variæ cõſtitutiones conditæ ſunt. Hic Nicolaus II. decreto relato in cap. *In nomine Domini*, diſtinct. 23. ſancivit, nè Romani Pontificis electio fieret à ſolis Cardinalibus, ſed adhibendos eſſe Clericos, imò totius Cleri & populi conſenſum. Tandem tota Pontificis electio reducta eſt ad ſolum collegium Cardinalium ex cap. *Licet*, 6. de elect. cap. *Ubi periculum*, eodem tit. in 6. Clement. *Ne Romani*, Cardinalis Turrecremata de poteſtate Eccleſiæ lib. 2. cap. 43. Cardinalis Paleotus de conſultationibus ſacri palatii part. 3, quæſt. 4. §. *Et eo magis*. Card. Bellarminus tomo 1. de Clericis lib. 1. cap. 9. & ſequent. Franciſcus Burſatus conſil. 126, num. 6. & 7. & conſil. 108. à principio numer. 18. poſt Jacobatium & Selvam. Specialiter Alexander III. edidit decretum promulgatum in Concilio Lateranenſi quod habebat cap. *Licet*, extra. de elect. ut Pontifex eligatur à duabus partibus Cardinalium. Addit Burſatus, quod ſi Apoſtolica ſedes vacaret tempore, quo generale Concilium foret congregatum, electio ſpectaret ad ſolos Cardinales, non autem ad Concilium. Et narrat id obſervatum fuiſſe in electione Leonis X. tempore ultimi Concilii Lateranenſis.

Nec dicas, ſi Pontifex Romanus poteſt ſtatuere jus eligendi Pontificē, cum ejuſdem ſit jus auferre, cujus eſt ferre, poſſet ab Eccleſia tale jus auferre, proindeque Eccleſia poſſet manere perpetuò privata paſtore. Neganda eſt ſequela, quia non eſt Pontificis conferre ſimpliciter Eccleſiæ jus eligendi Pontificem, cùm Eccleſia id habeat à Deo: ſed eſt Pontificis determinare modum vel perſonas à quibus debeat eligi pontifex. Neque per hoc Eccleſia eſt ſupra pontificem. Quia hoc jus non eſt ad conferendam poteſtatem pontificiam, ſed ad deſignandam dumtaxat perſonam cui conferenda ſit à Deo ſuprema juriſdictionis poteſtas. II.

Poteſt Romanus pontifex ſibi ſucceſſorem poſt mortem deſignare, iſq; ſic deſignatus foret validè electus. Ita Suarez tract. de fide diſput. 10. ſect. 4. quæſt. 3, Amicus de fide diſputat. 3. ſect. 5. num. 204. & alii contra Joannem Andræam in cap. *Licet*, de elect, Archidiaconum in cap. *Si tranſitus*, diſtinct. 79. Azorium part. 2, libr. 4. ſect, 5. num. 204. Abbatem in cap. *Accepimus*, de pactis. Joannem de Lignano in Clement. *Nè Romani*, de elect. Felinum cap. 1. de conſtit. Suarez tamen hãc reſolutionem limitat, modò electio ſeu deſignatio non cõtineat apertam injuſtitiam. Nam (inquit cum Gloſsâ in cap. *Tranſitus papa*. diſtinct. 79.) hoc faciendo pontifex, *quaſi ex teſtamento dignitatis ſuæ hæredem ſubſtitueret*, eſſetque electio hæc tanquam uſurpati juris non ſui. Cùm pontifex non habeat hanc poteſtatem ut hæreditariam cum jure de illo diſponendi, quomodocunque ad emolumentum dumtaxat & utilitatē Eccleſiæ, Sanctum Prophetam Eliam imitari deberet: hic Eliſeum ſibi ſucceſſorem ſubrogavit, non ex affectu quodam ac propenſione ſpeciali in ipſum, ſed ex ordinatione & juſſu Dei lib. 3. Regum cap. 19. verſ. 16. *Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de* *Abel-* III. l. 3. Reg. 19. v. 16

Abelmenla unges prophetam pro te. Vndè Joannes 44. Patriarcha Hieroſolymitanus lib. de inſtitut. Monachor. cap. 23. ait. *Videns itaque Elias*
Ioan.44 *diſcipulum ſuum Eliſeum ſuo ſpiritu plenum novit eum à Deo factum idoneum ad regendum ſuos diſcipulos filios Prophetarum, propter quod totius religionis per eum inſtituta commiſit illi tunc regimen ac magiſterium. Et in hujus rei ſignum tradidit tunc Eliſeo ſuum inſignem religionis habitum relinquens ei pallium ſuum, dum ferebatur in cœlum.* Quibus verbis innuit Eliſeum ab Eliâ fuiſſe deſignatum ſucceſſorem in regimine religionis ab Eliâ conditæ divino inſtinctu. Quod etiam ad utilitatem populi & Synagogæ hæc electio facta ſit, Deus ipſe innuat, verſ.
3.Reg. 19.v.17. 17. cap. 19. *Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, & occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſeus.* Joannes 44. cap. 18. ita elucidat. *Pranunciabis prophetam pro*
Ioan.44 *te ut ſcilicet poſt raptum prophetet & prænunciet Azael & Iehu à me promovendos in reges. Hos quippe tres viros Azabel, Iehu, & Eliſeum ad prædictas dignitates promovit Deus, ut exequerentur judicia, quæ in prædictâ viſione oſtenderat ipſi Eliæ. Et propterea dicit Deus rurſum Eliæ. Et erit quicumque fugerit gladium Azahel, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſeus.* Quomodò interficiet eum Eliſeus? non privatâ auctoritate (alioqui peccaſſet) ſed publicâ, ſicut Azahel & Jehu, tum gladio, ſeu pœnâ corporali, ut patet in 42. pueris idololatrarum filiis ſibi inſultantibus, dicentibuſque. *Aſcende calve, aſcende calve.* Lib. 4. Regum cap. 2. verſ. 23. & aliis etiam idololatris, quos ſecundùm Cajetanum Toſtatum, Lyranſi, Sanchez, Dionyſium interfecit. Tum etiam gladio ſpirituali, puta gladio linguæ, quâ delinquentes acriter redarguit, minatuſque eſt mortem præſentem & æternam ut volunt Angelomus, Rabanus, Hugo. Eliſeum ſucceſſiſſe Eliæ ob publicam populi utilitatem probè noverat Joas Rex Iſrael, dum eum ægrotantem inviſit, & flens coram eo, in hæc verba prorupit lib. 4. Regum cap. 13. verſ. 14. *Pater*

mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus. 4.Reg. 13.v.14. Joſephus lib. 9. antiq. cap. 8. *Cæpit Ioas flere ac ingemiſcere, ac patrem eum vocare, ac dicere regnum ſuum ſub* Ioſephus *ipſo fuiſſe ſecurum, & propter ipſum ſe nunquam armis contra hoſtes indiguiſſe, ſed illos proſperè ſine dimicatione viciſſe, & quod ipſe Eliſeus decedendo relinqueret filios Iſrael Syris & aliis hoſtibus captivandos, idcircò vitam ſuam ac populi ſui de cætero non eſſe ſecuram.* Dionyſius. *Cùm ſis director & ſuſtentator* Dionyſ. *Iſraeliticæ plebis, quid defuncto te faciemus?* Non tantùm direxit ac ſuſtentavit ſtatum temporalem plebis Iſraeliticæ, ſed etiam ſpiritualem, eo modo quo Elias, cui ſucceſſit. De quo ſanctus Gregorius lib. 2. in Ezechielem Gregor. in homilia 21. *Quid eſt quod Elias currus Iſrael & auriga dicitur? niſi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergò qui mores populi, & per patientiam ſuſtinet, & ſacri eloquii verbis docet, & currus dicitur & auriga. Currus, quia mala ſuſtinet, auriga quia populum bonis admonitionibus exercet.* Expende hoc ultimum vocabulum *exercet.* Vt ſcilicet viam mandatorum Dei inoffenſo pede percurrat. Sic à Pontifice Romano poſſe ſucceſſorem nominari ob Eccleſiæ emolumentum colligitur ex cap. *Si tranſitus*, his verbis. *Si tranſitus Papæ inopinatus evenerit, ut de ſui electione ſucceſſoris ante decernere non poſſit, &c.* Scio à nonnullis hoc caput explicari de electione ſucceſſoris, non quem ipſe pontifex immediatè & per ſeipſum deſignet, ſed mediantibus electoribus, cum quibus ante mortem de futuro ſucceſſore ab ipſis eligendo deliberet, nihilominus nulla ratio cogit ad illud ſic intelligendum. Ratio eſt: ſi enim poteſt illum per electores à ſe deſtinatos, ſanè & per ſeipſum poterit eligere, cum ſit ſupra electores, qui non habent poteſtatem eligendi niſi à Papâ determinante electores. Quod ſi dicas; ideò modernum Papam non poſſe eligere ſucceſſorem: quia eligente defuncto, ejus electio non obligat amplius, cùm in vitâ eligentis non fuerit ſortita effectum. Id refellit Amicus, cùm non conſtet defuncti Papæ electionem non amplius obligare. Potuit enim Chriſtus illud

juſ concedere Vicario ſuo, nec aliunde conſtat id non conceſſiſſe. Probatur ſecundò à facto ad poſſe valet cōſequentia. At ſanctus Petrus elegit Clementem in ſuum ſucceſſorem, ut ipſe epiſt. 1. ad Iacobum teſtatur, & refertur in cap. *S. Petrus*, 8. quæſt. 1. Vbi habetur quod Petrus tradiderit ſuam poteſtatem Pontificiam ſuo ſucceſſori Clementi. Nonnulli apud Suarez diſput. 10 ſect, 4. num. 8. exiſtimant Linum & Cletum uſos fuiſſe hoc jure eligendi. Nec dicas Clementem fuiſſe electum à ſancto Petro ex inſtinctu ſpeciali Spiritus ſancti, (quem modum nequeunt moderni Pontifices imitari) vel fuiſſe electum à ſancto Petro mediantibus electoribus, quos Petrus creavit, quemadmodum pontifex fertur eligere futurum papam, quia electores conſtituit. Contrà primò non conſtat id à Petro factum ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti, & non poteſtate ordinariâ ſibi à Chriſto communicatâ, ut benè animadvertit Cajetanus tom. 1. opuſc. tract. 3. in Apolog. de comparatione auctoritatis papæ cum auctoritate Concilii part. 2. cap. 22. ad quintum, & in textu legitur *Tradente* tibi Petro, non *Ordinante*. Probatur tertiò, nullum eſt jus divinum quod prohibeat oppoſitum: nam humanum non ſufficit, cùm pontifex habeat plenam poteſtatem ſupra omne jus humanum poſitivum, nec habeat ſuam poteſtatem ab Eccleſiâ, ſed à Deo. Nec dicas jus divinum colligi ex duobus locis ſcilicet ex cap. *Epiſcopo*, 8. quæſt. 1. quibus ſtatuitur non licere Epiſcopo ſucceſſorem eligere. Contra ibi agitur de jure Eccleſiaſtico quod in Concilio Antiocheno fuit determinatum, & patet ex Gloſſâ ibi, & habetur cap. *Petiiſti*, 7. quæſt. 1. ubi Zacharias papa concedit Archiepiſcopo Moguntino ut eligat ſibi ſucceſſorem poſt mortem, hoc facto innuens poſſe Epiſcopum ex diſpenſatione papæ ſibi eligere ſucceſſorem.

IV. Dices cum Azorio part. 2. libr. 4. cap. 5, quæſt. 3, Turriano diſput. 15. dub. 3. non fuiſſe expediens ut pontifici talis poteſtas concederetur ob innumera incommoda, quæ ex tali electione poſſent oriri. Ex quibus cōcludunt nullum Pontificem hactenus tali modo fuiſſe uſum. Sed ex hac ratione tantùm ſequitur ejuſmodi electionem fore irritam ſi apertam injuſtitiam contineret. Imò in maximū Eccleſiæ bonum cederet, ſi modernus Pontifex prævidens futurū ſchiſma in futuri pontificis electione deſignaret ipſe ſucceſſorem. Quod ſi hactenus nullus pontifex hoc modo eligendi uſus eſt. Accidit fortè primò ob probabilitatem opinionis contrariæ, ob quā nullus voluit futuri pontificis electionē dubio exponere, nam multa cenſentur ſpeculativè vera, quæ tamē ad praxim redigere non eſt ſecurum. Secundò nè daretur occaſio pontificibus utendi hoc jure quaſi proprio & hæreditario, qui eſſet peſſimus poteſtatis uſus.

Si omnes Cardinales aut eorum tres partes in unum aliquem Cardinalem compromitterent, ut ipſe quem vellet pontificem eligeret, tunc ſi ſeipſum eligeret eſſet valida electio, nec jure oppugnari poſſet, quod ſeipſum elegerit. Ita Azorius part. 2, lib. 4. cap. 2. quæſt. 8. & cap. 5. qu. 8, Ratio eſt, quia ex cap. *Licet*, de elect. nulla exceptio eſt admittenda. Si quis à duabus partibus Cardinalium fuerit electus, igitur nec admittenda, ſi quis ſeipſum eligeret ex compromiſſo: quia non ſuo, ſed aliorum nomine & conſenſu id faceret. Sic creditur Joannes XXII. electus, quæ electio rata, firma habita fuit, tum ob formam expreſſam in compromiſſo, quia poſtquam ſeipſum nominavit, cœteri Cardinales conſenſerunt. Formam creandi pontificem refert idem Azorius cap. 5. quæſt. 11. Weſſelingius in ſuâ aurifodinâ verbo *Electio*. V.

CAPUT TERTIUM.

An & à quo poſſit Pontifex deponi.

Quamvis ſit de fide moderoum Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, & verum Petri ſucceſſorem, tamen poteſt hic Romanus pontifex, & quilibet legitimè I.

time electus ſpontè pontificatu ſe abdicare. Ita definivit Cœleſtinus V. ut patet ex ejus decreto inſerto in jure communi cap. de renunciatione in 6. quam conſtitutionem ipſe Bonifacius VIII. in eodem cap. voluit tanquam jus haberi, & ſervari, nè amplius ullus hanc rem in dubium revocaret. Vide Azorium part. 2. libr. 4. cap 6. quæſt. 1. Amicum diſput. 3. de fide ſect. 7. num. 225. quæ renunciatio admittenda eſt, cùm Romanus pontifex exiſtimat ſe inſufficientem ad regendam Eccleſiam, & onera tantæ dignitatis ſuſtinenda. Quod decretum ipſe Cœleſtinus ſuo exemplo ad perpetuam rei memoriam obſignavit. Nam ſecundùm Onuphrium, Genebrardum, Bzovium ad annum 1294. S. Antoninum tit. 20. cap. 7. Volateranum antroph. lib. 22. Nauclerum generat. 44 Petrum Opmeerum, Palmerum in chronicis, Platinam, Ciaconium in Cœleſtino V. Dupleix in Carolo IV. creatus fuit anno 1294. & quinque menſibus cum aliquot diebus poſt, ſpontè pontificatui renunciavit. Nota cum Gloſſâ citato verbo *Maximè cùm ſe inſufficientem agnoſcit.* Non excludi alias cauſas, ob quam dignitati pontificiæ renunciare queat, ſed illam inter alias cauſas tantùm commendari, ut patet in S. Clemente qui à S. Petro pontifex deſignatus remiſit pontificatum Lino & Cleto, poſt quos poſtea fuit electus quartus pontifex. Vide Azorium ſupra cap. 6. quæſt. 5. Porrò cùm Romanus pontifex renunciat, tantùm dimittit poteſtatem juriſdictionis non ordinis. Vndè ſi Sacerdos vel Epiſcopus erat, nō amittit characterem Sacerdotii, nec poteſtatem ordinis Epiſcopalis, qua conferre poteſt ſacramentum Ordinis & Confirmationis, & alia quæ ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis pertinent, ita Azorius ſupra. Quod ſi voto vel jurejurando papa polliceretur ſe nunquam abdicaturum pontificatu, Azorius ſupra cap. 6. quæſt. 4, ait quod in ejuſmodi voto vel jurejurando ſemper generales conditiones tacitè contineantur, ſcilicet niſi ſubſint juſtæ cauſæ, ob quas contrarium cogatur facere, quæ cauſæ ſi in papâ reperiantur, poteſt renunciare papatui, nonobſtante voto, vel jurejurando.

Ad validam papæ depoſitionem præter ſpontaneam ipſius renunciationem, non eſt neceſſarius conſenſus Eccleſiæ, ſeu Cardinalium, qui vices ſubeunt Eccleſiæ in eligendo & deponendo papā. Ita Suarez ſupra diſp. 10. Azorius ſupra quæſt. 2. Amicus ſupra ſect. 7. num. 227, contra Bellarminū lib. 2. de pontifice cap. 29, in ſolutione ad 9. argument. Ratio prima eſt, quia ex cap. 1 de renunciat in 6. poteſt papa abſque ullâ limitatione pontificatui renunciare. Secunda, renunciatio fieri debet inter manus ſuperioris, at papa non habet ſuperiorem in terris, ac proindè poteſt liberè ſe abdicare pontificatu. Tertia, quemadmodum dignitas pontificia non confertur invito, ita nec perſeverat in eo qui vult renunciare. Nam per eadem principia res conſervatur, quibus gignitur. Si itaque non producitur invito recipiente, ita nec ipſo invito conſervabitur, deficienteque ſolo conſenſu pontificatus deſinet, cum conſenſus pontificis ſit conditio neceſſaria requiſita æquè ad generationem quàm conſervationem pontificatus. Quod ſi dicas primò ex ſolo defectu conſenſus Epiſcopi non conſervatur dignitas Epiſcopalis, cùm tamen non auferatur dignitas hæc Epiſcopalis ſolâ renunciatione Epiſcopi, ſed voluntas ſedis Apoſtolicæ accedere debeat. Igitur quamvis ſolo defectu conſenſus pontificis dignitas Apoſtolicæ ſedis non conſeratur, non ideò ſequitur, quod ceſſet dignitas ſedis Apoſtolicæ ſolo defectu conſenſus pontificis abſque conſenſu Eccleſiæ: cum plura neceſſaria ſunt ad generationem, quàm conſervationem. Reſpondet Amicus negando conſequentiam, eoquod pontificatus dependet à Deo. Vt autem Deus illum conferat, conſenſum & papæ acceptantis, & Eccleſiæ eligentis præreqnirit. Collatio enim pontificatus debet fieri humano modo, ſcilicet per electionem perſonæ, & electi conſenſum. Sed ut illum auferat, tantùm poſtulat papæ renunciationem, quæ ſola reddit ſubjectum incapax pontificiæ dignitatis, quàm II.

Deus

Deus non conſervat in ſubjecto invito. At Epiſcopalis dignitas derivatur à Papâ ex Bellarmino libr. 4. de Romano Pontifice cap 24. Cajetano opuſc. de auctoritate papæ, & Concil. cap. 3. Bannez 2. 2. quæſt. 1, art. 10. inſul. comment. dub. 5. Soto in 4. diſtin. 20. quæſt. 1. art. 2. poſt 4. Concluſ. Maldero quæſt. 1. art. 10. diſp. 4. dub. 1. Amico ſupra quæſt. 7. num. 270. & aliis, at ut papa conferat dignitatem Epiſcopalem indiget conſenſu Epiſcopi, in quo convenit cum Deo, qui non confert dignitatem pontificiam invito. At ut illam dignitatem Epiſcopalem tollat, præter renunciationem Epiſcopi requiritur voluntas papæ, à quâ dependet in cõſervari. Nam tamdiu dignitas Epiſcopalis perſeverat moraliter, quamdiu voluntas papæ non revocatur. At ſicut dignitas papalis in conſervari non pendet ab Eccleſiâ, ſed à Deo tantùm, ſic poteſt tolli abſque voluntate Eccleſiæ, ob ſolùm defectum conſenſus pontificis. Eoquod per ſolum defectũ conſenſus ipſius redditur incapax dignitatis pontificiæ. Confirmatur: quemadmodum dignitas pontificia non ceſſaret, niſi revocaretur voluntas Dei illum conſervantis, ita nec tollitur dignitas Epiſcopalis, niſi revocetur voluntas pontificis illam cõſervantis. Ratio autem cur non ſtatim ac Epiſcopus renunciat papæ voluntas non cenſetur ceſſare, eſt, quia voluntas pontificis non revocatur, niſi per contrarium actum ejuſdem. Voluntas Dei revocatur per ſolum actũ contrarium ſubjecti nolentis illam habere Quia cum hac conditione Deus illam confert ſubjecto: cum nequeat alio modo voluntas Dei nobis innoteſcere, quàm per externum actum contrarium ſubjecti.

III. Nec dicas cum Bellarmino pontificatum eſſe quoddam ſpirituale Matrimonium pontificis cum Eccleſiâ, igitur quemadmodum ad diſſolvendum matrimonium utriuſque conjugis voluntas eſt neceſſaria, ſic ad diſſolvendum ſpirituale matrimonium inter papam & Eccleſiam neceſſarius eſt cõſenſus Eccleſiæ renunciationem acceptantis. Reſpondet Amicus diſp. 7. ſect. 6. n. 229. pontificatũ deficere à rectâ ratione matrimonii, quia hoc obligat perpetuo vinculo corpus utriuſque conjugis alteri conjugi. Quare quamvis unus velit recedere, non tenetur alter recedere, qui corpus recedentis habet ſibi perpetuo vinculo obligatum. At pontificatus non obligat vinculo perpetuo papam Eccleſiæ, ut ſi velit ſponte recedere non poſſit, ſed tantùm ex hypotheſi dum manet Papa. Eo quod dum manet Papa ex conſenſu tacito tenetur ſuccurrere & ſubvenire Eccleſiæ ſponſæ ſuæ cum quâ contraxit matrimonium ſpirituale, alioqui Papa ſemel electus à Papatu recedere nunquam poſſet & acceptare alium Epiſcopatum, quemadmodum vir ſemel conjugatus, nequit unquam à conjugio recedere & ducere aliam uxorem. Quamvis autem Chriſtus non conferat dignitatem papalem niſi dependenter à conſenſu Eccleſiæ, poteſt tamen illam auferre independenter ab ejuſdem conſenſu. Ratio eſt, quia non confert illam dignitatem niſi humano modo, qui fit per hominum electionem & ſubjecto capaci, quod ubi independenter ab Eccleſiâ fit ſubjectum incapax, poteſt per ſolam renunciationem voluntariam ejuſmodi dignitas tolli à Pontifice, quæ tamen renunciatio debet Eccleſiæ innoteſcere per actum externum, ut ſibi de alio paſtore providere queat. Aliàs ſi non conſtet de illâ renunciatione, quamvis Papa actu interno renunciet, papali dignitate nõ privatur, eo quod Eccleſia capite carere non debeat.

Poteſt papa invitus privari dignitate pontificiâ. Ita Amicus ſupra num. 235. & alii inf a referendi. Probatur primò ex 8. Synodo generali actione 7. in 3. allocut. ubi Adrianus Papa hæc ſcribit. *Romanum Pontificẽ de omnium Eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus: de eo verò quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolum licitum eſt junioribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus liberè reſpuendi.* Leo II. epiſt. ad ſextam Synodum OEcumenicam in fine IV. Adrian.

fine Concilii anathematiſat Honorium I. Pontificem ſuum prædeceſſorem. *Anathematiſamus* (inquit) *Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam, non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ illuſtravit, ſed profanâ traditione immaculatam ſedem ſubvertere conatus eſt.* Quibus ſubſcribit cap. *Si papa*, diſt. 40. *A nemine* (inquit) *Papa judicandus, niſi deprehendatur à fide devius.* Favet ratio, jus naturale concedit facultatem cuilibet ſe defendendi cum moderamine inculpatæ tutelæ contra injuſtum invaſorem. Igitur ſaltem caſu quo Papa injuſtè invaderet Eccleſiam poſſet invitus deponi. Dices Papa habet à Chriſto dignitatem pontificiam: at Chriſtus neminem invitum eâ privat. Non poterit igitur Papa invitus eâ privari, quia nemo poteſt auferre dignitatem, niſi is qui dedit. Si igitur dignitatem pontificiam Deus contulit, ab eo ſolo poteſt auferri. Minor patet quia nullum peccatum repugnat pontificiæ dignitati. Cùm enim hæc detur in bonum Eccleſiæ, ſi cum illâ pugnaret aliquod peccatum, nunquam Eccleſia poſſet eſſe certa de ſuo legitimo paſtore, at Deus quod ſemel donum communicavit non aufert niſi corrumpatur, vel corrumpi debeat per formam cõtrariam. Reſpondeo, quod licet phyſicè & ex naturâ rei nullum crimen repugnet dignitati pontificiæ, tamen repugnat moraliter & ex inſtitutione divinâ ob grave incommodum, quod poteſt accidere Eccleſiæ ob aliquod crimen Papæ, in cujus bonum & commodum datur hæc dignitas. Quis autem ſit hic caſus quo Papa cenſeatur injuſtè invadere Eccleſiam, conſequenter explicabitur.

V. Non poteſt propter quodcunque peccatum quod notorium Eccleſiæ ſit ſcandaloſum deponi Pontifex. Licet, ſi corrigi nolit. Ita Bellarminus libr. 4. de Romano Pontifice cap. 6. Suarez diſput. 7. ſect. 6. & ante illos Albertus Pighius contra Gloſſam cap. *Si papa*, diſtin. 40. & nonnullos alios exiſtimantes Papam (ſi nolit corrigi) poſſe deponi propter quodcunque peccatum notorium & Eccleſiæ ſcandaloſum. Addunt tamen Bellarminus & Suarez primò papam ob ſolum crimen hæreſis eſſe deponendum, ſi illã perpetrare poſſet; negant tamen eſſe poſſibile Papam (etiam ut eſt perſona privata) poſſe hæreſim committere, & conſequenter poſſe deponi. Ratio prima eſt, quia id videtur poſtulare ſuavis diſpoſitio divinæ providentiæ, ut qui ex officio docere ſemper debet veritatem, non ſit hæreticus. Nam quomodò ſemper docebit veritatem, qui hæreticus eſt, & ſentit oppoſitum. Niſi dicas quod Deus veritatem à tali pontifice extorquebit, ſicut olim ex ore aſinæ Balaam extorſit juſtam querelam contra ipſius errorem, at hoc eſt violentum, & contra divinam providentiam quæ diſponit omnia ſuaviter. Ratio ſecunda, Dominus præcepit Petro & ſucceſſoribus, ut confirmet fratres ſuos & indubiè id præſtabit Lucæ cap. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, Ideſt, ut ſaltem non deficiat tua prædicatio veræ fidei. Ratio tertia fundatur in eventu, hactenus enim nullus pontifex fuit hæreticus, vel certè probari non poteſt ullum Papam fuiſſe hæreticum. Signum igitur eſt non poſſe eſſe. Dices primò Chriſtus Joannis cap. 21. verſ. 15. 16. 17. priuſquam Petrum ad Pontificiam dignitatem eveheret, ac paſcendas oves committeret, ter ab eo charitatem requiſiviſſe. *Diligis me, amas me.* Cajetanus ibi. *Antequam Chriſtus curam ovium committat Petro, non petit ab eo ſcis, aut potes, aut vis, ſed diligis me? Non dicit diligis oves meas, diligis præmia, promiſſiones meas, & hujuſmodi? ſed diligis me?* Et poſt pauca ſubdit. *Nulla merces, nulla mercedis ratio, nulla Petri utilitas proponitur, ſed ſolus Chriſti amor exigitur, & affertur ratio paſcendi agnos Chriſti.* Iſidorus Clarius. *Paſce oves meas, ac ſi apertè dixiſſet: Nemo debet Paſtoris officium accipere, niſi charitate cæteris antecellat, quod & tibi faciendum eſt.* Et S. Chryſoſtomus or. in B. Philogoniũ tomo 6. *Non dixit Chriſtus, abjice pecunias, jejunium exerce, macera te laboribus, ſed omnibus illis prætermiſſis, dicit illi, ſi diligis me plus his?* Reſpondet

Ioan. 21. v. 15 16. 17.

Cajetan.

Amicus

Amicus ſupra num. 246. falſum eſſe quod Chriſtus exegerit à Petro charitatem ut fundamentum auctoritatis pontificiæ: alioqui Eccleſia ſemper dubitaret de vero & legitimo paſtore. Sed ut oſtenderet charitatem eſſe neceſſariam maximè in Pontifice, non ad fundandam dignitatem paſtoralẽ, ſed ad exercendum fructuoſius & utilius officium paſtoris erga oves. Dices 2.º Eccleſiã ſcandaliſari per omne crimen publicum & notoriũ. Per omne crimen publicum & notorium Papam fieri injuſtum Eccleſiæ invaſorem, ſicq; Eccleſiã habere jus à naturâ procedẽdi contra ipſum ut contra injuſtũ officii invaſorem ipſum deponendo. Reſpondet Amicus quod quãvis quodlibet peccatũ publicum & notorium papæ ſit Eccleſiæ ſcandaloſum, tamẽ negari Papam eſſe deponendũ ob quodlibet peccatum, ut patet ex rationibus adductis. Verum quidem eſt, quod talibus ſcandalis Papa reddatur injuſtus invaſor Eccleſiæ, non tamen ideò deponendus eſt, cùm Eccleſia poſſit alio modo contra talem injuſtum invaſorem ſe defendere, ſcilicet non obtemperando in iis, quæ manifeſtè ſunt contra mores. Card. Bellarminus lib. 4. de Rõ. pont. cap. 6. Suarez de fide diſp. 7. ſect. 6. poſt Phyghium & alios, negãt Pontificẽ, etiam ut privatam perſonã, poſſe labi in hæreſim, ac proindè poſſe deponi. Primò quia ſuavis providentia divina exigit, ut qui ex officio debet alios confirmare in fide ac docere veritatem ſit fidelis. Secundò nullus Pontifex haſtenus contraxit hæreſim, ſed reſpondeo ad eorum argumentum fundatum in providentiæ divinæ ſuavi regimine, & dico non defuturos modos, quibus Deus poſſet ſervatâ lege ſuavis providentiæ nunquam permittere, ut Pontifex hæreticus aliquid ex cathedrâ publicè contra fidem definiat.

VI. Poſſe igitur Papam ut privatã perſonam in hæreſim labi, & ob eam deponi, non autem ob alia flagitia, etiam enormia & ſcandaloſa ſuſtinent communiter Theologi, præcipuè Cajetanus opuſc. de auctoritate papæ & Concil. cap. 17, Sotus in 4. diſtin. 22. quæſt. 2, art. 2. §. *Dubium autem eſt* Bannez 2. 2. quæſt 1. art. 10. dub 2. §. reſp. Canus libr. 6. de locis Theolog. cap. ult, ad 11. Corduba libr. 4. ſuarum quæſt. tract. de poteſt. Papæ quæſt. 12. Malderus Azorius part. 2. lib. 4. cap. 7. Amicus ſupra diſput. 6. ſect. 7. num. 239 Poſſe in hæreſim incidere. Et ob eam deponi patet ex citatâ epiſt. Adriani papæ ad 8. Synodum generalem action. 7. in 3. allocut. quâ videtur aſſerere Honorium Pontificem ut privatam perſonam fuiſſe à Concilio damnatum propter hæreſim. Et ratio eſt quamvis enim Chriſtus fuerit pollicitus ſe nunquam permiſſurum, ut portæ inferi prævaleant adverſus ſuam Eccleſiam & ſedem Apoſtolicam. Nihilominus non tenetur impedire privatos errores Pontificis, ut privatæ perſonæ, ſed dumtaxat publicos docentis & ex cathedra definientis. Sic enim tantùm errores Papæ poſſunt nocere Eccleſiæ, quæ tenetur ſuo capiti ex cathedrâ docenti & definienti obtemperare.

Nec verba illa Lucæ cap. 22. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Intelliguntur de fide privatâ, ſed publicâ, quam Petrus & ſucceſſores tenentur docere fratres, ut colligitur ex verbis ſequentibus. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Rectè Theophilactus. *Quia Petre te habeo principem diſcipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es & fundamentum*: non ait, qui es perſona privata; ſed *qui es petra & fundamentum*, hoc eſt Pontifex univerſalis & paſtor omnium. Illi arridens Titus Boſtrenſis *Eſto poſthac Petre eorum Doctor & firmamentum qui mihi per fidem adjungentur.* Nomine *Doctoris* non intelligit perſonam privatam, ſed publicam. Præfata Chriſti verba concernere Petrum, ut eſt caput Eccleſiæ etiam inſinuant Sanctus Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſuâ ad pontificatum. Leo IX. epiſt. ad Petrum Patriarcham Antiochenum. Lucius I. epiſt. 1. ad Epiſcopos Hiſpaniæ & Galliæ. Fœlix I. epiſt. ad Benignum. Marcus epiſt. ad Athanaſium. Agatho epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem lectâ in ſextâ Synodo act. 4. & action. 8. à toto Concilio ap- VII. Lucæ c. 22. v. 32

 probatâ

probatâ. Paſchalis II. in Concilio Romano apud Abbatē Vrſpergenſem in Chronico. Innocentius III. cap. *Majores*, de baptiſmo. S. Bernardus epiſt. 90. ad Innocentium. Vndè licet poſt præfatam Chriſti pollicitationem Petrus, ut privata perſona, Chriſtum nō tantùm ore, ſed etiam corde negaſſet, adhuc fuiſſet vera Chriſti pollicitatio, eoquod fide recuperatâ potuiſſet fratres in fide confirmare. Quod verò Pōtifex poſſit & debeat deponi propter hæreſim, probatur primò ex cap. *Si Papa*. diſtin. 40 & citatâ epiſtolâ Adriani papæ ad octavam Synodum. Secundò, ratione, nam hoc malum eſt valdè perniciosum, eo quod ſemel ortum potenter ſerpit in mentibus hominum aliter quàm reliqua flagitia. Hæc enim relinquunt lumen intellectus liberum ad cognoſcendam fœditatem criminū, per quam homo poſſit deflectere ab iis perpetrandis. At hæreſis obſcurat mentem exhibendo illi falſum ſub ratione veri, & malum ſub ſpecie boni. Nam hæretici multi arbitrantur certò verum eſſe quod credunt, & bonum quod operantur, ideòque hæreſis majores radices mittit in mentes hominum, reliqua autem vitia ſuam malitiam apertius manifeſtāt. Quare hæreſis tantò magis eſt à Prælato fugienda, quantò efficacius ſuperior ſuo exemplo & auctoritate poteſt ſuos inferiores inficere. Itaque in Eccleſiâ debuit eſſe medium, quo tā perniciosum malum poſſet efficaciter amoveri: aliàs Chriſtiana reſpublica eſſet conditionis deterius, quàm ſæcularis & politica, quæ poteſt ſe defendere à quocumque injuſto invaſore. Vt autem Papa hæreticus pontificia dignitate privetur, non tantùm debet eſſe mentaliter & occultè hæreticus, ſed debet eſſe notorius & publicus. Ratio eſt, quia debet juridicè innoteſcere Eccleſiæ, alioqui non poſſet deponi. Econtrà ſi aliquos actus hæreſis publicos exercuerit, quamvis mentaliter non ſit hæreticus, idque juridicè conſtet Eccleſiæ, meretur privari pontificiâ dignitate. Cùm hæc privatio ſit in ordine ad Eccleſiam, quæ non judicat de ignotis. Requiritur præterea ut papa perſiſtat in ſuâ hæreſi, ſi enim monitus reſipiſcat, vel aſſerat ſe mentaliter non fuiſſe hæreticum, non erit privandus papali dignitate, niſi poſt reſipiſcentiam conſtet juridicè de relapſu. Tunc enim verendum eſt, nè ad vomitum iterùm redeat, ut monet Apoſtolus ad Titum cap. 3. verſ. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correctionem devita.* Ratio ejus eſt. *Quia ſubverſus eſt qui hujuſmodi eſt.*

VIII. Quod ob alia dumtaxat Pontifex non ſit deponendus, patet primò ex citatâ epiſt. Adriani lectâ in ſexta Synodo. & cap. citato *Si papa*. Secundò ex S. Euſebio pontifice qui obiit anno 311. apud Onuphrium, Genebrardū, Platinam, Ciaconium, Baronium, & refertur cap. *Suus*. 2. quæſt. 7. his verbis. *Oves quæ ſuo paſtori commiſſæ ſunt, eum nec reprehendere, niſi à fide exorbitaverit, nec ullatenus accuſare poſſunt, quia facta paſtorum oris gladio ferenda non ſunt, quanquam reprehendenda rectè videantur.* Et cap. *Aliorum*, quæſt. 3. Sanctus Symmachus Papa, qui ſedit ſub finem ſœculi 4. apud Sigebertum, Palmerium, Onuphrium, Opmeerum, Nicephorum, Genebrardum, Nauclerum, Zonaram, Ciaconium, Platinam, Baronium ita ſcribit. *Aliorum cauſas Deus voluit per homines terminari; ſed ſedis iſtius præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.* Imò Sanctus Antherus papa S. Pontiani ſucceſſor qui Martyr occubuit anno 238. 3. Januarii apud Genebrardum, Onuphrium & alios cap. *Facta*. Hæc ſcribit. *Facta ſubditorum judicantur à nobis, noſtra verò à Domino judicantur.* Item cap. *Nemo*, 9. quæſt. 3. ubi textus. *Prima ſedes à nemine judicatur.* Horum omnium ratio eſt, quia non fuit expediens ob alia flagitia præter hæreſim Papam ſuo pontificatu privari. Primò nè oves ſæpè ſumerent anſam accuſandi & calumniandi pontificem. Secundò, nè porta ſchiſmatibus aperiretur, ſæpè enim poſſent prætendi flagitia digna depoſitione, quod incommodum nō contingit in hæreſi, quæ eſt determinatum & manifeſtum crimen. Tertiò ideò potius ob hæreſim meretur deponi, quia ex dictis ſupra potentius inficit,

Euſebius

inficit, difficilius vitatur, propriumque Chriſtianæ religionis aufert inſigne. Nam amiſſione fidei ceſſat eſſe Chriſtianus. Vndè idiota, imprudens & valetudinarius nequit invitus deponi (inquiunt communiter Theologi & Canoniſtæ,) Secùs tamen ſi perpetuâ amentiâ laboraret, tunc enim ille caſus æquivaleret morti, per quam jure divino ceſſat poteſtas pontificia. Ad majorem tamen cautelam talis pontifex altero canonicè electo poſt judicatam perpetuam amentiam deberet ſponte renunciare. Idem cenſendum eſt de eo qui poſt exactum examen probabiliter ac prudenter judicatur mortuus, & poſtea reperitur vivens, poſtquam alter in ejus locum ſufſectus eſt.

IX. Quod ſi Pontifex à tyranno ſit perpetuis carceribus addictus, non poteſt alius ſubſtitui. Vndè in primitivâ Eccleſiâ dum Pontifices carceribus mā cipati erant, alii in eorum locum non fuerunt ſubrogati. Dices cùm Liberius papa anno 357, Beroeæ exularet, Fœlix II. electus eſt Pontifex, quem Eccleſia colit ut Pontificē Martyrem quod facere non præſumeret, ſi non fuiſſet legitimus. Reſpondent Baronius anno 357. num. 20. Bellarminus lib. 4. de pontifice cap. 9. Amicus ſupra diſp. 6. ſect. 6. numer. 251. Fœlicem in locum Liberii adhuc viventis electum, non fuiſſe legitimum pontificem, niſi poſtquam Liberius exilii pertæſus dicitur ſubſcripſiſſe ut perſona privata condemnationi ſancti Athanaſii & hæreſi Arianæ, & cum Arianis communicaſſe, ob quam communicationem à papatu depoſitus eſt, & ab eo tempore Fœlix cœpit eſſe legitimus pontifex, qui damnavit Conſtantium Imperatorem ut Arianum, ac Martyr occubuit, ut patet ex ejus ſepulchro invento 4. calendas Auguſti 1582. pridie diei, quo Eccleſia ejus feſtum ſolebat celebrare, cum hac inſcriptione: Corpus ſancti Fœlicis papæ & Martyris, qui damnavit Conſtantium, poſt cujus obitum Clerus Romanus rurſus Liberium exilio revertentem elegit. Quo factum eſt, ut Sanctus Auguſtinus, Optatus Milevitanus, & alii, ac noviſſimè Weſſelingius Fœlicem inter Pontifices non numerent, eo quod pontificatus ejus fuit incluſus in pontificatu Liberii. Aliter reſpondet Gualterius ſæculo 4 Liberium communicaſſe quidem cum Arianis, ac ſubſcripſiſſe condemnationem ſancti Athanaſii, non tamen fuiſſe propriè hæreticum, ſed veram fidem ſemper retinuiſſe, maximè quoad conſubſtantialitatem Filii cum Patre. Romam reverſus plures ab eo diſceſſerunt, ac alienati fuerunt, quia cum Arianis communicaverat, & ob hanc ſolam hæreſim præſumptā Fœlici adhæſerunt. Nihilominus poſtquam communicationi cum Arianis omninò renunciavit, ac fidei Catholicæ publicum defenſorem eſſe Clerus Romanus animadvertit, iterùm priſtino gradui illum reſtituit, in quo honorificè & ſanctè ſe geſſit, obiitque anno 367. inquiunt Baronius ad Martyrologium Romanum 29. Julii, & in Annalibus ad annum 357. 358. Bellarminus lib. 4. de pontifice cap. 9. quomodò Fœlix II. ſit aſcribendus faſtis Pontificum Romanorum vide eoſdem Cardinales. Item Hieronymum in chronico, Bedam in Martyrio 24. Octobris Onuphrium, Genebrardum in chronicis, Platinam, Ciaconium in Liberio, Adonem Trevirenſem & Viennenſem, Vſuardum, Theodoretum lib. 2. hiſtor. cap. 17. Liberii & Fœlicis decreta ſunt in tomo 1. Conciliorum, & objectiones contrarias ſolidè refellit Bellarminus ſupra cap. 9. Azorius libr. 4. part. 2. cap. 12. in fine ait Fœlicē II. non fuiſſe legitimum Papam, quippè qui vivente Liberio electus & creatus eſt papa, ſed fuiſſe Vicarium. Poteſt enim Pontifex Vicarium vel adjutorē eligere. *Tunc enim* (inquit) *ſumma ejus poteſtas nulla ſui ex parte minuitur: ſiquidem penè vicarium vel adjutorem, non jus ipſum ac titulus poteſtatis, ſed ſola eſt adminiſtratio & functio, & ea quidem ex liberâ ſummi pontificis poteſtate pendens, & major minorve, amplior aut reſtrictior, prout ipſe voluerit. Quamvis item ſummus Pontifex ſucceſſorem eligeret, non ideò tamen eſſent duo ſummi Pontifices: quia ſucceſſor ante obitum Pontificis nullum jus, nullum* Azorius.

titulum Pontificatus haberet, niſi fortè ipſe Pontifex adhuc vivens pontificiâ ſe dignitate abdicaret, tunc enim ſucceſſor eſſet jure tituli ſummus pontifex. Ad extremum orto in Eccleſiâ ſchiſmate duo pluresvè pro ſummis Pontificibus habentur, ſed hos ſchiſmatis cauſa. Vivente Petro, Linus & Cletus fuerunt ejus adjutores, non Pontifices ſummi, & Fælix dictus vulgò ſecundus fuit Martyr, ſed non legitimus Papa, quippe qui vivente Liberio electus & creatus eſt Pontifex. Sed vicarius, & adjutor. ac Eccleſię adminiſtrator ex liberâ poteſtate Liberii.

CAPUT QUARTUM.

An alicui competat jus deponendi Pontificem hæreticum.

I. TUrrecremata in ſummâ lib. 2. cap. 102. & ſeq Auguſtinus Anconitanus in ſummâ de poteſtate Eccleſ. quæſt. 6. Paludanus tract. de poteſtate Papæ teſte Sylveſtro, verbo *Papa*, quęſt. 4, Sylveſter verbo *Papa*, quæſt. 4. Armilla verbo *Papa*, num. 12. Dominicus Jacobatius de Conciliis lib. 4. art. 1. & lib. 8. art. 1. & 2. Alphonſus à Caſtro lib. 2. de juſtâ hæreticorum punit. cap. 23. & 24. affirmant pontificem hæreticum eſſe quidem jure divino privatum pontificatu; ſed Eccleſiæ ſententiâ poſtea declarari eum ob crimen hæreſis Pontificiâ dignitate cecidiſſe. Quibus arridere videtur Bellarminus libr. 2. de Romano Pontif. cum hoc diſcrimine; quod Turrecremata dicat ſufficere ſolum actum internum: at Bellarminus requirat actum externum manifeſtũ. Sed alii communiter negant Pontificem factum hæreticum eſſe divino jure depoſitum, ſed deponendum eſſe ab Eccleſiâ. Ita Cajetanus lib. de auctoritate Papæ & Conciliorũ cap. 18. & alibi. Canus lib. 4. de locis Theologicis cap. ult. ad 12. Corduba lib. 4. ſuarum quæſtionum tract. de poteſtate papæ quæſt. 11. Sotus in 4. diſtin. 22. quæſt. 2. artic. 2. Bannez ibidem quæſt. 1. art. 10. Malderus ibidem dub. 7. Turrianus diſp. 16. dub. 3. Suarez diſp. 10. ſect. 6. dicto 2. Amicus ſupra num. 254. & alii. Ex noſtris Philippus à Sanctiſſimâ Trinitate in 2. 2. D. Thomę diſp. 3. dub. 5. & alii. Probatur primò vel ſecundùm mentem Turrecremata Papa deponeretur à Deo per ſolam hæreſim internam vel externam, at neutrum dici nequit. Non quidem per internam, cùm eſſet Eccleſię incognita, undè ex eo nõ poſſet de alio capite ſibi providere. Non etiam per externam occultam, eo quod hujuſmodi hæreſis non innoteſcat Eccleſiæ, quamvis poſſit innoteſcere. Non etiam per externam publicam. Quia dubium reſtat, quæ publicatio ſit neceſſaria, ut cenſeatur à Deo privatus dignitate pontificiâ, ſicque Eccleſia maneret perplexa, quis verus paſtor & caput Eccleſiæ foret. Confirmatur. Coram Deo, tam eſt perfectè hæreticus, qui objecto revelato diſcredit per ſolum actum internum, quàm qui per externum. Igitur non tantùm eſſet hæreticus actu externo, ſed etiã interno deponeretur à Deo. Deinde quæro an qui ſolùm actu externo eſſet hæreticus deponeretur à Deo. Si deponeretur, igitur Deus deponeret eum, qui non eſſet verus hæreticus, cùm hæreſis conſiſtat præcipuè in actu interno. Si non deponeretur, contra. Nam talis ſaltem in facie Eccleſiæ eſſet hæreticus. Probat ſecundò Cajetanus hac rationatione. Depoſitio à dignitate Pontificiâ eſt pœna graviſſima, igitur non incurritur niſi ſit expreſſa in jure, non quidem humano, quia tale jus nullibi extat; & quamvis extaret, non poſſet obligare pontificem, qui nullum ſuperiorem in terrâ agnoſcit, nec ullus pontifex poteſt ab alio excommunicari, nec in hæreſim incidens contrahit excommunicationem, ab alioque Papâ pontificiâ auctoritate deponi, eo quod par nullum imperium habeat in parem. Non etiam jure divino poſitivo; quia tale jus ut obligaret, deberet extare. Nam nulla pœna obligat, niſi expreſsè conſtet de illâ. Neque jure divino naturali, primò quia ſi hæc pœna eſſet de jure divino naturali, multi non eam negarent, ſicut de facto negant; deindè nullum tale jus conſtat, quod declaret Pontificem hæreticum illicò à Deo deponi. Si enim aliquod extaret maximè eſſet, quia fides videtur ne-

ceſſaria

ceſſaria diſpoſitio ad gradum pontificiam: ſed hoc falſum, ut patebit ex ſolutione argumentorum. Probatur tertiò ex abſurdis. Si papa laberetur in hæreſim manifeſtam, & poſtea ſtatim reſipiſceret: ob manifeſtam hæreſim ſtatim à Deo privaretur dignitate pontificiâ: eò quod per hæreſim ſubjectum illicò redderetur incapax pontificatus. Et tamen ſecundùm Canones non eſſet deponendus. Nam Canones jubent deponi ſolùm incorrigibilem, ad ſic Titum cap. 3. verſ. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*, non ait ſtatim *devita*. Nec dicas ejuſmodi papam reſipiſcentem ſtatim à Deo reponi in gradum priſtinum. Contra, ergò abſque humanâ electione accipit de novo dignitatem pontificiam, quam perdiderat per hæreſim præcedentem. Inſuper Eccleſia eſſet dubia de toto tempore intermedio. Confirmatur. Deus non dat pontificiam dignitatem, niſi interveniat electio Eccleſiæ, igitur nec eandem tollit niſi interveniat ejuſdem declaratio. Hinc infert Amicus ſupra numer. 258. ante bullam Gregorii XV. de eligendo pontifice in collatione pontificiæ dignitatis hæreſim non obſtare quominùs hæreticus canonicè electus accipiat à Deo dignitatem pontificiam. Quamvis enim peccent electores eligendo hæreticum in pontificem, nihilominus eſt valida electio, quantùm eſt ex vi electionis ſimpliciter. At ſecùs poſt præfatam bullam Gregorii XV. præſcribentis Cardinalibus ut ſub juramento eligant, quem ſecundùm Deum judicant eſſe eligendum.

II. Dices primò, hæreticum per hæreſim ſtatim deſinere eſſe membrum Eccleſiæ. Quia ſicut per fidem efficimur membra Eccleſiæ, ſic per fidei amiſſionem deſinimus eſſe membra ejuſdem Eccleſiæ. Igitur nequit eſſe caput ejuſdem. Reſpondeo diſtincto antecedente. Per manifeſtam hæreſim Pontifex ſtatim deſinit eſſe membrum Eccleſiæ, quoad vitalem influxū fidei & charitatis verum eſt, non autem quoad exteriorem Eccleſiæ gubernationem. Potuit enim Chriſtus paſtorale officium regendi Eccleſiam committere propter commune bonū Eccleſiæ membro adhuc arido. Licet enim non ſit Chriſtianus per fidem, erit per characterem. Quod de facto commiſerit ex eo probatur, Quia hic modus eſt congruentior pro Eccleſiæ utilitate. Dices ſecundò Non Chriſtianus non poteſt eſſe papa. At hæreticus non eſt Chriſtianus, igitur nequit eſſe papa. Reſpondeo. Diſtinguo majorē. Si neque per fidem, neque per charitatem, neque per characterē ſit Chriſtianus nequit eſſe papa, concedo. Si ſaltem ſit Chriſtianus per characterem nequit eſſe papa, Nego. Dices tertiò. Pontifex nullum habet in terris ſuperiorem niſi Deum ex mente ferè omnium Catholicorum, igitur poteſt à ſolo Deo deponi, eò quod depoſitio ſit actus juriſdictionis, qui in deponente ſuperioritatem requirit, & ſubjectionem in eo, qui deponendus eſt. Si igitur poſſet deponi ab Eccleſiâ, hæc eſſet ſuperior Papâ. Reſpondet noſter Philippus à Sanctiſſimâ Trinitate ſupra in explicatione 3. partis concluſionis Eccleſiam ſive Cōcilium generale non eſſe ſupra Papam, ſed è contra Papam eſſe ſupra Concilium, & conſequenter Concilium non habere poteſtatem auctoritativam ſupra Papam, ideoque cùm deponeret Papam factum hæreticum id præſtare per poteſtatem miniſterialem Eccleſiæ in Concilio generali cōgregatæ ac repræſentatæ, non verò per auctoritatem poteſtativam ipſius ſupra Papam. Differunt tamen Doctores in explicatione iſtius poteſtatis miniſterialis. Cajetanus ſupra cap. 20. & 21. ait Eccleſiam non habere auctoritatem ſupra Papam (hæc enim eſt propria Dei, & Chriſti inſtituentis ipſum in Eccleſiâ) habere tamen auctoritatem conſtructivam, & deſtructivam conjunctionis Papatus cum hac vel illâ ſingulari perſonâ. Vndè poteſt ex naturâ rei, ac ſecluſo jure poſitivo eligere hanc vel illam perſonam ſingularem in Papam, & illam à Papatu deponere. Sed hoc videtur excludere poteſtatem auctoritativam Concilii ſupra Papam, ſaltem in caſu hæreſis, niſi amplius declaretur. Non enim eſt difficultas inter auctores, an

Concilium Generale, ſeu Eccleſia univerſalis ſit ſupra papatum, vel ſupra Papam formaliter ſpectatum, quaſi poſſit deſtruere papatum, vel tollere papam ab Eccleſiâ. Aſſerunt omnes Eccleſiam carere poteſtate auctoritativâ ſupra ea, quæ ſunt de jure divino, ſicque nequit tollere ab Eccleſiâ, quin ſint Epiſcopatus & Epiſcopi. Sed dumtaxat eſt difficultas an Concilium ſeu Eccleſia ſit ſupra Papam materialiter ſpectatum: ſive ſupra conjunctionem Papatus cum hac vel illâ ſingulari perſonâ, quaſi poſſit auctoritativè hunc & illum Papam deponere, ſeu hanc vel illam perſonã ſingularem à Papatu excludere, quod eſt auctoritativè deſtruere cõjunctionem papatus, cum hac vel illâ ſingulari perſonâ.

III. Dico igitur, quod poteſtas miniſterialis, quò Eccleſia univerſalis, ſeu Concilium Generale totam Eccleſiã repræſentans poteſt Papam hæreticum deponere in hoc conſiſtit, quod cùm ex jure naturali ſit licitum ſubditis ſuperiorem toti cõgregationi maximè nocivum & pernicioſum recuſare vel excludere, ut communiter recipitur. Et ex alterâ parte de jure divino expreſsè habeatur omnes hæreticos eſſe vitandos,& ab Eccleſiâ reſcindendos, ut paſſim habetur in ſcripturis, quia doctrina hæretica poteſt Eccleſiã labefactare, deprimere & corrumpere, cum fidei doctrina ſit in evidens & ſupra captum humanum, ac proindè hæretici ſunt magis nocivi & pernicioſi Eccleſiæ,quàm alii peccatores. Cùm alia peccata, utpote contra rationem facilè percipiantur & communiter reprobentur. Quod ſi quilibet hæreticus eſt Eccleſiæ nocivus & pernicioſus, eo quod poſſit falsâ doctrinâ alios corrumpere, multò magis Papa factus hæreticus eſt Eccleſiæ nocivus & pernicioſus: cùm ex unâ parte ad eum quaſi Vicarium Chriſti & Eccleſię caput ſpectet fideles in particulari, ac totam Eccleſiam paſcere doctrinâ fidei, juxta mandatum Chriſti Petro & ejus ſucceſſoribus Joannis cap, 21. verſ. 17. *Paſce oves meas*. Et ex aliâ parte factus hæreticus poſſet docere, & moraliter loquendo doceret falſa dogmata in perniciem Eccleſiæ, hinc eſt quod Eccleſia univerſalis in Concilio generali congregata jure præfato tam naturali, quàm divino utens declaret fidelibus Papam eſſe hæreticum incorrigibilem: ac proindè lupum & non paſtorem, ſicque præcipit eſſe ab omnibus fugiendum, quod eſt miniſterialiter ipſum deponi ab Eccleſiâ, ſicut ipſum aſſumit in Vicarium, dum ut electus proponitur ab Eccleſiâ, & hac auctoritate miniſteriali poſſunt ſubditi in unum cõvenientes deponere ſuperiorem majorem, ſicut in præſenti contingit. At hæc auctoritas miniſterialis, ſeu poteſtas Eccleſiæ eſt participatio poteſtatis auctoritativæ Chriſti Domini ſponſi & ſupremi capitis Eccleſiæ ſupra Papam. Eccleſia igitur poteſt juridicè declarare hæreſim. Secundò, declaratâ hæreſi Deus Papam deponit. Tertiò, eadem Eccleſia pœnam illam privationis & depoſitionis declarat abſque ullo juriſdictionis actu. Formaliter ergò à Deo deponitur & ab ab Eccleſiâ declaratur. Sicut electio fit à Deo, extinctio & declaratio fit ab Eccleſiâ.

Dices quartò, Patres communiter docere hæreticos eo ipſo quod incidunt in hæreſim præſcindi à corpore Chriſti, & ab Eccleſiâ ante ullam judicis ſententiam. Igitur ſignum eſt hæreſim ſuâ naturâ reddere ſubjectũ incapax cujuſcumque auctoritatis Eccleſiaſticæ. Reſpondeo Patres eſſe intelligendos vel de præciſione quoad vitalẽ influxum fidei, non verò quoad regimen externum: vel certè loquuntur ſecundùm jura humana, ſecundùm quæ ſtatim hæretici privantur dignitate Eccleſiaſticâ, quæ jura non habent locum in Pontifice, qui nullibi ſubeſt humano juri pœnali & & coactivo. Dixi hanc declarationem quâ cenſeatur Pontifex hæreticus canonicè depoſitus ſpectare ad Cõciliũ generale. Dicunt Suarez diſp. 10. ſect. 6. & Turrianus diſp. 15. dub. 13. congregationem talis Concilii in caſu præfato ſpectare ad Cardinales, nec parendum eſſe Pontifici, ſi illud velis impedire. Quam ſententiam Amicus ſupra num. 265. probabilẽ exiſtimat. IV.

Cœterùm

Cæterùm (inquit idem) poſito, quod de facto Cardinales jam habeāt ab Eccleſiâ per pontifices poteſtatem eligendi papam, erit etiam ipſorum deponere Papam hæreticum, cùm hæc poteſtas ſit naturali jure connexa priori. Quare qui primam admittit, cenſetur & ſecundam admittere. Ratio eſt, quia poteſtas eligendi pontificem includit poteſtatem providendi Eccleſiæ de paſtore univerſali in omni eventu, quo Eccleſia indigeret illo. At inter eventus eſt lapſus pontificis in manifeſtam & publicam hæreſim: igitur in tali caſu ad eandem ſpectat eligere ſupremum paſtorem, ſeu ad eos qui habent auctoritatem eligendi. Confirmatur. Qui dat poteſtatem Electoribus v. g. Cardinalibus eligendi pontificem, dat etiam poteſtatem declarandi papam eſſe hæreticum, ut eo depoſito, poſſit alter juridicè eligi. Ex dictis collige, quod (ſi dubitetur de canonicâ electione, nec certùm conſtet an ſit canonicè electus) debet deponi. Ratio eſt; quamvis enim hic ſit legitimè electus coram Deo, tamen reſpectu Eccleſiæ quæ debet obedire certo capiti ac ſuperiori, non cenſetur legitimè electus. Nam cum Papæ electio procedat humano more per ſuffragia hominum, debet more humano conſtare Eccleſiæ, ut illi obtemperare teneatur. Azorius part. 2. lib. 4. cap. 7. quæſt. 5. id probat exemplo. Nam tempore magni ſchiſmatis, cùm tres ſimul ſe veros Pontifices profiterentur, ſcilicet Gregorius XII. Benedictus XIII. Joannes XXII. ſecundùm Platinam, vel 24. ſecundùm Onuphrium in Genebrardo. Concilium Conſtantienſe convocatum eſt, ut omnes de gradu pontificio dejiceret, licet id neceſſarium non fuerit. Nam Gregorius ſpontè ſe abdicavit, Ioannes in carcerem miſſus coactus fuit dignitati renunciare ſecundùm Onuphrium 1415. Turſelinum lib. 10. epiſt. hiſt. in Sigiſmundo. At verò Benedictus invitus ipſius ſententiâ nudatus fuit omni poteſtate, quibus peractis Martinus V. electus eſt, & ſic ſchiſma è medio ſublatum eſt. Ita Onuphrius annò 1417. Turſellinus lib. 10, epiſt. in hiſtor. in Sigiſmundo. Sanctus Antoninus tit. 22. cap. 7. Volaterranus, Platina, Ciaconius, Nauclerus, & alii. An poſſit pontifex deponi à Cæſare, &c. vel ob defectum prudentiæ, &c.

V. Nonnulli contendunt non tantùm à Concilio ſeu Eccleſiâ, ſed etiam ab Imperatore Pontificem poſſe deponi, & depoſitos fuiſſe non ſolùm propter hæreſim, ſed etiam propter alia flagitia, imò optimè meritos de Eccleſiâ. Sic Ottho I. Imperator Romæ coacto Concilio Joannem XII. depoſuit ob varia ſcelera. Otho Friſingenſis lib. 6. cap. 23. hanc hiſtoriam referens modeſtè taxat Imperatorem. *Vtrum* (inquit) *licitè fecerit, an non, non eſt hujus temporis dicere.* Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 29. *Satis* (inquit) *conſtat Ioannem bono zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam* depoſitum eſſe. Fuit enim iſte Joannes omnium Pontificum ferè deterrimus, atque ideò non parum ſi Otho Pius Imperator: ſed mirùm peritus rerum Eccleſiaſticarum judicaverit eum potuiſſe deponi. Hanc hiſtoriam fuſius narrat Azorius lib. 4. part. 2. c. 8. & tandē concludit contra canones & jura Joannem fuiſſe depoſitum Liberium papam Cōſtantius in exilium miſit, ſed injuſtè ut teſtatur ſanctus Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Juſtinianus Sylverium exilio condemnavit, ſed illud exilium fuiſſe etiam injuſtum teſtatur Liberatus in Breviario cap. 22. Ioannem I. Rex Theodoricus conjecit in carcerem eo quod Eccleſiam contra Arianos conſtanter propugnarat, ſecundùm Sigebertum, Palmerium, Onuphrium, Opmeerum, Genebrardum in Chronicis, Nauclerum lib. 3. generat. 18. Ciaconium, Platinam in Ioanne I. Baronium ad annum 523. 525. 526. & alios. Quod Henricus III. fertur Gregorium IV. depoſuiſſe. Otho Friſingenſis lib. 6, cap. 32. excuſat, ait enim non depoſuiſſe, ſed perſuaſiſſe illi (ut cederet) eo quod videbatur ſimoniacè ingreſſus. Vndè illo ſpontè cedente electus fuit Clemens. Leo Hoſtienſis ipſi coævus lib. Chronici Caſſinenſis cap, 80. addit coactum fuiſſe Concilium Epiſcoporum,

ac invitatum Pontificem ab Imperatore, ut Synodo præſideret, licet ipſius Pontificis cauſa ageretur, qui graviter criminum compunctus, veniam poſtulavit, & Pontificatu ſe ſponte abdicavit.

VI. Quod poteſtas deponendi Pontificem ſit penes Cæſares hæretici conantur probare ex ipſorum Pontificum confeſſione. Nam Gregorius apud Gratianũ can. *Si quis*, 2. quæſt. 7. ait. *Si quis ſuper his redarguere voluerit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, ut ibi ante confeſſionem beati Petri mecum juſtè decertet, quatenus ibi unus ex nobis ſententiam ſuſcipiat ſuam.* Reſpondet Bellarminus ſupra, illa verba non extare in operibus Sancti Gregorii. Secundò Gregorius citat non ad judicium hominis, ſed Dei. Nam videtur loqui de diſceptatione per juramentum, & de expectatione divinæ ſententiæ, quæ ſæpè ſtatim fertur in perjuros. Nec obſtat, quod Adrianus papa I. conceſſit Carolo Magno jus eligendi Romanum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem, ut habetur diſtin. 63. Can. *Adrianus*, & quod Leo VIII. idem cõceſſit Othoni I. ut habetur eadem diſtin. 63 Can. *In Synodo*. Dico enim quod illi Pontifices conceſſerunt tantùm Cæſari jus confirmandi, vel infirmandi electionẽ novi pontificis, & ordinandi Eccleſiam Romanam quoad principatum temporalem. Vndè non ſequitur eum habuiſſe poteſtatem eligendi, vel deponendi Pontificem. Cœterùm duo illa privilegia fuerunt conceſſa Cæſaribus ob ſchiſmata, quæ tunc frequentia erant, & propter Græcos & Longobardos, qui Romanam Eccleſiam continuò vexabant. Quibus cauſis ceſſantibus præfata privilegia ceſſarunt, ſeu renovata fuerunt. Nec item obſtat quod Leo IV. petiit judices in Ludovico Cæſare, & eorum ſententiæ ſe obtemperaturum pollicentur, ut habetur Can. *Non ſi incompetenter*, 2. quæſt. 7. Ibi enim Leo ſubjicit ſe judicio diſcretivo Cæſaris, non coactivo, ut ſatis patenter innuit iſtud caput.

VII. Nec refert tertiò, quod licitum eſt reſiſtere Papæ invadenti corpus vel animas, vel turbanti Rempublicam ſeu Eccleſiam deſtruere ſtudenti. Hæc enim reſiſtentia conſiſtit in non faciendo quod jubet, & impediendo nè ſuam voluntatem exequatur, non autem in poteſtate judicandi, puniendi, vel deponendi pontificem. Hoc enim aliquam ſuperioritatem denotaret. De hac re conſule Cardinalem à Turrecremata lib. 2. cap. 106. & Cajetanum tract. de auctor. papæ & Concil. cap. 27. Vide quæ diximus tomo 2. tract. 3. cap. 5. 6. 4. & ſeq. Pontifex ob defectũ ſcientiæ, prudentiæ, ſanitatis nequit invitus deponi, poteſt tamen in caſu perpetuę amentiæ. (ex dictis ſup.) Ratio eſt, quia hæc ęquivalet morti, ac jure divino ceſſat Papatus. Licet ad ſe redeat, modò prudenter fuerit ante ab Eccleſiâ judicatus futurus ſemper amens, ſic poteſt alter eligi, ſi judicetur probabiliter & prudenter mortuus. Quod ſi à tyranno ſit incarceratus, nequit alius ſubſtitui. Vndè primitiva Eccleſia non eſt auſa Pontificibus incarceratis alium eligere. Et ut (inquiunt Bellarminus libr. 4. de pontifice cap. 9. & Baronius ad annũ 357. num. 20.) Fœlix II. Martyr electus loco Liberii non fuit legitimus Papa, niſi poſtquam Liberius pertæſus exilii ut perſona privata, vel metu, vel ſimulatè dicitur ſubſcripſiſſe hæreſi Arianæ, & communicavit cum Arianis, & depoſitus à Papatu: quo Fœlice defuncto, Liberius rediens exilio iterùm electus eſt. Hinc fit ut Fœlix II. non numeretur inter Pontifices. Vigilius vivente Sylvero non tam electus quàm intruſus fuit operâ Theodoræ Auguſtæ hæreticæ, qui tamen mortuo Sylverio cœpit eſſe legitimus Pontifex accedente ad canonicam electionem conſenſu Cleri Romani. Quod ſi non conſtet certò de canonicâ electione deponendus eſt, quia licet coram Deo ſit legitimè electus, tamen reſpectu Eccleſiæ, quæ debet obedire certo capiti ac ſuperiori, non cenſetur legitimè electus. Quia cùm electio Pontificis procedat more humano, & hominũ ſuffragiis, ut illi parere teneatur debet humano more Eccleſiæ conſtare.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Romani Pontificis inconcuſſa fides ſanctitatem Eccleſiæ denotat.

I. OLim Procopius canebat eos verè, qui fidem conſtanter ſervant: *Multùm in amore fi-*
Procop. *des, multùm conſtantia prodeſt.* Quaſi diceret, illi ſe verè amare demonſtrant, qui in adverſis ſicut & in proſperis fidem inexpugnabilem tenent, id de divinâ fide magis quàm de humanâ verificari debet. Joannes Ludovicus Vives id hac ſimilitudine probat introductione ad Sapientiam cap. 7. *Vt nihil eſt homini gratius quàm*
Vives. *fidi ſibi: ita nec Deo; nec quiſquam bene de illo cogitat, cui timide ſeipſum credit.* Quaſi diceret, ille Deo gratus eſt, ille ſanctus, qui Deo firmiter ac intrepidè credit, qui nullis minis, nullis periculis, nullis ſuppliciis ab ejus fide ſeparari poteſt. Talis fuit Eliæ fides, ea ſi quidem ita firma, ita conſtans fuit, ut omninò inexpugnabilis extiterit, & hac ſuâ firmitate ac conſtantiâ majorem Dei amicitiam ſibi conciliavit, in cujus ſignum etiam inſolitos ei triumphos Deus præparavit. Hinc Divus Chryſoſtomus tomo
S. Chryſ. 1. ſerm. 3. de Eliâ concludit. *Quod & vos quidem qui ad conſequendum Dei munus acceditis totâ fidei devotione credentes percipietis ea quæ Deus Pater daturum ſe credentibus promiſit.* S. Laurentius Juſtinianus varias illius fidei
S. Laur. Iuſtin. proprietates proponit in ligno vitæ cap. 4. primò quomodò ſit porta aurea. *Credit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Roman. cap. 4. *Et multarum gentium pater effectus eſt. Hæc virtus, per quam Deus ad hominem ingreditur: quia eſt ex ſui dignitate porta aurea, per quam intravit in mentem Virginis Dominus omnium Rex ſæculorum. Lux eſt Deus univerſæ fabricæ mundi, beatior ſiquidem fuit glorioſa Virgo Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Pondera illa verba. *Beatior fuit, &c.* Quid ad commendationem fidei amplius dici poteſt? nè tamen id leviter dixiſſe videatur, probat. *Nihil enim materna propinquitas Mariæ profuiſſet, niſi fælicius IESVM corde quàm carne geſtaſſet.*

II. Quod verò non tantùm in Abraham, in Eliâ, in Beatâ Virgine, ſed etiam in Vicario Chriſti Petro, & aliis primariis Eccleſiæ Athletis majorem ſanctitatis gradum conſtans fides produxerit conſequenter oſtendit: ita ut quemadmodum Beatæ Virginis fides fuit porta aurea Verbi Divini ad Virginem, ita in Vicario Chriſti ſit porta ferrea & inexpugnabilis ab inferorũ miniſtris, & porta aurea ad majorem charitatis & ſanctitatis gradum ſuſcipiendum. *Eſt etiam fides* (inquit idẽ Sanctus Juſtinianus) *porta ferrea quia Matthæi cap. 16. portæ inferi non prævalent adverſus eam, ſicut Petro à Domino dictum eſt; profectò qui intimo cordis amore fidem Chriſti percipit quidquid ingruit extra facile vincit, ita ut nec ferro nec igne ſuperari poſſit, omnia tormenta propter Chriſtum contemnit: nihil præter peccatum metuit, diaboli artibus non tantùm reſiſtit, quod etiam quos ipſe jam in peccatum adduxit de manibus ejus retrahit.* Conſequenter probat portam eſſe ſignatam. *Eſt etiam porta ſignata ſuperliminare cujus dicitur eſſe tinctum ſanguine Chriſti ut intuitu paſſionis ejus mens ſuperbiam caveat.* Vocat etiam eam portam ſacratam. *Eſt quoque porta ſacrata tabernaculi ſcilicet Eccleſiæ militantis, ubi hoſtia offerenda eſt. Si enim conſiderantur, quæ Domino in Eccleſiâ munera offeruntur, nihil gratum eſſe conſpicitur, quod ſine fide offertur. Nam fide Abel plurimam hoſtiam obtulit Deo, per quam conſecutus eſt eſſe juſtum, teſtimonium perhibente ejus muneribus Deo, & per illam adhuc loquitur.* Subdit fidem eſſe portam per quam ad gazas & theſauros omnium cœleſtium beneficiorum datur ingreſſus. *Similiter hæc porta theſauraria, quia oſtendit theſaurum regni cœlorum, quem daturus eſt ſervientibus ſibi Deus.* Denique ait tanti eſſe roboris ac virtutis ut non tantùm illam habenti plurimùm proſit, ſed etiam aliis. *Hæc beata fides conterit philoſophiæ ſtimulum & humanæ prudentiæ indoctã*

doctrinam. Piſcatoribus namque plus creditur, quam Dialecticis. Elegit enim Dominus IESVS Deus & Saluator noſter ſimplices & pauperes, ſed in fide divites, per quos ſubjugaretur mundus. Relictis planè ſapientibus, relictis fortibus debiles, relictis divitibus pannoſos homines elegit, & prædicatores infirmos, abjectoſque qui potentes quoſque fideles populos colligerent, habere dignatus eſt. Ad prædicandam namq. fidem talem venire debuerant, qui de laude propriâ nihil haberent, ut tantò ſolidius divinum agnoſceretur eſſe quod agerent, quantò & apertius cerneretur ad hoc illos non eſſe idoneos, per quos tanta fierent, &c. Et infra. *Adjunget quoque fides homini meritum: nam apud Deum ille plus habet meriti, qui plus attulit non argenti, ſed fidei.* Et paulò poſt. *Nam tales, qui ex fide ſunt benedicentur cum fideli Abraham. Hæc cæleſtis & ſancta fides reprimit fluctus tribulationum inſurgentium, in hoc mari, & conterit caput ſerpentis antiqui, ipſum inimicum expellit ab homine, & ipſius ignea tela extinguit, oculum aperit ut videatur hoſtis, qui cum non videtur per abrupta vitiorum ducit ad mortem, cujus figura præceſſit in Samſone. Fides ſimiliter diabolo contumeliam infert, oſtendens ipſum non eſſe Deum, ſed totius mali authorem, & jam judicatum exiſtere.* Tandem infrà ſic exclamat. *O theſauris omnibus opulentior fides! O virtutibus corporeis omnibus fortior, omnibus medicamentis ſalubrior, beati qui poſſident te!* Quomodò beati? non quod ſola beatos efficiat, ſed demonſtret.

III. Quod ſumma fides Petri & pontificum Romanorum eorum ſanctitatem patefecerit, clarè innuit Sanctus Leo ſerm. 2. de anniverſario aſſumptionis ſuæ ad pontificatum. *Manet ergò diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in acceptâ fortitudine petra perſeverans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum janitor conſtituitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas per ipſa appellationum myſteria noſceremus.* Pondera hæc ultima verba. *Qualis cum Chriſto, &c.* quæ demonſtrant firmiſſimam & inexpugnabilem Pontificis Romani fidem eſſe ſignum intimæ cum Chriſto amicitiæ & ſanctitatis. Hęc quidem cum operibus conjuncta intimam cum Chriſto amicitiam & ſanctitatem producit & operatur ſed nuda eandem teſtatur: cum operibus eſt effectiva ſanctitatis: ab operibus abſtracta eſt illius ſanctitatis teſtis infallibilis. Divus Auguſtinus tractatu 50. in Joannem. *Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit,* ideſt fides Petri & quando Petrus regimen Eccleſiæ accepit, oſtendit quanta futura eſſet Eccleſiæ ſanctitas, non tantùm Petri & Eccleſiæ ab eo rectæ, ſed à ſucceſſoribus regendæ ſanctitas ſignificatur. Nam, *Numerate* (inquit idem S. Auguſtinus in pſalm. contra partem Donati) *Sacerdotes, vel ab ipſâ Petri ſede, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Ideſt fides conſtantiſſima, eorum, & Eccleſiæ ſanctitatem demonſtrat. Ex hoc fit, ut paſſim Sedes Romana ſancta denominetur annuentibus Græcis & Latinis Patribus Concilium Florentinum Romanam ſedem ſanctam nuncupat. *Definimus ſanctam & Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem, &c.* Sanctus Leo ſermone 1. de Natali Apoſtolorum. *Per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta latius præſides religione divinâ, quàm Dominatione terrenâ.* S. Ignatius in epiſt. ad Romanos. *Ignatius Eccleſiæ ſanctificatæ, quæ præſidet in regione Romanorum.* Ideſt quæ caput omnium aliarum Eccleſiarum. Theodoretus epiſt. ad Leonem papam. *Ego Apoſtolicæ veſtræ ſedis expecto ſententiam, & ſupplico, & obſecro veſtram ſanctitatem.* Idem ad Renatum Præsbyterum Romanum. *Tenet enim ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum.* Ipſe Iuſtinianus ſenior Auguſtus epiſt. ad Ioannem II. quæ habetur in codice in primo titulo. *Nec enim patimur quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quod non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati.* D. Hieronymus epiſt. ad Damaſum de nomine hypoſtaſis. *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior.* Iulius I. in epiſtol. 1. de Apoſtolis loquens

Marginal notes: S.Leo. — Auguſt. — Concilii Florent. — S.Leo. — Ignatius — Theodor. — Hieron.

Iulius loquens. *Sanctam Romanam Eccleſiam primatum omnium Eccleſiarum habere voluerunt.* Anacl. Anacletus epiſt. 3. *Sacroſancta Romana Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed à Chriſto Domino & Salvatore noſtro primatum obtinuit. Sicut beato Petro ait, Tu es Petrus &c.* Gelaſ. Gelaſius in Concilio 70. Epiſcoporum. *Sancta Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit.* Omitto ſexcentas aliorum authoritates.

IV. Id totum patet ex Martyrio. Martyr enim idem eſt quod teſtis, & Martyrium quod teſtimonium. Cujus rei teſtimonium eſt: primò veritatis fidei. Martyrium enim definitur. *Mors pio Deo obita in teſtificationem, ſeu confeſſionem conſtantem Chriſtianæ fidei veritatis vel in ſeipsâ, vel in aliquo pro opere relucentis.* Ita ex noſtris Thomas de Ieſu (Thomas de Ieſu) de converſione omnium gentiũ lib. 5. part 3. dub. 1. 2, non tantùm dicit in teſtificationem ſeu confeſſionem, vel defenſionem fidei, ſed etiam pro Deo obita, ideſt perpeſſa à tyranno vel perſecutore in odium Chriſti. Ita D. Thomas 2. 2. q. 124. art. 1 in corpore, & in ſolutione ad tertium, cui ſubſcribunt Henriquez, Koninck, Layman, Bonacina apud noſtrũ P. Lezana tom. 3. tract. de fortitudine, Bordonus in cõtroverſ. moral. cõtroverſ. 13. num. 32. Verricelli de miſſionibus quæſt. 29. num. 6. Ex noſtris Salmanticenſes tom 3. in primam ſecundæ, tractat. 9. diſp. 3. dub. 2. numer. 14. Lezana ſupra quæſt. 3. de Martyrio, concluſ. 2. Et innuere videtur ſanctus Petrus 1. epiſt. cap. 4. verſ. 14. *Si exprobramini in nomine Chriſti, Beati eritis.* Vel dicitur, *pro Deo,* ideſt ex motivo placendi Deo. Vnde Chriſtus (Ioann. c. 15. v. 13) Ioannis cap. 15. verſ. 13. *Majorem hanc dilectionem nemo habet, ut animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Divus Chriſoſtomus oratione 5. adverſus Iudæos. *Spontè propter Deum mortem accerſere manifeſtum eſt martyrium.* Ex quâ doctrinâ liquet in martyrio reperiri teſtimoniũ amoris Dei, ita quod non poſſit quis eſſe Martyr, & hoc modo profiteri fidem Dei, niſi etiam charitatem in Deum exhibeat. At Pontifex Romanus tam inconcuſſam ac invincibilem fidem habet, ut paratus ſit omnia ſuppliciorum genera perferre, quàm ab eâ deficere. Igitur licet fides non neceſſariò conjungatur cum charitate, ſed ab eâ poſſit ſeparari, ut docet Concilium Tridentinum (Concilium Trident.) ſeſ. 6. cap. 15. & can. 28. *Si quis dixerit amiſſâ per peccatum gratiâ, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidem anathema ſit.* Et Ioannis cap 12. verſ. 42. *multi ex principibus crediderunt in illum, ſed non audebant illum confiteri, dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei.* (Ioann. c. 12. v. 42) Apoſtolus 1. Corinth. 13, verſ. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum.* (Corin. c. 13. v. 2.) S. Iacobus toto cap. 2. epiſtolæ, ubi ſupponit dari fidem ſine operibus ideſt ſine charitate, & probat noſter Pater Lezana tomo 3. tract. 1. de fide diſput. 5. quæſt. 5. quia ſcilicet fides & charitas realiter differunt, & ſunt ab invicem realiter ſeparabiles: ſicque fides à charitate ſeparata ſuam naturam & eſſentiam ſervat. Undè charitas eſt tantùm forma illius extrinſeca, ut ibidem docet poſt magiſtrum ſententiarum D. Thomam, & ex noſtris Ioannem Betz Thomã Waldenſem, quia non eſt forma phyſica ſed moralis. Licet enim abſque eâ habeat eſſe: illud eſſe eſt otioſum, ſeu non meritorium, & dignum vitæ æternæ, ſicut aquæ quæ non moventur, & arbores quæ non emittunt flores, & frondes, dicuntur mortuæ. Nihilominus ut fides operari poſſit & exercere actus meritorios & dignos vitæ æternæ, maximè martyrium gratum Deo ſubire, debet informari à charitate. Quod ſi igitur Romani Pontificis fides ſit infallibilis, inexpugnabilis & viva, moraliter debet illam infallibilitatem & inexpugnabilitatem accipere non tantùm à ſpeciali aſſiſtentiâ Spiritus ſancti in promiſſionibus Chriſti Matthæi cap. 16. & Lucæ cap. 22. ſed etiam à charitate de quâ Sapiens Canticorum cap, 8. (Cant. c. 8. v. 6.) verſ. 6. *Fortis eſt ut mors dilectio tua.* Non tantùm in ſe, ſed in aliis virtutibus, & maximè fide quas inexpugnabiles reddit.

CAPUT SEXTUM.

Sanctitas Rom. Pontificis patet in eo quod ſit Iudex controverſiarum fidei.

Probatur ex Scripturâ.

I. QVamvis ſupra aliquid de hoc argumento & ſequentibus dixerimus, tamen ex profeſſo differendum nobis eſt. Lutherus, Calvinus, Melancton, Brentius, & alii hæretici docent omnes controverſias fidei & religionis ex ſolâ ſcripturâ judicari & decidi, non verò authoritate Eccleſiæ ſeu pontificis Romani. At conſtans eſt Catholicorum mens ejuſmodi poteſtatem judicandi controverſias eſſe ſitam in Pontifice Romano. Et ut à veteri Teſtamento & hiſtoriâ noſtrâ exordiar: occurrit mihi piiſſimus Ioſaphat Rex Juda, Eliæ & Eliſei contemporaneus & amicus, qui inter raptum Eliæ & Eliſei obiit: ut patet ex hiſtoriâ Regum, Saliano, Torniello, Patre noſtro Lezanâ tomo 1. Annalium noſtri Ordinis. De præfato Joſaphat ſcribitur lib. 2. Paralippomen. cap. 19. verſ. 24. *Habitavit ergò Ioſaphat in Ieruſalem, rurſumq́; egreſſus eſt ad populum de Berſabêe uſque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum Patrum ſuorum: conſtituit judices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per ſingula loca, & præcipiens judicibus; videte, ait, quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, Et quodcunque judicaveritis in vos redundabit.* Quibus verbis inſtituit in ſingulis Civitatibus judices inferiores, qui debeãt ex officio difficultates ortas in populo Judæorum dirimere, ut habetur Deuteron. cap. 16. verſ. 18. ubi inter alias leges & ordinationes Moyſes has condit. *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas, ut judicent populum juſto judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonam nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum. Iuſtè quod juſtum eſt perſequeris.* Et quidem conſequenter ad mandatum Dei ac Conſilium Iethro Exodi cap. 18. verſ. 13. *Venerunt Aaron & omnes ſeniores Iſrael, ut comederent panem cum eo coram Domino, alterâ autem die ſedit Moyſes ut judicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à manè uſque ad veſperam. Quod cum vidiſſet cognatus ejus ait, quid eſt hoc quod facis in plebe? cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane uſque ad veſperam? cui reſpondit Moyſes venit ad me populus quærens ſententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua diſceptatio veniunt ad me ut judicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei & legis. At ille: non bonã (inquit) rem facis: Stulto labore cõſumeris & tu, & populus iſte, qui tecum eſt, ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea atque conſilia. Erit Dominus tecum, provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex his tribunal, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicent populum omni tempore.* Controverſiæ autem, quas dirimere debebãt illi judices juxta Moyſis inſtitutum, ad duas congregationes referuntur, quarum alia de ſanguine, alia de leprâ judicabat. At ſecundùm intentum regis Ioſaphat ad quatuor reducuntur ut patet ex citato lib. 2. Paralippom. cap. 19. verſ. 10. *Vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis & juſtificationibus oſtendit eis ut non peccent in Dominũ, & ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros.* Lyranus ibi notat quod aliquæ controverſiæ naſcebantur ex lege Decalogi, aliæ ex mandatis moralibus, quæ fiunt extra legem Decalogi: aliæ ex præceptis cæremonialibus ſpectantibus ad cultum divinum. Denique aliæ ex præceptis judicialibus quæ concernebant pacem externam, & conſervationem juſtitiæ.

2. Par. 19. v. 24 — *Deuter. 16. v. 18* — *Exod. c. 18. v. 13* — *Paral. c. 19. v. 10* — *Lyran.*

II. Ex quibus patet primò quod ſolus Moyſes in deſerto qui erat pontifex extraordinarius omnes omninò cauſas, & controverſias in populo ortas judicabat. Deinde quia ejus onus erat nimis grave, ut illo aliquantulùm ſublevaretur

ſublevaretur, conſtituit tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos qui minores controverſias dirimerent. Deindè poſt ejus mortem pro negotiis facilioribus in ſingulis civitatibus tribunal ſeu judicium conſtitutum eſt. Præter hæc tribunalia minora ſic in civitatibus Iuda inſtaurata, Rex optimus Ioſaphat aliud majus nonnihil collapſum reſtituit, lib. 2. Paralip. cap 19. verſ. 8 *In Ieruſalem quoque ſubſtituit ſacerdotes, & levitas, & principes familiarum ex Iſrael, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis dicens, ſic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto, omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, inter cognationem & cognationem, ubicumque quæſtio eſt de lege, & de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus oſtendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos, & ſuper filios veſtros: ſic ergò agentes non peccabitis. Amarias autem ſacerdos & pontifex veſter in his quæ ad Dominum pertinent præſidebit, Porrò Zabadias filius Iſmael qui eſt dux in Domo Iuda ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ex quibus nota, quod Rex non tantùm reſtituerit majus concilium, ſed etiam ordinaverit, ſeu determinaverit quid in illo agendum eſt. Primò ſcilicet, ut majus illud Concilium eſſet in Ieruſalem. Minora verò Concilia in ſingulis civitatibus forent. Deindè ut in majori Concilio cauſæ difficiliores expedirentur. Præterea ut Pontifex tam majori quàm minori præſideret. Inſuper quod à minori daretur jus appellationis ad majus. Denique quod in majori præter Pontificem eſſent ſeptuaginta perſonæ, in minori verò viginti tres. Item quod majus vocatur Sanedrim vel Sinedrion, vel Concilium ſeniorum, non verò minus. Nota etiam quod manifeſtè diſtinguat Ioſaphat Rex officium pontificis & ejus Concilii ab officio Regis, ſeu ejus Parlamenti & Concilii Regii, & conferat ſoli pontifici poteſtatem judicandi dubia & controverſias legis & fidei: ut patet ex illis verbis. *Amarias pontifex veſter in his quæ ad Dominum pertinent præſidebit*, ideſt judicium aget. Item ex his. *Vbicumq; quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus.* Omnes ſcilicet controverſiæ ex lege non benè intellectâ, vel interpretatâ juriſdictioni pontificis ſubjacebunt. Hujus majoris concilii & appellationis ad illud, fit mentio Deuteronomii cap. 7, v. 8. *Si difficile & apud te judicium eſſe perſpexeris inter cauſam & cauſam, lepram & non lepram, judicium intra portas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad ſacerdotem levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius ſequerisque ſententiam eorum, nec declinabis ad dextram neque ad ſiniſtrã. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo tuo ex decreto iudicis morietur.* Notat Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 4. in editione vulgatâ, quam non recipiunt Lutherani. *Et docuerint te.* Eſſe non verò in aliis, quæ non ſonant conditionem, ſed aſſertionem ſivè promiſſionem. Nam non voluit dicere ſta judicio ſacerdotis; Si docuerit te ſecundùm legem, alioqui homines fuiſſent magis dubii, & perplexi quàm ante, nec fuiſſet opus recurrere ad ſacerdotem, ſi ipſi potuiſſent ex lege Domini per ſe judicare cauſam ſuam. Imò ſacerdos non fuiſſet tunc judex, ſed ipſi, cùm de ſententiâ Sacerdotis judicaturi eſſent. Non eſt ergò illa conditio ſed promiſſio, quâ Deus vult reddere populum ſecurum ſi ſacerdoti qui judicabit ſecundùm legem acquieſcat. De hoc majori Concilio loquitur Deus Moyſi Numerorum cap. 11. verſ. 16. *Et dixit Dominus ad Moyſem: congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, & duces eum ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris* Infra verſ. 24. *Venit ergò Moyſes & narravit*

[Margin notes: l. 2. Par. 19. v. 8. — Deuter. 17. v. 8. — Bellarm]

narravit populo verba Domini, congregans ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos ſtare fecit iuxta tabernaculum, deſcenditque Dominus per nubem & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris. Cùmque requievisſet in eis ſpiritus prophetarunt, nec ultra ceſſaverunt. Idipſum inſinuat Iethro Exodi cap. 18. verſ. 22. *Quidquid autem maius fuerit referant ad te: & ipſi minora tantummodò iudicent, leviuſque ſit tibi partito in alios onere. Quibus auditis Moyſes fecit omnia, quæ illi ſuggeſſerat, & electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. quidquid autem gravius erat referebant ad eum faciliora tantummodò iudicantes.*

Exod. c. 18. v. 22

III. De hoc ſupremo tribunali ſcribit Ioſephus lib. 2. contra Appionem. *Pontifex ante alios ſacerdotes Deo ſacrificat, leges cuſtodit, dijudicat controverſias, convictos delicti punit, cui qui non obedit, is pœnas luit tanquam in Deum impius.* Et Eccleſiaſtes cap. 12. verſ. 11. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & ſicut clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum concilium data ſunt à paſtore uno.* Quaſi diceret, quando ſententia data eſt à paſtore ſummo, qui unus eſt: præcipuè adjuncto ſapientum concilio, non oportet ulterius inquirere, ſed illi acquieſcendum eſt. Quibus verbis innuit quanta tunc eſſet authoritas ſacerdotum veteris legis, quod à fortiori de ſummo ſacerdote, ſeu pontifice novi teſtamenti dicendum eſt, cùm majores à Deo promiſſiones acceperit. Accedunt prophetarum oracula, Aggæi cap. 2. verſ. 12. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum interroga ſacerdotes legem.* Quorũ ſcilicet interpretationi inhærebis. Et Malachiæ cap. 2. verſ. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Non dicit labia privatorum hominum, labia magiſtratus, labia ſacerdotum, ſed labia ſacerdotis, ſcilicet pontificis, qui cum ſit Angelus, ideſt immediatè à Deo inſtitutus, ejus officium eſt explicare mentem Dei in ſcripturis, & lege contentam. Hujus Concilii ubi ſummus Sacerdos præerat meminit Chriſtus Matthæi cap. 10. verſ. 17. *Tradent enim vos in Conciliis, &c.* Maldonatus per Concilium intelligit Synedrion, ubi graviores cauſæ decernebantur. Id confirmat exemplum Herodis Regis, nam cùm de Meſſiæ adventu dubitaretur congregatum eſt Concilium Sacerdotum cui pontifex præſidebat, ut colligere eſt ex Matthæi cap. 2. verſ. 3. *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo, & congregans omnes principes Sacerdotum & Scribas populi ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt in Bethleem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſrael.* Nota primò quod Herodes & populus dubitarunt de loco Nativitatis Meſſiæ. Deindè quod dubium non ipſi diſcuſſerint, ſed ad Concilium ordinarium Sacerdotum detulerint. Præterea quod ſacerdotes quibus ſuperior erat Pontifex ſolverint ex ſcripturâ, cujus interpretatio erat commiſſa ſacerdotibus: ut dictum eſt ex Aggæo & Malachiâ. Quamvis autem aliqui ſacerdotes eſſent magis periti in lege quàm Pontifices, poſſentque non minus quam ille legẽ intelligere & interpretari ſecundùm humanã ſapientiam, ſeu induſtriam: tamen illa explanatio fuit potius pontifici cõmunicata ob aſſiſtentiã Spiritus ſancti quæ in illo erat, ut patet in Moyſe Num. cap. 9. verſ. 17. ante legem integrè ſcriptam, orto dubio, an immunditia legalis prohiberet celebrare Paſcha. Num. 15. verſ. 32. quomodò plectendus qui in ſabbatho inventus fuiſſet ligna colligens. Num. cap. 27. verſ. 1. an filiæ Salphaad poſſent habere hæreditatem inter cognatos Patris ſui. Moyſes vivâ voce Deum conſuluit, & reſponſum ſeu voluntatem Dei ſolus eſt executus.

Ioſephus — *Eccleſ. c. 12. v. 11* — *Agg. c. 2. v. 12.* — *Malach. c. 2. v. 7.* — *Matt. c. 10. v. 17.* — *Matt. c. 2. v. 3.* — *Num. 11 verſ. 17.*

§. I. Ange-

§. 1.

Argumenta contraria diluuntur.

I. CONtra præfatam Pontificum veteris teſtamenti authoritatem militare videntur teſtimonia & exempla ex eodem ſacro codice deprompta, Deuteronomii cap. 17. verſ. 18. *Poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui deſcribet ſibi volumen legis hujus in volumine, & habebit ſecum, legetque omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Deum & cuſtodire verba & ceremonias, &c.* Ex quibus verbis hæretici inferunt principem poſſe de doctrinâ fidei, & ex ipſo verbo cognoſcere & judicare. Item pſalm. 2. verſ. 10. *Et nunc reges intelligite erudimini qui judicatis terram, &c.* Et pſalm. 138. verſ. 21. *Nonne qui oderunt te oderam, & ſuper inimicos tabeſcebam.* Hoc autem præſtare non poſſunt niſi cognoſcant & judicent quæ ſit bona vel mala doctrina. Igitur Reges habent poteſtatem judicandi & decidendi de doctrinâ religionis

Deuter. 17. v. 18

Pſal. 2. verſ. 10.

Pſ. 138. v. 21.

II. Sed facilis eſt reſponſio ſcilicet Reges invitari ad cognitionē, ſtudium, & cultum rerum divinarum: non tamen datur illis poteſtas, ut quilibet ad nutum judicet, ſed ut ſervetur obedientia fidei, menſura donationis, & ordo vocationis in Eccleſiâ à Deo cōſtitutus. Exempla ſeu potius tela quibus utuntur adverſarii contra nos, ipſos magis premere videntur quàm nos. Nam Moyſes (ſecundùm aliquos) non erat ſacerdos, ſed princeps & dux populi: vel ſaltem non erat ſummus ſacerdos, & tamen dedit Iſraelitis omnem rationem ſacræ doctrinæ, imò inſtruxit Aaron & alios Levitas, ut patet ex ſupradictis. Joſue cap. 3. Iſraelitarum dux ordinat ſacerdotes, qui portent arcam fœderis cap. 4. 5. 8. 23. Exponit myſterium & ſignificationem duodecim lapidum, quos in tranſitu Jordanis erexit, circumcidit filios Iſrael, ædificavit altare Domino, concionatus eſt, & monuit populum nē commercium haberet cum Gentilibus, non verò Eleazarus qui tunc erat ſummus ſacerdos. Præterea David lib. 1. Paralippom. cap. 13. arcam reduxit, benedixit populo in templo, conſtituit miniſtros Altaris, &c. Et cap. 16. Salomon ejecit Abiathar, ut non eſſet ſacerdos, & alia fecit exemplo Patris ſui David. Item lib. 2. Paralippom. cap. 19. & 20. Ioſaphat conſtituit Levitas & Sacerdotes, prædicavit jejunium univerſo Iudæ, hortatus eſt ad fidem. Lib. 2. Paralip. cap. 29. & 30. Ezechias inſtaurat templum Domini, tollit ſerpentem æneum, concionē habet ad ſacerdotes & Levitas, jubet celebrari phaſe extra ſolitum tempus. Quibus omnibus reſpondet Stapletonus de poteſtatis Eccleſiaſticæ ſubjecto controverſ. 2. lib. 5. cap. 22. nō licere facere principibus Chriſtianis quod regibus in veteri lege: quia illorum ſacerdotium erat imperfectius, & umbra ſeu figura hujus, & in lege novâ perficiendum, ſeu in melius mutandum, ut patet ex poteſtate ſacerdotali. Et colligi poteſt ex Luc. cap. 10. Ioannis 20. Matthæi cap. ult. & diſputatione Apoſtolicâ 2. Corint. cap. 3. Item ſacerdotium vetus habuit ſuas leges, ſacrificia, ritus, cæremonias à Moyſe ſcriptas & ordinatas, quibus peccatum erat aliquid addere vel detrahere, ut hic nullâ aliâ re opus eſſet quàm præſcriptos cultus & leges executioni mandare. In quo genere poſſent Reges commodiſſimè concurrere. Nam ardua & ſublimiora myſteria fidei, quæ ſacerdotum judicia maximè deſiderarent nondum erant neceſſariò ab omnibus explicitè credenda, ſed tantùm à majoribus, ab aliis verò in fide majorum, ut ex ſententiâ Patrum docet Divus Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 7. in corpore. Sed in Chriſti Eccleſia multa acceſſerunt myſteria explicitè credenda, etiam à plebe, ſcilicet quæ in articulis fidei continentur, circa quę malè intellecta hæreſes oriuntur. Deindè ratio cultus divini & regiminis externi, ritus & ceremoniæ omnes non fuerunt ſcriptæ, ſed *Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat ſervavit Chriſtus hunc locum.* Ex divo Auguſtino epiſt. 118. quod qualiter ab Apoſtolis factum fusè refert S. Dionyſius lib. 1. Eccleſ. hierar.

Staplet.

Thomas

Tertiò

Tertiò diſciplina Synagogæ erat gladius, & pœna temporalis Deuteron. cap. 17. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio ex judicis decreto morte moriatur.* De eodem ſtatu ſimili & pœnali ita divus Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 2. *Quod enim tunc fiebat gladio, lapidationibus, altiſque corporeis cenſuris, degradationibus, & excommunicationibus faciendum eſſe ſignificatum eſt hoc tempore: cum in Eccleſia diſciplinâ viſibilis fuerat gladius ceſſaturus.* Ratione iſtius diſciplinæ corporalis & gladii viſibilis, quo reges utebantur, hi reges Eccleſiaſticis cauſis piè & neceſſariò aliquo modo ſe immiſcebant. At nunc cum ad diſciplinam Eccleſiaſticam gladius viſibilis non ſpectet, ex D. Auguſtino ſequitur ad Reges non amplius ſpectare Eccleſiæ diſciplinam & regimen, ſed ad eos qui habent claves, & poſſunt ligare & ſolvere. Quartò Synagoga unum locum & populum afficiebat, & in eo ſacrificabatur, undè illius cura ex parte penes regem erat: quod Eccleſiæ convenire nequit. Vndè quando olim diviſio regni fiebat, ſequebatur diviſio religionis, ut patet in Jeroboam lib. 3. Reg. cap. 2. & divo Auguſtino lib. 17. de civit. cap. 12. item lib. de unitate Eccleſiæ cap. 12. At unitatem religionis & Eccleſiæ Romanæ multitudo regnorum non diviſit, ſed omnes uni ſummo paſtori, & uni regulæ fidei adhæſerunt. Et innuere videtur Scriptura, quæ Synagogam vocat *Regnum ſacerdotale*, Exodi cap. 19. Eccleſiam verò *Regale ſacerdotium*, Petri cap. 2. ad hunc locum D. Thomas. *Innuitur prærogativa novi teſtamenti reſpectu veteris. In novo enim teſtamento Sacerdotium præeminet regno, ſicut ſpiritus corpori. In veteri verò regnum præeminebat ſacerdotio. Ideò ibi regnum, ſic ſacerdotium in ſubſtantivo ponuntur, eo quod ibi ex regno, ſit ex ſacerdotio quaſi ſubſiſtat religio.* Vndè D. Auguſtinus non categoricè, ſed hypotheticè hæc ſcribit epiſt. 48. *Verumtamen ſi facta præterita in propheticis libris figuræ erant futurorum, in rege Nabucodonozor utrumque tempus præfiguratum eſt, & illud quod ſub Apoſtolis habuit, & quod nunc habet Eccleſia.* Ad-

Deut. 17 · *Auguſt.* · *Thomas* · *Auguſt.*

de quod lex vetus erat figura futurorum novæ legis, non in omnibus cum hęc lex ſit veteri nobilior, etiam in regimine, undè dicitur, *Tota pulchra, &c.* quia poteſtati ſœculari non ſubeſt. Sic vetera ſacrificia, & ſacerdotium præfigurabant noſtra, licet imperfectè, in eo quod rem perfectam præfigurabant: Tamen ad ſingulas hiſtorias reſpondere fas eſt, nè evaſiſſe potius, quàm ſatisfeciſſe videamur. Ac primò dico Moyſem fuiſſe ſacerdotem patet pſal. 98. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus.* Idem aſſerunt D. Auguſtinus in illum pſalmum, D. Gregorius Nazianzenus in oratione de Moyſe & Aaron, D. Chryſoſtomus homil. 3. in acta, D. Hieronymus lib. contra Iovinianum, Philo lib. 3. de vitâ Moyſis. Aaron quidem habuit ſacerdotalem functionem quoad adminiſtrationem verbi & ſacramentorum, quæ poteſtas Ordinis eſt. Moyſes verò habuit juriſdictionem ſeu poteſtatē regendi & leges ferendi id patet ex cap. 4. v. 16 Exodi. *Aaron loquetur pro te ad populum & erit oſtium, tu autem eris in his quæ ad Deum pertinent.* D. Auguſtinus tomo 4. quæſt. ſup. Exod. lib. 3. quæſt. 23. *Si Moyſes ſacerdos non fuit, quomodò per illum omnia gerebantur? ſi fuit, quomodò ſummum ſacerdotium ab ejus fratre incipit?* Infra reſpondet. *Ambo erant ſummi ſacerdotes, Aaron propter veſtem pontificalem*, ſcilicet cultum ſacrificiorum, *Moyſes propter excellentius miniſterium*, ideſt juriſdictionem. Moyſes fuit typus Chriſti quia à Deo immediatè miſſus & inſtitutus ſacerdos, Aaron Petri ſub Chriſto. Aliorum ſacerdotum princeps vocatione tamen ordinariâ & miniſteriali. Nec ideò Synagoga fuit biceps ſub Moyſe & Aaron, ſicut nec nunc ſub Chriſto & Pontifice. Moyſi Ioſue ſucceſſit Numer. cap. 27. Deuter. cap. 34. Moyſes tamen à Deo immediatè miſſus & edoctus in omnibus dux fuit & ſacerdos. Ioſue verò tantùm dux. Rectè Theodoretus in Numeros quæſt. 48. *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* Non dicit eandem vel omnem, *ut audiat omnis Synagoga filiorum Iſrael.* Addit Deus Num. cap. 27. verſ. 21. *Pro hoc ſi quid agendum erit Eleazar ſacerdos conſulet*

Exod. 4. v. 16. · *Theodor.* · *Num. 27 verſ. 21.*

conſulet Dominum, ad verbum egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo Quæ verba declarant Joſue non fuiſſe ducem Eleazari in iis quæ ad Deum pertinent ſicut Moyſes erat Aaroni: ſed è contra cùm conſilio Eleazari parere debebat. Deindè Joſue non fecit omnia allegata, ſed per principes ſuos, nè hos ſuo exemplo miniſterio verbi, & Sacramentorum ingereret, reliqua verò fieri juſſit. Quoad David, ut propheta compoſuit pſalmos.

III. Idem curavit non ex ſuo judicio ut patet lib. 1. Paralipom. cap. 16. v. 40. *Iuxta omnia quæ ſcripta ſunt in lege Domini*, ſed juſſus ſcilicet Deuter. cap. 17. *Accipere exemplis à ſacerdotibus.* Vndè Paralippom. lib. 1. cap. 24. *Sacerdotū & Levitarum vices ſecundum miniſteria factæ ſunt ſub manu Aaron patris eorum, ſicut præceperat Dominus*, ideſt ſub regimine non regio, ſed Aaronico Salomon impedivit nè Abiathar fungeretur ſacerdotio, ſed cum gradu & ordine ſacerdotali non privavit. Sic Reges Chriſtiani Epiſcopos mittunt in exilium ob privatas quærelas, non tamen privant gradu Epiſcopali. Sic Salomon non ejecit Abiathar in causâ fidei, ſed ob læſam majeſtatem, & factam conſpirationem. Præterea Abiathar non erat ſummus ſacerdos, ſed Sadoch. Lib. 1. Paralippom. cap. 24. licet Ioſaphat miniſtros templi conſtituerit, prædicaverit jejunium, &c, tamen non ſibi arrogavit judicium in doctrinâ fidei. Imò contrarium patet ex lib. 2. Paralip. cap. 19. verſ. 25. hinc in utroque genere civili & Eccleſiaſtico magiſtratum inſtituit, ſeu potius declaravit Eccleſiaſticum, monuitque populum ut illi pareret, ut ſolent principes ſæculares monere. Ioſaphat quidem conſtituit ſub ſe Zabadiam. Amariam verò Sacerdotem non item, ſed lex ſacerdotalis præſcripſit, quia erat major natu de filiis Aaron, Eodem modo lib. 4. Regum cap. 18. Ezechias ſtuduit cultui divino eo modo quo David & alii Reges, ut patet ex lib. 2. Paralipom. cap. 19. verſ. 25. *Conſtituit Levitas &c. ſecundùm diſpoſitionem David, &c.* ideſt imitatus eſt David. Si quid immutavit, fuit tantùm in ritibus circa miniſterium Levitarum & Paſchæ celebritatem. Plura apud Stapletonum ſupra. Deindè quod ſi præſtiterit ex zelo honoris Dei, non debet trahi in exemplum perpetuæ & ordinariæ poteſtatis. Denique Ioſias curavit diligenter & decrevit, ut cultus Dei in lege præſcriptus ſervaretur: ſed non condidit legem, ut patet lib. 4. Regum cap. 23. & lib. 2. Paralip. cap. 34. ſed mandatū fecit inſtar Moyſis. Deuter. cap. 17. Nec præſcripſit quomodo facerent, ſed ut facerent. Nec Sacerdotes imperio Regis paruerunt, ſed legis. Idē fieri poteſt ab omnibus regibus videntibus graſſari hæreſes. Vndè aliud eſt à rege reſtaurari cultum divinum, & ſanam doctrinam & à rege pendere in eſſe, naturâ & conſervatione. Hæc Apoſtolica doctrina ſtetit trecentis annis uſque ad Conſtantinum, qui (ſicut & nonnulli alii) Eccleſiæ & doctrinæ Apoſtolicæ propagandæ ſervivit, ſed non illam rexit. Defendit, ſed non docuit. Vndè nec ille nec alii fuerunt capita Eccleſiæ, ſed illius filii obedientes, ſupremumque paſtorem agnoverunt.

L. 1. Par. 16. v. 40 — L. 2. Par. 29. v. 25 — Staplet.

§. 2.

Probatur ex novo Teſtamento.

I. ET ut ab umbrâ ad veritatem, à Synagogâ ad Eccleſiam quæ *tota pulchra eſt, tota perfecta & abſque maculâ*, tranſeamus. Hujus ſupremam authoritatem in decidendis cōtroverſiis fidei aſtruit ipſe Chriſtus Matthæi cap. 16. verſ. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum, &c.* Quibus clavibus non tantùm poteſt ſolvere vincula peccatorum, ſed etiam alia impedimenta, quibus ſtantibus non poteſt patere aditus ad cœlum. Vndè Chriſtus non dicit quemcumque ſolveris, ſed *quodcumque*, ideſt omnia vincula, omnes nodos, ſive pœnarum, ſive culparum, ſive legum, ſive dogmatum, ſive controverſiarum dabo tibi, ô Petre, tuiſque ſucceſſoribus ſupremam ſolvendi poteſtatem. Sic dum ſanctus Ioannes Apocal cap. 3. verſ. 7. vult exprimere generalem

Matt. c. 16. v. 19.

Chriſti facultatem ſolvendi quæcumque impedimenta, illam per claves exprimit. *Hæc dicit Dominus ſanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Nomine clavis intelligitur poteſtas generalis ſolvendi quidquid introitum ad gratiam & gloriam impedire poteſt. Contra, cùm Iſaias vult declarare Sacerdotem ſeu Pontificem ſummum omni authoritate & poteſtate deſtitutum & ſpoliatum nomine clavis tantùm utitur cap. 22. verſ. 15. *Vade & ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo ad ſobnam præpoſitum templo, & dices ad eum: Quid tu hic, &c. Vocabo ſervum meum Eliachim filium Helchiæ, & induam illum tunicâ tuâ, cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manus ejus, & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda. Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Per illa verba *dabo clavem*, intelligitur poteſtas. *Super humerum ejus.* Principalis Eccleſiaſtica ſeu quæ principibus conferebatur, quorum principatus ſignificabatur per claves quæ geſtabantur in humeris, juxta illud Iſaiæ cap. 9. verſ. 6. *Factus eſt principatus ejus humerum ejus.* Particulæ *Domus David* deſignant Eccleſiam. Divus Thomas ita explicat electionem Helciæ. *Hic ponit alterius ſubſtitutionem & circa hoc tria ponit. Primò electionem vocabo unum de viginti quatuor, ut legitur lib. 1. Paralip. cap. 25. & lib. 1. Regum cap. 2. Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum ſit. Secundò, ipſius conſecrationem. Et induam eum, qui cum veſtibus pontificalibus conſecrabatur, ut patet Levit. cap. 18. de veſtibus iſtis, & Exodi cap. 28. Tertiò cõfert juriſdictionem & poteſtatem. Et primò quantùm ad poteſtatem quam habebat in populo. Pſalm. 108. Fiant dies pauci, & Epiſcopatum ejus accipiat alter, & erit quaſi Pater, Ieremiæ cap. 3. Dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ. Secundò quantùm ad poteſtatem, quam habebat ad templum, & clavem quæ aurea erat, Domus David ideſt templi, ad quod ædificandum David impenſas præparavit, ut patet lib. 1, Paralip. in fine ſuper humerum, ideſt ſuam gubernationem.* Clarius & magis ad propoſitum noſtrum clavem illam ſuper humerum explicat Hector Pintus in Iſaiam ubi poſtquam ſenſum litteralem explicavit myſticum ſubdit. *Clavem domus David appellat prælationem & curam paſtoralem, quæ clavi meritò comparatur, quia ſuo modo aperit ſubditis oſtium cœli, quando præſul vitâ, doctrina, & exemplo inſtruit ſuos, &c. Claudit & aperit, quia illi ſubditi obediunt: & quod ille jubet, hoc fit: & quod ille prohibet vitatur. Licet autem non in humero, ſed in manu, aut in corrigiâ ex cingulo pendente ſoleant portari claves. Hanc clavem ſuper humerum Deus dicit ſe daturum ſervo ſuo. Quæ eſt hæc clavis tam grandis? quod eſt hoc tantum pondus, ut non in manu, ſed in humeris bajuletur? At ſi volueris animo celeriter circumſpicere, videbis planè non ſolùm hanc clavem humeris quibuſcumque indigere, ſed validiſſimis & integerrimis. Quid eſt enim gravius quàm animorum gubernatio? ideò enim hæc clavis non in manu Prælatorum ferenda dicitur, ſed in humeris, ut animadvertas ſummâq̃ cõſideratione perpendas quanti ponderis ſit animarum prælatio, & cura, Præſul ille quem Deus conſtituit & elegit clavem in humero bajulat.* Quod de pontifice Romano verius eſt quàm de ullo alio prælato: illi enim Chriſtus claves regni cœlorum contulit.

Apoc. c. 3. v. 7.

Iſaiæ c. 22. v. 15

Thomas

II. Eadem poteſtas decidendi controverſias fidei ac religionis colligitur ex verbis Chriſti apud eundem Matthæū cap. 18, verſ. 17. ubi Chriſtus differens de injuriis quibus unus ab alio afficitur, verbi causâ adulterio, jubet deferri ad Eccleſiam, concludens. *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi veluti ethnicus & publicanus.* Sanctus Chryſoſtomus per Eccleſiã intelligit Prælatum Eccleſiæ, cui ligandi atque ſolvendi poteſtas data eſt: quemadmodum magiſtratus, qui rempublicam gubernat, vocatur reſpublica, & quod ab illo fit & declaratur, cenſetur à republicâ factum & declaratum. Ratio eſt, cùm reſpublica ſit corpus aliquod, corpus autem non loquatur per pedes, &c. ſed per caput. Nihilominus

minùs totus homo dicitur loqui & audire. Sic cùm caput Eccleſiæ aliquid decernit circa dogma fidei, & declarat aliquid eſſe de fide, id à totâ Eccleſiâ factum eſſe cenſendum eſt.

III. Eandem authoritatem declarat Ioannis cap. ultimo verſ. 17. *Simon* Ioann.c. 21.v.17 *paſce oves meas.* Quod autem dicit Petro, de ejus ſucceſſoribus intelligendum eſt, cùm Chriſtus tantam curam habuerit Eccleſiæ ſuæ in progreſſu, ac in ejus ortu, nec illam minùs dilexerit proficientem & perſeverantem uſque ad cõſummationem ſœculi, quàm naſcentem. Deindè particula illa *paſce*, de illius doctrina intelligenda eſt. Bernar. Divus Bernardus ſermone in illa verba. *Et Ecce nos reliquimus omnia*, ait, *Speret diſcipuli locum, qui dominicum paſcere gregem ſatagit non tondere. Paſcere verò tripliciter exemplo converſationis, verbo prædicationis, fructu orationis. Et paſcere ad mandatum Chriſti & nemo ſibi hunc ſumat honorem, ſed qui vocatus à fuerit Deo tanquam Aaron.* Ephes.c. 4.v.11 Sanctus Chryſoſtomus expendens illa verba Apoſtoli Epheſ. cap. 4. verſ. 11. Chryſoſ. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, &c.* Homil. 11. in illam epiſtolam ſubdit. *Ad hoc enim donum iſtud accepiſti, ut alios ædifices. Honore te Deus affecit, & ad hoc ordinavit, ut alios inſtrueres: nam ad hunc ſcopum datus eſt Apoſtolus, ad hunc Propheta, &c.* Cui arridet D. Gregorius homil. 1. in Gregor. Ezechielem hæc verba. *Alios autem Paſtores & Doctores*, ita interpretatur ut ambæ voces regimen aliorum denotent, quia rector debet docendo paſcere. *Paſtores* (inquit) *& Doctores unum regentium ordinem nominat, quia gregem Dei ille veraciter paſcit qui docet.* Denique per *Oves*, intelliguntur fideles, ut patet Ioannis cap. 10. v. 16. Ioann.c. 10.v.16. *Fiet unum ovile & unus paſtor.* Quod D. Cyprianus de Petro & ejus ſucceſſ- S. Cypr. ſoribus reſpectu Chriſtianorum intelligit. Ita enim ſcribit lib. 1. epiſt. 6. ad Magnum, loquens de Novatiano, qui ſedente Cornelio papâ volebat fieri Pontifex Romanus, *Dominus inſinuans nobis unitatem de divinâ authoritate venientem ponit & dicit. Ego & Pater unum ſumus. Ad quam unitatem redigens Eccleſiam ſuam dennò dicit. Et erunt unus grex & unus paſtor. Si autem grex unus, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui non manente vero paſtore in Eccleſiâ Dei ordinatione ſuccedaneâ præſidente nemini ſuccedens, & à ſeipſo incipiens alienus fit & prophanus.* Accedit D. Chryſoſtomus ſupra citatus lib. 2. de ſacerdotio Chryſoſ. circa principium. *Quânam de causâ ille ſanguinem effudit ſuum? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat.* Cùm igitur Petro & ſucceſſoribus ejus grex Chriſti ſit ſingulariter commiſſus, debet Petrus, debent ejus ſucceſſores, illum paſcere doctrinâ; inſtruere quid debeat profiteri circa doctrinam fidei. Quæ cura & præceptum inſtruendi debet ſingulariter impleri decretis & conſtitutionibus, docendo Eccleſiam quid credere debeat. Non verò concionibus, commentariis in ſcripturam, quaſi pontifex non valens ad omnes oves concionem habere debeat illas ſuis ſcriptis & commentariis inſtruere. Hoc onus paſcendi Eccleſiam per decreta intellexit D. Hieronymus epiſt. ad Damaſum, quâ ſuper nomen hypoſtaſis poſtulat Hieron. à pontifice controverſiæ reſolutionem. *A paſtore* (inquit) *præſidium ovis flagito.*

Clarius illud judicium expreſſum IV. videtur Lucæ cap. 22. verſ. 32. ubi Lucæ c. 22.v 32 Chriſtus ſic Petrum affatur. *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quomodò ait *confirma fratres tuos.* Quia ſi princeps fuerit invictus in fide, alios & exemplo & verbo confirmabit in eadem fide. Quod Sanctus Leo ſermone 3. de anniverſario ſuæ aſſumptionis innuere videtur. *Pro fide* S. Leo *Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit.* Explicatius Theophilactus in illud caput Lucæ, Theophi *Quia te habeo ut principem diſcipulorũ, poſtquam negato me fleveris confirma cæteros. Hoc enim te decet qui poſt me Eccleſiæ Petra es & fundamentum.* Quaſi diceret, ideò confirmare debes: ideò

tibi jus & poteſtas alios confirmandi competit, quia tu es petra, tu es fundamentum ſuper quod ædificabo Eccleſiam meam. Quomodò verò confirmabit? non prædicando, ſed decernendo quid credendum, quid non credendum ſit. Hunc autem locum ſacra Concilia & Patres non de Petro priuatim, ſed de Romanis Pontificibus ejus ſucceſſoribus interpretati ſunt: ita ut idem munus decernendi controverſias fidei illis impoſitum ſit. Tertull. Tertullianus libr. de præſcriptione cap. 36. fidem illam ita commendat. *Status fœlix Eccleſia, cui totam doctrinã Apoſtolicum ſanguine profuderunt.* Divus Gregorius Nazianzenus iiſdem Gregor. Naz. encomiis effert. *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet ſicut decet urbem, quæ toti orbi præſidet.* Præſidet non tantùm dignitate Cathedræ, ſed doctrinæ & fidei firmitate, ut alios corroboret, vel lapſos in ſinum ſuum recipiat. Id non dicit de aliis regnis, urbibus, Eccleſiis, in quibus floruerunt tam multi Sancti, in quibus alii Apoſtoli fidem fixerunt: quia iſtis ſanctis locis Petrus non ſedit, quia illis Apoſtolis & ſanctis Præſulibus firmitatem fidei Chriſtus non eſt pollicitus, quia illis non cõmiſit regimen totius Eccleſiæ, nec mandavit ut alios à verâ fide aberrantes ad veram ſemitam reducerent. Vndè ex illis Eccleſiis multæ hæreſes pullularunt, multi errores eas labefactarunt. At *hæreſis nulla* (inquit Ruffinus in ſymbolum) *in Eccleſiâ urbis Romæ ſumpſit exordium.* Ruffin. Divus Hieronymus apologiâ 3. contra Ruffinum. Hieron. *Scito Romanam fidem Apoſtolicâ voce laudatam hujuſmodi præſtigias non recipere, etiamſi Angelus aliter annunciet quàm prædicatum eſt Pauli authoritate munitam non poſſe mutari.* Eadem ſcribit epiſt. ad Oceanum & ad Pammachium. Quidquid oblatrent hæretici nunquam hanc fidem à Patribus & Conciliis ita celebratam Romana Sedes & Eccleſia perdidit, nullâ vi à ſoliditate fidei potuit dimoveri, nullo tempore, nullis perſecutionibus, ſed potius incrementum accepit,

§. 3.

Probatur ex Patribus & Hiſtoricis.

IN hujus veritatis confirmationẽ longam Patrum ſeriem contexerem: ſed pro hac re videndus Baronius, Bellarminus, & alii. Item Euſebius lib. 6. hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 29. Nicephorus lib. 5. cap. 19. Vnicum ex Græcis producam Cyrillum in theſauro quem citat divus Thomas opuſculo de erroribus Græcorum. *Debemus nos* (inquit) *capiti noſtro Romano Pontifici adhærere, ad omnes pertinet, ab eo quid credendum quid tenendum ſit accipere.* Non ait, debemus nos capiti noſtro Antiocheno, Conſtantinopolitano, Ieroſolymitano, &c. Præſuli adhærere. Non dicit pertinet ab eo quid credendum, quid tenendum ſit accipere: quia nullus illorum Præſulum fuit caput univerſalis Eccleſiæ, & cum à fide defecerint & variis erroribus ſe illaqueaverint reliquæ Eccleſiæ ab iis accipere nõ poſſunt quid credendum, quid tenendum ſit. I. Cyrillus

II. Auguſt. Ex Latinis, Eccleſiæ Africanæ Epiſcopus divus Auguſtinus qui deciſionibus credendum exiſtimat Pontificis Romani, ſic enim epiſtol. 106. ad Paulinum loquitur de epiſtolis Innocentii. *Ad omnia ille nobis reſpondit ſicut fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem reſpondere.* D. Hieronymus licet Doctiſſimus & Pontifice Damaſo doctior, ut teſtantur quæſtiones ſcripturarum quas Damaſo explanavit, tamen fidei dogmata non decernit, ſed illud judicium ab hoc Pontifice expectandum eſſe exiſtimat. Hieron. *Diſcerne* (inquit epiſt. ad Damaſum) *ſi placet obſecro non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis.* Et infra. *Obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum mundi ſalutem, per Omouſion trinitatem, ut mihi epiſtolis tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.* Quid mihi ais, nonnè illo doctior es? Eſto, ſed non tanto lumine fidei illuſtratus, non ita in fide firmus, non ita infallibilis.

Ex

IV. Ex Galliâ Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium papam II. *Oportet, &c.* ſupra cap. 1, Et infra *Tempus eſt ut veſtrũ agnoſcatis Pater amantiſsime principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis, in eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & ſedem, ſi veſtrâ admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtrâ authoritate conteritis fidei corruptores.* Quibus ultimis verbis innuit Pontificem non tantùm prava dogmata condemnare debere, ſed etiam fidei corruptores, ideſt hæreticos conterere. Idem habet epiſt. 189. in quo patenter oſtendit ad Pontificem Romanum ſpectare de dogmatibus judicare.

Bernar.

V. Ex Angliâ ſanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. ita Vrbanum Romanum pontificem affatur. *Quoniam divina providentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſiâ ut eius authoritate corrigatur, nec ulli alii tutius, ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, ut ejus prudentiâ examinatur. Quapropter ſi quid nulli dignius poſſum, ita nulli libentius præſentem epiſtolam quam veſtra deſtino Sapientiæ, quatenus ſi quid in eâ corrigendum eſt veſtrâ cenſurâ caſtigetur, & quod regulam veritatis tenet veſtrâ authoritate roboretur.* Non tantùm privati Doctores diverſarum nationum exiſtimarunt Petri ſedem ac Romanos pontifices eſſe judices controverſiarum fidei, ſed etiam ipſa Concilia ex prælatis totius orbis coacta id aſſeruerunt. Et ut ab incunabilis Eccleſiæ auſpiciemur: & quæ ſupra diximus de Pontifice Romano ut eſt Pater fidelium, qui ejus fidem ſectantur: de eodem, ut eſt judex fuſius demonſtrabimus inductione factâ per omnia ſœcula.

Anſelm.

§. 4.

Probatur ſerie Sæculorum.

TEmporibus Apoſtolorum controverſia orta eſt de ceremoniis legis maximè de circumciſione Actorum cap. 15. verſ. 1. an novi Chriſtiani ſeu infideles fidem Evangelicam amplexantes ſalvari poſſint, niſi prius circumciderentur & legalia obſervarent. Quidam ex Judæis ad Chriſtianiſmum converſi aſſerebant Gentiles non poſſe ſalvari per fidem Chriſti, niſi prius ſuſceptâ circumciſione & ſervatis ceremoniis legis Moſaicæ. Paulus verò & Barnabas contendebant circumciſionem & obſervantiam legalium non eſſe neceſſariam. Ad decidendam hanc controverſiam, non ad Scripturam recurrerunt, ut judicem communem, non ad principem aliquem ſæcularem, nõ ad Ioannem Evangeliſtam, &c. Sed ad ſolemnem congregationem in Ieruſalem, cui præerat Petrus, cujus decreto omnes obtemperarunt, quod miſſum eſt ad omnes Gentiles Chriſtianos verſ. 7. *Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos, viri fratres ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii & credere, &c. Et qui novit corda Deus teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos & illos, &c.* Ex quibus patet hanc controverſiam non fuiſſe terminatam per Saulum & Barnabam qui ambo erant Apoſtoli, & Doctores. Deindè fuiſſe deciſam non allegatâ ſcripturâ Geneſis cap. 17. verſ. 10. nec Deuteron. cap. 30. verſ. 6. Nec Ieremiæ cap. 4. verſ. 4. aliiſque textibus, in quibus agitur de circumciſione carnali vel ſpirituali, ſed Petrus ex ſpeciali directione & aſſiſtentiâ Spiritus ſancti ſententiam pronunciavit. I.

Actor. c. 15. v. 7.

Secundo Sœculo altera controverſia orta eſt: An Paſcha deberet eo die celebrari quo Judæi celebrant, ſcilicet 14. primi menſis. Aliqui in Aſiâ id ſuſtinebant, qui ideò quarta-deci- II.

mani dicti ſunt. Alii volebant Paſcha celebrandum die Dominicâ, ut nunc obſervatur. Varia propter hoc celebrata ſunt Epiſcoporum Concilia. Tandem anno 198. deciſum fuit à Victore papâ Paſcha celebrandum die Dominicâ. Ita ut Eccleſiæ Aſiaticæ in hoc errore perſiſtentes fuerint excommunicatæ, ut refert Euſebius lib. 5. cap. 23. & 24. imò poſtea hæreticæ reputatæ ſunt, utpotè Pontificis Romani decreto non obtemperantes, ut teſtantur Tertullianus libr. de præſcriptione in fine, S. Epiphanius hæreſi 50. D. Auguſtinus hæreſi 29.

III. Tertio Sœculo irrepſit error Novatianorum negantium quod Eccleſia poſſet abſolvere eos, qui poſt Baptiſmum lapſi eſſent; ut referunt Euſebius lib. 6. cap. 33. Baronius circa annum 255. quos Cornelius Papa in Concilio Romano damnavit. Eodem ſœculo nata fuit hæreſis de Anabaptiſmo, & cùm alii in alias opiniones abirent, idem Cornelius in Concilio Romano decrevit non eſſe rebaptizandos, qui baptizati forent ab hæreticis, ut ſcribit Euſebius lib. 7. cap. 2. poſt eum Stephanus papa ſcripſit & præcepit nè rebaptizarentur, qui erant baptizati ab hæreticis juxta formam Eccleſiæ. D. Auguſtinus lib. 5. de baptiſmo cap. 23. D. Cyprianus in epiſtolâ ad Pompeium. Vincentius Linenſis in ſuo Commentario faciunt mentionem hujus decreti. Eodem ſœculo (ut teſtatur Baronius ad annum 266. Euſebius lib. 7. cap. 27. Paulus Samoſatenus,) ſuſtinuit Chriſtum eſſe purum hominem, qui error damnatus eſt in Synodo Antiochenâ tempore & ex ordinatione Dionyſii papæ.

IV. Quarto ſœculo ſurrexit Sabellius docens unam tantùm eſſe perſonam in divinis, quæ tamen haberet tria officia creationis, redemptionis, & ſanctificationis, quem auctore Baronio ad annum Chriſti 319. Concilium Alexandrinum tempore Sylveſtri papæ damnavit. Eodem ſœculo Arius negavit Verbum eſſe Patri cōſubſtantiale & æternum, dicens eſſe à Deo ex nihilo creatū & alterius ſubſtantiæ à Deo, ac proindè Deum non ſemper fuiſſe Patrem, ſed tempus aliquando extitiſſe quo non eſſet Pater, quem errorem damnavit Concilium Nycænum 318. Epiſcoporum ſub Sylveſtro Papâ, cujus nomine Vitus & Vincentius unà cum Hoſio Epiſcopo Cordubenſi præfuerunt. Et poſtea iterùm totum Concilium petiit per epiſtolam confirmationem à Sylueſtro. Duæ extant hujus hiſtoriæ epiſtolæ. Vnam refert Socrates lib. 1. cap. 3. Alteram Theodoretus lib. 1. cap. 4. Conſtantius Imperator illi Concilio interfuit, ſed ſuum judicium nullo modo tulit; ut patet tomo 1. Conciliorum, Euſebio lib. 3. de vitâ Conſtantini, Ruffino, Sozomeno, Socrate & aliis. Eodē ſœculo Macedonius dogmatizavit contra Spiritum ſanctum, negans eum eſſe Deum, quem condemnavit Concilium Conſtantinopolitanum ſub Damaſo congregatum, ut notat Photius in lib. de ſeptem Synodis, qui eſt in initio tomi primi Conciliorum. Et hoc ſub Gratiano Imperatore anno 383. Divus Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 52. ita loquitur de iſtâ hæreſi. *Macedoniani ſunt à Macedone Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, quos & Pneumatomakous Græci dicunt, eo quod de Spiritu ſancto diſputent. Nam de Patre & Filio rectè ſentiunt quod unius ſint ejuſdemq́; ſubſtantiæ vel eſſentiæ, ſed de Spiritu ſancto hoc nolunt credere, creaturam eſſe dicentes.* August. Eodem ſœculo Marcion apud ſanctum Epiphanium hæreſi 42. docuit Baptiſmū ſemel validè collatum poſſe reiterari, *Cùm* (inquit Epiphanius) *corrupiſſet in Civitate ſuâ virginem & aufugiſſet, atque in magno peccato inventus eſſet excogitavit ſibi ipſi ſecundum lavacrum, aſſerens licere uſque ad tria lavacra, hoc eſt tres baptiſmos dare in remiſſionē peccatorum: quò ſi quis lapſus eſſet, poſt primum pœnitentiâ actâ accipiat ſecundum & tertium ſimiliter ſi, in delicto poſt ſecundum comperiatur.* Epiph. Item tunc Donatus ſuſtinuit quod Baptiſmus ab hæreticis collatus poſſet repeti, undè Donatiſtæ rebaptizabant eos qui à Catholicis baptizati erant, ut teſtatur Divus Auguſtinus libr. de hæreſibus cap. 69. Nam habebant Catholicos pro hæreticis. Hi damnati ſunt in Concilio Romano anno 313. ſub

Melchiade

Melchiade Papâ. Vide Cardinalem Baronium ad illum annum, Vaſquez in 3. part. D. Thomæ tom. 2. diſput. 145. cap. 2.

V. Quinto ſœculo Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus aſſeruit in Chriſto eſſe duas perſonas, ſicut ſunt duæ naturæ divina & humana, quem teſte Baronio ad annum Chriſti 431. damnavit Concilium Alexandrinum præſide Cyrillo miſſo à Cœleſtino papa. Item ſub eodem Cœleſtino in Concilio generali Epheſino tempore Theodoſii Imperatoris, anno 434. de quo conſule Evagrium lib. 1. cap. 4. Eodem ſœculo Eutyches & Dioſcorus docuerunt ante unionem hypoſtaticam duas quidem fuiſſe naturas divinam & humanam, ſed per unionem duas in unam coaluiſſe, & factam eſſe unam. Quos damnavit Concilium Chalcedonenſe tempore Marciani Imperatoris, præſidentibus legatis Papæ Leonis anno 454. Vide Evagrium lib. 2. cap. 4. Quam Synodum iterùm confirmavit Romanus Pontifex, non autem ullus Imperator vel Laicus. Conſule tom. 1. Conciliorũ, Breviarium Liberati, & Vaſquez tomo 1. in 3. partem divi Thomæ diſp. 14. Eodem ſœculo prodierunt Pelagius & Cœleſtinus aſſerentes quod homo ſolis naturæ viribus poſſit legem implere ſi velit. Hic ut notat Baronius damnatus fuit à Romanis Pontificibus Innocentio I. & Zozimo cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, ut ſcribit D. Auguſtinus lib. 2. retract. cap. 50. Proſper in chronico anno 420. Idem Pelagius & Cœleſtinus negarunt quod parvuli naſcerentur in peccato originali, & ad illud explicandum indigerent baptiſmo. Audi divum Auguſtinum lib. de hæreſibus cap. 88. *Parvulos etiam negant ſecundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere.* Auguſt. *Sic enim eos ſine ullo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci: ut prorſus non ſit, quod eis oporteat ſecundâ Nativitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, ut generatione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non iſtâ renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti.* Hunc errorem damnavit Concilium Milevitanum, & poſtea Zozimus papa apud eundem Auguſtinum lib. de peccato originali cap. 6. & ſequent.

VI. Sexto ſæculo celebrata eſt quinta Synodus, quam confirmavit Vigilius papa & ſucceſſores, ut notat Baronius ad annum 543. animadvertendum eſt quod Synodus quæ ſub Mennâ celebrata eſt, & quæ in 2. tomo Conciliorum ſub nomine quintæ Synodi quatuor actionibus continetur, non fuit generalis, ſed particularis, quæ quintam Synodum præceſſit, ut expreſsè ſcribit Zonaras in vitâ Iuſtiniani, Nicephorus lib. 17. cap. 9. Sed quinta Synodus fuit Conſtantinopoli ſub Vigilio ſummo pontifice anno 27. Iuſtiniani Imperatoris ſeptemdecim annis poſt præcedentem: cui ultimæ interfuerunt 155. Epiſcopi, inter quos erant Eutychius patriarcha Conſtantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Domnus Antiochenus, Euſtochius Hieroſolymitanus, cui Synodo Pontifex Romanus Vigilius licet nec per ſe, nec per ſuos legatos interfuerit, tamen illam Synodum confirmavit per libellum. Huic licet præſederit Eutychius tamen profeſſus eſt præſidentiam eſſe debitam Romano pontifici, ſi Concilio intereſſe voluiſſet. Vndè Bellarminus libr. de Conciliis cap. 5. reprehendit Calvinum dicentẽ quod Mennas huic Concilio præſederit. Confundebat Calvinus particularem ſub Menná cum generali ſub Eutychio celebratâ, qui Eutychius epiſtolâ ad eundem petit ut quæſtio de tribus capitulis in concilio terminetur. *Præſidente* (inquit) *nobis veſtrâ beatitudine.* Præcipua illius Synodi capita fuerunt de damnatione Theodori Mopſueſtei, de damnatione epiſtolæ Ibæ, de damnatione ſcriptorum Theodoreti Epiſcopi Cyrenſis contra Cyrillum quæ ab eodẽ Vigilio & ſucceſſoribus, Pelagio, & S. Gregorio OEcumenica habita eſt.

VII. Septimo ſœculo indicata eſt ab Imperatore ſexta Synodus, conſenſu & authoritate Agathonis pontificis. *Nactus* (inquit Platina in Agathone) *Imperatorem Agatho moribus ſuis haud quaquam*

quaquam diſsimilem Monothelitarum cauſa Concilium habere conſtituit. Raphael Volaterranus lib. 22. de Agathone papâ. *Sextam*(inquit) *Synodum contra Monothelitas Conſtantinopoli celebravit.* Sabellicus Enneade 8. lib. 6. de hoc Concilio. *Conſtantinus ex Agathonis ſententiâ conventum habuit ducentorum & amplius Antiſtitum, ut Monothelitarum cauſa quandoque cognoſceretur.* Hieronymus Rubeus lib. 4. hiſtoriæ Ravennatis anno 680. ſcribit illud Concilium à Pontifice Romano hortatu Conſt. ..tini Imperatoris fuiſſe Conſtantinopolim convocatū, & Agathonem miſiſſe legatos ſuos qui præſiderent Concilio. Sigonius lib. 2. de regno Italiæ anno 669. *Conſtantinus* (inquit) *ægre patiens diſsidium inter Conſtantinopolitanam & Romanam Eccleſiam de duobus Chriſti voluntatibus ortum, ſtatim cogitare de Concilio ad eam rem indicendo cœpit, ſperans ſi Pontifex annueret rem poſſe haud difficile convenire.* Nec refert quod Pontifex ſcribens Imperatori ait ſe promptam ei obedientiam exhibere, ſcilicet de mittendis legatis ad Concilium, qui ſuo nomine præſiderent, ſuasque vices gererent. Item quod appellet Romam ſervilem principatus ſereniſſimi urbem. Inſuper ſcribens ſe miſſurum legatos, utatur his verbis. *Pro quibus flexo mentis poplite rogo.* Ex hoc enim non ſequitur illud Concilium non fuiſſe convocatum & approbatū authoritate papæ. *Sed non abhorret* (inquit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 28.) *à communi uſu loquendi, ut obedire nos dicamus cum id facimus, quod alter cupit, etiamſi ille nec juſſerit, nec fortè jubere potuerit.* Et confirmatur ex eo quod eâdem epiſtolâ Pontifex ſæpè vocat Imperatores Chriſtianiſſimos *Filios*, & Romanam Eccleſiam *Spiritualem Matrem* eorum. Particulæ autē illæ *flexo mentis poplite* ſignificant cordis affect.m, quo cupiebat ſuos legatos illi eſſe cōmendatos. Nec refert ſecundò quod Patres ſextæ Synodi in epiſtolâ Synodicâ ad Agathonem eum ſimpliciter *Senioris Romæ Papæ* inſcribant. Item vocent *Epiſcopum primæ ſedis univerſalis Eccleſiæ*, non verò Epiſcopum univerſalem, vel Eccleſiæ univerſalis. Sic enim ſcribunt, *Sanctiſsimo ac beatiſsimo Papæ ſenioris Romæ Agathoni in Domino ſalutem.* Ex hoc enim non negant pontificem eſſe univerſalem Epiſcopum vel univerſalis Eccleſiæ. Sicut licet Abraham vocarit Saram *Sororem*, non ideò negavit eſſe *Vxorem*, ut notat Divus Auguſtinus libr. contra Mendacium cap. 10. *Aliquid veri tacuit, non falſi aliquid dixit, quando tacuit uxorem dixit ſororem.* Ita dum Patres ſextæ Synodi ſiluerunt univerſalem Epiſcopum, non negarunt; ſed implicitè & conſequenter inſcripſerunt epiſtolam Agathoni univerſali Epiſcopo, & univerſalis Eccleſiæ, cùm inſcripſerunt eam Papæ ſenioris Romæ, & Antiſtiti primæ ſedis. Vt hoc melius intelligatur, audiamus hujus Synodi Patres, & quomodò agnoſcunt Agathonem ut judicem controverſiarum fidei. *Maximi* (inquiunt in initio epiſtolæ) *morbi majoribus indigent auxiliis, ut ſcitis Beatiſsimi; atque ideircò Chriſtus verus Deus noſter, virtus verè omnium conditrix & gubernatrix, ſapientem dedit medicum, veſtram à Deo honoratam ſanctitatem. Contagia hæreticæ luis fortiter propulſantem remediis orthodoxiæ ac valetudinis robur membris Eccleſiæ largientem. Itaque tibi ut primæ ſedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit permittamus ſtanti ſuper firmam fidei petram, acquieſcentes veræ confeſſionis litteris à veſtrâ paternâ beatitudine ad piiſsimum Imperatorem miſsis, quas ut à ſummo Apoſtolorum vertice divinitus præſcriptas agnoſcimus: per quam exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus.* Expende illa verba. *Contagia hæreticæ luis fortiter propulſantem.* Item. *remediis orthodoxiæ ac valetudinis robur membris Eccleſiæ l..gientem.* Item. *Tibi ut primæ ſedis Antiſtiti quid gerendum ſit ſtanti ſuper fidei petram acquieſcentes veræ confeſsionis litteris à veſtrâ paternâ beatitudine miſsis.* Item. *Quas ut à ſummo Apoſtolorum vertice divinitus præſcriptas agnoſcimus.* Quæ omnia patenter innuunt Pontificem Romanum fuiſſe honoratum ab iis, & agnitum ut judicem controverſiarum fidei. Paulò poſt eundem doctorem agnoſcunt

agnoſcunt ac totius Synodi Patrem. *Sic nos ſancto Spiritu illuſtrati, veſtrâ inſtituti doctrinâ infeſta dogmata impietatis depulimus.* Iidem declarãt ſe à Spiritu ſancto edoctos per Agathonem, quæ eſſet vera fides orthodoxa, & contra hæreticos aſſerenda, ac definienda. *Hunc* (inquiunt) *in nos ſancti Spiritus gratia illuxit, poteſtatem largiens per aſſiduas veſtras preces cuncta zizania & omnem arborem non ferentẽ fructum bonum excidendi, & in ignem conſumendi.* Tandem ſub finem epiſtolæ petunt à pontifice confirmari quæ erant definita in illâ Synodo. *Orthodoxa fidei ſplendidam lucem nobiſcum clarè prædicavimus: quam etiam ut per honorabilia veſtra reſcripta confirmetis, veſtram oramus paternam ſanctitatem.* Quibus ultimis verbis clariſſimè profitentur controverſiarum judicium ad Pontificem pertinere.

VIII. Octavo ſœculo celebrata eſt ſeptima Synodus ſub annum 788. Irene Auguſtâ quæ prius ad Adrianum põtificem ſcripſerat de legatis ad Concilium mittendis, quod in Græciâ haberi deſiderabat. Illud indixit menſe Maio in Nicæâ Bythiniæ urbe eoque omnes Epiſcopi & legati convenerunt: ibique menſe Octobri undecimâ indictione ſeptimum generale Concilium peractum eſt præſentibus legatis Pontificis, damnati ſunt Patriarchæ, & alii Iconomachi, antiquusque honos Imaginibus eſt redditus. Hujus Synodi meminit Photius de 7. Synodis & tomi Conciliorum.

IX. Nono ſœculo Baſilius Imperator Conſtantinopolitanus, cœſo Michaele, à quo conſors imperii factus fuerat, & ſummam rei ad ſe contraxerat, miſit Romam, ut ad Synodum à ſe indictam legati ſedis Apoſtolicæ mitterentur, qui ei præſiderent. Sed deputati ab Imperatore venientes Romam cùm Nicolaum Pontificem ex humanis ſublatum inveniſſent ſuam miſſionem Adriano ſucceſſori expoſuerunt: qui Adrianus confirmavit eoſdem legatos, quos Nicolaus deſtinaverat, ſcilicet Donatum Oſtienſem & Stephanum Nepeſinum Epiſcopos, & Marianum Diaconum: quibus, & cum iis (inquit Anaſtaſius Bibliothecarius) præſidentibus celebratum eſt octavum Concilium generale, in quo diſſidium de Ignatii abdicatione, & Photii ſubſtitutione ſublatum eſt. Cùm enim Photius Ignatio injuſtè exauthorato ad Patriarchalem dignitatem injuſtè evectus fuiſſet favore & operâ Michaelis, in illo Concilio Ignatius in priſtinum dignitatis gradum eſt reſtitutus. Cedrenus ad annũ primum imperii Baſilii rem ita narrat. *Res Eccleſiaſticas correxit, authoritate ad hoc congregati Concilii Photium pontificatu exturbans, qui in eum ſe ingeſſerat, ac tantiſper vacare juſſit dum Deus eum redigeret qui legitimè Patriarcha fuiſſet: reduxitque in locum Photii Ignatium à Barda injuſtè pulſum. Itaque Eccleſiis Dei tranquillitatem reſtituit.* Cedren. Quod verbum *reſtituit*, intelligendum eſt authoritate ſcilicet pontificis, & præſidentibus ejus legatis. Nam ante Michaelis necem Nicolaus pontifex prædeceſſor Adriani Michaeli conſtanter reſtiterat ob Ignatii abdicationem, & Photii exturbationem, ac legatos Conſtantinopolim deſtinaverat: Cui ſuccedens Adrianus papa non decrevit novam aliam legationem, ſed confirmavit eos qui à prædeceſſore miſſi fuerant. Pro hoc conſule Adriani papæ II. tomum 5. epiſt. Rom. Pontif. epiſt. 3. Audiamus ipſum Imperatorem Baſilium in Adriano II. qui legatos Apoſtolicos ita affatur. *Nos cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis atque Epiſcopis cenſuram ſanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ per biennium præſtolantes, propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando authoritate veſtri ſacri Collegii tam peſtifera Photianæ tergiverſationis ſcandala propellantur, quatenus unitas & tranquillitas optata diutius juxta decretum Sanctiſſimi papæ Nicolai reſtauretur, &c.* Quibus verbis patenter innuit ad fuganda ſcandala, & ſedandum ſchiſma Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ neceſſariũ fuiſſe decretum Romani pontificis. Quod cõfirmatur ex libello quem tradidit Adrianus legatis, nè quemquam admitterent in Synodum, niſi prius ſuo ſe ſignaculo devinxiſſet, quod ſuprema

ma Eccleſiæ authoritas etiam quoad decreta fidei eſſet penes pontificem, & ejus legatos, cui aſſenſi ſunt Imperator & Prælati. Hujus libelli meminit Baronius ad annum 689 art. 22. De ejuſdem Pontificis judicio in controverſiis fidei id habetur in Canone 21. *Porrò ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſanctâ Romanorum Eccleſiâ quavis ambiguitas & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentiâ de propoſitâ quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere & profectũ facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſeniores Romæ pontifices.* Expende illa verba. *Si fuerit, &c. quavis ambiguitas & controverſia oportet, &c.* Quibus verbis innuit illam reſolutionem abſolutè à ſede Apoſtolicâ dependere.

X. Sæculo decimo hæreſes & ſchiſma Græcorum, quæ paulò ante pullularant, vigebant, tamen nullum tunc Concilium, quo extirparentur celebratum eſt. Sed poſtea Sœculo undecimo Berengarius extititSacramentariorum dux qui dæmonẽ aſſiſtentem circumferebat. Nam Guilelmus Bibliothecarius lib. 3. de geſtis Anglorum, Lanfrancus, Guitmundus, Antonius, Algerus, Sabellicus referunt quod cùm in extremis eſſet cõſtitutus Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, & omnes turmatim illũ viſitarunt, quem cum Fulbertus à longè intuitus eſſet, innuit, ut quantociùs expelleretur, aſſerens ſe videre immanem dæmonem illi aſſiſtere, multoſque ad eum ſequendum blandâ manu & illice anhelitu inducere. Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo hiſtoriali narrat horribilem ac immanem dæmonẽ ſæpè apparuiſſe inter ipſum Berengarium, & auditores ejus, dum ille de ſuâ adverſus Euchariſtiam hæreſi diſſereret. Lutherus etiam inducit dæmonem ſecum loquentem de Miſſæ ſacrificio, & multa argumenta contra ipſam proferentem, innuens diabolicam eſſe ejus doctrinam, & ab immundo ſpiritu dictatam. Guitmundus lib. de Sacramento Altaris ait ſuam hæreſim judicio ſedis Apoſtolicæ ſubmiſiſſe eamque ter abjuraſſe, illamque à Leone IX. in Concilio Vercellenſi & Nicolao II. & poſtea in Concilio Romano cõdemnatam ſcribunt idem Guitmundus & Lanfrancus.

Sœculo duodecimo prodierunt Petrus Abailardus, cujus errores cùm Epiſcopi Galliæ apud Senonas damnaſſent, ſcripſerunt ad Innocentium II. Pontificem ut ipſorum ſententiam confirmaret. Hujus epiſt. meminit D. Bernardus epiſtolâ 191. teſtante ipſum Abailardum ad ſedem Apoſtolicam appellaſſe, cui appellationi deferentes ob Apoſtolicæ ſedis reverentiam nihil in perſonam ejus gerunt: ſed tantùm capitula librorum ejus è ſanctis Patribus condemnata nè morbus ſerperet medicinali neceſſitate abjudicarunt. Pontifex Epiſcopis annuens tam Abailardum, quàm ejus prava dogmata & ſectatores anathemate damnavit, ut legimus in epiſtolâ 194. ejuſdem divi Bernardi. Obiter dicam unum illorũ dogmatum fuiſſe, quod actus fidei non poſſet eſſe meritorius. Et cum dictus Abailardus ſuam appellationem proſecuturus iter Romanam arriperet, divertit Cluniacum ubi paſſus eſt ſe retineri à Petro Venerabili Abbate illius Monaſterii, cujus operâ non tantùm errores abjuravit, eoſque à ſuis libris expunxit, ſed etiam cum ſancto Bernardo pacifica habuit colloquia, ibique ex Pontificis indulgentiâ Monachus effectus reliquum vitæ tranſegit in arctiſſimâ obſervantiâ facti ſui pœnitens, & demùm ſancto fine quievit, ut teſtatur Petrus Cluniacenſis lib. 5. epiſt. 3. ad Innocentium, & epiſt. 20. ad Eloyzam Abbatiſſam Petri quondam conjugẽ, quæ Monaſticam vitam etiam arripuerat. Circa eadem tempora Gilbertus Porretanus circa ſanctiſſimam Trinitatem dogmatizans damnatus eſt ab Eugenio III. in Concilio Remenſi, ut teſtatur Bernardus ſerm 80. in Cantic. XI.

Sœculo decimo tertio in celeberrimo Lateranenſi Concilio damnatus fuit error Joachimi Abbatis. De hoc Concilio ſcribit Abbas Wſpergenſis, qui iſto tempore floruit. *Anno* (inquit) *ab Incarnatione Domini 1215. celebrata eſt ſancta univerſalis Synodus Romæ in Eccleſiâ Salvatoris, quæ Conſtantiniana* XII. *Abbas Wſperg.*

ſtantiniana vocatur menſe Novembri præſidente Domino Innocentio III. papá Pontificatus ejus anno 18. *in quâ fuerunt Epiſcopi* 412. *inter quos extiterũt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Conſtantinopolitanus & Ieroſolymitanus, Antiochenus autem gravi languore detentus venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vrarium Anteradenſem Epiſcopum: Alexandrinus verò ſub Saracenorum dominio conſtitutus fecit quod potuit, mittens pro ſe Diaconum ſuum Germanum. Primates autem & Metropolitani* 71. *Cæterùm Abbates & Priores ultra* 800. *Archiepiſcoporum verò & Epiſcoporum, Abbatum, & Priorum, ac Capitulorum abſentium procuratorum non fuit certus numerus comprehenſus. Legatorum verò regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Conſtantinopolitani, regis Franciæ, regis Angliæ, regis Vngariæ, regis Hieroſolymitani, regis Cypri, regis Aragoniæ, necnon & aliorum locorum ingens fuit multitudo, &c.* Eodem ſœculo inditum eſt Concilium Lugdunenſe à Gregorio X, in quo damnatus eſt error Græcorum, ut patet in cap. *fideli*, de ſummâ Trinitate & fide Catholicâ in ſexto. Michael Paleologus Imperator Græcorum & Epiſcopi Græci miſerunt legatos & litteras ad Pontificem, quibus Catholicam fidem profitebantur, & Romanæ Eccleſiæ primatum agnoſcebant, ejuſque in decernendis controverſiis fidei authoritatem, eorumque nomine legati ſummo pontifici obedientiam præſtiterunt cum magnâ Pontificis & Concilii lætitiâ, ac in Miſsâ ſolemni, quam Pontifex celebravit, Symbolum cum additione illâ *Filioq́;* ter decantatum eſt. Scriptores Græci Georgius Pachimeres libr. 5. hiſtoriæ, Nicephorus Gregoras lib. 5. hiſtoriæ in principio addunt admiſſos fuiſſe Græcos ad Romanæ Eccleſiæ communionem cum tribus conditionibus: Prima; ut Pontificis Romani, in ſacris Miſſarum myſteriis à Græcis mentio fieret. Secunda, ut Græcis omnibus liceret appellare ad ſedem Apoſtolicam. Tertia, ut Romano Pontifici in omnibus principatus deferatur. Tenor autem profeſſionis fidei tum Imperatoris, tum Prælatorum Græcorum, quæ lecta eſt in Concilio hic eſt. *Credimus & Spiritum ſanctum plenum & perfectum, verumque Deum ex Patre & Filio procedentem.* Et quia illud Concilium inditum fuerat, ut Græci ad unionem Catholicæ ac Romanæ Eccleſiæ fidem & communionem traducerentur. Pontifex in eodem Concilio ait. *Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre Filioq́ue non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedit*, Damnatque ac reprobat omnes: *Qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere: ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus ſanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedit.*

Sœculo decimo quarto Clemens XIII.
V. pontifex anno 1311. Kalendis Novembris Concilium Viennenſe celebrare cœpit, cui ipſo Pontifex præfuit cum Cardinalibus, & pluſquam 300. Epiſcopis, præter alios prælatos ex diverſis regnis & provinciis. Hujus Concili hiſtoria habetur in tomo 4. Conciliorum ſecundùm editionem Romanam, hoc tenore. *In Ieroſolymitanâ urbe erat religioſorum militum ordo inſtitutus, qui cùm juxta templum Domini cohabitarent, Templarii dicti ſunt. Horum munus & officium fuit tueri fines ac vias Ieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium, & latrociniis: ut advenæ & peregrini ad ſancta illa loca inviſenda tutò poſſent accedere. Ex hiſce militibus multi olim Chriſti causá & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitæ diſcrimen adierunt. Verùm deindè à ſancto hoc inſtituto recedentes Patriarchæ Ieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperant, obedire noluerunt. Eccleſiis decimas, primitiasq́ue ſubſtraxerunt, atque omnibus redditi ſunt infeſti, Aſſyſſynorum etiam legatum contra jus gentium à Templariis fuiſſe occiſum ſcribit Wilelmus Tyrenſis. Præterea ad Clementem V. pontificem multi principes viri detulerunt eos in hæreſim, Apoſtaſiam, aliaq́; nefanda flagitia eſſe prolapſos. Cùmque Templariorum religio eſſet toto jam ferè Chriſtiano orbe proſeminata atque diſperſa,*

Clemens ut remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre Concilium Generale cenſuit convocandum. Infra. *Templariorum ordinē extinxit, eorumq; bona Hoſpitalariis militibus attribuit. De Terræ verò ſanctæ recuperatione eadem ferè decrevit, quæ priores pontifices in generalibus Conciliis antea conſtituerunt. Multas edidit conſtitutiones Eccleſiaſticæ diſciplinæ perutiles, quas unà cum aliis tum ante, tum poſt Concilium editas in unum volumen contulit. Quod volumen cum morte præventus promulgare non potuiſſet, Ioannes XXII. qui in Pontificatu ſucceſſit poſtea in lucem edidit, eamque collectionē Clementinas appellavit.* Capita præcipua accuſationum contra Templarios refert S. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 1. §. 13. Mariana lib. 15. de rebus Hiſpan. cap. 10. eos graviter peccaſſe in religionem ſcribit Archiepiſcopus Tyri lib. 17. cap. 27 & eo eorum avaritiam carpit, quod in obſidione Aſcalonis, dum vellent ſoli urbis prædam habere, ſe in præſentiſſimum vitæ diſcrimen objecerunt: & cauſa fuerunt cur illa civitas tunc non fuerit capta à Chriſtianis. Lib. 18. cap. 9. cùm Chriſtiani hoſtiū ſpolia inter ſe dividerent, Templariis obtigit inter alia Noſceradinus filius nobilis viri, & ducis hoſtium, vir bellicoſus & rei militaris inter ſuos expertiſſimus: ad ejus ſolum nomen incolæ illius religionis tremebant. Hic captivus cupiens in Chriſto regenerari Romanas litteras, & prima religionis Chriſtianæ elementa didicerat. Eum Templarii Ægyptiis ad mortem poſtulantibus vendiderunt ſexaginta millibus aureorum, Ægyptii vinctum manibus & pedibus catenis ferreis in caveá ferreá camelis imponentes in Ægyptum deduxerunt, ubi ſatisfacientes ſuis inhumanis deſideriis mordicitus diſcerpſerunt, & in partes munitiſſimas conciderunt. Hiſtorici narrant Templarios impiè contra jus gentium interfeciſſe legatos Aſſyſſinorum promittentium regi Ieroſolymitano ſe Chriſti fidem, & baptiſma ſuſcepturos, ſi Templarii fraternam charitatem ſervare, & remittere vellent duo millia aureorum, quæ ſingulis annis caſtella eorum regioni contermina quaſi pro tributo pendere ſolebant. Quam ſummam ipſe Rex de propriis reditibus paratus erat refundere præfatis Templariis. S. Ludovicus in Syriâ agens ſuſpectū habuit magiſtrum Templariorum agentē per internuncios de pace cum Soldano Ægypti. Vndè ei mandavit nè deinceps admitteret nuncios Soldani abſque ſuo ſpeciali mandato, vel cum eis colloqueretur. Alexander III. in Concilio Lateranenſi cap. 9. de eis conqueritur, quia privilegia ſibi ab Apoſtolicâ ſede indulta excederent & multa contra Epiſcopalem dignitatem præſumerent: quæ populo Dei ſcandaloſa erant, & animas in grave periculum adducebāt. Honorius III. Extra. de purgatione vulgari cap. *Dilecti*, carpit Templarios, quia in Livoniâ de aliquo crimine infamatos Chriſtianos ferri candentis judicium ſubire compellebant: quibus ſi indè aliqua ſequebatur aduſtio civilem pœnam infligebant. Ex quibus patet Templarios de variis ſceleribus & pravis dogmatibus convictos meritò fuiſſe à Concilio Viennenſi damnatos & extinctos. Vide in actis Concilii Viennenſis de hac re epiſtolam Clementis ad Philippum Regem Galliæ. & ad Abbatem Ciſtercienſem.

XIV. Sæculo decimo quinto in Concilio Conſtantienſi, cui præfuit Martinus V. damnati ſunt 42 articuli Ioannis Wiclef, contra quem noſter Thomas Waldenſis Anglus omnium judicio doctiſſimè ſcripſit tres tomos. Vt ejuſdem Wiclef memoriâ penitus deleretur ejus oſſa exhumata ſunt & igni mandata. De his lege acta iſtius Concilii ſeſſione 23. & ſequent. Item Marianam lib. 20. de rebus Hiſpaniæ cap. 6. 7. & 9. In eodem etiam Concilio Joannes Hus, & Hieronymus de Pragâ condemnati ſunt. Audiamus quid de illis ſcribat Æneas Sylvius in ſuâ hiſtoriâ cap. 36. *Concilium generale apud Conſtantiam Suevorum urbem cogitur: in quo de rebus Bohemicis ſermo habitus Patrum mentes ingenti curâ confecit volventium animo, quonam modo ſanari provincia poſſet: placuitque tandem Sigiſmundo Imperatore ſuadente, Ioannem & Hieronymum* Æneas Sylvius.

ad

ad Synodum evocari; qui cum cæteris ejuſdem regni Doctores, tum populi ductores ac hæreſum principes habebantur. Venerant ambo, non tam verecundè aliena diſcere, quàm ſua impudenter ingerere parati, docendi, quippe quàm diſcendi cupidiores, & populares amantes aures. Auditi ſunt in conſeſſu Patrum Ioannes ætate & authoritate maior habitus, doctrinâ & facundiâ ſuperior Hieronymus. Lecti ex omni natione Patres divini ac humani juris doctores ſæpè cum illis colloquium habuêre, dogmata eorum à lege divinâ aliena eſſe monſtrarũt, neque bonis conducere moribus. Rogavêrunt nè plus ſapere, quàm Eccleſia vellent, ſed ſaperent ad ſobrietatem: peregrinas opiniones relinquerent, ingenia ſua, quæ quidem eſſent nobiliſſima Wicleſitarum inſania nè fœdarent, eloquentiam quâ præditi eſſent in corroborandis Eccleſiæ inſtitutis non evertendis, in edocendis populis, non dedocendis exercerent; poſſe eos & in conſpectu Dei & in Eccleſiâ militante ſublimem conſequi locum, rejectis novitatibus Patrum veſtigia ſequerentur: inventioneſque ſuas univerſali Concilio ſubmitterent. Stetêre in propoſito pertinaces Bohemorum animi, neque victi, rationibus vinci voluêre. Se veraces, ſe ſancti Evangelii æmulatores, ſe Chriſti diſcipulos eſſe Romanam Eccleſiam, cæteroſq́ per orbem diſperſas longè à traditionibus Apoſtolicis abiiſſe, quæ opes & delicias ſectarentur, dominatum in populo, & primos in conviviis accubitus exquirerent, canes, equos alerent, Eccleſiarum bona, quæ Chriſti pauperibus deberentur per laſciviam luxumque conſumerent: aut neſcire prorſus divina mandata, aut ſcientes contemnere. Primores magnæ Synodi ubi pertinaciam, & immutabiles animos perditorum hominum animadverterunt, membra Eccleſiæ putrida, quæ ſanari nõ poterant, nè reliquum corpus inficerent, reſecanda cenſuerunt. Lata eſt in conſeſſu Patrum adverſus contumaces ſententiâ cremandos eſſe, qui doctrinam Eccleſiaſticam reſpuerent. Prior igitur Ioannes combuſtus, Hieronymus diu poſtea in vinculis habitus, cùm reſipiſcere nollet pari ſupplicio affectus.* Hæc Æneas Sylvius, qui eos *hæreſum principes pertinaces, & contumaces, perditos homines membra Eccleſiæ putrida* nuncupat. Polidorus Virgilius lib. 22. hiſtoriæ Anglicanæ in Henrico V. ſcribit quod cum Angliæ nunciatum fuit Joannẽ Hus, & Hieronymum de Pragâ fuiſſe combuſtos reliqui qui in illo regno erant conſcii, *Tanquam furiis agitati primùm conjurationes in omnes ſacerdotes, deindè in regem Henricum V. quod pius eſſet cultor religionis faciunt, protinus conventus paſſim celebrantes, ſuam ſuperſtitionem armis defendendam ſtatuunt, &c.* Polidor.

Eodem ſæculo abrogato per Eugenium IV. Concilio Baſilienſi, & convocatis prælatis & principibus Ferrariam Joannes Palæologus Imperator, Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus & Epiſcopi plurimi convenêre, ut teſtatur Calcondylus lib. 6. rerum Turcarum, & hiſtoria Concilii. Ferrariæ igitur Concilio inchoato anno 1438. in medium producta ſunt præcipua capita, in quibus à Romanâ Eccleſiâ diſſidebant. Primum de proceſſione Spiritus ſancti, ſeu additione & explicatione illâ Symbolo adjunctâ, *Filioque*. Secundum de azymo & fermento. Tertium de Purgatorio. Quartum de fruitione ſanctorum. Denique de primatu Romanæ Eccleſiæ. De quibus ita in Concilio diſceptatum, ut ſex ex Latinis & Græcis in medio Concilio conſiſterent. Et unus eorum ex unâ parte proponeret, alter ex alterâ reſponderet. Iis aderat Interpres qui cuncta ſivè Græcè, ſivè Latinè dicerentur utrique parti explicaret. Aderant & Notarii tum Latini, tum Græci, qui omnia quæ dicebantur, Græcè Græci, Latinè Latini conſcribebant. Ejuſmodi concertationes Ferrariæ per annum durarunt. Sed cùm peſtilentia civitatem invaſiſſet authoritate Pontificis Concilium Florentiam tranſlatum eſt: ubi pariter quatuor ferè menſes diſputatum, tandemque poſt varias conferentias rebus ſeriò & exactiſſimè diſcuſſis, tum ex actis antiquorum Conciliorum, ex dictis teſtimoniis ſanctorum Patrum Græcorum & Latinorum; Græci in Latinorum ſententiam venerunt, Romanæque Eccleſiæ uniti ſunt, cum maximâ Pontificis, Imperatoris, & XV.

 omnium

omnium Patrum lætitiâ. Obiter nota quod Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus ante terminationem obiit, & paulò ante mortem ſcripſit in ſchedulâ ſe profiteri Romani Pontificis primatum & fidem, ut patet ex ſeſſione 25. circa finem. Itaque publicâ Concilii ſeſſione habitâ in Cathedrali Eccleſiâ Florentinâ nonis Julii 1439. conſentientibus Græcis & Latinis, definitũ fuit in decreto Græcè & Latinè edito Spiritum ſanctum ab æterno procedere à Patre & Filio, tanquam ab uno principio, & unicâ ſpiratione, & Symbolo rationabiliter adjiciendum eſſe Filioque. Deinde in ſacrificio Altaris conſecrationem fieri poſſe in pane triticeo, ſive azymo, ſive fermentato. Tertiò, Dari Purgatorium, in quo detinentur animæ corũ qui pœnitentes in Dei charitate obierunt, necdum pœnitentiæ fructibus pro ſuis peccatis ſatisfecerunt. Item eas ſuffragiis fidelium adjuvari. Quartò eas animas, quæ poſt baptiſmum nullam maculam contraxerunt, vel contractâ maculâ poſtea ſunt purgatæ in cœlum mox recipi, & Deum ab illis intuitivè videri. Denique Pontificem eſſe verum Chriſti Vicarium, & B. Petri ſucceſſorem, univerſaliſque Eccleſiæ caput. Acceſſerunt ad eandem unionem & fidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Armeni, in quam unionem omnes Epiſcopi Occidentales & Orientales convenerunt, præfatamque definitionem receperunt. Dictum Concilium vocatum eſt Florentinũ, licet Ferrariæ ſexdecim ſeſſiones, & novem tantùm Florentiæ habitæ ſint: quia Florentiæ terminatum fuit per ſolemnem illam & publicam ſeſſionem in Cathedrali Eccleſiâ Florentinâ. Solus huic definitioni ſubſcribere noluit Marcus Epheſinus Epiſcopus, licet in diſputatione hæſiſſet, nec reſpondere valuiſſet ad propoſitiones factas. Vndè cum ſolus ex omnibus Epiſcopis contrarius eſſet, ac pertinax in opinione, quam ſemel imbiberat, reverſus in Græciam variis epiſtolis & mendaciis Græcorum animos antiquâ ſchiſmatis conſuetudine malè affectus ſollicitavit nè unionem amplecterentur. Ob quam rebellionem (ut Nicolaus papa comminatus fuerat alludens ad Evangelicam parabolam de infructuosâ ficulneâ) tribus annis & libertatem & imperium amiſerunt. Vide quid de Marco Epheſino ſcribat S. Antoninus 3. part. Chronici tit. 22. cap. 11.

Decimo ſexto ſœculo in Concilio Tridentino ſub variis pontificibus celebrato, & tandem à Pio IV. confirmato, errores Lutheri & ſequacium damnati ſunt. Noviſſimè hoc ſœculo decimo ſeptimo ab Innocentio X. damnatæ ſunt quædam propoſitiones Janſenii Iprenſis. Ex quibus patenter concluditur omne controverſiarum fidei judicium à Romano pontifice dependere: quidquid hæretici impudenter in ipſum effutiant & debacchentur. De Romano pontifice & ejus ſede meritò proferri poſſunt hæc aurea D. Chryſoſtomi verba homiliâ de ſui expulſione. *Licet mare inſaniat Petrum non poteſt commovere. Inſurgant quantumlibet fluctus, navis Petri obrui non poteſt.* Paulò poſt. *Durum tibi erat adverſus ſtimulum calcitare, quia non ſtimulum retundes, ſed pedes calcitrans vulnerabis. Neque fluctus, qui ſaxo illiduntur aliquid proficient, quàm ut ſemetipſos fracti diſſolvant, & in ſpumas extenuati depereant. Chriſti Eccleſiâ nihil fortius, ſi quis eam impugnare proponat, vires afferat neceſſe eſt. Tale eſt enim veíut ſi cælo bellum meditetur inferre.* Ibidem. *Fortior Eccleſia, multò quàm terra, imò & fortior cælo. Cælum & terra peribunt, verba autem mea nõ tranſibunt.* Quæ verba? *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et D. Auguſtinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica cõtra omnes hæreſes pugnans, pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Ipſa manet in radice ſuâ, in vite ſuâ, in charitate ſuâ, portæ inferi non vincent eam.* Pugnant hæreſes, aſſerentes eam à verâ religione deficere & aliis machinamentis in illam inſultant, ſed fruſtra. Sanctus Leo ſermon. 2. de aſſumptione ſuâ ad Pontificatum. *Firmitas fundamenti; cui totius Eccleſia ſuperſtruitur altitudo nullâ*

XVI.

Chryſoſ.

Auguſt.

S. Leo

nullâ incumbentis ſibi templi mole laceſſit. Soliditas enim illius fidei, qua in Apoſtolorum principe eſt laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet, quod in Deo Chriſtus inſtituit. Expende hæc verba. *Sicut permanet, &c.* Quæ infallibilitatem fidei Petri & ſucceſſorum ſignificant, non tantùm quam profeſſi ſunt, ſed quam toti Eccleſiæ profitendam mandarunt. Quod non de ſolâ perſonâ Petri, ſed ſucceſſorum hęc verba intelligenda ſint, patet ex eo quod aliorum Apoſtolorum fides etiã firma fuit à miſſione Spiritus ſancti, in quâ nunquam hæſitarunt, ſed alios in eâ confirmarunt, & pro eâ mortem glorioſè ſubierunt. Sed illorum ſucceſſores in Epiſcopatibus à fide defecerunt. Romana autem ſedes inconcuſſa ſtetit, juxta illud Iſaiæ cap. 54. verſ. 4. *Iaſpis eſt propugnaculum ejus.* Verſ. 12. *Et omnis lingua reſiſtens illi in judicio condemnabitur.* Expende illa verba *in judicio.* Quibus alludere videtur ad politicum & civile judiciũ: Quemadmodum enim in politicis & civilibus non rarò naſcuntur lites & controverſiæ, quæ decidi nequeunt niſi per judicem, qui inter partes litigantes ſententiam pronunciet, cui ſtare & parere debent partes. Sic in Eccleſiâ oriuntur difficultates, dubia, & controverſiæ in materiâ fidei quæ à ſupremo aliquo judice diſcuti & reſolvi debent. Hic autem judex eſt pontifex Romanus, non verò Scriptura, ut infra dicetur, vel judex aliquis ſæcularis. Licet enim ſcripta lex & conſuetudo ſit quædam norma & regula quam ſequitur judex ſive civilis, ſive Eccleſiaſticus in decidendis controverſiis: & doceat judicem quid agere debeat, tamen ipſa ſcripta lex & conſuetudo non poteſt eſſe judex. Primò, quia quando ipſa eſt obſcura vel ambigua, opus eſt alio judice ſeu interprete, qui mentem ipſius explicet. Deindè quando una lex vel conſuetudo alteri repugnare videtur, ut ſæpè contigit, tunc adhiberi debet qui eas inter ſe conciliet. Inſuper quando verba legis generalia reſtringenda ſunt in aliquo caſu particulari, quem legiſlator non prævidens eventurum minimè reſtrinxit, quæ ſi prævidiſſet noluiſſet illum ſub lege comprehendere, tunc opus eſt judice, qui contra verba legis judicet: nam ſcriptura ſeipſam judicare non poteſt. Denique nec lex ſola ſcripta poteſt eſſe ſufficiẽs norma ad decidendam quamcumque controverſiam, de quâ nulla extat lex ſcripta, ut patet in civilibus. Tunc enim ſi adſit conſuetudo habet vim legis, l. 35. §. de legibus, l. 37. l. 38. quod ſi controverſia nec lege ſcriptâ, nec conſuetudine poſſit definiri, tunc (inquam.) ex naturali æquitate res componi debet, maximè ſi caſus cõprehendatur ſub verbis legis, non tamen ſub mente legiſlatoris. Tunc enim judex ex æquo & bono debet pronunciare ſententiam. Id etiam verificatur in materiâ fidei & religionis. Si enim aliqua controverſia occurrat, quæ nõ poſſit definiri apertè ex ſcripturâ, vel traditione, implorandum eſt auxilium Spiritus ſancti, qui ſpecialiter in hoc caſu adeſſe & docere ſolet omnem veritatem, ut Chriſtus promiſit: & exemplo Apoſtolorum in primo Concilio Jeroſolymitano de Circumciſione & obſervatione legalium. Undè licet Divus Petrus in illo Concilio præſidens, & pontifices ejus ſucceſſores ſint filii Adæ, & variis naturæ imperfectionibus obnoxii, tamen ut à Spiritu ſancto diriguntur & gubernantur ad aliorum inſtructionem mendaces non ſint, ſed infallibiles. De quibus Joannis cap. 15. v. 16. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.* Et cap. 16 verſ. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit omnem veritatem.* Quæ verba præcipuè de Pontifice intelligenda ſunt.

Iſaiæ c. 14. v. 4. verſ. 12.

XVII Sic in veteri teſtamento Micheas propheta à rege Iſrael & Iuda conſultus ait lib. 3 Regum cap. 22. verſ. 14. *Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus hoc loquar.* Lib. 4 cap. 3. verſ. 15. Eliſeus ait. *Nunc adducite mihi pſaltem: cumque caneret pſaltes facta eſt ſuper eum manus Domini, & ait hæc dicit Dominus, &c.* Quid intelligit per hæc verba. *Facta eſt ſuper eum manus Domini.* Ideſt revelatio. Lyranus. *Ad hoc (inquit) quod Spiritus tangat cor prophetæ facit elevatio mentis*

l. 3. Reg. 22. v. 14

l. 4. Reg. 3. v. 15.

Lyran.

mentis per devotionem. Sic Pontifices Deuteron. cap. 7. verſ. 9. Aggæus cap. 2. verſ. 12. Malachias cap. 2. verſ. 7. & ipſe S. Elias lib. 3. Reg. cap.
l. 3. Reg. 18. v. 42 18. verſ. 42. prophetaturus proximam pluviam. *Poſuit faciem ſuam ſuper genua ſua.* Hanc directionem ſpecialem & infallibilem poſtulabat David pſalmo 118. verſ. 34. *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam.* Verſ. 10. *Revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Verſ. 135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum & doce me juſtificationes.* Cur intellectum, cur revelationem & illuminationem petit? Numquid callet totam ſcripturam? numquid phraſes linguæ Hebraicæ optimè novit? ad hoc D. Hieronymus in epiſt. ad Paulinum agens de inſtitutione Monachi. *Si tantus propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putas parvulos, & pœnè lactantes inſcitiæ noctecircumdari?* De hâc directione poſtulandâ monebat Origenes homil. 12. in Exodum. *Diebus* (inquit) *ac noctibus obſervandum eſt, ut veniat agnus de tribu Iuda & ipſe librum ſignatum dignetur aperire.*

Hieron.

Origenes

§. 5.

Argumenti continuatio in quo oſtenditur judicium controverſiarum fidei vel ſcripturæ privatis hominibus non cõpetere.

I. SCripturas eſſe per ſe intellectu facillimas nec requirere ullam ſpecialem divini Numinis inſpirationem & directionem, vel Pontificis judicium innuere videtur textus tum veteris, tum novi teſtamenti. Deuteron. cap. 30. verſ. 11. *Mandatum quod præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrûm vales ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas, quis è nobis poterit transfretare mare & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt, &c.* Divus Auguſtinus lib. de perfectione juſtitiæ reſponſione penultimâ Tertullianus lib. 4. cõtra Marcionem. D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius, Origenes, & alii in cap. 10. ad Romanos illum locum explicant non de facillitate intelligendi ſcripturas, ſed implendi mandata. Toſtatus verò in hunc locum, & alii intelligunt de facilitate implendi Decalogi præcepta, quæ cum naturalia ſint, facile poterant ſciri, audiendo Moyſem explicantem, non verò intelligenda de facilitate cognitionis ſcripturarum quæ tunc necdum erãt, ut patet ex verbis textus immediatè ſequentibus *Propè es ſermo in ore tuo, & in corde tuo.* Quomodò propè dicitur in ore & in corde? Ideò dicitur propè in ore, quia jam confeſſus erat ſe intellexiſſe. Quomodò in corde? quia intellexit quid ſit agendum.

Deuter. 30. v. 11

Tamen Scripturæ claritatem teſtari videtur Vates regius pſalm. 18. v. 9. II.
Præceptum Domini illuminans oculos. Pſal. 8. verſ. 9.
Pſal. 118. verſ. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* Proverb. cap. 6. verſ. 23. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* Reſpondet Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 2. nõ intelligi de omnibus ſcripturis, ſed præceptis Domini, nõ quod facilè intelligantur, ſed quia intellecta & cognita hominis operationem facilè dirigunt. Vel dicuntur ſcripturæ lucidæ, quia intellectæ mentem illuſtrant. Et quaſi lucerna mentis tenebras magis diſſipat quam ſtellæ. Sic intelligendus D. Petrus 2. epiſt. cap. 1. verſ. 19 *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis, attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.*

Pſ. 118. v. 105. Prov 6. v. 23. 2. Pet. 6 ver. 19.

Nec huic explicationi eſt contrarius Iſaias cap. 8. verſ. 20. remittens nos *ad legem magis, & ad teſtimonium,* non enim nos remittit ad legem, tanquam judicem controverſiarum, vel quaſi ſit facillima intellectu, ſed agit contra eos qui ſolebant conſulere Pythoniſſas de futuris eventibus, ut patet ex verbis præcedentibus. *Cùm dixerint ad vos quærite à Pythoniſſis, & à divinis qui strident in incantationibus ſuis, numquid non populus à Deo ſuo requiret pro vivis à mortuis? ad legem magis* III.

Iſaiæ 8. v. 20.

Deuter. 18.v.9. *magis & ad teſtimonium, &c.* Idem fere habet Deuteron. cap. 18. verſ. 9. Ibi ergò per teſtimonium intelligit prophetas Domini, qui verius pronunciãt de rebus futuris & eventibus quàm Pythoniſſæ. Id patet lib. 3. Regum cap. 22. verſ. 5. ubi de Achab.
l.3.Reg. 22.v 5. *Congregavit rex Iſrael prophetas*, 400. *circiter viros*, id eſt falſos prophetas, & areolos qui proſpera falſa regi prędixerunt. Sed pius Ioſaphat Rex Juda illis fidem non adhibens, ſubdit verſ.
verſ. 7. 7 *Non eſt hic propheta Domini quiſpiam ut deprecemur Dominum per eum?* id eſt conſulamus. Ejuſmodi recurſum ad Pythoniſſas & non ad prophetas Domini improbat Deus per Eliam lib. 4.
l.4 Reg. 1. v. 4. Regum cap. 1, verſ. 4. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebud Deum Accaron, &c.* Idem improperat Elias ipſi regi Ochoziæ eodem capite 1. verſ. 16. *Quia miſiſti*
v. 16. *ad conſulendum Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes interrogare ſermonem, &c.* Idem Ioramo exprobrat Eliſeus eodem lib. 4. cap.
l.4.Reg. 3.v.13. 3. verſ. 13. *Quid mihi & tibi eſt: vade ad prophetas patris tui & matris tuæ.*

IV. Ejuſmodi ſcripturæ claritatem (ut ex ea unicâ definiri poſſint controverſiæ fidei) iterùm probare videntur multa tum Chriſti, tum Apoſtolorum placita: ſpecialiter D. Pauli, imò & ſanctorum Patrum teſtimonia. Nam Chriſtus Joannis cap. 5. verſ. 39.
Joann c. 5.v 39. ait. *Scrutamini ſcripturas, quas vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Sed hæc verba non favent adverſariis. Nam Chriſtus dicere videtur ſi non vultis credere teſtimonio S. Joannis Baptiſtæ de quo verſ. 32.
v. 32. *Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati.* Quando teſtimonium perhibuit veritati? cùm dixit
Joann c. 1. v.29. Joannis cap. 1. verſ. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et
v. 34. verſ. 34. *Ego teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Non vultis etiam etiam credere teſtimonio miraculo-
c.6.v37 rum Joannis cap. 6. verſ. 37. *Ego teſtimonium habeo majus Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Non vultis etiam credere teſtimonio Patris mei, Ioannis cap. 5. eodem verſ. 27. *Et qui miſit Pater ipſe teſtimonium perhibuit de me.* v. 27.
Quando teſtimonium perhibuit Pater? quando voce de cœlo lapsâ dixit Matthæi cap. 3. verſ. 17. Lucæ cap. 9. verſ. 35. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui ipſum audite.* Matt c. 3. v. 17
Quæ omnia teſtimonia efficaciſſima ſunt: addit ſaltem conſulite ſcripturas, de quibus tantòpere gloriamini, illis omnibus teſtimoniis convicti non poteſtis non credere. Dico (illis omnibus) non verò ex ſolâ ſcripturâ, quam nec nunc intelligunt ut docet Apoſtolus 2. Corinth. cap. 3. verſ. 14. *Obſcurati ſunt ſenſus eorum.* Et paulò poſt. 2.Cor.c. 3. v. 14.
Uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.

Apoſtolus Paulus eidem ſcripturæ jus ſolvendi omnes religionis difficultates attribuere videtur 2. Corinth. cap. 4. verſ. 3. *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum in iis, qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Chriſti.* Quibus verbis declarat ſcripturam eſſe facilem & apertam fidelibus omnibus. V. 2.Cor.c. 4. v. 3.
Reſpondet ad hoc Bellarminus Apoſtolum non loqui de intelligentiâ ſcripturarum, ſed de notitiâ & fide in Chriſtum, quam Apoſtoli prædicabant. Capite enim præcedente docuerat, quod in antiquo teſtamento non viderentur myſteria incarnationis, mortis, paſſionis, &c. niſi ſub velamine figurarum & umbrarum ſignificato per velamen, quo facies Moyſis alloquentis populum tecta erat. Sed in lege gratiæ omnibus figuris impletis fideles gloriam Domini ſpeculamur, ita ut non ſit vetula vel puer Chriſtianus, qui ignoret quod Deus ſit incarnatus, paſſus, mortuus, &c. ideo autem poſt prædicatum Evangelium adhuc multi non credunt, maximè Iudæi, quia eorum oculi interni erant pravis affectibus excœcati, ut patet ex verbis Chriſti Ioannis cap. 5. verſ. 44. *Quomodo vos poteſtis credere qui gloriam ab invicem accepiſtis!* Joann.c. 5. v.44.
Nec contra noſtram reſponſionem

faciunt hæc verba. *Deus hujus ſæculi.* Quaſi Deus non verò pravi affectus illos excœcaſſent: vel quaſi ſit aliquis Deus ſpecialis creator rerum corporalium, ut Marcion, & Manichæi docebant ex D. Chryſoſtomo ad illum locum. Sed dæmon dicitur Deus hujus ſœculi ſecundùm D. Cyrillum apud OEcumenium. D. Auguſtinum lib. 21. contra Fauſtum cap. 9. non quia eſt abſolutè Deus, ſed quia eſt abſolutè Deus infidelium, juxta illud pſalmi 95. *Dii gentium dæmonia*, vel *hujus ſæculi*, non debet conjungi cum *Deus*, ſed cum *infidelium*. Vt explicāt D. Auguſtinus lib. 21. contra Fauſtum cap. 2. D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius & alii in illum locum. Videntur tamen Apoſtoli approbaſſe ejuſmodi ſcripturarum ſcrutinium. Nam Actorum cap. 17. fertur quod Beroenſes nolentes temerè credere iis quæ Apoſtoli prædicabant examinabant an omnia conformia eſſent ſcripturæ, verſ. 11. *Scrutantes ſcripturas ſi ita ſe haberent.* Eorum igitur exemplo debemus ad ſcripturam recurrere, ut normam & judicem noſtrorum dubiorum. Sed nec hic textus etiam favet, nam ex eodem capite conſtat quod Apoſtolus Paulus fuit primò Theſſalonicæ, deindè moratus eſt apud Beroenſes, ubi. *Diſſerebat ex ſcripturis, adaperiens & inſinuans quia Chriſtum oportuit pati & reſurgere à mortuis. Et quia hic eſt IESVS Chriſtus quem ego annuncio vobis.* De Beroenſibus dicitur. *Suſceperunt verbum cum omni aviditate quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Quaſi diceret, quando Beroenſes audiebant Paulum quædam loca veteris teſtamenti citantem, quibus probabat mortem & reſurrectionem Chriſti: conſulebant illos textus an eſſent cōſentanei iis, quæ Paulus dicebat, non quod dubitarent de morte & reſurrectione Chriſti, quam ſatis efficaciter confirmabant miracula Apoſtolorum juxta illud Theſſalon. cap. 1. verſ. 5. *Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed in virtute, &c.* Vt magis ſolidarentur in fide videndo prænunciata per oracula prophetarū, quę à Paulo & Apoſtolis prędicabantur. Ex quo non ſequitur quod ſcriptura ſit judex controverſiarum fidei, ut benè animadvertit Becanus tomo 1. partis 2. cap. 7. Stapletonus de authoritate interpretandi ſcripturas cōtroverſia 6. lib. 10. cap. 10. Quidam Patres tamen videntur attribuere Scripturæ deciſionem controverſiarum fidei.

Actor. c. 17. v. 11

1. Theſſ. c. 1 v. 5.

VI. Auguſt.

In primis D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 6. *Magnificè* (inquit) *& ſalubriter Spiritus ſanctus ita ſcripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autè faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* Ad hunc locum dicendū, quod ibi D. Auguſtinus addit, *ferè*, quia quędam ſunt obſcuriſſima, quæ alibi non explicantur. Vt principium & finis Ezechielis, Apocalypſis, &c. Secundò vix inveniri poteſt, ut quod in uno loco eſt obſcurum alibi clarè dicatur. Si cui illa loca nota fuiſſent, certè D. Auguſtino, & tamen ipſe epiſt. 119. cap. 21. fatetur ſe plura neſcire, quàm ſcire in ſcripturâ. Etſi uni una ſcriptura clara videatur, alteri videbitur obſcura, ut patet in his verbis Matthæi cap. 26. *Hoc eſt corpus meum.* Item ex his. *Bibite ex hoc omnes.* Quæ nobis clara ſunt, ſed hæreticis obſcura. Ipſe Divus Auguſtinus libr. de fide & operibus cap. 15. fatetur ſe non capere illum locum 1. Corinth. cap. 3. verſ. 12. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum, &c.* Aſſeritque eſſe unum ex illis locis quæ D. Petrus dixit eſſe intellectu difficilia. Idem lib. 12. Confeſſionum cap. 14. *Mira* (inquit) *profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce antę nos ſuperficies blandiens parvulis: ſed mira profunditas Deus meus mira profunditas. Horror eſt intendere eam, horror honoris, & tremor amoris.* Idem epiſt. 3. *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum, ut in iis quotidie proficerem, ſi eas ſolus ab ineunte pueritiâ uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 6. *Multis & multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur qui temere aliud pro alio legunt*

1. Cor. c. 3. v. 12.

Auguſt.

legunt ſentientes quibuſdam autem locis quid vel falsò ſuſpicentur non inveniunt ; ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum cui facile inveſtigata plerumque viluerunt. Ibi affert duas rationes cur ſcriptura ſit obſcura. Primò ut hominis ſuperbia dometur. Secundò, nè in ejus lectione contrahat nauſeam. Ex quibus patet controverſias fidei non poſſe à ſcripturâ dirimi, quandoquidem ſit obſcura.

VII. Videtur tamen Chryſoſtomus docere in ſcripturis eam eſſe claritatem, (Chryſoſ.) quæ omnem in fide dubietatem poſſit excutere, & quod ſi philoſophi obſcurè locuti ſunt ipſa clarè loquatur. *Apoſtoli verò* (inquit homilia 3. de Lazaro) *& prophetæ omnia contra fecerunt, manifeſta, claraque prodiderunt expoſuerunt omnibus veluti communes orbis Doctores, ut per ſe quiſque diſcere poſſit ea, quæ dicuntur è ſolâ lectione.* Et homil. 3. in 2. epiſtol. ad Theſſalon. *Quamobrem opus eſt Concionatore? omnia clara ſunt & plana ex ſcripturis divinis, ſed quia delicatuli eſtis auditores delectationem audiendo venantes, propterea Concionatores quæritis.* Ad hæc dico D. Chryſoſtomum ſic loqui, ut excutiat torporem à multis, qui ſi vellent, ſcripturas legerent cum magno fructu. Quod autem ſanctus Chryſoſtomus nobis potius faveat quàm adverſariis patet ex hom. 3. de Lazaro citatâ. *Quid igitur ſi non intelligamus ea quæ continentur in libris,* (Chryſoſ.) *maximè quidem etiam ſi non intelligas illic recondita: tamen ex ipsâ lectione multa naſcitur ſanctimonia.* Expende illa verba, *Si non intelligas illic recondita.* Et infra fatetur ſcripturas eſſe faciles quoad hiſtorias & res ſimiles. *Sume librum in manu, lege hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt memoria teneas, & quæ obſcura ſunt parumq; manifeſta frequenter percurre. Quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad doctiorem.* Nota illa verba. *Quæ obſcura ſunt.* Idem homil. 40. in Joannem explicans illa verba. *Scrutamini ſcripturas, &c.* Comparat ſenſum ſcripturæ theſauro abſcondito. *Chriſtus* (inquit) *Iudæos ad ſcripturarum non ſimplicem & nudam lectionem, ſed ad inveſtigationem per quam diligentem relegavit. Non dixit legite ſcripturas, ſed ſcrutamini. Divina enim ſummâ indigent diligentiâ: in umbrâ enim majoribus illis non abs re locutus eſt. Idcircò effodere profundius jubet, ut quæ altè deliteſcunt invenire poſſimus non enim rem in ſuperficie, & in promptu poſitam effodimus, ſed quæ tanquam theſaurus profundè reconditur. Qui enim hujuſmodi quærit, niſi ſummam adhibeat diligentiam & laborem nunquam quæſita inveniet.* Quibus verbis innuit ſcripturæ ſenſum & ejus interpretationem non eſſe omnibus obviã: ſed ad eam inveniendam opus eſſe magno ſtudio & labore. Idem docet homil. 10. & 44. in Joannem, homil. 3. in 2. epiſt. ad Theſſal. & hom. 44. operis imperfecti in Matthæum refert aliquas rationes cur ſcriptura ſit obſcura.

VIII. Divus Ambroſius epiſt. 44. ad Cõſtantinum comparat ſcripturam mari profundiſſimo. *Mare* (inqnit) *eſt* (S. Amb.) *ſcriptura divina, habet in ſe ſenſus profundos, altitudinem propheticorũ ænigmatum, &c.* Divus Gregorius homil. 6. in Ezechielem ait ejuſmodi obſcuritatem eſſe utilem, Becanus tomo 2. partis 2. Theologicæ quæſt. 8. refert præfatas & alias cauſas obſcuritatis, eaſque fusè explicat. De hâc obſcuritate loquitur etiam D. Hieronymus epiſt. ad Algaziam dicens epiſtolam Pauli ad Romanos eſſe ſimilem nocti denſiſſimæ. *Omnis epiſtola ad Romanos nimiis obſcuritatibus involuta eſt.* Ipſe fatetur ſe ſuarum ſcripturarum ſenſum (Hieron.) cùm inveſtigare non poſſet varias regiones peragraſſe, ut ab eruditis doctoribus illum ediſceret. *Nunquam* (inquit in præfatione commentar. in epiſt. ad Epheſios) *ab adoleſcentiâ, aut legere aut doctos viros quæ neſciebam interrogare ceſſavi, aut meipſum habui magiſtrum. Denique nuper ob hanc vel maximè cauſam Alexandriam perrexi, ut viderem Dydimum, & ob eo in ſcripturis omnibus quæ habebam dubia ſciſcitarer.* Eandem ſcripturæ obſcuritatem faſſus eſt Eunuchus Reginæ Æthiopũ,

qui interrogatus à Philippo an intelligeret prophetam Iſaiam, quem legebat Actor. cap. 8. 31. reſpondit: *Act. c. 8. v. 31.* *Quomodò poſſum ſi aliquis non oſtenderit mihi?* Ipſi Apoſtoli etiam fatentur ſe non intelligere, quæ à Chriſto dicebantur Matthæi cap. 13. verſ. 36. *Matt. c. 13. v. 36* *Acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniarum agri.* Lucæ cap. 18. verſ. 34. *Lucæ c. 18. v. 34* *Ipſi horum nihil intellexerunt.* Matthæi cap. 16, verſ. 11. Ipſe Chriſtus quærit ab eis cur non intelligant. *Matt. c. 16. v. 11* *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis.* Becanus parte 2. Theologiæ tomo 2. cap. 3. de ſcripturâ quæſt. 7. refert catalogum plurium doctiſſimorum virorum, qui palam poſeſſi ſunt plurima eſſe in ſcripturâ quæ ipſi percipere nō poſſent, niſi ab aliis inſtruerentur, & ideò ab iis D. Hieronymum fuiſſe conſultum.

IX. Hæretici ipſi fatentur ſcripturam eſſe obſcuram, nec facilè interpretabilem, Lutherus præfatione in pſalmos, & in libro de Conciliis. Kemnitius in examine 4. ſeſſionis Concilii Tridentini. Brentius in prologomenis contra Petrum à Soto, & in confeſſione Witembergenſi capite de ſacrâ ſcripturâ. Centuriatores cent. 1, lib. 1, cap. 4. Hoc poſito quomodò ſcriptura obſcura obſcuritates & ambiguitates ſeu controverſias fidei poſſet dirimere cùm ipſa ſeipſam explicare non poſſit? Alium ergò habet controverſiarum fidei judicem.

§. 6.

Iudex controverſiarum non eſt quilibet privatus homo.

I. Lutherus in præfatione aſſertionis ſuorum articulorum art. 27. 28. 29. & 115. attribuit explanationem articulorum fidei ſpiritui quem quiſque habet. Idem opinatur Philippus Melancthon in locis cap. de Eccleſiâ. Brentius in confeſſione Witembergenſi. Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 9. §. 8, 12. & 13. Kemnitius in examine quartæ ſeſſionis Concilii Tridentini, & cœteri hujus temporis hæretici, qui omnes controverſias quaſcumque fidei à privatis hominibus decidendas eſſe contendunt: contra quos pauca quædam opponemus. Lib. 3. Regum cap. 22. verſ. 21, *Egreſſus eſt ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait ego decipiam illum; cui locutus eſt Dominus in quo? & ille ait: Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, &c.* *l. 3. Reg. 22. v. 21* Idem habetur lib. 2. Paralipom. cap. 18. *l. 2. Par. cap. 18.* Ex hoc loco patet non tantùm idiotas, ſed etiā eos, qui ſe jactant ſpiritum Dei habere, ſpiritu malo agitari, ſpiritu vertiginis imbui, quo multa mendacia cōtra fidem & Eccleſiam erroneè jaculentur, & tamē omnes jactant ſe Spiritum ſanctum habere, ſe quaſlibet ſcripturas poſſe interpretari gloriantur. De quibus conqueritur Divus Hieronymus ſcribens ad Paulinum Præsbyterum. *Hieron.* *Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant; alii abducto ſupercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur. Alii diſcunt proh dolor à feminis, quod viros doceant.* Idem ſcribens ad Theſiphontem adverſus Pelagianos docet miſerarum mulierculârum operâ multas fuiſſe hæreſes promotas, quia ſcilicet gloriantes ſe S. Spiritus ſpeciali lumine perfuſas etiā ad explanandas ſcripturas gloriabantur ſe idoneas contra ordinis formamà Chriſto Salvatore præſcriptā Matt. c. 13. v. 11. *Matt. c. 13. v. 11* *Vobis* (inquit Chriſtus) *datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum.* Verſ. 13. *v. 13.* *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt.* Quibus verbis innuit ſe nullum myſterium docuiſſe turbas. Cur Chriſtus illis turbis ſubticet myſteria fidei? D. Chryſoſtomus homil. 46. apud Maldonatum in cap. 13. Matthæi, reſpondet ideò noluiſſe eos intelligere, ut diſcerent: excitatur enim auditorum ſtudium & inquirendi diligentia, cùm ea audiunt, quæ non intelligunt, & tamen animadvertunt habere magnarum rerum ſignificationem. Clarius meo judicio Stapletonus de poteſtatis Eccleſiaſticæ ſubjecto controverſ. *Staplet.*

troverſ. 2, lib, 5, cap. 2, reſpondet: *Populum nullum myſterium docuit, ut ipſi à paſtoribus ea diſcerent, non ſuo judicio inveſtigarent.* Per myſterium intelligit doctrinam fidei circa quam ſi aliquod dubium ſuboriatur à ſolis Apoſtolis & Paſtoribus præcipuè Apoſtolorum Coriphæo & Eccleſiæ capite dirimendum & judicandum cenſet. Sic Matthæi cap. 20. Joannis cap. 14, de futurâ ſuâ morte & reſurrectione, de judicio, de futuris ante judicium hæreticis, de miſſione Spiritus ſancti diſcipulos ſeorſim à turbis docet. Sic Matthæi cap. 17, ſuam transfigurationem, quâ Deum ſe manifeſtavit, immediatè communicavit Petro, Ioanni, & Jacobo, ſic Actor.cap.10.v.41. *Actor.c. 10.v.41.* D. Petrus diſſerens de Chriſti reſurrectione teſtatur. *Hunc Deus ſuſcitavit die tertiâ, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, &c.* *Vatabl.* Vatablus. *Teſtibus prius ad hoc delectis à Deo, &c.* Cur totis illis 40. diebus, quibus poſt reſurrectionem Chriſtus in terris egit, & plurima millia Judæorum in Chriſtum & ejus reſurrectionem creditura erant, ut facilius in illum crederent, non illis apparuit, ſed ſolis, & pauciſſimis teſtibus præordinatis, ſeu electis à Deo? ut per hoc nos doceret ſuâ providentiâ & diſpoſitione ordinaſſe, ut populus fidelis à paſtoribus ſupremis ab ipſo immediatè ordinatis edocerentur.

II. Vnde Eccleſiâ ſtabilitâ, grex Chriſti non permittitur ſe ipſum regere, ſeipſum paſcere, &c. Sed hæc cura demandatur Eccleſiæ paſtoribus Actor. *Actor.c. 21.v.28* cap. 21. verſ. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Per particulam *regere*, intelligit præcipuè regimen animarum, nè à viâ rectæ & orthodoxæ fidei ad erroneam hæreticorum deflectat, docendo quid credere debeant. Quia ſine rectâ fide impoſſibile eſt placere Deo. Cùm verò non omnes ſint æquales in Eccleſiâ, ſed alii ſint aliis præpoſiti, quibus cœteri obtemperare debent. *Hebr.13 v.17.* Hebræorum cap. 13. v.17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacite eis.* Obedite & ſubjacete maximè in regulis morum & fidei, quas obſervare præſcribunt. Vndè ſubdit. *Ipſi enim pervigilant tanquam rationem reddituri.* Quod de pontifice præcipuè intelligendum eſt. Sic Matthæi cap. 13. verſ. 29. non omnibus permittitur ex agro Dominico zizania eradicare & auferre, non omnibus maximè aniculis & ruſticis loqui permittitur in Eccleſiâ, ſed paſtoribus & prælatis Lucæ cap. 10. verſ 16. *Luc.c. 10.v.16* *Qui vos audit me audit.* D. Baſilius in conſtitut. cap. 22. D. Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. id explicant de Epiſcopo, à fortiori de Pontifice Romano, qui in decidendis controverſiis fidei errare non poteſt. Vndè præcipit honorandos eos qui ſuper cathedram Moyſis ſedent, ut nè quidem ab uno eorum mandato deflecti velit, Matthæi cap. 22. verſ. 3. *Matt c. 22.v.3.* *Quidquid dicunt facite.* Scilicet concernentia fidei myſteria, & bonos mores. Nec permittit omnibus prædicare verbum Dei, nec illud explicare, ſed ab iis qui ſunt miſſi, Romanorum *Rom. c. 10.v.15.* cap. 10, verſ. 15. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur, &c. Quomodò audient, ſine prædicante.* Quibus oſtenditur diſcrimen inter paſtores & populos, quod ad illos judicium Evangelicæ doctrinæ ſpectet, non verò ad hos: ut optimè Gratianus Imperator ſapientiſſimus dixit in Concilio Aquilienſi, quem ideò merito laudat divus Ambroſius. *S. Amb. Gratiā. Imp.* *A quibus proficiſcuntur inſtituta doctrina, ab iiſdem diſcordes eruditionis repugnantias ſolvi.* Pondera iſtud *à quibus*, non plebeis, non mulieribus, ſed paſtoribus, ſed Epiſcopis, ſed maximè Romano pontifice, cui univerſi orbis grex commiſſus eſt à Chriſto.

III. Vt Apoſtolus hoc demonſtrativè probet, ait 1. Corinth. cap. 12. v. 8. *1.Cor.c. 12.v.8.* *Alii datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii interpretatio ſermonum, alii prophetia, &c.* Quaſi diceret, poſſent omnes promiſcuè tam oves, quàm paſtores, tam populus fidelis, quàm eorum ſupremus pontifex, tam viri, quàm mulieres res fidei controverſas explicare, interpretari, ſi omnes accepiſſent ſermonem ſapientiæ, ſermonem ſcientiæ, interpretationem ſermonum, &c. ſed falſum eſt

quod Deus omnibus ejuſmodi dona communicaverit. Nam ſecundùm Apoſtolum eodem capite 12. verſ. 28. *Numquid omnes Apoſtoli? numquid*
v.28. *omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes interpretantur? &c.* Ideſt falſum eſt quod omnes interpretentur, &c. quia verſ. 8. *Alii datur per ſpiritum, &c. interpretatio ſermonũ, &c.* Verum quidem eſt, quod
v.25. verſ. 25. dicat, *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Tamen ſicut unum membrum ſuum munus exercet non munus alterius membri, ſic verſ. 26, *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes, exindè gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Divus Hieronymus ibi per Doctores, non laicos, non mulieres intelligit, ſed Epiſcopos, ſed Epiſcoporum Principem Damaſum, ad quem ipſe recurrit.

IV. Hinc idem Apoſtolus ejuſdem epiſt. cap. 14. verſ. 34. prohibet mulieribus in Eccleſiâ loqui. *Mulieres in Eccleſiâ taceant, ſi quid autem volunt diſcere domi viros ſuos interrogent: turpe enim eſt mulierem loqui in Eccleſiâ.* Interpretes paſſim hunc locum ſic explicant; quod in primitivâ Eccleſiâ adhuc rudi expediebat ut fideles maximè mulieres multa ignorarent, & ad eorum ſalutem opus erat ut fœminæ myſteriis fidei imbuerentur: quæ cùm eſſent ſublimiora, & captum humanum excederent diligenti Doctoris explicatione indigebant. Neceſſe igitur fuit, ut mulieres rudiores interterrogarent ea, de quibus dubitabant & quod ignorabant addiſcerent. Privatim inſtrui domi ſuæ, vel adire domum inſtructoris indecens erat: neceſſe ergò erat, ut templum adirent ut inſtruerentur de his quæ ſpeciatim dubitabant. Mulieres enim plures habent maritos vel idiotas, vel ruſticos, qui illas inſtruere nequeunt. Quomodò enim inſtruerentur ab iis viris, qui vix myſteria, & articulos ad ſalutem neceſſarios norunt: & tamen Apoſtolus præcipit. *Vt domi viros ſuos interterrogent, ſi quid volunt diſcere.* Nec in templo de ullâ re interrogent Apoſtolos, & viros Apoſtolicos, qui tunc fideles articulis fidei imbuebant. Ratio eorum cur ſilere mulieres in templo jubebantur, eſt, nè aſſidendo & colloquendo cum mulieribus viri Apoſtolici ſeducantur. Vndè Apoſtolus dicit *turpe.* Turpitudo autem maximè inficit. Divus Chryſoſtomus ibi. Chryſoſt.
Turpe eſt mulieri loqui in Eccleſiâ, pudorem incutit Apoſtolus, Quaſi diceret, magis expedit ut mulieres aliqua ignorent, modò ſciant quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, quàm ut exactè imbuantur fidei myſteriis palam in templo conſulentes viros Apoſtolicos, cum eorum periculo perdendi caſtitatem, vel concipiendi aliquas flammas & motus carnales. Vndè Apoſtolus concludit ſatius eſſe, ut *Domi viros ſuos interrogent, ſi quid volunt diſcere, turpe eſt enim mulierem loqui in Eccleſiâ.* Sed exiſtimo per illa verba prohibere iſti ſexui, & omnibus plebeis hominibus nimis curioſum, & exquiſitũ rerum divinarum, & myſteriorum fidei ſtudium & ſcrutinium, & multò magis magiſterium. Et præſcribere illis quid addiſcere debeant, ſcilicet quantum vir aliquis maritatus negotiis ſæcularibus vacans ſcire poteſt & tenetur. Nimirùm præcipuos articulos fidei, & nunquam ſe ingerant explicare, & interpretari ſcripturam, & controverſias fidei dirimere: undè ſacroſancta Synodus Tridentina ſeſſione 4. poſtquam contexuit canonem ſacrorum librorum ad coercenda inferiorum & maximè plebeiorum & muliercularum ingenia ſtatuit. *Vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacrã ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturarum ſacrarum, aut contra unanimẽ conſenſum Patrum ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat, &c.* Nibilominùs ſpretâ Sede Apoſtolicâ, quàm in controverſiis fidei Chriſtianæ Hieronymus & alii doctiſſimi viri ſemper conſuluerunt, & cui ſe ſnbmiſerunt, ſpreto ejus judicio, & Sanctorum Patrum conſenſu Scripturæ interpretationi,

tioni, myſteriorum fidei explicationi, controverſiarũ circa illa deciſioni ſe nolũt ingerere Quis credat quod tot ſæculis erraverit Eccleſia, quod tot ſæculis ſuum Vicarium deſeruerit, & verâ Scripturarũ intelligentiâ ac interpretatione, myſteriorumq; ac articulorum fidei vero judicio ac germano ſenſu privaverit: illudq́ue uni Luthero, Calvino, plebeio viro, vel aniculæ reſervaverit: Appoſitè de hoc ſcribebat Tertullianus lib. de præſcriptione cap. 22. *Et quid veriſimile, ut tot ac tantæ Eccleſiæ in unam fidem erraverint, nullam reſpexerit Spiritu ſanctus, ubi eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſu à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, ut eſſet Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias interim aliter intelligere, aliter credere, quàm ipſe per Apoſtolos prædicavit.* Tertull. Inſani ergo & impoſtores ſunt plebei, & privati homines, qui explanationem Scripturarum & dubia in fide ſe poſſe ſolvere exiſtimant.

§. 7.

Occuritur objectionibus.

I. HÆretici ſuam in docendo & explicando temeritatem fundare videntur in Oraculis Prohetarum, Chriſti & Apoſtolorum. Nam Iſaiæ cap. 54. verſ. 15. *Dabo* (inquit) *omnes filios doctos à Domino.* Iſaiæ c. 54. v. 14 Quibus verbis Deus polliceri videtur ſe immediatè docturum omnes filios Eccleſiæ independenter ab univerſali omnium paſtore & Prælatis. Sed falluntur (ut notat S. Cyrillus ad illũ locum.) Nam Propheta non promittit ſpiritum privatum revelantem ſingulis, ſed doctrinam Evangelicam, quam ipſe Deus ſeu Chriſtus annunciavit & docuit, quaſi diceret, olim docui ſæpè populum meum per Prophetas, per Eliam, Eliſeum, Michæã, Jonam, &c. Per figuras panem ſubcinericium Eliæ typum Euchariſtiæ: per lavationem Naman Typum Baptiſmi & Pœnitentiæ, &c. In ſomno vel alio modo Hebræorum cap. 1. v. 1. *Multifariam olim Deus loquens Patribus in prophetis.* Tunc autem velamine figurarum, ac umbrarum ſublato, divina illa myſteria in re per ſe ipſum docebit. Idem Apoſtus citatus. *Noviſſimè* (inquit) *diebus iſtis locutus eſt, nobis in filio, &c.* S. Bruno hunc locũ ſic reddit. *Multifariam id eſt multoties: quia & Abraham, & Iſaac, & Iacob, & unicuique eorum multis vicibus loquẽs, etiam multis modis: quia modò per ſomnia ut Danieli, modò apertâ voce, ut Moyſi. Nunc interiori aſpiratione, ut David. Vel multifariam id eſt diverſo genere locutionis, ut huic in ſomnio, illi ſermone aperto, illi interiùs aſpirando, & ideò diverſis modis. Quaſi in ſomno tantùm, putaretur mane quod ita fuiſſet auditum: ſed ubi hic aperto ſermone, hic in ſomno, alius internâ aſpiratione, omnes idem & de eodem perhibebant, certiorem fidem tot modis id eſt diverſis operationibus, ut in ardenti rubo Moyſi in vellere ſicco, & udo Gedeoni, & ſimiliter multis aliis olim loquens Patribus in prophetis, locutus nobis in filio. Quod ad illud antiquius præſens tempus ponit locutus: & ad illud quod quaſi præſens erat poſuit præteritum, Locutus ſignificat ſe idem loqui per filium, quod locutus per Prophetas. Niſi quod Prophetis occulta veritas, & adhuc complenda: in Filio autem aperta veritas, & completa. Dicens etiam Deus loquens Patribus locutus eſt nobis in filio, eorundem Patrum innui, eidem populo non diverſa ſe fuiſſe locutum &c. Locutus eſt noviſſimè ſcilicet in diebus iſtis, nullius novitate locutionis ulterius immutanda: ſed olim locutus in Prophetis eſt, non noviſſimè, quia veritatem locuturus in filio deſtructurus erat umbrã quam loquebatur in prophetis.* Bruno. Maldonatus in cap. 6. Ioannis addit. *Declaratur his verbis quid Deus tempore Evangelii quantum in ipſo erat facturus eſſet, & quid inter legem novam & antiquam intereſſet. quod in veteri homines per Prophetas, per ſacerdotes, per ſcripturam: in novâ per Spiritum ſanctum potiſſimum docerentur. Ut ex Ieremiæ, Iſaiæ, & Ezechielis teſtimoniis perſpicuum eſt, &c.* Maldo.

II. Rectè Sanctus Hilarius canone 13. in Matthæum ait ſolos diſcipulos Chriſti qui in eadem cum illo navi erant Hilarius

erant intellexiſſe ea, quæ ab ipſo dicebantur. Cæteros qui extra erant in littore non intellexiſſe. Omnes ad ſcholam vocantur pſalm. 33. verſ. 12. *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos, qui non veniunt, propterea non veniunt quia nolunt, quare ſi non docentur eorum eſt culpa.* Ex quibus patet Eccleſiam eſſe ſcholam cujus diſcipuli ſunt fideles, magiſtri ſunt Prælati, & præcipuè ſummus Pontifex, ac ſucceſſor Petri. Favet his explicationibus D. Auguſtinus lib. de gratiâ Chriſti cap. 12. 13. & 14. dicens ſenſum non eſſe Chriſtianos omnes mediante gratiâ ſeu revelatione divinâ intellecturos omnia fidei myſteria & arcana Scripturarnm, ſed ita per gratiam Dei diſponendos, ut non ſolùm Doctores & Prælatos exterius explanantes verbum Dei audiant, ſed etiam Deum ipſum interius inſtruentem auſcultent & audita opere cõpleant. Vt patet in duobus audientibus, quorum unus convertitur alter non. Vnus credit alter minimè. Qui credit, qui convertitur, dicitur doctus à Deo, nõ verò qui incredibilis perſeverat. Id innuiſſe videtur Chriſtus Ioannis cap. 6. verſ. 45. *Eſt ſcriptum in prophetis & omnes erunt docibiles Dei. omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me.*

Ioan. c. 6 verſ. 45.

III. Deus tamen per Jeremiam videtur his explanationibus cõtradicere, nam cap. 31. verſ. 34 promittit. *Dabo legem meam in cordibus eorum & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit ultra proximum ſuum dicens, Cognoſce Dominum. Omnes enim ſcient me à minimo uſque ad maximum eorum.* Credo hunc locum eo modo explicandum, quo S. Bruno ſupra explicavit locum Apoſtoli ad Hebræos cap. 1. Sic Divus Thomas in Jeremiam explicare videtur. Vel dicendum eſt cum D. Auguſtino lib. de Spiritu & littera cap. 24. per illa verba. *Dabo legem meam, &c. Deum declarare quod in novo teſtamento daturus erat fidem per charitatem operantem, quam Deus in cordibus noſtris diffundit, ut ſcientes mandata Dei illa impleamus: & per illa verba non docebit ultra, &c.* Denotat gloriam æternam, quæ eſt præmium fidei, quâ beati intuitivè Deum videbunt. Vel denique propheta non promittit omnibus notitiam myſteriorum, quæ ſunt abſcondita in ſcripturis, ſed cognitionem unius Dei, quam omnes in novo teſtamento habebũt, vix enim ſunt qui non ſciant eſſe unum Deum, ut patet in Turcis, Iudæis, &c.

Ierem. c. 31. v. 34

cap. 24.

IV. Hæretici ſibi Chriſtum favere exiſtimant, dum ait Matth. cap. 23. verſ. 9. & 10. *Vnus eſt magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis, &c. Nec vocemini Magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Ex quibus verbis concludunt Chriſtum eſſe ſolum Doctorem, qui nos interius doceat, nec cuiquam alteri docenti eſſe adhibendam fidem. Reſpondet Toſtatus ibi quæſt. 56. & ſequent. Bellarminus ſuprà. Maldonatus & alii Interpretes Matthæi, Chriſtum prohibere diſcipulis, nè mores Phariſæorum imitentur. Non enim abſolutè prohibet in terris vocari, vel vocare magiſtrum; ſed comparatè ad Deum neminem vult vocari Patrem, aut Magiſtrum, nec eſſe quis poteſt. Prohibet inquam, nè hujuſmodi titulos amoris & honoris honori & amori Deo debito præferamus: vel prohibet nè more Phariſæorum Patres aut Præceptores ambitiosè & gloriosè nominemur, vel alios nominemus, ut alibi oſtendimus ſicut 1. Corinth. cap. 3, verſ. 4. aliqui dicebant: *Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo.* Suo quiſque Magiſtro gloriantes. Alioqui certũ eſt quod liceat vocari & vocare aliquos Patres & Magiſtros, lib. 4 Regum cap. 2, verſ. 12. Eliſeus videns Eliam à ſe divelli clamabat. *Pater mi, Pater mi.* Chaldæus. *Magiſter mi, Magiſter mi.* Iidem verbis Joas Rex Iſrael affatus eſt Eliſeum jam jam moriturum lib. 4. Regum cap. 13. & cap. 6. verſ. 22. *Non percutiam eos Pater mi.* Elias ipſe, ſic Deum alloquens lib. 3. Regum cap. 19. verſ. 4. *Neque melior ſum quàm Patres mei.* Servi Naaman tali nomine eum compellant lib. 4. Regum cap. 5. verſ. 13. *Pater ſi rem grandem dixiſſet tibi.* idem teſtantur ſexcenti loci veteris teſtamenti. In novo teſtamento ipſe Apoſtolus ſe Patrẽ nominat. 1. Corinth. cap. 4. verſ. 13. *Nam ſi decem*

Matth. cap. 23.

1. Corint. c. 3. v. 4

l. 4. Reg. 2. v. 12.

l. 3. Reg. 19. v. 4.

1.Cor.c.4.v.15. *ſi decem millia Pedagogorum habeatis in Chriſto IESV per Evangelium ego vos genui.* Sed 1. ad Timotheum c. 5. verſ. 1. *Seniorem nè increpaveris, ſed obſecra ut patrem.* Idem 2, ad Timoth. cap. 1. verſ. 11. *In quo poſitus ego prædicator & Apoſtolus, & Magiſter gentium.* Hebræos cap. 5. verſ. 12. ita alloquitur. *Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſunt elementa exordii ſermonum Dei.* Proprii judicii in materia fidei aſſertores & Eccleſiaſtici judicii impugnatores producunt hæc Chriſti verba Joannis cap. 5. verſ. 34. *Ego teſtimonium ab homine*
Ioan. c. 5.v.34. *non accipio.* Ex quibus verbis inferunt Verbum Dei non accipere teſtimonium à verbo hominis. Ergò nec à Pontifice, nec à Concilio, cùm & Pontifex & Concilium & Eccleſia ex hominibus coaleſcant, ſed unuſquiſque per ſcripturam ſuaptè omnia dubia dirimere poteſt. Reſpondent Divus Chryſoſtomus, Leontius, Rupertus,
Maldo. & Euthymius apud Maldonatum ſenſum eſſe. Ego humano teſtimonio non indigeo. Non ut indicet Joannis teſtimonium fuiſſe humanum: divinum enim fuiſſe conſtat, licet per hominem pronunciatum. Ob eam enim cauſam Joannes miſſus eſt à Deo cap. 1. verſ. 6. *Vt teſtimonium perhiberet de*
Ioan. c. 1. v 6. *lumine*, Et verſ. 33. *Ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aquâ, ille*
v. 33. *mihi dixit, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Propterea non dixit* (inquit Rupertus) *Ego teſtimonium per hominem, ſed ab homine teſtimonium non accipio. Et Chriſtus loquitur de Ioannis teſtimonio, quale ille perhibuerat, id eſt non ex ſe, ſed ex Deo. Atque ipſum Chriſtus dicit ſe non accipere.* S. Cyrillus putat id per comparationem dictum, non
v.36. quod non acciperet Ioannis teſtimonium: ſed quia ait infra verſ. 36. *Ego autem teſtimonium habeo majus Ioanne.* Poſtquam igitur Ioannis teſtimonium produxit, dixit ſe nolle illo
Maldo. uti, ſed majus habere. Maldonatus ſic cum Theophylacto explicat. *Quod Ioannis teſtimonium produxerim non propterea feci, quod indigeam hominum aut Dei etiam per homines exhibito teſtimonio. Deus enim cum ſim, & ipſe per me edendis miraculis quis ſum declaraſſe poſſum, non indigeo teſtimonio cujuſquam. Vſus tamen ſum Ioannis teſtimonio, non propter me, ſed propter vos, ut qui mihi etiam miraculo facienti non creditis, Ioanni quem vos judicem conſtituiſtis, teſtimonium de me dicenti credentes ſalvi ſitis. Sicut enim cum vox de cælo intonuiſſet Ioannis cap. 12. verſ. 37. Et clarificavi & iterùm clarificabo.* Dixit verſ. 40. *Non propter me, ſed* v.40.
propter vos hæc vox venit de cælo. Eodem modo Actorum cap. 1. verſ. 8. Act.c.1.
Chriſtus dixit Diſcipulis. *Eritis mihi* v.8.
teſtes in Ieruſalem & in omni Iudæâ, &c non propter me ſed propter alios. Sic Martyres dicuntur Chriſti teſtes non propter ipſum, ſed propter credentes. Vel ſi eget teſtimonio, non propter ſe, ſed propter nos, quantumcumque enim aliquis privatus homo dicat, verbi causâ, illos libros eſſe ſacros, hos prophanos, hanc interpretationem eſſe veram & genuinam, illam non: illam propoſitionem eſſe de fide, non credemus niſi Eccleſia ſeu ejus caput declararit. Quod ſeclusâ Eccleſiæ & ejus capitis deciſione poſſit germanam ſcripturarum intelligentiam quilibet juſtus Deum diligens ac divinis mandatis obtemperans.

V.

Sic probant hæretici his Chriſti verbis Ioannis cap. 7. verſ. 17. *Si voluerit* Ioann c.
voluntatem ejus facere, qui miſit me, 7. v.17
agnoſcet de doctrinâ meâ, utrum ex Deo ſit. Omiſsâ Maldonati & aliorum reſponſione, reſponſio Bellarmini lib. 3.
de verbo Dei cap. 10. mihi magis arridet ſcilicet Chriſtum hæc non dixiſſe, ut oſtenderet omnes juſtos poſſe veram ſcripturarum intelligentiam aſſequi: ſed in juſtis non eſſe ea impedimenta, quæ injuſtos retardant nè per ſe, nec per alios poſſint fidei veritatem intelligere. Nam, *quomodò* (inquit Chriſtus Ioannis cap. 5. verſ. 45.) *vos poteſtis credere qui gloriam ab invicem accipitis.* D. Bernardus ſerm. 9. Bernard
in pſalm. Qui habitat. *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, &c. excæcatrix cordium, &c.* D. Cyprianus loquitur de ambitione. *Hinc adulteratur*

Bellarm.

S s veritas

Cyprian. *veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ſchiſmata proſilitur, &c.* Quaſi dicerent, quomodò gloriæ & honorũ cupidi poſſent credere cùm eorum
Luc.c.16.v.14 cupiditas ipſos excœcet. Lucæ cap. 18 verſ. 14. *Audiebant hæc omnia Phariſæi qui erant avari, & deridebant eum.* Divus Chryſoſtomus hom. 64. in Ioan-
Chryſoſ. nem. *Gravis morbus eſt avaritia, qui & oculos cæcat, & aures obſtruit, & feris ſæviores reddit; non conſcientiam, non amicitiam, non conſuetudinem, non propriæ animæ ſalutem cognoſcere ſinit, &c.* Non tantùm amicos, & propriã conſcientiam facit ignorare, ſed Deum ipſum: ita ut qui antea Deum ignorabat per avaritiam ad cognoſcendum Deum ſtupidior redditur.
S.Amb D. Ambroſius ſermone 59. expendens illa verba 1. ad Timoth. *Radix omnium malorum eſt cupiditas, &c. Vides ergò* (inquit) *qui pecuniam appetit fidem perdit, avaritia enim cæcitas eſt errorem religionis inducit.* Idem in cap. 4. Lucæ. *Non videt quæ divinitatis ſunt, ſed cogitat quæ cupiditatis ſunt.* Divus Auguſtinus in pſalm. 53. *Quomodo proponent ante conſpectum ſuum Deum, ante quorum conſpectum non eſt niſi ſæculum.* Ex his patet Chriſtum innuere voluiſſe quomodo opum & vanæ gloriæ cupiditas oculis mentis cæcitatem inducat.

VI. Opponunt hæretici, Chriſtus dixit
Ioan.c.10.v.3. Ioannis cap. 10. loquens de vero paſtore verſ. 3. *& oves ejus vocem au-*
v.4. *diunt.* Verſ. 4. *Oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus.* Et conſequenter
v.11. verſ. 11. *Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Infert verſ. 14. *Ego*
v.14. *ſum paſtor bonus.* Igitur verſ. 17. *Oves*
v.17. *meæ vocem meam audiunt & ſequuntur me.* Quaſi diceret, vocem alienorum non noverunt, nec noſcere debent: Romanus Pontifex, Concilium, Doctores, &c. ſunt alieni. Igitur Chriſtiani ſeu oves Chriſti eorum vocem, interpretationem, explicationem, deciſionem in controverſiis fidei audire non debent cùm non ſint Chriſtus, & conſequenter (inquit Lutherũ apud Cochlæum) *Debeo dicere tu Papa concluſiſti cum Conciliis; nunc habeo ego Iudicium an acceptare queam necne, &c.* Et Brentius in Confeſſione Witembergicâ cap. de ſacra Scripturâ, & fuſius in prolegomenis contra Petrum à Soto. *Non licet* (inquit) *in cauſâ æternâ ſalutis æternæ ſententiæ ita inhærere, ut ſine noſtro ipſorum judicio amplectamur.* Item. *Ad unum quemque hominem privatum pertinet de doctrina religionis judicare & veram à falsâ, &c.* Quod toto ferè libro probare contendit. Idem docet Calvinus libro 4. inſtitut. cap. 9. 5. 8. 12. & 13. Kemnitius in examine 4. Concilii Tridentini, & alii hujus temporis hæretici negantes authoritatem interpretandi Pontifici Romano, Concilio, Epiſcopis: Et illud jus particulari judicio cujuſlibet privati hominis attribuentes. Reſpondet & ita explicat Guillandus illa verba Ioannis. *Oves meæ* Guillan. *ideſt electi & mihi à patre donati fidem recipiunt, & credunt me eſſe Chriſtum.* Eodem ferè recidit D. Auguſtini interpretatio, dicendo hęc verba intelligi de prædeſtinatis, qui priuſquam moriantur Dei invocationem audiunt, eamque ſequuntur perſeverantes uſque ad mortem, nec fit mentio ſcripturarum. Vel ſi de ſcripturarum intelligentiâ & interpretatione ſermo ſit, dicendum eſt Chriſtum loqui ſuis ovibus, vel per internam inſpirationem, vel apertè per os ſuorum Vicariorum, quibus ait Lucæ cap. 10. Lucæ c.10.v.16
verſ. 16. *Qui vos audit, me audit.* Sic Chriſtus. *Vocem meam audiunt*, ideſt non hoſtium meorum, quos ſub nomine alieni comprehendit. *Alienum autem non ſequuntur.* Item. *Non audiunt vocem alienorum.* Sed meam, nimirùm vel immediatè, per inſpirationem, vel mediatè per meos Vicarios.

Apoſtolus videtur interpretatio- VII.
nem ſcripturarum & deciſionem cõtroverſiarum fidei attribuere non Pontificibus Romanis, ſed iis qui habent majorem fidem, Romanorum cap. 12. verſ. 6. *Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis differentes: ſive prophetiam ſecundùm rationem fidei; ſive miniſterium in miniſtrando.* Græci per rationem intelligunt analogiam, ſeu menſuram & propoſitionem fidei. At plures ſunt plebei

plebei qui majori fide ſunt præditi quàm prælati. Quod major eſſe poſſit fides in uno quàm in alio paſſim docent Theologi cum Divo Thomâ 2. 2. quæſt. 67. art. 4. & alii. Ex recentioribus Pater noſter Lezana tomo 3. ſummæ Theolog. tractatu 1. de fide, diſput. 7. quæſt. 3, aliique apud ipſum: non ex parte objecti formalis *quo*, quod eſt prima veritas: Nam eadem eſt, indiviſibilis reſpectu omnium: ſed quantùm ad modum credendi objecta materialia fidei poteſt eſſe major in uno quàm in alio, quia aliquis poteſt plura credere explicitè, quæ alius tantùm implicitè credit. Poteſt etiam fides eſſe major in uno quàm in alio propter majorē intentionem, ut patet Matthæi cap. 15. verſ. 28. *Mulier magna eſt fides tua.* 1 Corinth. cap. 13. verſ. 2. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam.* Et loco citato. *Sicut diviſit Deus unicuique menſuram fidei.* Omnes autem menſuræ aliæ ſunt longiores, aliæ breviores. Igitur & fides poteſt eſſe intenſior vel remiſſior. & aliquis in eâ creſcere, ut patet Lucæ cap. 17. v. 5. *Domine adauge nobis fidem.* Item 2. Corinth. cap. 10. verſ. 15. *Spem autem habentes creſcentis fidei veſtra.* Et ex oratione Eccleſiæ. *Da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum.* A fortiori poteſt fides eſſe major vel minor in diverſis hominibus. Et confirmatur ex Concilio Tridentino ſeſſione 6. docente habitus infuſos dari à Deo juxta diſpoſitionem recipientis, ſed omnes non ſe diſponunt æqualiter ad fidem, nec habent actus æqualiter intenſos, nec conſequenter habitus erit æqualis, ſed in uno intenſior quàm in alio. D. Thomas addit fidem poſſe eſſe majorē in uno quàm in alio ex parte intellectus, ob majorem certitudinem & firmitatem. Ex parte voluntatis, ob majorem promptitudinem, devotionem, vel confidentiam. Illis qui majori fide præditi ſunt modo jam explicato potius cōpetit interpretatio ſcripturæ, & reſolutio dubiorum fidei, quàm aliis, ut Prælatis majorem fidem habentibus. Ad hoc dicendum eſt primò cum divo Ambroſio, D. Thomâ, Theophylacto, Theodoreto prophetiam hic non accipi pro interpretatione ſcripturæ, ſed pro dono prænunciandi futura. Omiſſis variis prophetiæ acceptationibus. Propriè prophetia Græcè idem eſt quod prædictio, vel prophetia derivatur à *Pro*, ſeu *procul*, & *phanos*, quod eſt apparitio. Quia per eam apparent quæ ſunt procul. Divus Thomas 2, 2. quæſt. 171. art. 1. Salmanticenſes noſtri in arbore virtutum num. 169. per res autem quæ procul diſtant, ſcilicet à ſenſu naturali & cognitione hominum intelliguntur res occultæ. Quam prophetiam poſt Caſſiodorum in præfatione ad pſalm. D. Thomam 2. 2. quæſt. 171. art. 1. noſtrum Pacchonium lib. 3. Quodlibet quæſt. 1. art. 1, Suarem tractatu de fide diſput. 8. ſect. 3. num. 2. & 9. Noſter P. Lezana ſupra quæſt. 7. definit *Cognitionem ex divinâ revelatione inditam, quâ res occultiſſimæ alicui manifeſtantur.* Nomine cognitionis intelligitur ſupernaturalis & divina, cùm enim ſit gratia gratis data debet eſſe quid ſupernaturale & divinum, & à ſolo Deo communicatum, ut innuit D. Petrus 2. epiſt. cap. 1. verſ. 20. *Non enim voluntate humanâ allata eſt prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirante.* Hæc prophetia licet communicari poſſit magnis peccatoribus, cùm non pertineat ad gratiam gratum facientem, nec habeat aliquam repugnantiam cum peccato (ut fuſius docet P. Lezana proximè citatus.) Tamen de facto & regulariter tantùm datur hominibus probis. Cujuſmodi fuerunt olim Elias, Eliſeus, Michæas in noſtrâ hiſtoriâ, & alii. Vndè in præfatis perſonis prophetiam poſſe eſſe argumentum ſanctitatis concludit P. Lezana ibidem. Deindè ad inſtantiam allegatam adverſariorum. Dico in Pontifice, & in Concilio eſſe majorem fidem quàm in homine privato, quia Pontifex ex Cathedra docens, & Concilium errare non poſſunt. Homo autē privatus poteſt. Tertiò reſpondeo cum Bellarmino lib. 1. de verbo Dei cap. 10. Eſto quod prophetia ſumatur pro dono interpretandi, ſeu pro dono prædicendi futura, tamen non favet judicio particulari cujuſque.

Matt c. 15. v. 28 — *1. Cor. c. 13. v. 2.* — *Luca c. 17. v. 5.* — *2. Cor. c. 10. v. 15.* — *Petr. 2. epiſt. cap 1. v. 20.*

Nam hæc verba *ſecundùm rationem fidei*, non connectuntur cum verbo *habentes*, ſed cum verbo ſubintellecto *adminiſtremus*. Nam Apoſtolus explicat uſus gratiarum, quæ gratis dantur, docetque prophetiam debere adminiſtrari ſecundùm rationem fidei; adeò ut nemo prædicet aliquid contra fidem, ſicut faciebant pſeudoprophetæ, nec explicet ſcripturas in ſenſu diſſentaneo fidei Catholicæ more hæreticorum. Objectiones pro judicio particulari & earum ſolutiones; vide apud Bellarminum tom. 1. lib. 3. de verbo Dei cap. 10. & alios.

CAPUT SEPTIMUM.

Rom. Pontificis ſanctitas relucet non permittendo ſchiſmata, quæ unitatem et ſanctitatem Eccleſiæ deſtruunt, & ab ambitione, & ab aliis vitiis procedunt.

DEus non tantùm voluit ſuam
I Eccleſiam eſſe unam in corpore, ſed etiam in capite. Vnitatem corporis Eccleſiæ præfiguravit una arca Noe, una domus in quâ agnus Paſchalis totus comedendus erat, una domus Rahab, una Chriſti tunica inconſutilis, una Congregatio Filiorum prophetarum tempore Achab. Vnitatem verò capitis Elias, dux & rector omnium prophetarum, currus & auriga populi Iſrael adumbravit. Ipſe etiam Adam omnium hominum caput. Nam quantùm ad Adam, cur omnia animalia bina, & bina creata ſunt, ille verò ſolus ſeparatim conditus eſt? Cur de illius creatione, ſicut de omnibus animantibus non dicitur maſculum & fœminam fecit eos?
Auguſt. D. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 1. & lib. 12. de Civitate cap. 21. & 26. reſpondet. *Alia* (inquit) *animalia creavit Deus maſculum & fœminam & hominem ſolum, formavitque mulierem ex illius coſtâ, ut vehementius commendaret unitatem & vinculum concordiæ, ut non tantùm inter ſe naturæ ſimilitudine, verùm etiam cognationis affectu necterentur.* Non abs re dicam, Deum ideò voluiſſe, ut omnes homines ab uno Adam originem ducerent, ut ſicut per eum humanum genus exiſtebat, ſic per illam unitatē capitis totius generis humani unitas pontificis deſignaretur, à quo tota Eccleſia influxū acciperet. Rectè divus Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ, unitatem Eccleſiæ probat variis ſimilitudinibus à naturâ. *Eccleſia Catholica eſt, quæ Domini luce perfuſa per totum orbem radios ſuos porrigit: unum tantùm lumen eſt, quod ubique diffunditur: nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in univerſam terrā copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos largius expandit: unum tantùm caput & origo una, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.* Idem infra. *Unā cathedram Chriſtus conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit.* Pondera illa verba, *ab uno incipientem.* Quaſi diceret, ſicut natura humana ab uno Adamo originem ducit, ſicut unus ſol per totum orbem ſuos radios porrigit, ſic Chriſtus voluit in Eccleſia eſſe unam fidem, unum baptiſma, unum caput ſeu cathedram, &c. D. Cyprianus infra. *Primatus Petro datur ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtraretur.*

Hanc unitatem capitis Petro com- II.
municatam non minùs clarè præfigu- l.4 Reg.
rare etiam videtur Elias. Nam Tex- 2. v. 7.
tus ſacer lib. 4. Regum cap. 2. verſ. 7. ait. *Ierunt ambo & quinquaginta viri de filiis Prophetarum ſecuti ſunt eos, qui & ſteterunt econtrà longè. Illi autem*
ambo ſtabant ſuper Iordanem. Verſ. 8, verſ. 8.
Tulitque Elias pallium ſuum & involvit illud, & percuſſit aquas quæ diviſæ ſunt in utramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum. Quandoquidem quinquaginta viri de filiis Prophetarum ſint cum Eliâ & Eliſeo, cur ſoli Elias & Eliſeus ſtant ſuper Jordanem? cur relictis aliis Elias ſolum Eliſeum aſſumit, & ambo tranſeunt per ſiccum?
Cur verſ. 9. *Cum tranſiiſſent, Elias* v. 9.
dixit ad Eliſeum poſtula quod vis, ut faciam tibi antequam tollar à te? Cur Eliſeus verſ. 13. *Levavit pallium Eliæ quod ceciderat.* Cur filii Prophetarum
verſ. 15. aiierunt. *Requievit ſpiritus* v. 15.
Eliæ

Eliæ ſuper Eliſeum? Cur *Venientes in occurſum ejus adoraverunt eum proni in terram?* Cur inquam, Elias illam optionem ſeu petitionem liberam non offert aliis filiis Prophetarum? Cur non ſaltem partem ſui pallii illis relinquit? Cur ſpiritum ſuum non illis diſtribuit ſicut & Eliſeo? Cur ipſum Eliſeum poſt raptum Eliæ filii prophetarum potius accedunt, eum adorant, & quidem proni in terram quàm alium? Quia Eliſeus totius ordinis prophetici regimen ſuſcepturus erat. Matt.c. 14.v.26. Sic Matthæi cap. 14. Apoſtoli verſ. 26. *Videntes IESVM ſuper mare ambulantem.* verſ.29 Verſ. 29. ſoli Petro Chriſtus dixit. *Veni, & deſcendens Petrus de naviculâ ambulabat ſuper aquam ut veniret ad IESVM.* Cur Chriſtus non ait reliquis Apoſtolis venite? Cur illi deſcendentes de naviculâ non ambulant ſuper aquam? ſed ſolus Petrus ambulando venit ſuper aquas ut ſuam præ aliis prærogativam capitis oſtenderet. Bernar. Divus Bernardus libr. 2. de Conſideratione ad Eugenium. *Inſtar Domini gradiens ſuper aquas unicum, ſe Chriſti vicarium deſignavit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe deberet, ſiquidem aquæ multæ, populi multi.* Joann.c. 21.v.7. Idem ferè egiſſe Divum Petrum teſtatur S. Joannes cap. 21. verſ. 7. *Dixit diſcipulus ille quem diligebat IESVS Petro; Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt tunicâ ſuccinxit ſe, (erat enim nudus) & miſit ſe in mare;* verſ. 8. verſ. 8. *Alii autem diſcipuli navigio venerunt, &c.* Quandoquidem Ioannes Petrum monuerat quod ibi magiſter adeſſet, cur etiam non miſit ſe in mare? cur cum aliis diſcipulis navigio venit? D. Bernardus citatus. *Quid illud? nempè ſignum ſingularis Pontificis Petri, per quod non navem unam, ut cæteri quiſque ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum: mare enim ſæculum eſt, naves Eccleſiæ.*

III. Cur Chriſtus in corpore & in capite Eccleſiæ iſtam unitatem ſtudiosè inſtituit? ut omnem monſtruoſitatem, & imperfectionem averteret; ſummam que perfectionem & ſanctitatem introduceret & conſervaret. Quò enim aliquid magis eſt unum & ſimplex, eò magis eſt perfectum. Suarez tomo 1. in 1. part. lib. 1. de eſſentiâ Dei cap. 4. num. 1. *Dubitari non poteſt quin cæteris paribus melius ſit habere totam rei perfectionem in ſimplici entitate, quàm ex plurium adunatione. Simplicitas ergò ex ſe circumſcribit modum eſſendi perfectiorem.* Suarez. Idem in Metaph. diſput. 30. ſect. 3. num. 3. *Quod eſt ſimplicius, perfectius eſt.* Et paulò poſt. *Simplicitas perfectionem indicat.* Vndè idem concludit citato libr. de eſſentiâ cap. 4. *Ergò talis modus entitatis Deo tribuendus eſt, quia tribuendum eſt illi quidquid eſt perfectius.* Idē in Metaph. diſput. citatâ. *Longè excellentius eſt habere ſummam, & conſummatam perfectionem in ſimpliciſſimâ entitate, quàm ex adunatione plurium.* Stapletonus in ſuâ principiorum fidei doctrinalium demonſtratione methodicâ Controverſ. 2. lib. 6. cap. 7. Staplet. hanc ſanctam Eccleſiæ unitatem tam in capite quàm in corpore ita probat. Vnitas Eccleſiæ non tantùm opponitur hæreſi, ſed etiam ſchiſmati, ſeu ad unitatem Eccleſiæ conſervandam non tantùm opus eſt ſanâ fide in Deum, ſed etiam verâ obedientiâ, communione, & charitate in totam Eccleſiam, & cùm totâ Eccleſiâ, maximè inter Eccleſiæ principes, & cum illis circa cultum religionis. Vndè Schiſmatici cenſentur, qui etſi retineant fidem univerſam, ſe tamen ſeparant à communione & ſocietate fidelium, præcipuè à paſtoribus ſuis, & ſeorſim colligunt: maximè verò qui ſe ſejungunt ab unitate ſedis Apoſtolicæ. Illud verò ſchiſma tunc perpetratur, quando immediatè deſeritur, & contemnitur vel totum corpus Eccleſiæ, vel certè ſummus Pontifex, qui eſt caput viſibile, ſeu Chriſti Vicarius: ex cujus contemptu etiam indirectè Chriſtus contemnitur, juxta illud Lucæ cap. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc.10. Diſſolvitur igitur ſancta Eccleſiæ unitas, non tantùm recedendò à fide & deſerendo Deum, qui eſt caput cœleſte, ſed etiam ſe ſeparando à paſtoribus Eccleſiæ. Vnitas Eccleſiæ econtrà conſervatur adhærendo non tantùm Chriſto capiti principali, ſed etiam Pontifici Romano capiti mini-

ſteriali à Chriſto inſtituto. Sanctus Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ. *Vt unitatis origo ab illo inciperet, & ut una Eccleſia monſtretur.* Quare cum tota ratio ſchiſmatis ſit ſeparatio à corpore quod eſt Eccleſia (ut docet D. Auguſtinus lib. de unitate Eccleſię cap. 4.) illa ſeparatio propriè non fit niſi ratione capitum ſeu paſtorum il-

Cyprian. lius corporis. Cùm ex D. Cypriano lib. 4. epiſt. 9. Eccleſia *ſit plebs ſuo ſacerdoti adunata, & ibi eſt Eccleſia ubi Epiſcopus eſt.* Sic ſchiſma eſt plebs à ſuo ſacerdote ſejuncta, & ubi Epiſcopus non eſt. Quia igitur Chriſtus dedit uni Petro claves, & ſic Eccleſiæ originem oſtendit, eidem Eccleſiæ commendans unitatem nõ tantùm in charitate, ſed maximè in fide in quâ fideles omnes concorditer vivere debent, quæ fides uni Petro primùm revelata eſt. Vnus Petrus cæterorum omnium petra, & pater conſtitutus eſt, Chriſtus pro unius Petri fide oravit ut non deficiat, uni Petro ſuas oves paſcendas commiſit. Vnum (ſcilicet Petrum) caput conſtituit, à quo omnis Eccleſiaſtica unitas verè manaret & perpetuò deſcenderet, omneſque ad hunc unum referrentur & illi adhærerent.

IV. Undè ſi quis ex Apoſtolis nomen Petri ſeu Petræ ſibi vindicaſſet, ſeorſim collegiſſet. Sic qui ſe ab univerſali Eccleſiâ dividit, & illius capitis nomen, & officium uſurpat, ſchiſmaticus ambitioſus cenſeri debet & impoſtor. Placet huc noſtram Eliæ figuram adducere. Severus Sulpitius narrat quod ſub S. Martini Turonenſis diſciplinâ

Severus Sulpitius quidam erant Monachi re & nomine tales, alii verò nomine tantùm, ſeu potius pſeudomonachi erant: inter eos fuit quidam nomine Anatholius, cujus larvatam vitam poſtquam deduxit. Idem Severus ſubjungit. *Animadverſum tamen eodem ferè tempore fuiſſe in Hiſpaniis juvenem qui cum ſibi multis ſignis authoritatem paraviſſet eò uſque elatus eſt, ut ſe Eliam profiteretur. Quod cùm plerique temerè credidiſſent, addidit ut ſe Chriſtum eſſe diceret: in quo etiam adeò illuſit, ut eum quidam Epiſcopus Rufus nomine & ut Deum adoraret. Propter quod cum poſteà ab Epiſcopatu dejectum vidimus. Plerique etiam ex noſtris fratribus retulerunt eodem tempore in Oriente quadã extitiſſe, qui ſe Ioannem eſſe jactitaret.* Ecce quò ambitio hominem effert, dum eum inducit, ut uſurpet non tantùm nomen Joannis Baptiſtæ, Eliæ, & Chriſti, ſed etiam eorum dignitatem & ſanctitatem ſibi attribuat. Verè diabolica dici poteſt. Quemadmodum enim dæmon primus ſchiſmaticus voluit exaltare ſolium ſuum & ſimilis eſſe altiſſimo, eamque divinitatem impio ſchiſmate primis parentibus in paradiſo commorantibus ſuggerere voluit. Sic illos Monachos, qui in clauſtro & cellâ vivere debebant ad eum ambitionis gradum adducit, ut alius pro Joanne Baptiſtâ, alius pro Eliâ, alius pro Chriſto haberi velit: Ejuſmodique tentationi diabolicæ conſentiendo omnem gratiam & ſanctitatem, quam ſibi comparaverant amittunt. Rectè D. Auguſtinus lib. 13. de Civitate cap. 13. *Diabolus vitio perverſitatis ſuæ factus eſt amator potentiæ, &c.* Sic & homines eum tantò magis imitantur, quantò magis neglectâ, vel etiam exoſâ juſtitiâ potentiæ ſtudent, ejuſque vel adeptione lætantur vel inflammantur cupiditate, ut negẽt mortales juſtitiam, & potentiam quæ immortalibus debetur. Auguſt.

Sic ſi quæ in Eccleſiâ oriantur ſchiſmata? ſi qui Romano Pontifici aſſimilari, ſeu potius ejus locum & nomen occupare contendunt, non ab aliâ radice procedunt quàm ab ambitione, quæ eſt omnis ſanctitatis ærugo. Divus Cyprianus ad Cornelium Papam epiſt. 55. *Non aliundè hæreſes ortæ ſunt, aut natæ ſchiſmata, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Eccleſiâ ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo poſt Domini judicium, & poſt populi ſuffragium, poſt Epiſcoporum conſenſum judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris hæreſim novam conderet.* Per illam particulam *tumens*, intelligit ſuperbũ. Quod clarius demonſtrat V. Cyprian.

epiſt. 69.

epiſt. 69 ad Florentium. *Quis noſtrum longè eſt ab humilitate? utrum nè ego, qui quotidie fratribus ſervio & venientes ad Eccleſiam ſingulos benignè & cum voto, & cum gaudio ſuſcipio? an tu qui Epiſcopum Epiſcopi, & judicem judicis ad tempus à Deo dati conſtituis? cùm Dominus Deus in Deuteronomio dicat cap. 17. Et homo quicumque fecerit in ſuperbiâ, ut non audiat ſacerdotem, aut judicem quicumque fuerit in diebus illis morietur homo ille, & omnis populus cum audierit timebit.* Poſtea idem inducit Deum loquentem Samueli. *Nō te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt: & adhuc Dominus in Evangelio, cum ei dictum eſſet ſic reſpondes Pontifici, cuſtodiens & docens ſacerdotalem honorem ſervari oportere contra Pontificem nihil dixit: ſed innocentiam ſuam tantummodò purgans reſpondit dicens: Si male locutus ſum exprobra de malo: ſi autem benè quid me cædis? Quibus verbis oſtendit longè ab humilitate eſſe qui ſe Epiſcopum Epiſcopi, & judicem judicis conſtituit, cujuſmodi ſunt Antipapæ.* De eâdem ſuperbiâ ſchiſmatis & hæreſeos matrice ac fonte ibidem. *Indè enim* (inquit) *ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur.* Per Epiſcopū qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, intelligendus eſt ſummus Pontifex. D. Cyprianus ſic conſequenter cuidam Puppiano reſpondet. *Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor? quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio? ad cognitionem ſuam præpoſitos ac ſacerdotes vocare ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententiâ tuâ abſoluti. ecce jam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus Antiſtitem, nec Deus ſacerdotem.* Majori ſanè ſuperbiæ tumore inflati ſunt, qui ſupremum Eccleſiæ regimen ſibi attribuunt, vel in Eccleſiâ Romanâ eſſe negant. Qui omnem Eccleſiæ ſtatum promiſcuè & indiſcriminatim confundunt, Romano Pontifici à Deo ordinato ſubeſſe recuſant. Imò omnes Epiſcopos & ſacerdotes ab Eccleſiâ præſcribunt. Nonnè illos his Divi Cypriani verbis iterùm affari poſſumus. Cyprian. *Annne aliquando & dignare pronunciare de nobis, & Epiſcopatum noſtrum cognitionis tuæ authoritate firmare: ut Deus & Chriſtus ejus agere tibi gratias poſſint: quòd per te ſit Antiſtes & rector altari eorum pariter, & plebi reſtitutus. Apes habent Regem, & Ducem pecudes, & fidem ſervant latrones, mancipia obſequio pleno humilitatis obtemperant. Quantò ſimpliciores & meliores vobis ſunt bruta pecudes, & muta animalia, & cruenti licet ac furentes ac inter gladios atque inter arma prædones? & præpoſitus illic agnoſcitur & timetur, quem non ſententia divina conſtituit, ſed in quem facta perdita & nocens caterva conſenſit.* Idem S. Cyprianus epiſt. ad Rogatianum ſcribit, *Hæreſum initium ut præpoſitum ſuperbo tumore contemnant.* Quod magis de ſchiſmatis origine dici debet: quod non aliundè quàm à ſuperbiâ & ambitione originem ſæpè ducit, unde in tractatu de ſimplicitate Prælatorum. *Hæreſes* (inquit) *& ſchiſmata nata ſunt, dum conventicula ſibi diviſa conſtituunt.* Scilicet ex ſuperbiâ, qua à cœtu fidelium ſe ſegregant, & ſupremo eorum paſtori ſubeſſe dedignantur. Idem habet ſermone de zelo & livore.

VI. D. Epiphanius hæreſi 75. non aliam hæreſis (quod etiam de ſchiſmate dicendum eſt) matrem agnoſcit quàm ſuperbiam. Epiphă. Quam D. Baſilius libr. de inſtitutione Monaſticâ cap. 16. vocat peſtem diabolicam. Baſilius Quia *Angelus* (inquit S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum.) Fulgen. *adverſus Deum elatus & ipsâ elatione proſtratus, voluit uſurpare quod illi à Deo datum non fuit.* Gregor. Et Divus Gregorius lib. 34. Moralium cap. 13. *Ius perverſæ libertatis appetiit, ut & præeſſet cæteris, & nulli ſubeſſet.* Et Divus Auguſt. Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. *Superbus ille Angelus à Deo ad ſemetipſum converſus & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis, quàm eſſe ſubditus eligens de Paradiſo cecidit.* Sic Hæreticus ac Schiſmaticus aliis præeſſe & nulli ſubeſſe nolunt. D. Gregorius lib. 3. Moralium cap. 3. ita de hæreticis ac ſchiſmaticis philoſophatur. Gregor. *Hæreticorum locus eſt ſuperbia: quia niſi*

niſi prius in corde intumeſcerent, ad pravæ aſſertionis certamina non convenirent: ita namq; malorum locus eſt ſuperbia, ſicut humilitas locus bonorum. Idem lib, 7. regiſtri cap. 55. de hæreticis loquitur ſeu potius ſchiſmaticis, qui Romano Pontifici obedire detrectant. *Hæretici Eccleſiæ & Romano pontifici ſubeſſe nolunt, quia de ſuis carnalibus actibus reprehendi pertimeſcunt.* Quod autem indubiè ſuperbia ſit hæreſis & ſchiſmatis mater innuit lib. 14. moralium cap. 14. *Quis* (inquit) *hæreticorum non in ſuperbiam extollitur?* Idem habet divus Hieronymus in caput 1. Abdiæ. *Quis hæreticorum non ſuperbus eſt, qui Eccleſiaſticam deſpiciens ſimplicitatem, ita habet Eccleſiæ homines quaſi bruta animalia, & in tantum ſuperbiæ, injuriæque tumorem erigitur ut contra ipſum creatorem armatus ſuum detrahens prophetis ejus.* Eos verò eſſe dæmonis primi ſchiſmatici imitatores ac diſcipulos qui Chriſto ejuſque Vicario ſubjici renuunt, & ab Eccleſiæ unitate recedunt, docet D. Auguſtinus lib. 11 de Geneſi ad litteram cap. 34. *Lucifer qui mane oriebatur, & cecidit, poteſt intelligi Apoſtatarum genus, vel à Chriſto vel ab Eccleſiâ: quod ita convertitur ad tenebras amiſsâ luce quam portabat, quemadmodum qui convertuntur ad Deum à tenebris ad lucem tranſeunt.* Ideſt qui fuerunt tenebræ fiunt lux. Idē de paſtoribus c 8 *Diverſis locis ſunt diverſa, ſed una mater ſuperbia. Omnes hæreſes genuit, ſicut una mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos.* Quaſi diceret aliqua ſunt mala in Eccleſiâ quæ ex diversâ origine ſcaturiunt: at hæreſis & ſchiſma unicam habet matrem, ſcilicet ſuperbiam: Ex eâ quippè omnes hæreſes, omnia ſchiſmata procedunt, ita ut de ſchiſmatico effari liceat quod idem Sanctus Auguſtinus lib. 11. de Civitate Dei cap. 13. *Lucifer* (inquit) *ſuâ ſuperbiâ velut privatâ poteſtate elatus ſuo recuſavit eſſe ſubditus creatori, & à ſocietate ſanctorum Angelorum, cæteriſque Angelis author fuit à Deo deficiendi.* Nam Lucifer inducit hæreſiarchas, ſchiſmaticos, ſeu antipapas, ut jugum Chriſti & ejus Vicarii excutiant, & à fidelium ſocietate recedant. Plures Patrū ſententias pro hoc argumento huc congerere poſſem, ſed nē prolixior videar, eorum tantùm libros proferam. Occurrit primò divus Athanaſius lib. de Incarnatione Chriſti & oratione 1. contra Arianos. D. Chryſoſtomus homil 37. in Joannem, & in caput 5. ad Galatas. Item homil. in epiſtolam ad Epheſios, homil. 2 in 1. ad Timotheum, hom. 2. & hom. 22. ad Romanos. Denique homil. 5 ex variis locis in Mattheum locis. Quos ſequuntur Lactantius, Firmianus in lib. de verâ ſapientiâ cap. 30. D. Ambroſius lib. 1. de pœnitentiâ cap. 15. D. Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 53. & lib. de utilitate credendi cap. 1. Theodoretus lib. 3. hiſtor. cap. 3. & lib. 3. hæretic. fabularum cap. 2. Et lib. 4. cap. 1. & cap. 3. Sanctus Pacianus lib. ad Simphorianum hæreticum Novitianum, & epiſt. contra tractatus Novatianorum & Julianum Apoſtatam. S. Anſelmus in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinthios.

Hieron.

Auguſt.

VII. Quomodò hęreſis & ſchiſma geminæ illæ ſorores ex ſuperbiâ prodierint, paulò attentius ex hiſtoriis videamus, ac 1.º quoad hæreſim. Primo ſæculo in ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis emerſerunt Simon Magus, Alexander Ærarius, Himenæus Diotrephe, Corintus apud Epiphanium hæreſi 21. & 28. Nicephorum lib. 4 cap. 7. Apoſtolum 1. ad Timotheum cap. 4. verſ. 14. & 15. Baronium anno 41, &c. Divum Joannē epiſtolæ 3, verſ. 9. & 10. Menandrianus teſte Epiphanio hæreſi 22. Ebion teſte Epiphanio hæreſi 31. Nicolaitæ in Apocalypſi cap. 2. verſ. 7. verſ. 14. verſ. 15. & D. Auguſtino hæreſi 5.

VIII. Secundo ſæculo ex inferni faucibus egreſſi ſunt Elxaiſ ſeu Jexeus apud Epiphanium hæreſi 19. Baronium ad annum 105. num. 2. 3. & 4. Saturninus apud Epiphanium hæreſi 23. Onuphrium anno 105. Baſilides apud Epiphanium hæreſi 23. Euſebiū anno 136. Adonem Viennenſem poſt annū 120. Carpocrates apud Epiphanium hæreſi 27. S. Auguſtinum hęreſi 7. Onuphrium anno 123. Alphonſum à Caſtro de ſcripturâ ſacrâ, Valentinus apud Tertullianum lib. contra

contra Valentinum, Baronium anno 145. Euſebium anno 146. Epiphanium hæreſi 31. ſanctum Auguſtinum hæreſi 11. Gnoſtici apud Epiphanium hæreſi 26. Theodoretum lib. 1. hæreticarum fabularum anno 120. num. 37. Antitactæ apud Clementem Alexandrinum lib. 3. ſtromatum, Baronium anno 120. num. 38. Aquila Ebionita. & Theodoſion Marcioniſta apud Baronium anno 137. 188. 203. Epiphanium lib. de ponderibus & menſuris, Bellarminum lib. 2. de verbo cap. 6. Hieronymum præfatione 2. in libros Paralip. Nazaræi apud Epiphanium hæreſi 29. D. Auguſtinum homil. 17. Caſtro verbo idololatria. Baronium anno 145. Baſſus apud Prateolum verbo Baſſus. Ptolemæus apud Epiphanium hæreſi 33. Secundus apud Epiphanium hæreſi 32. Prateolum verbo Secundus. Marcus apud Epiphanium hæreſi 34. Iræneum lib. 1. cap. 8. Colurbaſus apud Philaſtriũ lib. de hæreſibus, Epiphanium hæreſi 35. Baronium anno 175. Heracleon apud Epiphanium hæreſi 36. Cerdo apud Epiphanium in Anaceph. & hæreſi 41. Tertullianum lib. de præſcriptione. Caſtro verbo *malum*. Marcion apud Tertullianum lib. de præſcript. Irenæum lib. 1. cap. 29. Epiphanium hæreſi 42. & in Anaceph. Lucanus apud Tertullianum lib. de præſcript. Baronium anno 146. Apelles apud Epiphanium hæreſi 44. Baronium anno 146. Hermogenes apud Prateolum in Elench hæreſ. Tertull. lib. cõtra Hermogenem. Baronium anno 170. Lucianus apud Suidam verbo *Lucianus*, Baronium anno 171. Montanus apud Epiphanium hæreſi 48. Baronium anno 173. Quintiſiani & Priſcilliani apud Epiphanium hæreſi 49. Baronium 173. Aſcodrogitæ ſeu Aſcitæ apud Baronium anno 173. Pattalorynchitæ apud Phil. libr. de hæreſibus, Pateol verbo Pattalor. &c. Caſtro verbo *Silentium*. Tatianas apud Auguſtinum hæreſi 25. Epiphanium hæreſi 46. 47. Irenæum lib. 1. cap. 31 Epiphanium hæreſi 46. Caſtro verbo *Nuptiæ*. Severiani apud Baronium anno 174. Auguſtinum hæreſi 24. Caſtro verbo *Vinum, &c.* Bardeſanes apud D. Auguſtinum hæreſi 35. Epiphanium hæreſi 56. Caſtro verbo *Fatum*, & verbo *Libertas*. Archonſia apud Prateolum verbo Archonſ. Adamitæ apud Auguſtinum hæreſi 31. Epiphanium Anac. Quartadecimani ſeu Paſchatitæ apud Tertullianum lib. de præſcriptione. Caſtro verbo *Paſcha*. Baronium anno 160. & 198. Florinus apud Euſebium lib. 5. cap. 19. Caſtro verbo *Coitus*. Auguſtinum hæreſi 66. Prateolum verbo *Florinus*. Baronium 180. Theodoretus Coriarius apud Euſebium libr. 5. cap. 21. Theodor. lib. de hæreſ. Epiphanium hæreſi 54. Baronium anno 196 Caſtro verbo *Chriſtus*. Theodoretus Argentarius apud Tertullianum lib. de præſcript. Euſebium lib. 5. cap. 27. Baronium anno 196. Praxeas Baronius anno 196. Nemo inficiatur eos omnes quos duobus ſœculis inferni fauces exhalarunt, fuiſſe plenos ambitione & ſanctitatem Chriſti & Eccleſiæ labefactare voluiſſe. Nam in primis Simon Magus Deum legiſlatoris dignitate ſpoliare voluit, ut notat Epiphanius hæreſi 20. Sacerdotes cœlibatu privavit. Irenæus lib. 1. cap. 20. Nam inſtituit mulierum communitatem quo ſanè commento Eccleſiæ ſanctitatem inſigniter impugnabat.

Quod verò ex radice ambitionis IX.
procedebat patet Act. cap. 8. *Vt vidit* Act. c. 8.
Simon quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum datus eſt Spiritus ſanctus, obtulit illis pecunias. Præter Simoniã D. Chryſoſtomus homil. 18. in acta deprehendit in illo ambitionem. *Volebat hic Philippo eſſe clarior, qui inter diſcipulos erat.* De Thebute uno ex ſeptem primis hæreticis refert Nicephorus ſupra in eam audaciam & amentiam erupiſſe, ut paſſus repulſam Epiſcopatus ambitioſè petiti, à fide receſſerit exiſtimans ſe clariorẽ extra Eccleſiam futurum. Et ita de cœteris qui tum illo primo ſœculo, tum ſœculo ſecundo ab Eccleſiã defecerunt In tertio ſœculo & ſequentibus præter hæreſiarchas, qui dictæ Eccleſiæ ſanctitatem ſuã ambitione impugnare ſtuduerunt. Antipapæ etiam conati ſunt ambitioſè aggredi dignitatem pontificiam.

X. Primus fuit circa annum 221. tempore Caliſti I. Tunc enim Novatus Romam ad Eccleſiam Romanam evertendam acceſſit: & Novatianum Præsbyterum Romanum ambitioſè jam Cornelio infenſum impulit, ut ei ardentius obſiſteret. Qui fictis per calumnias criminibus Confeſſores à Cornelio abalienat, & excitat ut Novatiano adhæreant. Hic Novatianus ordinatus à tribus Epiſcopis fraudulenter inductis illicò Eccleſiâ ſchiſmate dividitur, & legitima Cornelii nominatio exploditur: præfatus Novatianus mittit ad omnes Eccleſias mendosèque ac calumnioſè declarat ſuam adverſus Cornelium electionem, multosque Epiſcopos ſeu Confeſſores in ſuam ſententiam adducit. Qui facti pœnitentes ad gremium Eccleſiæ redierunt. Novatianus ſuo ſchiſmate hæreſim adjecit Inprimis Baptiſmum differendum eſſe, donec æger in lecto decumberet. Symbolum Apoſtolorum mutilavit. Negavit remiſſionem peccatorum. Claves regni cœleſtis non eſſe in Eccleſiâ docuit, &c.

XI. Secundum ſchiſma ſeu ſecundus Antipapa fuit Vrciſinus, qui eodem anno quo Damaſus creatus eſt ex oppoſito fuit proclamatus Antipapa. Sed Anno ſequenti Vrciſinus Româ expellitur à Magiſtratu Prætextato & pax Eccleſiæ reſtituitur Damaſi ſtudio ac ſollicitudine. Cùm verò ejus fautores ipſum ut Pontificem ſemper colerent, & cœtus ſuos in ſuburbiis, Cryptis, & aliis locis privatis agerent. Tandem anno 369. totaliter expelluntur. Ita Baronius, Genebrardus, Onuphrius in Chronicis, Ciaconius in Damaſo. Tertium ſchiſma ſuſcitatum fuit in Eccleſiâ anno 418. ab Eulalio Archidiacono, qui defuncto Zozimo Eccleſiam Lateranenſem illicò occupavit cum comitatu aliquorum Diaconorum & Præsbyterorum, tumultuóſique populi turbâ à quibus ambitioſè curavit ſe eligi. Quæ electio illegitima, cum falsâ Symmachi præfecti urbis relatione Imperatori Honorio eſſet renunciata. Bonifacius evectus eſt, cujus electio recognita, examinata, & approbata eſt per Concilium. Cùm verò Eulalius contra Concilii & Imperatoris mentem ac reſolutionem temerè Romam repeteret ab Epiſcopis damnatus eſt. & ab Imperatore egredi compulſus. Bonifacius verò legitimus pacificè Romam regreſſus eſt. Ita Onuphrius, Genebrardus anno 420 Baronius 419. Ciaconius in Bonifacio I. Quartum ſchiſma oritur ſub Symmacho Papâ. Nam per factionem Feſti Patricii Laurentius Romanus publicatur Antipapa, unde tum in Clero, tum in populo & Senatu multas diviſiones, multa homicidia, & alia mala perpetrata ſunt. Quibus ut præſentaneum remedium adhiberet, tandem Conventu Ravennæ facto electio Symmachi eſt approbata. Baronius anno 501. Ciaconius in Symmacho.

XII. Quintum ſchiſma fuit Dioſcori diaconi contra Bonifacium II. quod morte ejuſdem Dioſcori ſimoniæ & ambitionis nota infamis extinctum eſt anno 53.. Baronius, Onuphrius illo anno. Ciaconius in Bonifacio II. Sextum ſchiſma contigit poſt mortē Joannis V. anno 686. ortum ex contentione, quæ occurrit ob Petrum Archipræsbyterum, & Theodorum Præsbyterum. Petrum enim Clerus, Theodorum exercitus Pontificem poſtulabat. Tandem utroque excluſo Corion electus eſt. Baronius anno 686. Platina & Ciaconius in Conone.

XIII. Septimum ſchiſma fuit anno 687. poſt obitum Cononis per Theodori Archipræsbyteri fœderatos cum ſectatoribus Paſchalis. Cui ſchiſmati remedium attulit electio Sergii Baronius, Onuphrius, Genebrardus, Palmerius, Opmeerus, Ado Viennenſis in chronicis anno 71, Nauclerus generatione 24. Platina & Ciaconius in Sergio I. Octavum ſchiſma ex Genebrardo in Chronico, ſeu decimum (ex Onuphrio) contigit paulò ante obitum Stephani III. per quoſdam qui domum Archidiaconi Theophilacti convenerant, huncque Stephano ſubrogare contendentes. Plures verò primarii curarunt eligi Paulum, ſtatim poſt obitum Stephani, & in ſede collocari: Fœderati Theophilacti

lacti

XIV. lacti diſperſi ſunt. Baronius anno 757. Nonum ſchiſma ſuſcitatum fuit à Conſtantino fratre Thotonis Nepeſini ducis Etruriæ contra Paulum I. Qui Paulus dum lethaliter decumberet, dux toto collecto exercitu Romam ingreſſus curavit eligi fratrem ſuum Conſtantinum clericum, & cõpulit Gregorium Epiſcopum, ut id faceret qui collatis ei cõtra ſanctos Canones ſacris ordinibus tandẽ eum corã duobus aliis Epiſcopis cõſecravit. Sicque tyrannicè intruſus Conſtantinus ſedem occupat per annum unum & menſem, idque ab anno 767. uſque ad annum 768. quo anno Ottone fratre ejus occiſo Conſtantinus fugam arripuit. Poſtea Wadiſpertus præsbyter convocatâ Romanorum turbâ curavit in Papam proclamari Philippum Monachum, qui poſtea cogitur ad Monaſterium redire, eo quod electio non eſſet canonica. Legitimè autem electus eſt Stephanus IV. qui celebrat Romæ anno 769. Concilium ad quod adducitur Antipapa Conſtantinus, effoſis primùm oculis, examinatur, condemnatur, & ejicitur ex Eccleſiâ Salvatoris in quâ Concilium celebrabatur, actaque ejus exeremantur. Baronius anno 767. & ſequent.

XV. Decimum ſchiſma naſcitur anno 824. cõtra Eugenium II. Licet nomen Antipapæ non exprimatur à Baronio ad annum 824. tamen Onuphrius in chronico, & Ciaconius in Eugenio II. eum vocant Zinzinum. Undecimum ſchiſma fuit anno 855. contra Benedictum III. per Antipapam Anaſtaſium faventibus legatis Imperatorũ, ſed renitentibus Clero, Epiſcopis, & populo, & dicentibus. *Nunquam indè poſitum & anathemate à ſancto Præſule, beatáq; Synodo vinctum conſentimus: ſed modis omnibus abjicimus, & à Dei cœtibus ſegregamus.* Ita Baronius anno 855. Onuphrius, Genebrardus in chronicis, Ciaconius in Benedicto III. Duodecimum ſchiſma accidit anno 891. Per Sergium Antipapam contra Formoſum. Baronius anno 891. Genebrardus in chronico, Ciaconius in Formoſo, Luitprandus Licinenſis lib. 1. cap. 7. Sigonius lib. 6. de regno Italiæ.

Decimum tertium ſchiſma accidit anno 897. contra Stephanum VII per Antipapam Bonifacium. Baronius anno 897. & alii. Decimum-quartum ſchiſma accidit anno 964. per pſeudo-Leonem contra Joannem XII. & Benedictum V. Baronius anno 964. Ciaconius in Joanne XII. & Benedicto V. Decimum quintum ſchiſma ſuſcitatum eſt tempore electionis Benedicti VIII. per Gregorium Antipapam, qui aliquorum favore contra ſacros Canones intruſus eſt, ſed ab Henrico Rege Germaniæ ſede pulſus eſt. Ita Baronius anno 1012. &c. XVI.

Decimum-ſextum ſchiſma oritur per Sylveſtrum, qui ſe Sylveſtrum III. nominavit & Joannem archipræsbyterum, quem Benedictus IX. ſedem dimittens ſibi ſubrogarat. Sed tribus perſuaſum eſt, ut ipſi ſe abdicarent, & legitimum ſedis ſucceſſorem agnoſcerent Gregorium VI. Decimum ſeptimum ſchiſma fit per Minciom qui falsò vocatus eſt Benedictus IX. ſivè X. & à Nicolao II expulſus eſt. Ita Baronius anno 1058. & ſequent. Decimum octavum ſchiſma ſuſcitavit Cadolous contra Alexandrum II. anno 1061. qui miſerè periit anno 1064. Baronius ibi. Decimum-nonũ ſchiſma fecit Guibertus, qui ſe Clementem III. curavit appellari contra Gregorium VIII. Baronius anno 1075. XVII.

Vigeſimum ſchiſma accidit anno 1118 per Mauritium Burdinum cõtra Gelaſiũ II. qui intruſus eſt ab Henrico Imperatore ſub nomine Gregorii. Hic Mauritius 1121 anno tandem à Caliſto II. captus in exilium mittitur, Baronius anno 1118. Vigeſimum primum ſchiſma fuit perpetratum à Theobaldo qui ſe falsò nominari fecit Cœleſtinum II contra Honorium II. ita Baronius anno 1124. Vigeſimum ſecundum ſchiſma fuit per Petrum Leonis falsò dictum Anacletum II. contra Innocentium II. Baronius anno 1130. Vigeſimum tertium ſchiſma formatum fuit per Cardinalem Gregorium electum anno 1138. ut ſuccederet prætenſo Anacleto II. qui falsò Victoris nomen accepit contra XVIII.

Innocentium II. ad cujus pedes paulò poſt cum ſuis electoribus ac fœderatis ſe humiliter provolvit. Baronius anno 1138.

XIX. Vigeſimum quartum ſchiſma excitatum eſt per Octavianum Antipapam, qui curavit ſe nominari Victorem IV. contra Alexandrum III. Baronius anno 1159. Ciaconius in Alexandro III. Vigeſimum quintũ ſchiſma fuit Guidonis Cremenſis falſò dicti Paſchalis III. contra eundem Alexandrum III Baronius anno 1166. Ciaconius in Alexandro III. Hic Guido anno 1170. miſerè obiit. Vigeſimum ſextum ſuſcitavit Joannes Vngarus falſò nuncupatus Caliſtus III. contra eundem Alexandrum III. Baronius anno 1170. Ciaconius in Alexandro III. Præfatus Joannes fuit exauctoratus & reprobatus in Concilio Veneto anno 1177. & anno ſequenti 1178. ſuæ ambitionis pœnitens pedibus Alexandri advolutus veniam obtinuit, ac benignè exceptus fuit. Baronius anno 1178. Vigeſimum ſeptimum ſchiſma excitavit Petrus, qui ſe Nicolaum V. nominari fecit contra Joannem XXII. Obiit Avenione in carceribus. Genebrardus, Onuphrius anno 1327. Vigeſimum octavum ſchiſma produxit Robertus, qui accepit nomen Clementis VII. contra Vrbanum VI. & ejus ſucceſſorem Bonifacium VII, ſeu IX Genebrardus, Onuphrius anno 1378.

XX. Schiſmatis vigeſimi noni author fuit Petrus de Lunâ, qui Roberto ſe ſubrogans accepit nomen Benedicti XI. ſeu XIII. contra Bonifaciũ VII. & ejus ſucceſſores uſque ad annum 1424. quo obiit. Genebrardus, Onuphrius anno 1394 & 1424. Schiſma trigeſimum authorem habet Ægidiũ, qui anno 1424. ſuccedens Petro de Lunâ ſeu pſeudo-Benedicto XI. Martinum III. ſeu V. impugnavit uſque ad annum 1428. tunc enim ceſſit Martino legitimo pontifici. Onuphrius, Genebrardus anno 1424. 1428. Schiſmati trigeſimo primo dedit initium Amedæus Sabaudus, qui in Concilio Baſilienſi Antipapa creatus eſt contra Eugenium IV. & vocatus eſt Fœlix V. ſed ſpontè ceſſit anno 1449. Genebrardus, Onuphrius anno 1439. & 1449.

Hæc ſchiſmata per ambitionem XXI.
omnium virtutum & ſanctitatis tineam orta eſſe, certiſſimum eſt. Quid de aliquibus ſentiant teſtes & authores omni exceptione majores audiamus. Auctor vitæ S. Bernardi lib. 2. cap. 1. de Petro Leone Antipapa hæc ſcribit. *Eâ tempeſtate Honorius Papa viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Nec mora in electione diſſidentibus Cardinalibus, & diviſa Eccleſia plures numero & ſaniores Conſilio, vitâ probabiles viri virtutum, Præsbyteri, Diaconi, Epiſcopi Innocentium elegerunt. Cujus vita, fama, & ætas, & ſcientia digna ſummo ſacerdotio habebatur. At verò pars altera infames aujus violentiâ non ratione corroborans Petrum Leonis ad hunc apicem aſpirantem fraudulentis machinationibus ſeorſum & præcipitanter nominat Anacletum, & cæteris renitentibus ordinavit.* Per *infames aujus.* Item. *Aſpirantem ad hunc apicem fraudulentis machinationibus*, intelligendi ſunt ambitionis proceſſus. Et ut oſtendat quæ flagitia, & impietates perpetret cœca ambitio, audi quæ poſtea ſubdat. *Nam Petro tam propriâ generis virtute quàm adhærentium ſibi affinitate multitudo tanta erat, ut ferè tota eum civitas ſequeretur, vel pecuniâ, vel commodis obligata. Congregaverat ſanè opes innumeras tam in exactionibus Curiæ, quàm in exactionum negotiationibus Curiâ, quas ad expectandas nundinas reſervarat. Inſuper & paterni cenſus ampla congeries eatenus ſigillata, modo diſtributa in populum, ad fas, nefas venalem plebem armaverat. Quibus erogatis, donaria regum in ornamentis Eccleſiæ ab ipſis evulſit altaribus, & cum calices frangere, & crucifixos aureos membratim dividere ipſi prophani Chriſtiani vel timerent vel erubeſcerẽt Judæos aiunt eſſe quæſitos, qui ſacra vaſa, & imagines Dei dicatas audacter cõminuerunt.* Hujus ſacrilegii meminit S. Bernardus epiſt. 242. illud Romanis improperans ab Eugenio recedentibus. Eandem Petri Leonis, ſeu pſeudo Anacleti ambitionem cum ſacrilegio & aliis flagitiis conjunctã exprimit epiſt. 126. ad Epiſcopos

Aquitaniæ

Aquitaniæ his verbis *Velimus, nolimus impleri quandoque neceſſe eſt veritatem Sancti Spiritus, fierique illam, quæ prophetico ſpiritu pronunciata legitur in ſcripturis diſceſſio. Sed væ homini per quem venit: melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Quis verò ille niſi homo peccati? quis ſuper electum à Catholicis Catholicum, & canonicè locum ſanctum invaſit. Quem tamen non quia ſanctius, ſed quia ſummus eſt affectavit. Invaſit, inquam, invaſit armis, igne, pecuniâ, non verò merito.* Verbum *affectavit* denotat ejus ambitionem. Hæc verò *invaſit armis, igne, pecuniâ, &c.* denotat ejus tyrannidem ſimoniam &c. Quod ſchiſma conſtat fuiſſe repreſſum per Innocentii ſanctitatẽ, ut patet his verbis: *Cujus vita, fama,* & cap. 41. De Petro de Lunâ ſeu pſeudo-Benedicto XI. ſeu XIII. Divus Antoninus 3. part. chronic. tit. 22. cap 5. §. 1. *Probandum erat præſuppoſitum in quæſtione eſſe verum.* (Anton.) *Nam & ſi verum judicari vel credi poſſet ex parte Benedicti viri callidi & ambitioſi: quod poſt modum rei eventus declaravit: cùm in Concilio Conſtantienſi renunciare noluerit, ſed in ſuo ſchiſmate ſolus permanens diſceſſerit.* Meritò Divus Bernardus epiſt. 124. ad Hildebertum Turonenſem Archiepiſcopum (Bernard) comparat Antipapas & ſchiſmatum authores Antichriſto. *Ecce Chriſtus Dominus iſte Innocentius poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorũ. Nam qui Dei ſunt, libenter junguntur ei: qui autem ex adverſo ſtat aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus.* Quod autem hæc verba de Anacleto Antipapâ intelligenda ſint, audi quid ſubjungat: *Cernitur abominatio ſtare in loco ſancto: quem ut obtineret incendit igne ſanctuarium Dei, perſequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam.* Et epiſt. 125. vocatur. *Beſtia illa de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias, & bellum gerere cum ſanctis, Petri Cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam.* Igitur quemadmodum verus AntiChriſtus per Chriſtum ſeu Sanctiſſimos ejus Præcurſores Eliam & Enoch profligabitur, ita Antipapæ per ſanctitatem Pontificum Romanorum ſuperantur.

D. Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo XXII. contra Donatiſtas cap. 6. differens de Auguſt. ſchiſmate ait eſſe deterius idololatriâ & ſchiſmaticos gravius puniendos quàm idololatras. *Idololatria gladio punita eſt, exuſtione bellicâ cæde & peregrinâ captivitate; ſchiſma hiatu terræ, ſepultis authoribus vivis, & cæteris cœleſti igne conſumptis. Quis jam dubitaverit hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt gravius vindicatum.* Alludit ad Core, Dathan & Abiron, qui non tam ob violatam religionem ſeu crimen idololatriæ, quàm propter ſeditionem ſeu ſchiſma contra Moyſen ſanctiſſimum pœnas luerunt. Vt notat D. Cyprianus epiſt. 65. ad Rogatianum. *Quod auſi ſunt ſuperbire &* (Cyprian.) *cervicem ſuam extollere, & ſacerdoti præpoſito ſe adæquare hiatu terræ abſorpti, at devorati pœnas ſtatim ſacrilegæ audaciæ perſolverunt.* Ideſt quia primatum uſurpare voluerunt. Hinc qui ſchiſmaticis non adhærentes legitimi Pontificis mortem ſubeunt Martyres cenſendi ſunt. Cujuſmodi fuerunt ii, quos refert Anaſtaſius Bibliothecarius in vitâ Symmachi Papæ, qui rabie ſchiſmaticorum occubuerunt. Quem ſequitur Ennodius in quâdam epiſt. ad Fauſtum his verbis. *Sed iſta magis illis cum lacrymoſo gaudio dixi quos aut effuſus ſanguis albo* (Ennod.) *curiæ cœleſtis adſcripſit, aut clara confeſſio, qui ſecundis confirment primordia ſucceſſibus.* Baronius ad annum 502. arbitratur ejuſmodi fideles à ſchiſmatis occiſos Martyrum albo eſſe inſcribẽdos. (Baron.) *Quibus declaro necatos in hoc ſchiſmate martyrii dignos fuiſſe coronâ, & illos gloriâ cõfeſſionis fuiſſe nobilitatos, qui aliquid eâ de cauſâ paſſi eſſent. At illud martyriũ quod quis patitur nè dirimatur Eccleſia confeſſio, non minùs certè, ſed multò plus meo quidem judicio habet commendationis, quàm illud quod ſuſcipitur, nè idolis omninò immoletur.* Pondera illud *plus meo judicio habet commendationis, &c.* ideſt majorem zelum, majorem amorem, majorem ſanctitatem exhibent, & conſequenter glorioſiorem Martyrii gloriam merentur, quàm illi qui pro fide mortem ſubeunt. Ratio Dionyſii Alexandrini eſt. *Nam in hoc pro unaquiſque*

animâ ſuffert martyrium, in hoc autem pro totâ Eccleſiâ. Quod motivum omni alii præponderat, & id ita explicari poteſt. Cùm enim Laurentius fuiſſet electus ſchiſmaticè contra Symmachum legitimum Pontificem, ſicut Novatus contra Cornelium, Vrſinus contra Damaſum, Eulalius contra Bonifacium, Anaſtaſius contra Benedictum III. Sergius contra Formoſum, Theobaldus contra Honorium II &c. Qui Symmacho adhærebant, vocem veri paſtoris audiebant, verum paſtorem ſequebantur, & ægrè ferebant unitatem Eccleſiæ diſcindi, ideòque potiùs elegerunt mortem ſubire quàm Epiſcopo Schiſmatico adhærere. Quod ſi ſuam ſanctitatem demonſtrant qui ſchiſmaticis ſe opponunt & ab iis patiuntur; à fortiori ſummus Pontifex qui contra præfatos ſchiſmaticos totis animis & viribus contendit. Ennodius inter Martyres recenſendum putat legatum, quem Nicolaus I. miſit ad Michaelem Auguſtum, quia cùm pro fidei orthodoxæ causâ Conſtantinopoli legatione fungeretur, licet variè vexatus, nunquam flecti potuit ut ab unitate Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ obedientiâ vel in minimo deflecteret. *Sicut* (inquit) *magnus Chriſti Confeſſor Ennodius, qui ab Hormiſdâ Apoſtolicæ memoriæ Conſtantinopolim miſſus innumeras miſerias à Græcorum veſaniâ pro fide Chriſti & ſtatu Eccleſiæ non ſemel pertulit, &c.* Eâdem coronâ Martyrii dignos cenſet Baronius auctoritati Eccleſiæ ſubſcribens, qui tempore ſancti Joannis Chryſoſtomi à Schiſmaticis occiſi ſunt. *Nam ſcimus* (inquit) *Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ necatos Clericos tempore ſancti Joannis Chryſoſtomi æquè Martyres coluiſſe, cujus probaſſe conſtat judicium, univerſam Eccleſiam Catholicam eoſdem Martyres pariter venerantem.*

CAPUT OCTAVUM.

Pontificis Romani poteſtas ſancta, qui nullam hæreſim docet.

Poſtquam Apoſtolus in fine capitis 10. ad Hebræos oſtendit vitam ſpiritualem juſti dependere à fide, quaſi à fundamento. Cap. 11. illius fidei præconia aggreditur, priùs explicans illius definitionem: Deindè eam commendans exemplis depromptis ex lege naturæ & ſcriptâ. Nam novem exempla producit ex Geneſi Abelis, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, &c. Deindè ad Exodum tranſit ex quâ proponit Moyſem. Poſtea ad librum Joſue, ubi de Raab, & muris Jericho qui corruerunt, &c. Inſuper ad libros Judicum, ubi de Gedeone, Barach, Samſone, Jephte. Pergit ad libros Regum, & in medium adducit Samuelem, Danielem. Denique reliquos ſcripturæ libros ſummariè percurrit: quibus exemplis oſtendit ſanctos regna cœleſtia adeptos eſſe, quorum nomina etſi ſuppreſſa ſint, tamẽ ad quædam facta ſpecialia deſcendit quæ eos quaſi digito demonſtrant. Inter illos præcipuè commendat fidem Eliæ, ut verſ. 35. *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* D. Thomas lectione 8. *Matres filios ſuos receperunt per reſurrectionem: quorum reſurrectio fuit quoddam præſagium futuræ reſurrectionis inchoata per Chriſtum. De iſtorum reſurrectione, vel magis reſuſcitatione habet lib. 3. Regum cap. 17. & lib. 4. Regum cap. 4.* Cui ſubſcribens Dionyſius: *Acceperunt mulieres videlicet mulier Sunamitis lib. 4. Regum cap. 4. & mulier Sidonia mediante reſurrectione, ſeu per reſurrectionem ex mortuis filios ſuos defunctos. Elias namque reſuſcitavit filium viduæ Sidoniæ. Eliſeus filium mulieris Sunamitis.* Præfigurantes ſcilicet, vel fide prævidentes futuram Chriſti & omnium hominum reſurrectionem. Idem habet Gorram & Palatios ibidem. Sed Apoſtolus infra clarius oſtendit

I. *Hebr. 11* v. 35. *Thomas.* 3. Reg. cap. 17. l. 4. Reg. cap. 4. *Dionyſ.*

oſtendit Eliam, Eliſeum, & filios prophetarum propter fidem illam aſperrimum vitæ genus amplexos fuiſſe Actor. cap. 1. proponit Nabutem, Michæam. *Sancti per fidem vicerunt regna, &c. alii ludibria & verbera experti ſunt, inſuper & vincula, & carceres lapidati ſunt, &c.* D. Thomas ibi lectione 8. *Sicut patet de Michæâ de quo lib. 3. cap. ult. & lib. 2. Paralip. cap. 18. dicitur quod percuſſit Sedechias in Maxillam, in quibus omnibus præfigurabantur paſſiones novi teſtamenti 2. Corinth, cap. 4. Spectaculum facti ſumus & Angelis & hominibus. Inſuper & vincula. Ponit mala ſanctis illata, quantùm ad incluſionem ſicut Ieremias de quo Ieremiæ cap. 20. dicitur, quod poſitus fuit in nervo. Nec ſolùm vincula, ſed etiam carceres, ſicut Ieremias, Ierem. cap. 37. & 38. Et Michæas lib. 3. Regum cap. ult.* Apoſtolus addit. *Lapidati ſunt.* Quem locum D. Thomas ſic explicat. *Quod quidem genus mortis erat commune apud omnes Iudæos, Matthæi 23. verſ. 37. Ieruſalem, Ieruſalem quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt. Sic lapidatus Naboth lib. 3. Regum cap 21. Et Ieremias, de quo legitur, quod Iudæi lapidaverunt eum &c. Zacharias etiam Ioradæ fuit lapidatus ut legitur lib. 2. Paralip. cap. 24* Apoſtolus proſequitur. *Secti ſunt, tentati ſunt.* Idem Divus Thomas ait tentatos fuiſſe ut cõſentirent. Tandem Apoſtolus ad Eliã & ejus alumnos digrediens. *Circuierunt in Melotis.* Idem D. Thomas ſic explicat. *Ponit mala voluntariè aſſumpta, & iſta ad tria reducuntur, ſcilicet ad exteriorem cultum, ad perſonæ ſtatum ibi degentes; ad habitationis locum, ibi in ſolitudinibus. Quantum ergò ad cultum dicit circuierunt in melotis & in pellibus caprinis. Melota eſt veſtis facta de pilis camelorum, ut quidam dicunt. Melius quod taxus habet pellem hirſutam, de quâ fit veſtis quæ dicitur melota. Pellis caprina cum hoc quod eſt hirſuta, eſt etiam vilis, Et hæc dicuntur de Eliâ lib. 4. Regum cap. 1. Quod erat vir piloſus & zonâ pelliceâ accinctus renibus, non ad oſtentationem, & ſic utebantur prophetæ. Quantum autem ad ſtatum, perſonæ egentes, quia carebant divitiis in quo præfigurabant ſtatum perfectionis novi teſtamenti, de quo dicitur Matthæi cap. 19. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ poſſides. Et hoc fuit ſpecialiter de Eliâ quia paſtus fuit à corvis, & à muliere viduâ lib. 3. Regum cap. 17. Pſalmo 87. Pauper ego ſum in laboribus. Deindè pſalmo 69. Egenus & pauper ſum ego.* Item Apoſtolus ait *Anguſtiati.* Divus Thomas *Sicut* (inquit) *de Eliâ qui fugit à facie Iezabel, lib. 3. Regum cap. 19. Et de David qui fugit à facie Abſalon lib. 2. Regum cap. 15.* Addit Apoſtolus. *Afflicti.* D. Thomas. *Labore corporali ſicut de Eliâ qui dormivit laſſus ſubter unam juniperum.* Textus ait. *Quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Quæ verba ſic explicat D. Thomas. *Quia mundani non erant digni ſocietate juſtorum. Ioannis cap. 15. Ego elegi vos de mundo propterea odit vos mundus.* Per ſolitudines, intelligit ſolita eorum habitacula; contemplationi ac pœnitentiæ opportuna, ut patet lib. 3. Regum cap. 19. Dionyſius. *In montibus & in ſpeluncis, & in cavernis terræ commorantes, ut legitur de Eliâ & filiis prophetarum, quos abſcondit Abdias tempore Iezabel. Vnde & David Pſalm. 54. Ecce elongavi fugiens & manſi in ſolitudine, fugerunt enim hominum aſpectus, ac ſtrepitus, ut Deo vacarent liberius.* Quod autem Elias & filii Prophetarũ hæc omnia paſſi ſint propter fidem, audi Apoſtolum. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati.* Ideſt hæc omnia mala pertulerunt propter fidem. Audi D. Anſelmum. *Hi omnes poſt nominatim vel tacitis nominibus in exemplum adduxi, ſic probati ſunt in fide conſtantes.* Dionyſius. *Actione procedente ex fide vel paſſione propter fidem ſuſceptâ dante teſtimonium eorum quod verè fideles fuerant.* Gorram. *Primò quorundam nominatorum poſuit exempla, per quæ oſtenditur virtus fidei in operando ardua. Secundò quorumdam nequaquam nominatorum per quæ oſtenditur virtus fidei in ſuſtinendo gravia.* Vno verbo monſtratur Eliæ & ſequacium fides, tentata & impugnata, ſed nunquam expugnata. Quomodò facula illa fidei fuit

Thomas

l. 3. reg. c. 21.

l. 2. par. cap. 24.

l. 4. reg. cap. 1.

l. 3. reg. cap. 17.

l. 3. reg. cap. 19.

Dionyſ.

Anſelm.

Dionyſ.

Gorram.

fuit variis perſecutionum ventis & turbinibus agitata, ſed non extincta? Quomodo jubar illud prophetarum nullis unquam errorum tenebris potuit obſcurari? Quomodò Elias probatus fuit, ſed non victus, imò conſtantiſſimus ſtetit, & per tot vitæ diſcrimina firmç fidei teſtimonium ſemper exhibuit? Quomodò maluit ſuiipſius omnem curam dimittere, quā in fide vel minimùm vacillare? Et verè quomodò vacillaret in fide, quem ſanctus Chryſoſtomus ſanctiſſimum vocat. Quomodò à fide deficeret, qui alios à fide deficientes in viam ſalutis reducit? qui hoſtes fidei tam conſtanter aggreditur & delet: qui ſe à divinis mandatis non deflexiſſe reſpondet Regi Achabo, qui operâ carnis ita abhorret. Ex quibus patet vitæ ſanctimoniam ac auſterum vivendi genus multùm Eliæ contuliſſe ad fidem propugnandam & conſervandā & merito.

II. Nam Apoſtolus ad Galatas cap. 5. verſ. 9, inter opera carnis numerat defectionem à fide. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, &c.* Quomodo inter opera carnis recenſetur defectio à fide? Quid commune habet hæreſis, &c. cum operibus carnis? Reſpondet Origenes lib. 6. in epiſtolam ad Romanos. Ideò hæreſim inter opera carnis numerari, quia hæreſis eſt mater nimii affectus ad corpus vel ad ea, quæ ſunt corporis, vel ad ſe ipſum. Cui adſtipulatur D. Chryſoſtomus homil. 1. operis imperfecti, ubi exemplum Salomonis & Roboami affert de ſciſſo regno. *Sic populus Chriſtianus inprimis bene agens proſperatus eſt: procedente autem tempore cùm cæpiſſet delinquere, & amare quæ carnis ſunt, & mundi, excitavit Deus ſuper eum ſchiſmatis ſpiritum, & conſciſus eſt in hæreſes.* Divus Auguſtinus in lib. de verâ religione cap. 10. *Sit tibi manifeſtum atque perſpectum nullum errorem in religione eſſe potuiſſe, ſi anima pro Deo ſuo non coleret animam, aut corpus, aut phantaſmata ſua, authorum aliqua duo conjuncta, aut certè ſimul omnia.* Ex quibus de Eliâ contrarium infero. *Sit tibi manifeſtum atque perſpectum nullum errorem in Eliâ eſſe potuiſſe, qui pro Deo ſuo non coluit animam ſuam, aut corpus, aut phantaſmata ſua, authorum aliqua duo conjuncta aut certè ſimul omnia,*

Chryſoſ. Auguſt.

III. Quomodò in hæreſim & errorem incidiſſet, cujus vita fuit tam ſancta, & mores tam benè compoſiti? Vita enim prava & corrupti mores hæreſim generant. *Quam quidam repellentes circa fidem naufragarunt.* 1. Timoth. cap. 1. verſ. 19. Ex quibus verbis Theodoretus in præfat. lib. 2. hæretic. fabularum. *Habens* (inquit) *bonam conſcientiam quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Et D. Chryſoſtomus ſermone in dictum Apoſtoli Rom cap 2. verſ. 13 *Nolo vos ignorare fratres, &c.* ait *ſicut mala dogmata impuram inducere conſueverunt vitam, ita & vita perverſa dogmatum perverſitatem ſæpè parit.* D. Hieronymus in cap. 5. Jerem. hæreſim præcipuè in luxuriam & gulam refundere ſolet. *Nulla hæreſis niſi propter gulam ventremq; conſtituitur, ut ſeducat mulierculas oneratas peccatis* Et in cap. 7. Oſee. *Rarò hæreticus diligit caſtitatem.* Et item in cap. 9. *Difficile eſt reperire hæreticum qui diligat caſtitatem, non quod eam præferre deſiſtat in labiis, ſed quod non ſervet in conſcientiâ aliud loquens & aliud faciens.* At omnium ore Eliâ nemo purior, nemo caſtior, nemo temperantior fuit. Quod ſi aliquorum lapſus in hæreſim provenit ex laxioris vitæ deſiderio. Quis hoc Eliç audeat improperare, quem diſciplinæ ſtrictiſſimæ authorem, & parentem omnium Monachorum paſſim D. Hieronymus & alii prædicant? De eo Divus Gregorius Papa dicere non poteſt quod lib. 7. Moral. cap. 5. *Non ob aliud* (inquit) *ignorantiæ ſuæ cæcitate volvuntur, niſi ut Eccleſiaſticam fugiant diſciplinam, & perverſè habeant, ut voluerint vivendi licentiam: quia nec quid defendant, nec quid ſequantur, intelligunt.* Quod ſi alios ſuperbia & ambitio ad hæreticam pravitatem deducit, ut cap. præcedenti dictum eſt, & innuit idem D. Gregorius lib. 3. Moralium cap. 13. *Hæreticorum locus eſt ipſa ſuperbia: quia niſi prius in corde intumeſcerent ad prava aſſertionis*

1. Tim. c. 1. v. 19 Theodor. Chryſoſ. Hieron. Gregor.

aſſertionis certamina non convenirent: ita namque malorum locus eſt ſuperbia, ſicut humilitas locus bonorum. D. Iſidorus Peluſiota epiſt. 237. addit pertinaciam. *Hæreſes vel ex ambitione, vel ex pertinaciâ (quæ duæ paſſiones ſunt expugnatu quàm difficiles) natas exiſtimo. Nam qui parere aliis detrectarunt, quique præconceptâ aliquâ opinione docere noluêre, novæ doctrinæ jecerunt ſemina, dum rectè conſtitutis inhærere recuſarunt.* Quantùm Elias ab ambitione, à luxu & cultu corporis fuerit alienus, quantoperè ſectatus fuerit humilitatem, & ſui ipſius contemptum teſtantur habitus, victus, ejus domicilium, ejus inceſſus, Nam lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 40. *Currebat ante Acab.* Quaſi pediſſequus & minimus miniſtrorum. Denique ſi dæmon omnium errorum parens teſte divo Athanaſio oratione contra Arianos. *Hæreſum princeps diabolus.* Et oratione 2. *Hæreſum excogitator & inventor diabolus.* Et epiſtolâ de ſententiâ Dionyſii contra Arianos. *Hæreſum ſuppeditator Diabolus.* Et epiſt. de decretis Nicænæ Synodi. *Diabolus hæreſum author & ſuaſor.* Elias nunquam demoniis aures præbuit: imò illorum hoſtem infenſiſſimũ ſe exhibuit, recurſum ad ea damnavit, lib. 4. Regum cap. 1. verſ. 2. verſ. 3. verſ. 6. verſ. 16. *Quia miſiſti nuncios ad conſulendum Belzebuth Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſet interrogare ſermonem, ideò de lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris.* Hunc Belzebuth Chriſtus Matthæi cap. 12. verſ. 24. & Lucæ cap. 11. verſ. 15. vocat principem dæmoniorum.

Iſidorus. l. 3. reg. cap. 18. v. 40. Athan. l. 4. Reg. cap. 1.

IV. Romanum Pontificem nunquam erraturum à fide, vel docturum hæreſim prædixit Chriſtus Petro Lucæ cap. 22. verſ. 31. *Simon, Simon ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.* Verſ. 32. *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Non dicit ut trituaret, ſed ut cribraret. Nam cribratur triticum ut purgetur & probetur. Teritur verò ſeu trituratur, quando conculcatur, quando conſumitur, & perit. Ovidius 1. de arte.

Luc. c. 22. v. 31. Ovidius

Franoq; magnanimi dente teruntur equi.

Virgilius lib. 4. Georgicon. *Virgil.*

Ipſe labore manum duro terat: ipſe feraces,
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.

Columella lib. 1. cap. 6. *Eventilata mundiora ſunt, lapilliſque carent & glebulis quas per trituram ferè terrena remittunt.* Et textus ſacer Iſaiæ cap. 21. verſ. 29. *Cecidit, cecidit Babylon & omnia ſculptilia Deorum ejus contrita ſunt in terra, tritura mea & filii areæ.* Idem cap. 25. verſ. 20. *Et triturabitur Moab ſub eo ſicut teruntur palea in plauſtro.* Cap. 28. verſ. 28. *Non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri, nec ungulis ſuis comminuet eum.* Et cap. 41. verſ. 15. *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans novum habens roſtra ſerrantia. Triturabis montes & comminues, & colles quaſi pulverem pones.* Amos cap. 1. verſ. 3. *Super tribus ſceleribus Damaſci & ſuper quatuor non convertam eum eo quod trituraverunt in plauſtris ferreis Galaad.* Et in noſtrâ hiſtoriâ lib. 4. Regum cap. 13. verſ. 7. *Non ſunt derelicti Ioachaz de populo niſi quinquaginta equites & decem, & decem millia peditum. Interfecerat enim eos Rex Syriæ quaſi pulverem in tritura areæ.* Dionyſius. *Supplantaverat ac deſtruxerat decem tribus ut pulverem, & ſicut pulvis conteritur in excuſſione granorum in horreo.* Et Toſtatus ibi quæſt. 4. *Tantùm comminuerat Iſraelitas, quòd fecerat eos quaſi pulverem in Area: quia pulvis areæ, in quâ trituratur minus teritur.* Qui tentantur, ſed non ſuperantur, non expugnantur, cribrantur. Qui verò à fide deficiunt & naufragium faciunt teruntur, triturantur. Fides Petri, fides Romani Pontificis cribratur, ſed non trituratur: agitatur, impugnatur: ſed non expugnatur. Chriſtus ergò innuere videtur quod dæmon meliorem concepiſſet opinionem de Petro & ejus ſucceſſoribus quàm hæretici noſtri temporis. Nam non ait *Satan expetivit vos ut trituraret, ſed ut cribraret.* Ideſt ut jactaret, ut agitaret, ſicque purgaret, quemadmodùm purgatur triticum. Cur Dæmon ſedis Apoſtolicæ hoſtis infenſiſſimus tantùm expetit illam cribare,

Columel. Iſaiæ c. 21. v. 9. c. 25. v. 20. c. 28. v. 28. Amos c. 1. v. 3. l. 4. reg. 13. v. 7. Dionyſ. Toſtat.

 cum

cùm ei potius bonum quàm malum ſuccedat? Quid enim poteſt Petro accidere, quàm magis ac magis purgari? poteſt nè dæmon expetere & deſiderare quæ potius profutura ſunt Eccleſię quàm obfutura? Nihil refert. *Cyprian.* *Expetiuit ut cribraret vos.* S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 4. *Vt vexar & vos.* Sciebat fidem Petri eſſe infallibilem, tamen voluit expetere aliquid impoſſibile. Deus ergò permiſit Petrum tentari, cribrari, ſed non triturari. Permiſit fidem ejus agitari, ſed non deficere. *Theoph.* Theophilactus in caput 22. Lucæ. *Quamvis enim brevi tempore concutiendus ſis, ſed habes recondita ſemina fidei. Etiamſi folia abjeceris, filius invadentis radix tamen vivet, & non deficiet fides tua, &c.* Egregiè comparat fidem arbori ſeu plantæ, fidem exteriorem frondibus, interiorem radici: & ait plantam fidei concutiendam eſſe, folia abjicienda: ſed radicē vivam ac ſuperſtitem fore. ideſt Chriſtum à Petro negandum ore, ſed non corde, quo creditur ad juſtitiam. Idem docet D. Ambroſius in pſalmū *S. Amb.* 43. *Sicut quidiſperſi ſunt probati, ita etiam qui ventilati ſunt ad probationem pervenire meruerunt. Sicut enim triticum ſi ventilatur, & à paleis ſeparatur mundum eſt, ſi autem ventilatum non fuerit mundum eſſe non poterit, ſed eſt paleis concretum atque permixtum: ita etiam homo niſi tentationibus fuerit vētilatus fragilia quæque veluti paleas à ſe non poteſt ſeparare. Vnde etiam ad Petrum dictum eſt. Simon, Simon ecce ſatanas expoſtulavit ut ventilet vos ſicut triticum, ego autem rogavi patrem meū, ut non deficiat fides tua. Vide quid dicit, & intellige ventilatur Petrus, ut Chriſtum negare cogatur: incidit in tentationes: quædam locutus eſt quaſi plena palearum, ſed locutus eſt verba ut fundatior eſſet affectu. Denique flevit, & paleas ſuas lavit, & illis tentationibus meruit, ut pro ſe Chriſtus interveniret. Quantò maius eſt patrocinium, quam perturbationis illius tentamentum, & ideò pluſquam paſſus eſt, acquiſivit. Acquiſivit enim Chriſtum ſibi patrocinantem. Cogitur autem & adverſarios ſanctos Domini ad ſua mala tentare. Dum enim tentat meliores reddit, ut qui tentatur poſſit alios inſtituere, qui ſibi ipſe invalidus videbatur. Denique Petrus Eccleſiæ præponitur poſtquam tentatus à diabolo eſt: ideóq́ ante ſignificat Dominus quod ſit illud, quod poſtea eum paſtorem legit Dominici gregis.* Ecce quomodò Petrus à dæmone cribratus negavit quidem Chriſtum, ſed fidem non perdidit, non docuit: negavit ōre, ſed animo fidem retinuit. Vndè cùm Joannes ſcribit Petrum reſpondiſſe. *Non ſum.* Lucas: *Non novi illum,* Marcus. *Neque ſcio, neque novi quid dicas.* Matthæus. *Neſcio quid dicis.* Maldonatus, *Quaſi dicat:* (inquit) *Maldo.* *Non ſolùm, non ſum quem tu dicis, ſed tantum abſit ut ſim, ut nè intelligā quidem quid dicas. Sic enim ſolemus reſpondere cùm ab eo crimine quod nobis objicitur longiſſimè nos abeſſe ſignificamus, non intelligo quid dicas, neſcio quid dicis.* De hac negatione verbali, ſed invictiſſima fide mentali intelligendus eſt D. Auguſtinus lib. de correptione & gratiâ cap. 8. *Quando rogavit ut nō deficeret fides ejus, rogavit ut in fide haberet liberrimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem.* Hoc ultimum verbum *voluntatem*, ſignificat Petrum ſemper in animo fuiſſe fidelem & invictiſſimum. Fuit quidem agitatus, ſed non dejectus. Agatho papa *Agatho.* in epiſtolâ ad Conſtantinum Imperatorem quæ lecta eſt in 6. Synodo actione 4. & approbata actione 8. *Dominus fidem Petri non defecturam promiſit.* Quaſi diceret, quidquid agant poteſtates infernales, quidquid moveant & moliantur viſibiles Eccleſiæ hoſtes, nunquam hæreticis novitatibus acquieſcet. Nicolaus papa ad Michaelem Imperatorem. *Privilegia iſtius ſedis perpetua ſunt, divinitus* *Nicol. I.* *radicata atque plantata. Impingi poſſunt, tranſferri non poſſunt: trahi poſſunt, evelli non poſſunt.* Ideſt non tantùm Petri, ſed etiam ejus ſucceſſorum fides inexpugnabilis eſt. Leo IX. ad *Leo 9.* Petrum Antiochenum. *Fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius.* Id promiſiſſe videtur Chriſtus Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Tu es Petrus* *Matt. c. 16. v. 18.* *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiā meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Ideſt ſuper te ædificabo Eccleſiam

Eccleſiam meam, te caput Eccleſiæ conſtituam, quod nunquam corruet. Cyrill. D. Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 12. *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas. Vocabulo ipſo commodè ſignificans quod in eo tanquam in petrâ, lapideq́; firmiſsimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Cur ait firmiſſimo? niſi ut oſtendat fore à diabolicâ potentiâ inexpugnabilem. Divus Auguſtinus in pſalmū contra partem Donati rectè Auguſt. ait. *Numerate ſacerdotes, vel ab ipsâ ſede Petri in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit videte: ipſa eſt petra, quam non vincunt inferorum portæ.*

§. II.

Occurritur objectionibus.

I. VNdè Hæretici falsò improperant Romanæ ſedi defectionem à fide, etiam in ipſo Petro, qui tamen à Chriſto maxima beneficia perceperat. Primò quidem quod Chriſtum Petrus negarit Matthæi cap. 26. Secundò, quod coegerit Gentiles judaizare, ad Galatas c. 2. Primò enim dicendum eſt ex præfatis negationem Petri fuiſſe factam ore, non corde. Secundò, Ejuſmodi negationem (eſto ſit facta corde) non eſſe numerandam inter errata Pontificum: quia tunc Chriſtus nondum ei Pontificatum contulerat. Quod verò Gentes coegerit judaizare, reſpondet Tertullianus lib. de præſcriptionibus non fuiſſe errorem prædicationis, ſed converſationis. Petrus enim non ſancivit eſſe judaizandum, imò contrarium docuit, Actorum cap. 15. Sic Pontifices nec errare nec errorem docere poſſunt.

II. Perperam etiam accuſant ſuperſtitionis Linum Petri ſucceſſorem, qui dicitur ordinaſſe, nè quà mulier niſi capite linteis cooperto templum ingrederetur. Cur enim hoc mandatum potius ſuperſtitioſum exiſtimatur quàm Apoſtoli 1. Corinth. cap. 11. verſ. 4. Non enim addidit propter Angelos, ſicut Apoſtolus: per quos D. Ambroſius non intelligit creaturas intellectuales ſed ſacerdotes, qui in ſcripturis Angeli nuncupantur. Victori Papæ falsò etiam objiciunt quod docuerit Chriſtum eſſe purum hominem. Hanc enim calumniam eſſe demonſtrat Euſebius lib. 5. hiſtor. cap. 28. Ex eo quod Theodoretus illius hæreſis author fuerit excommunicatus à Victore. Calumnia etiam eſt de Zepherino Victoris ſucceſſore (ut ſcribit Tertullianus) quaſi de Mōtani hæreſi infecto. Falſum enim eſt, quod dictus Pontifex agnoverit prophetias Montani, & ex eâ cognitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ attulerit. In hoc enim Tertullianus, ut potè Montaniſta non eſt ita credendus: conatur enim perſuadere, quod Romanus Pontifex ſuæ ſententiæ faveat. Plura pro hac re apud Bellarminum libr. 4. de Romano Pontifice cap. 8. Quantùm ad Marcellinum, qui idolis ſacrificavit, ut patet ex Pontificali Damaſi, Concilio Sinveſſano, epiſtolâ Nicolài I. ad Michaelem. Dicendum eſt illum nec docuiſſe aliquid contra fidem, nec fuiſſe hæreticum, vel infidelem niſi actu externo, propter metum mortis; nec ob hoc pontificatu excidit ipſo facto, cum tantùm ſolo metu idolis ſacrificarit. Licet ergò in aliquod peccatum lapſus fuerit, vel ex gratiâ exciderit, non tamen ſequitur quod aſſiſtentia Spiritus ſancti illi ut judici, & capiti Eccleſiæ defuerit.

III. Quod de Liberio Pontifice ſcribūt hæretici, eum ſcilicet ad Arianos tranſiiſſe, Arianam fidem fuiſſe amplexum, & Nicænam fidem abjuraſſe, & Conſtantino adhæſiſſe falſum eſt. Nam (ut notat Baronius ad annum Chriſti 357.) Liberius ſemper perſeveravit in fide Catholicâ, eandemq́; egregiè ab hæreſi vindicavit: ex Sandero lib. 7. de viſibili Monarchiâ, Bellarmino lib. 4 de Romano Pontifice cap. 9. Nec refert quod Athanaſium condemnarit, ut patet ex ejus epiſtolâ depromptâ ex Bibliothecâ Vaticanâ: quàm etiam refert Baronius ad annum Chriſti 357. Dico Liberium I. magnâ libertate defendiſſe S. Athanaſium etiam coram Imperatore: nec ullis minis, terroribus, vel muneribus ſeduci potuiſſe, ut ejus damnatio-

ni ſubſcriberet, pro ut refert ipſemet Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Theodoretus lib. 2. cap. 16. Sozomenus lib. 4. cap. 10. Nicephorus lib. 9. cap. 35. Et ob defenſionem fuiſſe miſſum in exilium, & in ejus locum Fœlicem ſuffectum. Sed poſt biennium exilii pertæſus, & fortè redeundi Romam cupidus, fœdus iniit cum Arianis, & ſententiam ab iis cõtra Athanaſium latam approbavit. *Liberius* (inquit D. Athanaſius citatus) *poſt exactum in exilio biennium inflexus eſt minisque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt.* Quod autem non contra fidem, ſed contra Athanaſium ſuffragium dedit, & quidem vi & metu extortum: patet ex eo quod Liberius libertati & ſedi Apoſtolicæ reſtitutus fidem Nicænam conſtantiſsimè prædicavit ac defendit. Nec refert quod D. Hieronymus in Chronico & in Catalogo ſcriptorum aſſerat Liberium exilii tędio victum hæreticæ pravitati ſubſcripſiſſe. Hieronymus enim id ſcripſit ſecundùm rumorem tunc ſparſum, quo deceptus fuit. Vt teſtimonia Socratis, Theodoreti, Sozomeni & Severi Sulpitii aliundè probant. Vel dicendum cum Bellarmino lib. 4. de Pontifice cap. 9. nunquam expreſsè, ſed tantùm interpretativè dicere Hieronymum quod Liberius hæreſi conſenſerit. Permiſit enim damnari Athanaſium, quem ſciebat pati perſecutionem propter fidem. Item communicavit cum Valente & Vrſatio, quos ſciebat eſſe hæreticos, etſi aliud ſe eſſe ſimularent. Et hoc eſt quod D. Hieronymus voluit innuere: Cùm tamen ex dictis aliud ſit ſubſcribere in damnationem alicujus Epiſcopi Catholici cui alia crimina licet falſa objiciũtur, aliud in damnationem fidei Catholicæ. Ideò verò contra Liberium ſic exclamat D. Hilarius. *Hæc eſt perfidia Ariana, anathema tibi à me dictum Liberi.* Quia Liberius ſubſcripſerat damnationi Athanaſii, & communicaverat cum Epiſcopis Arianis. Vndè præſumi poterat eum Arianæ perfidiæ conſentire in quo verè peccavit Liberius. Ab exilio autem reverſus quam pius fuerit, & hæreticis infenſus teſtantur di-

Athan.

Hieron.

Hilarius

vus Epiphanius hæreſi 75. *Euſtachius ad Liberium beatum Romæ Epiſcopum unà cum malis Epiſcopis legatum agebat.* D. Baſilius epiſt. 73. ad Epiſcopos Occidentis. *Quæ duo ei propoſita ſunt à Beatiſsimo Liberio.* D. Ambroſius lib. 3. de Virginibus. *Tempus eſt ſoror ſancta beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, ut quovis ſanctior, eo ſermo accedat gratior.* Poſtea. *Hæc ſancta memoria Liberius.* Siricius III. Pontifex epiſt. ad Hunnericum vocat Liberium venerandæ memoriæ prædeceſſorem ſuum. Quomodò Beatus? quomodò ſanctus? quomodò beatiſſimus? quomodò venerandæ memoriæ eſſet? ſi aliquod dogma hæreticum profeſſus eſſet? Quomodò Socrates, Sozomenus, Sulpitius. & Nicephorus citati, auderent aſſerere Liberium ſemper eundem fuiſſe, nec unquam de fidei conſtantiâ vel minimùm relaxaſſe? Quomodò ipſemet Athanaſius (ut refert Baronius anno Chriſti 362.) Liberium Romanum Pontificem certiorem reddidiſſet de iis omnibus, quæ acta fuerant in præcelebri Synodo quam Alexandriæ indixit? quarum litterarũ illud tantùm fragmentum ſupereſt. *Quod ſpectat quoad Incarnationis myſterium & perfectam filii Deitatem.* Cœtera quæ in illâ Synodo geſta ſunt deſiderantur. Hujus autem ſcripti ille titulus eſt. *Athanaſii reſcriptum ad Liberium Romanum.* Ex quo deduco ipſum Liberium fuiſſe auctorẽ illius Synodi Alexandrinæ, ejuſque authoritate fuiſſe coactam, & de eâ re miſiſſe epiſtolas ad Athanaſium ad quam Synodum etiam eâdem authoritate Apoſtolicâ convenerunt Euſebius Epiſcopus Vercellenſis & Luciferus Calaritanus legati ut teſtantur Scriptores Eccleſiaſtici, Socrates lib. 3. cap. 4. Theodoretus lib. 3. cap. 4. & 5. Sozomenus lib. 5. lib. 11. & 12. aſſerentes quod Euſebius Vercellenſis & Luciferus Calaritanus Epiſcopi ex Thebris in quibus (regnante Conſtãtio) revertentes obiverũt Eccleſias Orientales ac nominatim Alexandrinam & Antiochenam, ut viderent nè decreta Concilii Nicæni violarentur. Inſuper Luciferus Antiochiæ Paulinum

Paulinum deſignavit Epiſcopum. Quæ omnia ab Epiſcopis Occidentalibus in maximis Orientis Eccleſiis fieri non potuiſſent niſi ab Epiſcopo Romano Eccleſiæ Romanæ præſule univerſali ordinata fuiſſent. Si teſte D. Gregorio Nazianzeno in Monodiâ quam compoſuit in vitam ſancti Baſilii. Euſebius & Luciferus Epiſcopi ex urbe Româ miſſi ſunt Cæſaream ad ſeditionem ſedandam quæ erat orta in Eccleſiâ Cæſarienſi, debuerunt ab Epiſcopo Romano mitti: Rectè pro Liberio concludit Baronius. *Iam intelligis ablatam penitus præteritam Sirmii contractam impietatis ex Arianorum conſortio maculam, ſed & præſtanti Catholicæ fidei confeſſione, atque defenſione eo gloriæ Liberium perveniſſe, ut nihil minùs habuerit honoris laudis à præclariſsimis quibuſcumque Romanæ Eccleſiæ præſulibus.* Vide quæ diximus cap. 2. in fine.

IV. Fœlicem II. fuiſſe Arianum aſſerit Tilmannus lib. 1. de Eccleſiâ cap. 9. *Hieron.* cui favere videtur S. Hieronymus in catalogo ſcriptorum, qui in Acatio ſic ſcribit. *In tantùm autem ſub Conſtantio Imperatore claruit ut in Liberii locum Romæ Fælicem Arianum Epiſcopum conſtitueret.* Contra quem dicendum, Fœlicem communicaſſe quidē cum Arianis eo tempore, quo verus Papa non erat, non tamen Arianum fuiſſe. Vnde quando verus papa cœpit eſſe, ipſos Arianos publicè deteſtatus eſt, ut teſtantur omnia Martyrologia antiqua, Bedæ, Vſuardi, & manuſcripta. Quæ inſuper addunt illum declaraſſe Conſtantium hæreticum. S. Gregorius I. in Antiphonario & Sacramentario ponit integrum officium Eccleſiaſticum legendum ad Miſſam in die S. Fœlicis Pontificis & Martyris quarto Kalendas Auguſti. Vnde anno 1582. cùm Romæ dubitaretur an S. Fœlix novo Martyrologio deberet inſcribi, inventa fuit arca marmorea in baſilica SS. Coſmæ & Damiani, cum hac inſcriptione marmori inciſâ antiquo charactere. *Hic jacet corpus S. Fœlicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium hæreticum damnavit.* Quod autem Fœlix tantùm communicatione Arianus fuerit non autem de facto, patet ex Theodoreto lib. 2. cap. 17. *Theod.* *Tametſi fidem in Concilio Nicæno expoſitam ipſe ſervavit integram: tamen cum illis qui eam labefactare ſtudebant liberè communicavit: ac præterea nemo ex Roma habitatoribus in Eccleſiam dum ille intus erat ingredi voluit,* *Ruffin.* Ruffinus lib. 10. cap. 22. *In ejus locum Fœlix Diaconus ſuus ab hæreticis ſubrogatur, & non tam ſectæ diverſitate, quam communionis & ordinationis convenientiâ maculatur.* Sozomenus lib. 4. & D. Hieronymus ab iis recedere non videntur. Vndè ad nomen Fœlicis vox *Ariani* irrepſit. Nam (ut notat Marianus Victorinus in hunc locum) antiqui codices manuſcripti & tranſlatio Sophronii in Græcum, Ado Viennenſis in chronico, Freculphus lib. 4. c. 8. (qui referunt hunc locum Hieronymi ad verbum) carent illâ voce (Arianum.)

V. Cœleſtinus Papa taxatur à Laurentio Valle (in declamatione de falsâ donatione Conſtantini) hæreſis Neſtorianæ. Sed eſt error in æquivocatione nominis. Fuit quidem quidam Cœleſtinus Pelagianus, habens quædam redolentia Neſtorianiſmum. At Cœleſtinus Papa fuit infenſiſſimus hæreſis Neſtorianæ impugnator. Nam Proſper in chron. ſcribit S. Cyrilli induſtriam, & Cœleſtini authoritatem impietati Neſtorii repugnaſſe. Evagrius lib. 1. cap. 4. refert epiſtolam Cœleſtini ad Cyrillum, quæ eſt 12. apud eundem. Photius lib. de ſeptem Synodis S. Cyrillum fuiſſe miſſum aſſerit à Cœleſtino legatum ad Concilium. Juſtinianus in edicto de fide orthodoxâ teſtatur Cæleſtinum & ſanctum Cyrillum fuiſſe authores illius Concilii. Sic enim loquitur Evagrius citatus *Cyrillo locum Cæleſtini Epiſcopatum antiquæ Romæ gerentis obtinente.* Photius etiam citatus cap. 3. *Evagr.* *Cyrillus Cæleſtini Romani Pontificis implebat ſedem, atque perſonam gerebat.* Illis ſuffragantur Liberatus in Breviario cap. 5. *Photius.* *Cyrillus habens vices ſedis Apoſtolicæ.* Nicephorus libr. 14. cap. 33. *Cæleſtinus Romæ Epiſcopus propter navigationis pericula ipſe Synodo adeſſe detrectavit: ad Cyrillum tamen, ut locum ibi ſuum obtineret ſcripſit.*

Ex quo tempore fama eſt mitram illum & papæ appellationem atque ut orbis univerſi judex appellaretur accepiſſe. Quæ deindè omnia per ſucceſſionem ad eos etiam pervenerunt. Ipſe Cyrillus epiſt. ad Conſtantinopolitanos, quæ extat apud eundem 11. & tomo 1. Actorum Concilii Epheſini cap. 15. ſcribit, *Quod ſi Neſtorius intra terminum à Cæleſtino Papâ præſcriptum doctrinæ ſuæ novitatibus non renunciaverit: & ea quæ docuerat, aut ſuis libris inſeruerat non anathematizaverit communione Eccleſiæ privabitur.* Quibus verbis primatum & authoritatē Romani Pontificis agnoſcit, ut potè qui Neſtorio terminum præſcripſerit, quo hæreſim ſuam ſub pœnâ anathematis abjuraret. Tomo 2. ejuſdem Concilii, cùm Patres damnationem contra Neſtorium vellent pronunciare præmittunt ſe cum aliis Eccleſiæ Canonibus, præcipuè litteris Papæ Cœleſtini neceſſariò compulſos fuiſſe ad tam lugubrem ſententiam. Tomo 4. Actor. ejuſdē Concilii cap. 15. extat epiſt. ejuſdem Synodi, in quâ ſcribunt omnia quæ in OEcumenicâ Synodo decernuntur, debere ad Romanum Pontificem referri. Vndè ipſius judicio reſervant ultimam ſententiam in Joannem Antiochenum Epiſcopum, atque ad illum mittunt integros Actorum commentarios & ſubſcriptiones Synodi. Baronius ad annum 430. ait Neſtorium ſcripſiſſe Cœleſtino, illiusque epiſtolæ motivum refert. *Baron.* *Quod cum in promulganda hæreſi acerrimè ſibi adverſantem Cyrillum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopū inveniſſet, qui tum ſedis authoritate, tum excellenti doctrinâ Orientales Epiſcopos ad ſuas partes facilè trahere poſſet: conſiderans ex antiquorum uſu in hujuſmodi in fide obortis controverſiis dubia lance ſuſpenſis in eam partem favorabile judicium, in quam Romani Pontificis ſententiæ calculus apponeretur, ut eum promereri poſſet omnem conatum adhibuit curans id tractare per Antiochum virum illuſtrem qui Cæleſtino Papæ, quæ pro defenſione hæreſis hactenus eſſent ſcripta redderet? ut illius (ô ſumma dementia) primario Catholicæ ſedis Antiſtite perſuaſo univerſa ſimul cum eo Catholica Eccleſia in eandem quoque ſententiam traheretur.* Quod Neſtorius hanc ſcribendi ad Cœleſtinum anſam acceperit, colligit Baronius ex epiſtolis ipſius Cyrilli Alexandrini apud eundem 16, ad Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymorum. *Ratus* (inquit) *quod Romanæ Eccleſiæ ſacerdotem in ſuam ſententiam protrahere queat, ſcripſit ad Dominum meum, ac religioſiſſimum, ac pientiſſimum Cæleſtinum inſerens epiſtolis dogmatum ſuorum perverſitatem. Miſit autem & multas expoſitiones, ex quibus perverſa ſapere deprehenſus, ac jam cum execratione tanquam hæreticus condemnatus eſt.* Quæ omnia his verbis ita concludit Baronius. *Vidiſti haud obſcurè Lector, priſtinum morem ab ipſo exordio Rom. Eccleſiæ in Annalibus demonſtratum: nimirùm ſolius eſſe Cathedræ Petri quæſtiones de fide definire, & emergentes hæreſes cum earum authoribus cōdemnare.* Idem Baronius rectè colligit. *Quod quamvis Cyrillus ſciret, quod & aliis prædicarat, ſcriptiſque firmarat Neſtorii ſententiam eſſe omni execratione dignam: tamen haud ſuarum partium eſſe ratus novam hæreſim condemnare, & quæ de fide exorirentur quæſtiones definire, ſed id tantummodo muneris eſſe Rom. pontificis.* *Baron.* Audiant Epiſcopi & quædam Univerſitates quæ novas hæreſes condemnare & definire quæſtiones audent, quæ de fide exoriuntur. Deindè ſubjicit verba epiſtolæ Cyrilli ad Cœleſtinum. *Digneris providè quid hic ſentias declarare, quo liquidè nobis conſtet cōmunicare nè nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denuntiare neminē cum eo cōmunicare qui hujuſmodi erroneam doctrinam fovet & prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, ac ſuper hac re ſententia non modò piiſſimis Deique devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis Antiſtitibus perſpicuè per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis anſam dabimus, ut omnes uno animo in unâ ſententiâ perſiſtant, rectæ fidei, quæ jam impugnatur opem ferant.* Et in fine poſt recenſitos tomos quos pro fide Catholicâ à ſe ſcriptos mittit Romam ad Cœleſtinum, mox addit. *Tradidi & epiſtolas quoque à me ſcriptas Poſſidonio ſtudioſè*

illi

Illi injungens ut tua Sanctitati eas offerat. Cœleſtinus Papa in epiſtol. quæ extat tomo 1. Actorũ Concilii Epheſini cap. 17. præſcribit Neſtorio tempus, quo reſipiſcere debeat, alioquin anathemati ſubjicietur: imò mandat Cyrillo, ut Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ (niſi Neſtorius intra tempus præfixum reſipiſcat) provideat. *Adjunctâ tibi ſedis noſtræ authoritate, & vicis noſtræ ſucceſſione & poteſtate uſus iſtam exactâ ſeveritate exequeris ſententiam.* Tomo 2. Actorum Concilii cap. 13, ſic ſcribitur de legatis Cœleſtini ad Concilium adventantibus. *Ubi poſt Neſtorium exauctoritatum appulerunt, & ad publicum conſeſſum admiſſi, Patribus in ſynodo congregatis Põtificis Cœleſtini litteras exhibuerunt, eaq́, ut publicè perlegerentur juſſerunt. Leguntur & magnâ cum reverentiâ ab omnibus excipiuntur, & quod plerique Epiſcopi Latinè neſcirent, rogati ſunt legati, ut eaſdem paterentur Græcè reddi ac iterùm legi, quod & ab ipſis impetratum eſt.* Baronius ad annum Chriſti 431. ait Concilium executioni mandaſſe, ea quæ Romæ à Cœleſtino cõtra Neſtorium decreta erant. Tomo 2. Conciliorum cap. 15. ex tribus legatis Pontificis Philippus Præsbyter in hunc modum locutus fertur. *Gratias agimus ſanctæ venerandæque huic Synodo, quod litteris Sanctiſsimi Cœleſtini Beatiſsimiq́ Papæ vobis recitatis ſanctæ Eccleſiæ membra, ſanctis veſtris vocibus, piiſque præconiis ſancto veſtro capiti nos exhibueritis. Non enim ignara eſt veſtra Beatitudo totius fidei, cæterorum Apoſtolorum caput beatum Petrum Apoſtolum extitiſſe.* Et cap. 16. idem Philippus Præsbyter de Cœleſtino Petri ſucceſſore ſic ſcribit. *Hujus itaque ordinarius ſucceſſor, ut Vicarius, ſanctus, beatiſsimuſque Papa, & Epiſcopus noſter Cœleſtinus, nos ſuos pro ſe quaſi Vicarios, ad hanc ſanctam Synodum miſit.* Proſper lib. contra Collatorem ſub finem Neſtorianę hæreſis proſtra- *Proſper.* tæ laudem tribuit Cœleſtino. *Per hanc unam etiam Orientales Eccleſiæ geminâ peſte purgatæ ſunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori ad execrandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio, quo etiam Pelagiani cum cognatis confœderantur erroribus iterùm proſternerentur.* Quibus ſubjungit Baronius ad annũ 431. *Baron.* *Quæ minimè ignorantes Patres, qui Epheſi convenerunt, nec non Maximinus ipſe recens creatus Epiſcopus, atque etiam Theodoſius Imperator legationem inferunt ad ipſum Cœleſtinum Romanum Pontificem, Eidem congratulantes de proſtratâ cum authore hæreſi Neſtorianâ, miſſi ad hoc ſunt Romam Ioannes Præsbyter & Epictetus Diaconus qui Romam pervenerunt ipſo die,* ſcilicet Natalis Domini. Ex quibus infero ſi Cœleſtinus, vel minimâ labe hæreſis Neſtorianæ fuit infectus, imo ſuſpectus, quomodò illam tam acriter impugnavit? quomodò legatos Eccleſiæ Orientalis tam humiliter & reverenter ſuſcepit? quomodò eorum dictis acquievit? quomodò etiam ipſi Imperatores pro ejuſmodi legatione & deciſione gratias illi egerunt? quomodò quæ ab illo prodierunt potiùs non habuêre ſuſpecta? quomodò ex Catholicis imò ex Neſtorianis nemo illi Neſtorianiſmum objecit & improperavit? quomodò illi Orientalis Eccleſiæ Patriarchæ. Metropolitani, duos illos Epiſcopos in linguâ Græcâ vix vel parùm eruditos receperunt? niſi quia captivarunt intellectum ſuum in obſequium fidei Apoſtolicæ.

VI. Gelaſio Pontifici objiciunt centuriatores cent. 5. cap. 4. de Cœnâ Domini cap. 10. in vitâ Gelaſii, ſcilicet quod hic Pontifex lib. contra Eutychem aſſerat in Sacramento verum panem manere cum carne Chriſti. Sed refelluntur ex eo quod hic author videatur potius eſſe Græcus quàm Latinus, quia hic author tantùm exiguum libellum conſcripſit, in quo pollicetur ſe collecturum ſententias de Incarnatione Domini ferè omnium veterum: cùmq́ue proferat 15. Patres Græcos, & duos tantùm Latinos, ſcilicet Damaſum & Ambroſiũ, omiſſis Cypriano, Auguſtino, Hilario, Hieronymo, Leone, Proſpero, Innocentio, & aliis: credibile eſt nõ fuiſſe conſcriptum à Gelaſio Pontifice, vel alio authore Latino. Deindè

ex

ex Trithemio Gelaſius Papa compoſuit quinque libros contra Eutychem. Hinc potius probabile eſt ejuſmodi non eſſe Gelaſii Papæ, ſed Gennadii, qui librum ejuſdem tituli ſcripſit ad Gelaſium Papam. Vel potius Gelaſii Epiſcopi Cæſarienſis cujus meminit Hieronymus lib de ſcriptoribus Eccleſiæ circa finem.

VII. Anaſtaſium Pontificem Magdeburgenſes canone 6, cap. 16. in vitâ Anaſtaſii, Tilmannus Heshuſius lib. 1. de Eccleſiâ cap. 9. poſt Gratianum diſtinctione 19. can. 6. Anaſtaſius, & Pontificale in vitâ Anaſtaſii accuſant trium errorum. Primò quod communicaverit cum Acacio hæretico ſine Conſilio Epiſcoporum, Præsbyterorum & Clericorum totius Eccleſiæ: Hujus rebellionis meminit Baronius ad annum Chriſti 497. *Eodem tempore multi Clerici & Præsbyteri ſe à communione ipſius detraxerunt, eo quod cō-*
Baron. *municaſſet ſine conſilio Epiſcopòrum, vel Præsbyterorum, vel Clericorum cunctæ Eccleſiæ Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino qui communionis erat Acacii, & quia occultè voluit revocare Acacium & non potuit: nutu divino percuſſus eſt. Secundò quod ex dictis voluerit revocare Acacium damnatum à Fœlice & Gelaſio. Denique quod approbarit baptiſma & ordines ab eodem Acacio collata. Ob quæ delicta dicitur morbo divinitus immiſſo obiiſſe.* Baronius citatus reſpondet ea ſparſa fuiſſe contra Anaſtaſium à Schiſmaticis Laurentianis. Falſum enim eſt quod Anaſtaſius voluerit revocare Acacium. Nam (teſte Nicephoro lib. 16. cap. 12. Evagrio lib. 3. cap. 18. Liberato cap. 19. Anaſtaſio Bibliothecario) Acacius obiit tempore Fœlicis III. cui Gelaſius ſucceſſit, & Gelaſio Anaſtaſius. Quomodò hic de illo revocando potuit tractare, cùm jam obiiſſet? Dicent fortè voluiſſe revocare ejus nomen. Sed contrarium patet ex epiſtolâ ejuſdem Anaſtaſii ad Imperatorem Anaſtaſium quâ rogat, ut Imperator pręcipiat deleri nomen Acacii in Eccleſiâ, quandoquidem Fœlix papa ſuus prædeceſſor illum cōdemnarit. Quod addit de Photio non minus eſt à veritate alienum. *Sed* (in-
quit Bellarminus lib. 4. de Ponti- Bellar.
fice Romano cap. 10.) *verum ſit ſinum propterea Catholicus Anaſtaſius, an non licet ſummo Pontifici ſine conſilio Epiſcoporum, Præsbyterorum, & Clericorum totius Eccleſiæ abſolvere unum excommunicatum?* Quod Gratianus diſtinct. 19. canon. *Ita Dominus*, ait, Anaſtaſium oraſſe quia approbare voluit ſacramenta baptiſmatis & ordinis ab Acacio collata. Imperitiam ſuam Gratianus oſtendit, potius quam errorem Anaſtaſii: certum eſt enim collatum Baptiſmum ab hæretico eſſe validum, item ordines à vero Epiſcopo licet hæretico validè adminiſtratos eſſe. Quoad mortem repentinam illi immiſſam à Deo, Cedrenus & Zonaras, Paulus Diaconus, Beda putant id contigiſſe Imperatori Anaſtaſio, qui eo tempore ictus fulmine periit, vel certe fabula eſt. *Cæterùm* (inquit Baronius) *ſi contentioſe nimis quis aſſerere velit Anaſtaſium propenſiorem fuiſſe in reſtituendo ſublato à diptychis Acacii nomine, ſed morte præventum præſtare minimè valuiſſe. In hoc eſt quidem quo magis magisque admireris divinam providentiam erga Romanam Eccleſiam cùm titubantem Apoſtolicæ ſedis præſidentem Pontificem ex humanis ante ſubduxit, quam quod meditaretur impleret.* Vt ſcilicet oſtenderet ſedem Romanam non eſſe Cathedram peſtilentiæ, ſed Apoſtolicam & ſanctam. Vndè contra illius calumniatores dicere licet quod olim D. Auguſtinus
in petulantem Petilianum lib. 2. con- Auguſt.
tra litteras Petiliani cap. 51. *Cathedra quid tibi fecit Roman. Eccleſiæ, in quâ Petrus ſedit, in quâ hodie Anaſtaſius ſedet, quare appellas Cathedram peſtilentiæ Cathedram Apoſtolicam?* Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, numquid Dominus JESUS propter Phariſæos, quibus ait, dicunt enim & non faciunt, Cathedræ in quâ ſedebant ullam fecit injuriam Moyſi: imò commendavit, & illos tamē ſervato honore redarguit.

Nonnulla producuntur contra Vi- VIII.
gilium papam quæ declarant ipſum plurimùm faviſſe hæreticis, Liberatus in breviario cap. 22. narrat Vigilium papam multa promiſiſſe Theodoræ

Auguſtæ in præjudicium fidei Catholicæ. Cùm enim Anthimius hæreticus eſſet ab Agapeto Romano Pontifice depoſitus de Epiſcopatu Cõſtantinopolitano, Theodora Auguſta rogavit Sylverium ſucceſſorem Agapeti, ut Anthimium reſtitueret: cui annuere noluit Sylverius. Vigilius tunc Archidiaconus promiſit Imperatrici ſe reſtituturum Anthimium, eique Theodoſio, Severo & aliis hæreticis ſcriptorum, eorumque fidem per epiſtolam firmavit. Promiſit inſuper ſe Synodũ Chalcedonenſem ſublaturũ. His promiſſis nixa Imperatrix præcepit Beliſario ut eum Papam inſtitueret. Cùmque Sylverius jam ordinatus eſſet, Vigilius promiſit Beliſario duo auri centenaria, ut dictum Sylverium amoveret, & in ejus locũ introduceretur. Vndè Sylverio ejecto in exilium favore Beliſarii Vigilius ordinatus eſt Papa, tuncque ſcripſit epiſtolam ad primarios fautores hæreſis Eutychianæ, quâ eorum hæſim confirmare videtur. Ad hæc dicendum eſt promotionem Vigilii ad Pontificatum non fuiſſe legitimam, quia contra leges Eccleſiaſticas Sylverio vivente, & adminiſtrante Eccleſiam, Vigilius Pontificatum Romanum per vim occupavit, ad quem antea ſatis ambitioſè anhelaverat. Nam ſub Bonifacio Papâ II. procuravit ſe in pontificatu ſucceſſorem nominari, poſtea factis promiſſis (ut dictum eſt) indignis & turpibus, tum Auguſtæ Theodoræ, tum Duci Beliſario locum Sylverii legitimi pontificis in exilium miſſi occupavit. Quam ambitionem illi exprobat Sylverius in epiſt. ad eundẽ & habetur tomô 2. Conciliorum, & tom. 1. epiſt. pontif. Vndè quamdiu Sylverius vixit, Vigilius non fuit legitimus, ſed ſchiſmaticus, ſeu Antipapa. Hinc quando dictus Vigilius damnavit fidem Catholicam, & ſubſcripſit dogmatibus Eutychianis non definivit aliquid contra fidem tanquam Pontifex legitimus. Quare non mirùm ſi tunc eſſet hæreticus, & erraret in fide. Secundò, id tantùm exteriori profeſſione fecit, quæ hæreticum non facit, nam animo non erat hæreticus. Deindè fidem Catholicam propriè non damnavit, ſeu quidquam contra eam definivit, imò voluit, ut quod ſcribebat foret occultum ob deſiderium præſidendi, ut Liberatus ibidem notat. Et patet ex ipſius Vigilii epiſtolâ. Scribit enim ut caveant, nè quis illam epiſtolam videat, & ut omnia ſint occulta uſque ad tempus. Erat enim tunc per ambitionem ſuam Vigilius ad ſummas anguſtias reductus. Et ſi ſe palam hæreticum fuiſſet profeſſus, malè cum illo egiſſent Romani, qui in Cathedrâ Petri hæreticum ſedere non permiſiſſent. Ex alterâ metuebat Imperatricem hęreticam cujus induſtriâ Pontificatum adeptus erat, undè Romæ Catholicum agebat, & per litteras ſe hæreticum apud Imperatricem ſimulabat. Tamen Baronius ex pluribus rectè colligit illam epiſtolam non eſſe Vigilii ſed nomine ipſius ab aliquo Eutychiano imperito ſuppoſitam. Nam nomine Vigilii litteras ſcriptas fuiſſe acta ſextæ Synodi act. 14, & 15. teſtantur. Item teſtantur tomo 2. Concilii, in quibus de damnatis impoſturis hæreticorum, *Anathema libro qui dicitur Atennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt, ſivè ſcripſerunt, anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe, à Vigilio ad Iuſtinianum & Theodoram, &c.* Vbi indubiè intelligitur ea epiſtola, quâ confirmatur error Eutychianorum. Nam inſcriptio epiſtolæ nomine Vigilii (*ad Dominos*) ad Juſtinianum & Theodorã Auguſt. ſcriptam eam fuiſſe demonſtrat. Et de facto non ſervat conſuetum ſcribendi ſtylum: Nam non ſolùm ad Dominos, ſed etiam *ad Patres*, hæc epiſtola inſcribitur, undè meritò poteſt argui impoſturæ. Nam cùm Vigilius expulſo Sylverio pontificatum adminiſtrarit prædeceſſorum exemplum ſequi debuit, quorum nullus Imperatores nominavit Patres, ſed potius filios. Quod ſi dicas ſcriptum ad Epiſcopos, audi Baronium ad annum 538. reſpondentem his verbis, *Nam ſi dicas ſcriptam ad Epiſcopos, qui novus mos iſte, & penitus inuſitatus, ut Romanus Pontifex Coepiſcopos Patres appellet, & domines. Vel ſi legas fratres, certè procul abhorret ut eoſdem* Baron.

dicat & dominos. Notandum etiam quod in eâ ſem epiſt. author à ſe diſſentiat, nam cum Eutychete & Dioſcoro negat duas in Chriſto naturas, & paulò poſt cum aliis Dioſcorum anathematizat, quæ cùm ſibi opponantur magis augent impoſturæ ſuſpicionem. Et certè ſive auguſtis ſcripta, ſive proceribus ſeu Epiſcopis Eutychianis nunquam ut Pontifex Romanus eos dominos nuncupaſſet. Nec refert quod illam epiſtolam Liberatus ſuo Breviario inſeruerit. His enim nimis facilè fidem adhibuit falſo rumori quem hæretici ſparſerant de illâ epiſtolâ, & exiſtimavit revera eſſe Vigilii, quæ ejus nomine erat compoſita.

IX. Cœterùm poſt violentam intruſionem illicitas atque probrofas promiſſiones factas mulieri hæreticæ, poſt Sylverii obitum violentum, quantam Sedis Apoſtolicæ Deus curam habuerit audi Baronium. *Ita permiſit Deus Apoſtolicam ſedem adeo fluctuare, atque in diſcrimen adduci, ut ab omnibus intelligatur non humanis, ſed divinis eam fulciri præſidiis.* Et patet ex eo quod Vigilio inſtituto legitimo Pontifice per Cleri ſuffragia nullius unquam ſuſpicionē incurrit. *Fuit* (inquit Baronius ad annum 540.) *iſta plane mutatio dexteræ excelſi ſiquidem probarunt eventa (quod apparuit tanquam oſtentum) iſtum qui hactenus ſterilis arundo fuit, & mobilis in diverſa agitata pro diverſitate ventorum, in firmam ſtabilemque petram eſſe converſum, ſolido inhærentem in Eccleſiâ ſolio fundamento.* Hujus ſterilis arundinis & paleæ firmam, ſtabilemque petram converſionem, hujus Eccleſiaſtici fundamenti ſoliditatem probant acta ejus. Cùm enim ad Pontificatum anhelans Theodoræ Imperatrici quaſi mancipium ſe devoviſſet, reſtitutionem Anthimi pollicitus eſſet, ſedem Apoſtolicam contra omne jus occupaſſet, ingentem pecuniarum ſummā Beliſario ſpopondiſſet, aliaque flagitia perpetraſſet, Ex quo tamen legitimus Pontifex effectus eſt nullius erroris imò nec ſimulationis labe aſperſus eſt: ſed conſtantiſſimus uſque ad mortem in fide perſeveravit, imò pro eâ plurima ſuſtinuit, in primis cùm Theodora Auguſta eum urgeret ut juxta promiſſa Anthimium prius ob hæreſim depoſitum Sedi Conſtantinopolitanæ reſtitueret, intrepidè reſpondit. *Abſit hoc à me Domina Auguſta, prius locutus ſum malè & inſipienter, modò autem nullo modo tibi cōſentio ut revocem hominem hæreticum & anathematizatum.* Eâdem conſtantiâ ſe hæreticis ſuffragaturum negavit: licet variis minis Theodora proponeret adjicere ſupplicia. Et cùm cautio manus ſuæ reproduceretur, nullo modo conſenſit, mori potius optans quàm vivere. Vt teſtatur Anaſtaſius in Vigilio. Paulus Diaconus in Juſtiniano. Anonymus lib. 2 de rebus geſtis Francorum cap. 32. Marianus Scotus, D. Gregorius lib. 2. indictione 10. & epiſt. 36. ad Epiſcopos Hiberniæ ſcribit Vigilium papam in urbe Regiâ exiſtentem ſententiam damnationis promulgaſſe contra Theodoram Auguſtam & Acephalos. Quoad ſyngrapham de reſtituendo Anthimio, dicendum eſt Vigilium ejuſmodi promiſſis ſtare non debuiſſe juxta illud Concilii Toletani 8. cap. 22. quæſt. 4. Can. 1. & 2. *Numquid non tolerabilius eſt ſtultæ promiſſionis vota rejicere, quàm per inutilium promiſſorum cuſtodiam exercendam criminum implere menſuram.* Et D. Ambroſii lib. 1. officiorum cap. 50. *Eſt etiā contra officium nonnunquam ſolvere promiſſum ſacramentum cuſtodire, ut Herodes qui juravit, quoniam quidquid petitum eſſet dare filiæ Herodiadis, & necem Ioannis præſtitit, ne promiſſum negaret.* Iſidori in ſynonimis libr. 2. cap. 5. *In malè promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. quod incautè voviſti ne facias. Impia eſt enim promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Et Ciceronis lib. 1. Officiorum. *Promiſſa non ſunt ſervanda iis, quibus promiſeris, inutilia ſi ſint, nec ſi tibi plus noceant, quàm illi proſint cui promiſeris.* Peccavit quidem Vigilius promittendo, ſed crimen graviſſimum perpetraſſet ſi promiſſa exſolviſſet. Cœterùm quid Vigilius de ſede Apoſtolicâ & Eccleſiâ ſentiat, audiamus eum ep. ſt. 1. ad Eutherium, *Quod Rom. Eccleſia fundamentum*

Baron.

Concilium Toletan.

S. Amb.

Iſidorus.

Cicero.

fundamentum & forma ſit Eccleſiarum, Vigilius *à quo omnes Eccleſias principium ſumpſiſſe nemo rectè credentium ignorat: quoniam licet omnium Apoſtolorum par eſſet electio, Beato tamen Petro conceſſum eſt, ut cæteris præemineret. Unde & Cephas vocatur, quia eſt caput primus & omnium Apoſtolorum, & quod in capite præceſſit, in membris ſequi neceſsè eſt. Quamobrem ſancta Romana Eccleſia ejus meritò Domini voce conſecrata, & ſanctorum Patrum authoritate roborata primatum tenet omnium Eccleſiarũ, ad quam tam ſumma Epiſcoporum negotia & judicia atque querelæ, quàm & majores Eccleſiarum quæſtiones quaſi ad caput ſemper referendæ ſunt, &c. Ipſa namq; Eccleſia, quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Pondera hæc ultima verba. *In partem ſint vocatæ, &c.*

X. Quod eadem enim poteſtatis plenitudo fuerit in aliis cõſulenda, teſtatur Nicephorus lib. 17. cap. 26. ubi ait Vigilium eò inſolentiæ proceſſiſſe, ut Mennam à communione quatuor menſibus excluſerit, & viciſſim Mennam eandem cenſuram contra illum tulerit. Sed Antonius Poſſevinus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Nicephori reſpondet illum parùm honorificè de Vigilio papâ ac ſuſpenſione Mennæ Epiſcopi Conſtantinopolitani loqui, undè falſiſſimè aſſerit parem cenſuram contra Vigilium fuiſſe latam à Mennâ. Ideò verò Vigilius Mennam excommunicavit ut conſtat tomo 1. epiſt. pontif. & tomo 2. Quia jus & authoritatem habebat, cauſamque legitimam id faciendi. Mennæ verò nõ magis licuit in Vigilium cenſuram ferre, quàm olim Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino hæretico, in Leonem Pontificem Romanum; undè meritò contra dictum Dioſcorum Patres Concilii Chalcedonenſis ſuccenſuerunt, eumque Epiſcopali dignitate & officio privarunt. Alii etiam æqualem poteſtatem cum Pontificiâ Romanâ Mennæ attribuunt, quia Mennas Concilio præfuit, ſed Bellarmi- Bellar. nus ait Conciliũ cui Mennas præfuit non fuiſſe generale, ſed particulare.

Eutychius autem ſucceſſor Mennæ Synodo Conſtantinopolitanæ quintæ præfuit, ſed ita præfuit, ut ſuam præſidentiam Romano Pontifici debitam eſſe (ſi is intereſſe Concilio voluiſſet) profeſſus ſit. Et patet ex epiſtolâ ad eundem, in quâ petit, ut quæſtio de tribus capitulis in Concilio terminetur. *Præſidente* (inquit) *nobis veſtrâ beatitudine.* Ex Zonarâ in vitâ Juſtiniani ſcribente huic Concilio centum quinquaginta quinque Patres interfuiſſe. *Quorum* (inquit) *Princeps fuit Vigilius papa Romanus.* Saltem ad Vigilium convocandum ſemel atque iterùm viginti Patres miſſi fuerunt, tres Patriarchæ, reliqui omnes Epiſcopi Metropolitani, ut Baronius docet ex actis ipſis. Cæterùm Eutychius Mennæ ſucceſſor ubi primùm ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum pervenit more majorum fidei ſuæ profeſſionem ad Vigilium Romanum pontificem miſit: ut patet lib. 1. epiſt. Rom. pontif. & ex Baronio ad annum Chriſti 553.

Aliqui Vigilium Monothelitarum errore infectum fuiſſe aſſerere voluerunt, ſed contrarium patet ex act. 5. XI. ſextæ Synodi. Ubi cùm legerentur acta quintæ Synodi, & ventum eſſet ad ſeptimam actionem, in quâ percurrebantur ſcripta Vigilii in anathematiſmo adverſus Theodorũ Mopſueſtenium quod non confiteretur unam in Chriſto perſonam, lectum fuit ex additamento Monothelitarũ. *Et unam operationem.* Contra quæ verba, legati reclamarunt dicentes, nihil hujuſmodi eſſe Vigilii, ſed libellos illos eſſe falſos, fœtusque ſuppoſitos nomine Vigilii: ſi enim Vigilius receptus fuiſſet, cum unius operationis aſſertione, tota Synodus eundem errorẽ profeſſa fuiſſet, quod cùm dici nequeat, nec de Vigilio id etiam ſentiendum eſt. Quod autem legati ſedis Apoſtolicæ ſinceram fidem Vigilii conſtanter propugnarunt, ex eo patet, quod non ceſſarunt donec eum ab ejuſmodi calumniâ omninò vindicarent, & non tantùm à Monothelitarum, ſed etiam à quâvis ſuſpicione alterius erroris immunem eſſe oſtenderent. Cæterùm qualem veteres de

Vigilio opinionem conceperint, audi Aratorem præfatione in acta Apoſtolorum quæ ipſe verſibus reddit. *Domino ſancto beatiſſimo Apoſtolico & in toto orbe omnium ſacerdotum Papæ Vigilio.* Caſſiodorum lib. de divinis lectionibus cap. 1. *Origenem præſenti tempore à Vigilio Papâ viro beatiſſimo conſtat eſſe damnatum.* Nō dicitur beatiſſimus præcisè ratione dignitatis & officii, ſed etiam vitæ.

XII. Durandus in 4. diſtinct. 7. quæſt. 4. accuſat divum Gregorium erroris, quia lib. 3. epiſt. 26. admiſerit Joannem Epiſcopum Calaritanum, & permiſerit præsbyteris ſacramentum confirmationis miniſtrare, quod ſolis Epiſcopis jure divino competit, ex quâ conceſſione ipſe Adrianus in quæſt. de Confirmatione art. ultimo ſumit occaſionem aſſerendi quod Pōtifex poſſit errare in definiendis fidei dogmatibus. Sed ipſimet errant, Verum quidem quod ſit miniſter ordinarius, ut patet ex Act. cap. 8. & 19. ubi ſoli Apoſtoli leguntur confirmaſſe fideles, qui ab aliis fuerant baptizati. Item Euſebio Papâ epiſt. 3. ad Epiſcopos Thuſciæ. *Manus impoſitionis ſacramentum magnâ veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt niſi à ſummis ſacerdotibus.* Et infra. *Nam ſi aliter præſumptum fuerit irritum habeatur & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica unquam reputabitur ſacramenta.* Item Melchiade Papá *A majoribus ſit, ideſt à ſummis Pontificibus & à minoribus perfici non poteſt.* Idem ferè habent Damaſus epiſt. ad Leonem Richaredum, Urbanus epiſt. ad omnes Chriſtianos. Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. D. Auguſtinus libr. 15. de Civitate cap. 26. & libr. quæſt. novi teſtamenti quæſt. 42 D. Chryſoſtomus hom. 18. in acta Beda in cap 8. Actorum, Joannes III. in ſuâ epiſtolâ decretali, Innocentius I. epiſt. 1. cap. 4. S. Leo epiſt. 88. ad Jubajanum qui licet utantur vocabulo ſacerdotii: tamen intelligunt Epiſcopos, Innocentius III. in capite *Quanto*, extra. de conſuetud. & cap. unico extra de ſancta Unctione, Rabanus lib. 2. de inſtitut. Clericorum cap. 30. Iſidorus lib. 2. de officiis cap. 26. Et colligitur ex Conciliis Florentino & Tridentino ſeſſ. 23. cap. 4. ubi de Epiſcoporum officiis: *Quantùm ad poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Et Can. 7. ferit anathemate eum, qui dixerit poteſtatem confirmandi eſſe communem Epiſcopis & Præsbyteris. Ratio eſt, ſi ex vi ordinationis Præsbyteri haberent ſufficientem poteſtatem ordinis ad miniſtrandum hoc ſacramentum, ſine cauſâ in univerſum prohiberentur illud conferre. Et ſi hoc ſacramentum miniſtrare vellent, nō dicerentur excedere modum ſuum, & quæ Epiſcopalis faſtigii ſunt propria uſurpare, ut loquitur Gelaſius papa epiſt. 1. cap. 8. Et videtur eſſe de fide definitum in Cōcilio Tridentino ſeſſ. 7. canon. 3. de Confirmatione. Et multis aliis decretis, quæ referuntur de conſecratione diſtinct. 1. Ratio à priori petitur ex inſtitutione Chriſti ſufficienter nobis propoſitâ per Eccleſiæ traditionem & definitionem. Præterea ex D. Thomâ 3. part. quæſt. 72. art. 11. Nam Epiſcopus in Eccleſiâ eſt quaſi dux in Exercitu, cujus eſt milites recipere & conſignare. Deinde ad indicandum perfectum finem hujus ſacramenti convenit ut à Principibus tradatur.

Nihilominus ex diſpenſatione Pōtificis poteſt ſimplex ſacerdos eſſe miniſter. Patet ex conceſſione D. Gregorii lib. 3. Regiſtri epiſtol. 26. ejus verba ſunt apud S. Thomam art. 11. citato, ubi hæc verba ſpecialiter notanda ſunt. *Ubi Epiſcopi deſunt, ut presbyteri in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant concédimus.* Idem innuit Concilium Florentinum in decreto unionis & Tridentinum ſeſſ. 7. canon. 3. de Confirmatione, cùm ſtatuit Epiſcopum eſſe quidem ordinarium miniſtrum ex quo ſequitur ſacerdotem ſimplicem poſſe extraordinariè confirmationem adminiſtrare. Ita docent D. Thomas loco citato. Et in 4. diſtinct. 17. Richardus, Major, Paludanus, Capreolus, Marſilius ibidem. Alenſis 4. part. quæſt. 28. membro 1. Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 60. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 14. §. 6. Valentia in 3. part. quæſt. 72. puncto 1. Suarez ibidē, diſput. 36. ſect. XIII. Thomas.

ſect. 2. & alii recentiores, omnes Summiſtæ, Sylveſter verbo confirmatio. Summa Angelica verbò conſecratio. Navarrus cap. 22. §. 8. Covarruvias lib. 1. var. cap. 10. fundatur in facto D. Gregorii, & refertur cap. 1. pervenit diſtin. 95. & ſumptum ex citato lib. 3. epiſt. 56. cui cùm relatum eſſet in Inſulâ Sardiniæ præsbyteros ſolitos eſſe confirmare baptizatos: illud iis prohibuit. Poſteà videns ex hac prohibitione ortum ſcandalum, ſic ſcribit, ut refertur de pœnitentiâ diſtinct. 95. *Nos quidem ſecundùm uſum veterem Eccleſiæ noſtræ ferimus: ſed ſi omninò aliquis contriſtatur, ubi Epiſcopi deſunt, ut præsbyteri etiam in frontibus baptizandos Chriſmate ungere debeant concedimus.* Ex quo facto patet Pontificem poſſe dare hanc facultatem ſimplici ſacerdoti. *Ex rationabili & urgente admodùm causâ.* Ut habet Concilium Florentinum in decreto Eugenii, & Concilium Senonenſe in decretis morum cap. 38. ubi cùm hoc Concilium dixiſſet, Abbates non habere poteſtatem confirmandi, ſubdit. *Quod ſi qui ſint, qui contendant ſibi competere hanc facultatem ex privilegio; volumus quod cùm primùm fuerint requiſiti à Suffraganeis noſtris de privilegio fidem facere teneantur.* Quibus verbis innuit Abbates etſi non ſint Epiſcopi poſſe ex privilegio confirmare. Plura alibi, & apud Scholaſticos recentiores.

XIV. Magdeburgenſes invehuntur in Bonifacium V. quia in epiſt. ad Eduinum Regem Angliæ, apud Bedam lib. 2. hiſtor. cap. 17. docuit Chriſtum nos à ſolo peccato originali redemiſſe. Sed illi centuriatores imponunt Bonifacio, qui non dixit *à ſolo*, ſed, *Accedite* (inquit) *ad agnitionem ejus qui vos creavit, qui in vobis inſufflavit vitæ ſpiritum, qui pro veſtrâ redemptione filium ſuum unigenitum miſit, ut vos ab originali peccato eriperet.* Ideò autem ſolius peccati originalis meminit. Quia ſecundùm Theologos 3. part. quæſt. 1. Originale peccatum eſt principale motivum Incarnationis & Paſſionis Chriſti, juxta illud Joannis cap. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Græcus & aliqui Latini legunt *peccatum*, quod eſt toti mundo commune, & quo ſolo pueri ſunt inquinati. Ratio D. Thomæ eſt: quia Chriſtus venit, ut nos liberaret à miſeriâ peccati, & maximè à majori. Major autem miſeria eſt peccatum originale: quia eſt totius naturæ. Malum enim communitatis eſt majus malum. Item radix & origo ſingulorum cenſetur major quàm ſinguli & ranti, peccatum autem originale eſt origo actualium. Venit autem Chriſtus principalius propter illud quàm actualia. Vide infra.

Honorium I. hæreticum Monothelitam fuiſſe contendunt iidem Magdeburgenſes, & inter Catholicos Melchior lib. 6. de locis cap. ultimo. ſed eum ab hác calumniâ vindicant Cardinalis Hoſius lib. 2. contra Brentium Albertus Pighius lib. 4. Eccleſ. hierarchiæ, Joannes à Lovanio lib. de perpetuâ Cathedræ Petri protectione & firmitate cap. 11. Onuphrius Annot. in Plat. in vitâ Honorii. Baronius ad annum Chriſti 633. & 681. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11. Hæc hæreticorum calumnia falſo nititur fundamento, primò quod Honorius ſcripſerit ad Sergium, prima epiſtola eſt in ſextâ Synodo act. 12. Altera ibidem act. 13. Quibus videtur cum Sergio convenire ſeu hæreſim Monothelitarum amplecti & negare in Chriſto eſſe duas voluntates ſeu operationes. Sed refellitur. Primò quia Honorius non habebat Sergium pro hæretico Monothelita, neque ſe putabat ſcribere ad hæreticum, qualis poſteà Sergius detectus eſt. Quod autem tunc temporis Sergius creditus fuerit ab Orientalibus & Occidentalibus Orthodoxus, imò maximæ exiſtimationis Epiſcopus. *Facile cognoſces* (inquit Baronius ad annum 633. art. 24.) *ex epiſtolâ à Sophronio Epiſcopo Hieroſolymitano ad ipſum Honorium & Sergium ſcriptâ: ut habet ſexta Synodus, in quâ præter multa alia in ejus laudem dicta, in fine preces illius vehementer expoſcit.* Ex quibus patet, quod Honorius nullo modo ſuſpicatus fuerit Sergium ſuſpectum hæreſis Monothelitarum. Deinde Bellarminus reſpondet illas XV. Baron.

duas epiſtolas, quæ feruntur nomine Honorii ſcriptæ ad Sergium, fortè eſſe confictas & inſertas Concilio generali ab hæreticis. Et probat ex eo quod conſtet in quintâ Synodo fuiſſe ſimiles epiſtolas inſertas Vigilii papæ Romani & Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitani: quod deprehenſum fuit in ſextâ Synodo Act. 12. & 14. dum relegerentur acta quintæ Synodi. Sunt enim inventi tres quaterniones ab hæreticis inſerti, & in iis iſtæ epiſtolæ. Non eſt ergò mirùm, ſi iidem artifices ſimiles errores inſeruerint ſextæ Synodo. Prætereà eſto illæ quas refert Baronius ſint ipſius Hononorii de verbo ad verbum: nihil in illis erroris continetur. In iis enim epiſtolis Honorius fatetur quod ad rem attinet duas eſſe in Chriſto voluntates, & operationes, ſicut & duas naturas. Tantùm prohibet nomina unius vel duarum voluntatum quæ tunc erant inaudita: idque prudenti conſilio. *Quod ſcilicet* (inquit Baronius art. 29.) *communis eſſet aſſertio, cum Neſtorianis id ipſum profitentibus non ob duarum ſicut Catholicis naturarũ differentiam, ſed ob duas quas ibidem conſtituebant in Chriſto perſonas.* Quod autem hæc ſit mens, patet ex verbis ipſius epiſtolæ quæ habetur action. 16. ſextæ Synodi. *Et nos quidem ſecundùm ſanctiones divinorum eloquiorum oportet ſapere, vel ſperare illa videlicet reſutantes: quæ quidem novæ voces noſcuntur ſanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare: nè aut duarum operationum vocabulo offenſi ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur, ſcilicet eo quod illi duas in Chriſto ponerent perſonas.* Ideò etiam unius vel duarum operationum prohibet fieri mentionem, nè fovere videatur cauſam Eutychianorum, qui aſſerebant in Chriſto eſſe unam naturam. Vndè ſubdit. *Aut certè ſi rurſus unam operationem Domini noſtri IESV-Chriſti fatendum eſſe cenſuerimus ſtultam Eutychianorum attonitis auribus dementiam fateri putemur, præcaventes, &c.* Licet Honorius in illâ epiſtolâ à fide Catholicâ non recedat, dum prohibet introduci vocem unius aut duarum operationum & voluntatum in Chriſto: tamen (ut notat Baronius) Sergius ad quem ſcribit fuit damnatus, ut hæreticus. Aliqui exiſtimarunt Honorium eadem cum ipſis ſentire, ſicque eandem hæreſis ſententiam mereri. Sed perperam. Nam quando Honorius ſcripſit ad Sergium, hic nè leviter ſuſpectus erat de hæreſi, ſed piè, laudabiliter, & ſanctè Eccleſiam Conſtantinopolitanam gubernabat, ut etiam patet ex epiſtolâ ipſius Sergii ad Honorium, quam refert Baronius. Vbi quaſi Catholicus boná fide doctrinam orthodoxam de duabus in Chriſto naturis videtur profiteri. Tãtùm monet tacendum eſſe de utraque opinione, ſcilicet de unâ vel duabus operationibus in Chriſto, ob bonum pacis & ad calcem epiſtolæ ſe ſubjicit cenſuræ Honorii, dicens quod ſi quid minus vel amplius Pontifex Romanus & in epiſtolâ eſſe cognoverit, rogat, ut adjiciat, vel detrahat: quamvis hæc ab illo proferrentur ſubdolè, nè detegeretur hæreſis illius. Cùm igitur Honorius Papa non ob aliam cauſam damnandus, quam ob præfatam epiſtolam ad Sergium; debuit prius tempus quo ſcripta eſt examinari, cùm nemo poſſit argui erroris, vel hęreſis necdum cognitæ, ideòque calumnia eſt Honorium alicujus hæreſis labe aſpergere.

XVI. Baron. Baronius illud argumentũ ſubminiſtrat in favorem Honorii. Si Honorius condemnatus eſt, quia in ſuâ epiſtolâ ſcribit ſe conſentire Sergio: cur non æquè Sophronius aſpergetur eâdem labe, hic enim profitetur ſæpè ſe ſecuturum in omnibus ſententiam ejuſdem Sergii. Imò ipſum ut verum Orthodoxum, & pro fide Catholicâ conſtanter præliantem aſſerit. Si Sophronium excuſando dicas putaſſe Sergium eſſe verum Orthodoxum, cur idem de Honorio dici non poterit, cùm Honorius tantùm illum noverit nomine, famâ, & ſcriptis? Deindè ſi ob utriuſque vocis ſilentium Honorius & Sergius malè audiunt, cur etiam Sophronius non malè audit qui eidem Sergio acquievit ob bonum pacis talia ſuadenti, ut teſtatur idem Sergius epiſt. citatâ ad Honorium? Vt autem omnes ſciant

Honorium

Honorium carere ſuſpicione hæreſis. Baronius ad annum 633. art. 42. refert ſecundam epiſtolam Honorii ad Sergium, quâ fidem Catholicam ita firmat, ut nihil amplius poſſit deſiderari. *Auferentes* (inquit) *ſcandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare, ſed pro una, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Chriſtum Dominum, in utriſque naturis veridicè conſiteri, & pro duabus operationibus ablato geminæ operationis vocabulo ipſas potius duas naturas, id eſt divinitatis & carnis aſſumptæ in unâ perſona, in unigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, atque inconvertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes.* Quibus verbis innuit non eſſe in Chriſto unam voluntatem, ſed unum volentem, ratione unius perſonæ. Vndè Baronius ſubdit. *Intelexiſti quam doctè atque verè dicat pro unâ operatione dicendum eſſe unum operantem, planè inſinuans non convenire perſonæ unitatem operationis, ſed operantis. Sic & ſanctus Damaſcenus de his agens lib. 3. fidei orthodoxæ cap 14. docet non poſſe dici ratione unius perſonæ unam voluntatem, ſed unum volentem, ſicut nec unam operationem, ſed unum operantem, in duabus ſcilicet naturis quas dum aſſerit indivisè, inconfusè, & inconvertibiliter conjunctas, duas planè neceſſariè introducit operationes & voluntates.* Hæc iterùm cum Alberto Pighio ſubjungit Baronius. *His nihil majus Catholicum dici potuiſſe, nihil magis pium ac ſanctum, nihil denique his temporibus ad pacem in Eccleſiis conſervandam utilius excogitari videri potuit.* Non ergò ex epiſtolis Honorii ad Sergium ulla hæreſis macula colligi poteſt. Quod ſi Honorius unius in Chriſto voluntatis mentionem facere videatur: intellige non fuiſſe in Chriſto duas contrarias voluntates. Sic ſanctus Maximus Martyr apud Baronium & Bellarminum vindicat Honorium ab hæreſi Monothelitarũ in diſputatione, quam habuit cum Pyrrho Patriarchâ Conſtantinopolitano Monothelitâ, quæ eſt in fine octavi tomi Annalium Baronii. Vbi Pyrrhum ſic loquentem introducit. *Quid de Honorio ad reſpondendum habes, qui apertè anteceſſori meo unam voluntatem Domini noſtri IESV Chriſti eſſe tradidit?* Sanctus Maximus reſpondet. *Quis fuerit fide & authoritate dignus epiſtolæ hujus interpres, qui eam ex perſonâ S. Honorii ſcripſit, adhuc ſuperſtes, qui totum Occidentem, cum aliis virtutibus tum dogmatibus fidei Chriſtianæ illuſtravit.* Pyrrhus objicit. *Quis hunc compoſuit?* *Sanctus Maximus is ipſe, cùm ad Dominum Imperatorem ex perſonâ rurſus S. Ioannis Papæ de hac epiſtolâ ſcriberet, dixit: unam voluntatem diximus in Domino non divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cum enim Sergius ſcripſiſſet quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent. Dixit Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe: Carnis inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantùm, quæ naturaliter ejus humanitatem ſignabat.* S.Max. Quibus patenter declarat ex teſtimonio Secretarii Honorii, qui ſcripſerat illas Epiſtolas dictatas ab Honorio, quem adhuc ſuperſtitem fuiſſe dicit, nunquam fuiſſe in mente Honorii negare in Chriſto duas voluntates, ut negant Monothelitæ. Quod ſi quando id negare videatur intellige de duabus ſibi oppoſitis, quæ ſunt in nobis ex peccato. Ejuſdẽ Maximi meminit Photius in ſua Bibliotheca, & Hoeſchelius Latinè redditus ab Andræa Scoto.

XVII. Hic non omittendum quod Baronius refert pro defenſione Honorii. Baorn. *In Iudicio Synodali, cum poſt annos decem & octo Romæ ſub ſancto Martino papâ & Martyre celebrata eſt Synodus Lateranenſis, quæ extat libro 3. Conciliorum novæ editionis, cui interfuerunt centum & quinque Epiſcopi præſidente ipſo ſummo Pontifice, & exactè cognitâ atque tractatâ causâ Monothelitarum: damnati in eâ fuerunt unà cùm hæreſi & ipſorum ſcriptis Theodorus Pharanitet Epiſcopus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus ſucceſſores Patriarchæ Conſtantinopolitani, authores & propugnatores erroris. Honorius nullam prorſus vel ab hæreticis de hæreſi calumniam paſſus: nec à ſanctâ Synodo leviſſimè ſuſpectus.* Poſtea. Cùm

à

à ſanctiſſimo Pontifice Agathone celebrata eſt Romæ Synodus centum viginti Epiſcoporum, in quâ repetita eſt damnatio eorundem hæreticorum Theodori, Cyri, Sergii, Pyrrhi & Pauli, nec levis mentio facta eſt quod Honorius erraverit. Qui ſi erraſſet diſsimulari minimè potuiſſet. Præfata Synodus extat in 6. Synodo actione 4. ſub Agathone.

XVIII Quod ſi reproducatur ſextę Synodo actione 13. in qua Honorius, Cyrus, Sergius, & cœteri Monothelitæ referuntur. dicendum nomen Honorii, & quidquid contra illum dicitur, fuiſſe inſertum ab æmulis Eccleſiæ Romanæ. Solebant enim Græci libros & ſacras Synodos corrumpere, ut patet ex 6. Synodo actione 12. & 14. ubi ſunt corruptiones ab hæreticis factæ in quinto Concilio. Vndè Leo epiſt. 83. ad Paleſtinos conqueritur de Græcis, quod ſuam epiſtolam ad Flavianum (quâ Verbi incarnationem explicaverat) corruperant. S. Gregorius lib. 5 epiſt. 14. ad Narſem. indictione 14. aſſerit Conſtantinopolitanos corrupiſſe Synodū Chalcedonenſem, & idem ſe ſuſpicari de Epheſina, ſubdens. *Romani Codices multò veriores ſunt quàm Græci, quia noſtri ſicut non acumina ita nec impoſturas habent* Nicolaus I. ſcribens ad Imperatorem Conſtantinopolitanum epiſt. 3. quæ eſt in tomo 3. epiſt. Pontif contra inordinatam promotionem Photii ſtatim ex Palatino tonſurati, & Patriarchæ ordinati citans authoritatem ſeptimæ Synodi, & epiſtolæ Adriani Pontificis quæ relata eſt in acta illius. Inter alia dicit. *Si diligenter inquiſieritis, profectò invenietis, ſi tamen non falſata Græcorum more, ſed ſicut miſſa eſt à ſede Apoſtolicâ penes Conſtantinopolitanam Eccleſiam hactenus perſeverat* Julianus Cardinalis in Concilio Florentino conqueſtus eſt ſecundam epiſtolam Agathonis, quæ habetur action. 4. ſextæ Synodi, qua dicitur Spiritus ſanctus procedere ſolùm à Patre fuiſſe depravatam & particulam *Filioq̃*, ablatam à Græcis. Eundem errorem animadverterat pluſquam centum annis ante Galecas vir Græcus libr. 4. contra Græcos cap. 27. & alibi. Undè probabile eſt hæc quæ de Honorio dicuntur in 6 Synodo fuiſſe à Græcis vel hæreticis, vel æmulis Romanæ ſedis etiam additá. Baronius ad annum Chriſti 681. probat quod primarius hujus calumniæ author fuit Theodorus Patriarcha Conſtantinopolitanus hæreticus qui cum in ſententiâ Synodi deberet comprehendi, loco ſui nominis inſeruit nomen Honorii. Nam dicta Synodus condemnavit Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, ut hæreticos. Thomam verò, Joannem Conſtantinum, ut habet ſexta Synodus action. 13. hæreſis nullo modo ſuſpectos declaravit. Et tamen Theodorus qui non potuit nominari inter Catholicos, & qui ut hæreticus ejectus fuit à ſuâ ſede non nominatur inter hęreticos. Cùm ſacra Synodus fecerit cathalogum omnium Epiſcoporum Monothelitarum. qui eidem hæreſi faverant, non potuit omitti Theodorus quem inter Monothelitas numeravit, quoties illorum fecit mentionem. Quod autem Theodorus ille fuerit nominatus inter hæreticos, & poſtea expunctus ex actis illis ſynodalibus teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius apud Baronium, qui in compendium redegit acta 6. Synodi. Idem Baronius ait, quod Theodorus corruperit acta 6. Synodi hoc modo. Georgio defuncto, qui loco Theodori hæretici fuerat collocatus in ſede Conſtantinopolitanâ: idem Theodorus fuit reſtitutus & omnia originalia Synodi procuravit: quibus aliqua addidit, alia ſubſtraxit: ſuumque nomen expunxit è numero damnatorum, nomenque Honorii ſubſtituit in odium ſedis Apoſtolicæ. Quod etiam aliàs ſatis manifeſtavit quando in odium ſedis Apoſtolicæ nomen Vitaliani Romani Pontificis è Diptychis abſtulit, etiam renitente Imperatore.

Gregor.

Quod autem hæretici ſic addere & expungere ſoleant, patet ex modernis, qui ad ſtabiliendas ſuas hæreſes addunt ſcripturæ ſacræ vel detrahunt ad nutum. Quod autem Patres 6. Synodi Honorium non condemnarint hoc argumento convincitur. Nam Agatho epiſtolâ ad Conſtantinum, XIX.

Heraclium,

Heraclium, & Tyberium Auguſtos, quæ habetur action. 4. ſextæ Synodi *Agatho.* patenter docet Apoſtolicam ſedem nunquam à recto fidei tramite deflexiſſe. *Chriſti adnitente præſidio hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam à viâ veritatis qualibet erroris parte deflexa eſt.* Et infra. *Hæc eſt enim veræ fidei regula, quæ in adverſis veraciter tenuit, ac defendit. Hæc ſpiritualis mater veſtri tranquilliſſimi imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur: nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab authoribus Apoſtolorum Chriſti principibus illibata permanet, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, &c.* Deindè oſtendit, quomodo ſui prædeceſſores nullo unquam errore vel hæreſi fuerint labefactati. *Conſideret veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare enim fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores cõfidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum, quorum & puſillanimitas mea, licet impar & minima pro ſuſcepto tamen divinâ dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere.* His auditis, ſtantibus ibi Monothelitis nullus adverſarius quidquam in Honorium vel alios objecit: imò hæc epiſtola Agathonis fuit à toto Concilio probata action. 8. & 18. Patribus dicentibus non tam Agathonem quàm D. Petrum per Agathonem eſſe locutum.

XX. Ex quibus infero ſi Honorius fuiſſet hæreticus Monothelita, quomodò de hâc hæreſi diſputans Agatho tam firmiter & ſincerè potuit aſſerere, & profiteri nullum ſuorum prædeceſſorum unquam erraſſe? Item ſi Concilium fatetur Petrum per Agathonẽ locutum eſſe, ac pronunciaſſe Romanos Pontifices ſemper confirmaſſe fratres ſuos in fide, nec ulli unquam hęreſi ſuccubuiſſe, quâ temeritate idẽ Concilium feriret Honorium anathemate, eumque ut hæreticum declararet? Ergò ut concludunt Baronius, Bellarminus & alii vel Concilium eſſe falſificatum, vel epiſtola Agathonis, vel Concilium ſibi, vel Agathoni adverſatur; hoc poſtremum nemo admittit, nec ipſi hæretici. Et confirmatur ex eo quod action. 3. ſextæ Synodi cùm legerentur actiones quintæ Synodi, & ventum eſſet ad ſeptimam actionem, in quâ lecta ſunt ſcripta Vigilii anathematizantis Theodorum Mopſueſtenum, qui non confitebatur unam in Chriſto perſonam, lectum fuit additamentũ Monothelitarum *& unam operationẽ.* Quam impoſturam audientes legati reſtiterunt, & exclamarunt nihil hujuſmodi eſſe Vigilii, ſed libros illos eſſe falſos ac ſuppoſitos nomine Vigilii. Nam ſi Vigilius receptus eſſet à Synodo cum aſſertione unius operationis, debuiſſet Synodus eundẽ errorem profiteri, quod cum dici nequeat, neque etiam id de Vigilio ſentiendum eſt. Si legati Apoſtolicæ ſedis tantum inſudarunt ut Vigilium à calumniâ liberarent, & probarent nullius erroris eſſe ſuſpectum, cur tacuiſſent Honorii defenſionem: nam tantùm ee ſedis Apoſtolicę erat partes tam Honorii quàm Vigilii ſuſcipere, igitur Honorius non fuit condemnatus à ſextâ Synodo ut hæreticus, & figmenta ſunt quæ hæretici allegant de Honorii condemnatione.

Eſto quod ſexta Synodus condemnarit Honorium ut hæreticum, an ideò Honorius hæreticus? non: quia malè informata eum condemnavit, & in illo judicio erravit, licet Concilium generale legitimum errare nequeat, ſicut hæc ſexta Synodus non erravit in definiendis dogmatibus fidei, tamen potuit errare in quæſtionibus de facto. Poſſumus dicere cum Bellarmino Patres illius Synodi deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis epiſtolis Honorii, malè inter hæreticos numeraſſe Honorium. Quod autem non condemnarit, patet ex Theophane, qui teſte Baronio cæteris eſt antiquior, & res geſtas illius temporis fideliter enarravit, & tamen [illegible] nullam facit mentionem, [illegible] ridiculet: quod certè ſi contigiſſet, non [illegible] Quis enim Hiſtoriographus Romanũ XXI.

Pontificem à Synodo condemnatum ſileret? nec Beda vel Anaſtaſius Honorium etiam in errorem incidiſſe referunt. Imò Bellarminus ex eodem Bedâ lib. 2. hiſtor. Anglorum cap. 17, 18. 19, in vitâ ſancti Bertolfi Abbatis, ait Honorium defunctum pro ſancto fuiſſe habitum. Falſum igitur eſt quod idem Beda (ut aliqui hæretici allegant) cenſuerit Honorium pro hæretico damnatum. Quod ſi in libro cui titulus eſt *Sex Ætates mundi*, irrepſit nomen Honorii provenit ab ipſo Sciolo, qui in ſextâ Synodo cum nominibus Cyri, Sergii, &c. ſcriptum invenit. Anaſtaſius etiam in Honorio nihil tale de Honorio ſcribit: ſed in Leone II. ait Leonem approbaſſe 6. Synodum in quâ Cyrus, Sergius, Honorius, &c, ſunt condemnati. Certum autem eſt quod nomen Honorii loco Theodori Patriarchæ Conſtantinopolitani irrepſerit. Cùm ex Anaſtaſio Bibliothecario Baronius referat illum Theodorum fuiſſe inter hæreticos Monothelitas condemnatum in ſextâ Synodo; & tamen idem Anaſtaſius in Pontificali in Leone II. inter condemnatos in eâdem Synodo non nominat illum Theodorum. Honorius ergò pro Theodoro fuit ſuppoſitus.

XXII. Photius Orientalis Græcus Romanæ ſedis æmulus lib. de ſeptem Synodis cap. 6. de ſextâ Synodo referens hæreticos in eâ condemnatos nullam Honorii Papæ ut de hæreſi ſuſpecti facit mentionem. Nec refert quod Melchior Honorium inter condemnatum referat. *Voluiſſem* (inquit Baronius) *ſenſibus potius Canum, quàm nomine: dum in Honorium hæreticum nondum inſpectâ & dijudicatâ ejus epiſtolâ cum causâ ponitur* (*eſſe damnatum*) *affirmat.* Quod Canus non omnia inſpexerit patet primò, ex eo quod in epiſtolis Agathonis non invenitur, ſed ex dictis ſupra potius contrarium. Bellarminus notat Canum, fuiſſe deceptum ex ſummâ Conciliorum (cujus author contra fidem illarum epiſtolarum quæ ſunt integræ in tomo 3. Conciliorum) nomen Honorii addidit. Secundò, falsò aſſerit hanc epiſtolam Agathonis fuiſſe ſcriptam ad Concilium ſextum: conſtat enim ambas Agathonis epiſtolas fuiſſe ſcriptas ad Imperatores. Cœterùm ſi contendant Honorium ſcripſiſſe ejuſmodi epiſtolas, dico non ex animo, ſed adulatione & metu potius ſcripſiſſe, imò nego epiſtolas Honorii ad Sergium hæreſim redolere, vel adulatione & metu factas, ſed prudentiſſimo conſilio ut præfatum eſt. Vide plura apud Baronium, & Bellarminũ lib. 4. de Pontifice cap. 11.

Hæretici Martinum I. quaſi hæreticum reputant, eo quod in epiſtolâ ad Amandum docuerit non eſſe abſolutionem dandam ſacerdotibus, vel Diaconis, qui poſt ſuſceptos ordines peccant, quod Novatianiſmum ſapit. Dicendum quod Martinus non loquatur de abſolutione à peccatis, ſed de reſtitutione ad ſacra miniſteria. Decernit enim ſacerdotes & diaconos graviter delinquentes privandos gradu, reſipiſcentes, & veniam petentes abſolvendos quidem à peccatis, ſed non in ſuos gradus reſtituendos. Idem veteres docuerunt. XXIII

Hæretici multis calumniis Gregorium III. affecerunt, quas piorũ aures ſine horrore excipere nequeunt: quod coacto concilio Imperatorẽ damnarit, excommunicarit, & ab ejus & obedientiâ totam Italiam abduxerit, &c. Sed quæ ad rem noſtram faciunt præcipuè refellenda ſunt. Primò accuſant eum, quod in epiſtolâ ad Bonifacium juſſit ordinatos iterùm conſecrari ab aliis, quos Romanus Pontifex miſerat: Sed hoc manifeſtè falſum eſt, jubet enim Gregorius iterùm conſecrari eos qui non fuerant conſecrati à veris Epiſcopis. Deindè objiciunt quod in aliâ epiſtolâ ad Bonifacium permittat viro ducere aliam uxorem ſi propria uxor ob aliquam infirmitatem nequeat debitum conjugale reddere, quod eſt expreſsè contra Evangelium. Quod etiam Gratianus 32. quæſt. 7. can. *Quod propoſuiſti*, refert. Idem etiam error imputatur Gregorio I. epiſt. ad Auguſtinum Apoſtolũ Angliæ, in quâ ſimilia verba extant. Poſſem dicere idem docuiſſe Lutherum (ut teſtatur Joannes Cochleus in ſepticipite cap. de Matrimonio.) XXIV

Deindè Gregorius non loquitur de quâcumque infirmitate, ſed de impotentiâ naturali & perpetuâ, quæ mulierem reddit ineptam ad conjugium. Nam ejuſmodi matrimonia ſi ex errore contrahantur non ſunt conjugia & poſſunt ſolvi judicio Eccleſiæ. Dicitur autem impotentia naturalis, quæ arte humanâ auferri nequit, ſed tantùm miraculosè, ſeu modo extraordinario & inſolito. Dico inſolito & extraordinario ob maleficium, quod licet nequeat aufferri niſi per orationes, tamen non dicitur aufferri miraculosè, cum modo ſolito auſferatur. Sic etiam remiſſio peccatorum, quæ habetur per ſacramenta non dicitur effici miraculosè, quia fit modo ſolito, licet fiat virtute ſupernaturali. Ita poſt Sotum in 4. diſtinct. 34. quæſt. unica art. 3. Sanchez lib. 7. diſputat. 93. Guttierez cap. 112. num. 22. Conink diſput. 31. dubio 7. num. 68. & 81. Filliucium tractat. 10. cap. 5. quæſt. 3. Bonacinam de impedimentis Matrimonii quæſt. 3. puncto 13. propoſitione 1. Dicitur perpetuâ impotentia, ut diſtinguatur à temporali quæ non dirimit matrimonium licet reddat inhabilem ad multos annos. Quod impotentia perpetua dirimat jure naturæ ratio eſt: quia ut matrimonium valeat debent conjuges poſſe copulari & fieri una caro. Nam dicuntur duo in carne unâ. Sed impotentia perpetua impedit nè fiat una caro. Igitur ſtante impotentiâ perpetuâ matrimonium non eſt validum. Confirmat Bonacina quia de ratione matrimonii eſt, ut tradatur poteſtas ad uſum conjugalem: cum nemo tradere poſſit quod non habet, & non ſit obligatio impoſſibilium cap *Nemo* de regulis juris in ſexto, lege impoſſibilium. Igitur matrimonium cum impotentiâ perpetuâ celebratum, eſt irritum, cùm nihil ſubſiſtat ſine ſua eſſentia. Ita Bonacina ſupra propoſitione 2. & alii ab eo ibidem citati. Quod etiam dirimat jure Eccleſiaſtico patet ex cap. *Quod ſedem*, de frigidis & maleficiatis, & cap. 1. quæſt. 33. art. 1. Vide plura apud authores citatos.

XXV. Reprehendunt aliqui Nicolaum I. qui, ſecundùm quoſdam, & refertur de conſecratione diſtinct. 4. canon. *A quodam Iudæo*, docuit Baptiſmum in nomine Chriſti ſine trium perſonarũ expreſſione collatum, eſſe ratum, quod eſt contra Chriſti inſtitutionem & decreta aliorum Pontificum Pelagii & Zachariæ, qui improbant Baptiſmum eorum qui tantùm baptiſantur in nomine Chriſti, ut patet de conſecratione diſtinct. 4. canon. *In Synodo*. ubi probatur decretum cujuſdam Concilii Anglicani ſuper hac re editum his verbis. *Si quis unam de Trinitate perſonam in Baptiſmo nominaret, illud baptiſma verum eſſe non poſſet*. Dicendum eſt illud dixiſſe non definiendo quæſtionem de fide, ſed tantùm ut doctorem particularem ſuam mentem aperuiſſe ſequendo in hoc opinionem D. Ambroſii lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. ubi inter cœtera ait. *Una perſona prolata, ſi integra ſit intus fides, plenum eſt ſacramentum*. Hanc etiam opinionem ſequuntur Beda in cap. 10. Actorum, Hugo lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 5. Magiſter in 4. diſtinct. 3. Cajetanus 3. parte quæſt. 66. art. 6. Adrianus in quæſt. de Baptiſmo art. 5. Canoniſtæ communiter ſuper cap. *A quodam Iudæo*, de cõſecratione diſtinct. 3. quæſt. 4. Et favere videntur Scotus diſtinct. 3. quæſt. 2. Richardus eadem diſtinct. art. 2. quæſt. 3. Cœterùm licet hæc opinio ſit falſa non eſt tamen hæretica, nec Zacharias vel Pelagius illam definiunt, ſed tantùm ſuam mentem exponunt. Vide plura apud Scholaſticos in 4. diſtinct. 3. & in 3. parte quæſt. 66. art. 5. & 6. Item apud Bellarminum ſupra cap. 12. & alios. Cœterùm tantùm abeſt ut Nicolaus I. alicujus erroris accuſandus ſit, quin potius magnis virtutibus præditum fuiſſe cenſet Gualterus ſœculo nono poſt Baronium anno 858. num. 8. & ſequentibus: ita ut aliqui dixerint à S Gregorio uſque ad hunc nullum Pontificem eſſe inventum qui illi poſſit æquari. Vide Authores & Hiſtoricos ab eis citatos. Ex his aliquos producemus. Anaſtaſius. *Nulla* (inquit) *niſi cœleſtia cogitabat, jejuniis, vigiliis & orationibus nocte ac die vacans, nec requiem corpori, nec membra dabat* Anaſtaſ.

ſoporẽ. Nam ſi cuncta, quæ Chriſti gratiâ plenus virtutibus atque ſide ſanctitatis opera geſſit & moribus, vitâq; docuit, & implevit, chartis inſerere volumus, prius fortaſſe membrana quàm ſermo deficeret. Ottho Phriſingenſis libr. 6. cap. 3. vocat. *Religioſum, ac Dei zelo plenum ſacerdotem.* Rhegino non tantùm cenſet D. Gregorio adæquandum, ſed etiam ipſi Eliæ, lib. 2. chronic. ad annum 866. *Nicolaus* (inquit) *Sanctiſſimus & Beatiſſimus Papa, poſt multos pro Chriſto labores, & multa pro ſanctæ Eccleſiæ inviolabili ſtatu certamina migravit ad Cœleſtia regna.* Infra *Denique poſt D. Gregorium uſque in præſens nullus Præſul in Romanâ urbe Pontificali honore ſublimatus illi videtur æquiparandus. Regibus ac tyrannis imperavit, eiſque ac ſi Dominus orbis terrarum authoritate præfuit. Epiſcopis ac Sacerdotibus, Religioſis ac Domini mandata obſervantibus humilis, blandus, pius, manſuetus apparuit. Irreligioſis, & à recto tramite exorbitantibus terribilis atque auſteritate plenus extitit: ut meritò credatur alter Elias (Deo ſuſcitante) noſtris temporibus reſurrexiſſe, & ſi non corpore tamen ſpiritu & virtute.* Idem ad annum Chriſti 868. *Stultitiæ quidem elogio denotandi qui illam Petri ſedem aliquâ pravo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fellit, nec ab aliquo hæreſi unquam falli potuit.* Illi ſubſcribens Sanderus lib. 7. de viſibili monarchiâ Eccleſ. §. 649. *Hic manifeſtè apparuit, quam neceſſarium ſit, non modò, ut unus ſummus Pontifex Eccleſiæ toti præſit, verùm etiam ut is à Spiritu ſancto gubernetur, ut Eccleſiam in re quapiam graviſſima errare non permittat, alioqui partim vi ac tyrannide, partim opibus & blanditiis principum juſtitia penitus extingueretur.* Si in re quapiam Eccleſia deficere nequit ſub ſanctiſſimo regimine Pontificum Romanorum quomodò errare perhibentur?

Ottho Phriſin. *Rhegino*

XXVI Non omittunt hæretici Stephanũ VI. ſecundùm alios VII. qui Formoſi papæ cadaver è ſepulchro extrahens, atque in ſedem Romanam Põtificis ſacerdotalibus veſtibus indutũ collocans, cum tanquam viventi exprobraſſet, quod nimiâ ambitione ex Portuenſi Epiſcopo ſedem Apoſtolicam occupaſſet: illud ipſum damnatum, ſacriſque ſtatim exutum veſtibus ac tribus digitis mutilatum quibus benedicere ſolent Pontifices, in Tiberim projecit, imò quod ad præſens argumentum facit omnes quos idem Formoſus ordinaverat gradu depoſitos iterùm ordinavit. Ejuſdem Formoſi acta Sergius III, poſtea iterùm irritavit. Ad hæc dico Stephanum & Sergium erraſſe in facto, non in jure, erraſſe in exemplo & moribus non in fide & doctrinâ. Vndè licet Stephanus ita ſacrilegè egerit cum Formoſo, tamen nullus Epiſcopus ſedium principalium ab obedientiâ Romani Pontificis ſe ſubduxit. Quare meritò dici poteſt hæreticis illud divi Auguſtini lib. 2. contra litteras Petiliani cap 51, *Si omnes per totum mundum tales eſſent, quales vaniſſime criminaris, Cathedra tibi, quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in quâ ſedet Petrus, in quâ hodie Anaſtaſius ſedet, &c.* Quaſi diceret aliud eſt docere, decernere, aliud facere, aliud eſt jus, aliud exemplum. Quæcumque Stephanus Chriſti Vicarius dicit, quæcumque decernit in materiâ fidei, facite, obtemperate illi. At quæcumque facit, nolite viciſſim facere, nolite illum imitari. Quod confirmat cap. 61. *Non propter Phariſæos præcepit Dominus deſeri Cathedram Moyſi, in quâ utique figurabat ſuam, dicens quippe illos ſuper Cathedram Moyſi ſedentes, dicere & non facere: monet tamen populos facere quæ dicunt, & non facere quæ faciunt, nè Cathedræ ſanctitas deſeratur, & propter paſtores malos gregis unitas dividatur.* Expende illa verba. *Nè Cathedræ ſanctitas deſeratur, &c.* Quaſi diceret, non debemus ſuſpicere ac morem gerere Sedi Romanæ quia Stephanus, &c. in eâ ſedens ſanctus eſt, ſed quia ipſa ſancta eſt, ſivè enim qui in illâ ſedet ſtudioſus, ſivè vitioſus ſit, ſivè virtutis, ſivè vitii exemplum det, quæ docet, quæ decernit ſequi oportet, non quæ facit. Si quæ mala operetur, non oportet ſedi Apoſtolicæ irrogare injuriam, & illi obedientiam detrectare, quia ibi ſedens Stephanus malè agit & capitali odio Formoſum proſequitur.

Auguſt.

Ideò

Bellar. Ideò ſecundùm Bellarminum lib. 44. de Pontifice Romano cap. 12. Formoſi corpus è ſepulchro extrahi juſſit, quia exiſtimavit nunquam fuiſſe legitimum Pontificem, ideòque ejus acta debere eſſe irrita, ſuſceptosque ab eo ordines nullos. An autem Formoſus fuerit legitimus Papa, nec nè, eſt quæſtio facti in quâ Pontifex errare poteſt, & ſic errarunt Stephanus, & Sergius. Vndè iidem Stephanus & Sergius nullum decretum ediderunt, quo decernerent ordinatos ab Epiſcopo degradatos eſſe iterùm ordinandos: ſed duntaxat præcepiſſe eos iterùm ordinari; quod præceptum proveniebat ex odio, non verò ex ignorantiâ vel hæreſi. Sigebertus in chro- *Sigebert.* nico anno 903. ait Stephanum reclamantibus ferè omnibus per vim exordinaſſe eos, qui à Formoſo fuerant ordinati. Quemadmodum igitur qui committit adulterium vel fornicationem, non ideò hæreticus cenſendus niſi hoc judicet eſſe licitum ex errore quem habet in intellectu, (nam hæreſis eſt error in intellectu) ſic ex odio quo Stephanus proſequebatur Formoſum non autem ex perverſo judicio, ita cum eo egit. Aliqui exiſtimant Stephanum non exordinaſſe, ſed tantùm ab uſu & exercitio ordinum prohibuiſſe. Quibus favet Sigebertus loco citato ſcribens Stephanum non fuiſſe præſumptum eos iterùm conſecrare. Quod de cadavere Formoſi è ſepulchro eruto ſcribitur. Onuphrius potius fabulæ aſcribit, quàm hiſtoriæ veræ.

XXVII Eſto vera ſit hiſtoria, & Stephanus id ſtatuerit in aliquâ Synodo: hæc non fuit legitima, quia Concilium legitimum cenſetur in quo ſententiæ Epiſcoporum non extorquentur per vim (ut à Stephano factum eſt) non adhibitis minis vel blanditiis, ſed per vim. Hinc Romana Eccleſia ſemper recenſuit Formoſum inter legitimos Pontifices, nullumque Concilium cõtrarium ſtatuit. Nec refert quod in Concilio Ravennate Joannes XI. vocet Stephanum ſuum prædeceſſorem *piæ recordationis*, ita enim eum nominat ob reverentiam. *Hic conſidera* (inquit Baronius ad annum Chriſti 904. art. 4.) *Lector, quanta ſolerent ſucceſſores Pontifices, quantumcumque repræhenſibiles prædeceſſores reverentiâ proſequi, ut Ioannes Stephanum ſuum prædeceſſorem tum ſedis invaſione, tum etiam ſeſſione in omnibus plenè execrandis facinoribus deteſtabilem, piæ tamen recordationis Stephanum appellet.* Non ergò illis verbis utitur *piæ recordationis*, propter impietatem commiſſam in Formoſum, ſed ob ſanctitatẽ Pontificiæ dignitatis.

De Sylveſtro II. mira proferunt XXVIII Romanæ ſedis hoſtes. Scribunt enim illum fuiſſe magum, & necromanticũ, magicisque artibus adeptum eſſe Romanam ſedem, & conſequenter hæreticum. Nam ut plurimùm Necromantici ſunt infideles & dæmonem pro Deo colunt. Primò quid de hoc Sylveſtro ſentiat Baronius ad annum *Baron.* Chriſti 999. art. 2. audiamus. *Illud omninò affirmare poſſumus nullum hactenus in Petri ſedem fuiſſe promotum, qui eandem ſcriptis ita præcіderit ut Gerbertus.* Sic enim vocabatur. Quomodò autem in ſede ſe geſſerit pro manutentione Eccleſiæ idem ad annum 1003. art. 5. *Etſi ipſum ad conciliandos ſibi in Eccleſiâ gradus ſuperiores ſemper vidimus inhiaſſe: potius tamen illis, munus explere quod eſſet conſecutus omnibus numeris conatus eſſe videtur: ita ut nè leviſſima prætermitteret in his quæ ſpectant ad defenſionem Eccleſiæ jurium.* Et infra art. 7. *Nè ſileatur de ipſo, quod de ejus epiſtolis conſequi licuit ejusque laudi cedit, cultorem fuiſſe ſanctorum virorum tum viventium, nimirum ſancti Majoli Cluniacenſis Abbatis, Eberardi æquè magnæ ſanctitatis viri & aliorum tunc eodem nomine florentium, cupidumq; fuiſſe monaſticæ obſervantiæ, malorum verò acerrimum correctorem.* Quæ verò de illo dicuntur Bellarminus lib. citato cap. 14. ait eſſe fabuloſa. Occaſio iſtius fabulæ accipe ex Baronio ad annum Chriſti 999. *Eſt inopinata illius promotio & continuata proſperitas. Aliqui enim exiſtimarunt & ſcripſerunt magicis incantationibus, fuiſſe promotum ad Pontificatum pactâ dæmoni pro mercede animâ, quam ſtatuto loco Hieroſolymis, ſic dicta in urbe ſanctæ Crucis Eccleſia, exactor*

 violentus

violentus extorſerit. Quæ fabula ut auribus ſimplicium facilius ingereretur faciebat ignorantia illius ſæculi, & hujus Gerberti nimia cupiditas ſæcularium. Nam Philoſophiæ, Mathematicæ, & præcipuè Aſtrologiæ erat ſtudioſiſſimus & ſcientiſſimus. Hanc occaſionem nactus eſt Benno ſchiſmaticus, qui ſe Cardinalem Archipræsbyterum nominat, ut de illo tam abſurda & monſtruoſa fingeret. Cæterùm omnes qui ſub ejus pontificatu vixerunt, honorificè de illo loquuntur, inter eos Ditmarus ſcriptor optimæ fidei, Epiſcopus Merſeburgius in Saxoniâ. Helgaldus Monachus Floriacenſis diſcipulus hujus Gerberti, & vitam Roberti regis Francorum ſcripſit, epitaphium ejus ſepulchri inſculptum in Baſilicâ Lateranenſi à Sergio Papâ IV. viro ſancto & authore omnium conſenſu fideliſſimo, poſteriore tantùm quinque annis Gerberto. In quo epitaphio laudatur Sylveſter quaſi optimus Pontifex. Ex quo facilè colligere eſt eum non ita probroſè vixiſſe & obiiſſe, cùm à Coëtaneo tam inſigniter commendetur. Deindè narrationem de Sylveſtro eſſe fabuloſam ex eo conjicio, quod aliqui ſcribant illum perrexiſſe Hiſpalim Hiſpaniæ urbem, ut ibi bonas artes diſceret, magicamque artem ex libro furtim ſublato didiciſſe. Sed ex eo convincitur fictio, quod tunc Hiſpalis poſſideretur à Saracenis barbaris, qui nullas ſcientias colebant. Vndè miror quomodò Sigebertus & alii recentiores ita credant Bennoni impio & ſchiſmatico, & dubitent an Sylveſter II. debeat recenſeri inter Pontifices.

XXIX. Gregorii VII. virtutes celebrant varii Authores omnium nationum. Sanctus Anſelmus Cantuarienſis in epiſtolâ 8. & initio libr. de Azimo, S. Antoninus 2. part. tit. 16. cap. 1. §. 31. Martyrologium 25. Maii. Regiſtrum lib. 1. hujus electionis formã & vitam ejus explicat. *Nos ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Præsbyteri, præſentibus venerabilibus Epiſcopis & Abbatibus, Clericis & Monachis cõſentientibus pluribus turbis utriuſque ſexus diverſique Ordinis, acclamationibus eligimus nobis in paſtorem, & ſummum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum, virum religione, & doctrinâ, juſtitiâq; præſtantem, in adverſis conſtantem, in proſperis moderatum, pudicum, modeſtũ, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam benè regentem, in gremio hujus Eccleſiæ à pueritiâ educatũ & eruditũ, eumque poſthac eſſe & dici Gregorium VII. volumus & conſentimus.* Leo Oſtienſis lib. 3. hiſtor. Caſſinenſis multa de eo Pontifice refert, & cap. 53. meminit cujuſdã viſionis cœleſtis factæ cuidam Joanni dum Apoſtolicus ſacrum faceret. *Vndè* (inquit) *Deus in illâ viſione celeriter & hoc ipſum Papæ intimato ut conſtanter ſancti Spiritus nutum quod cœpit exequatur.* Hoc mãdatum accepit Gregorius cùm Româ diſcederet, &c. De illo etiam præclarè ſcribit Marianus Scotus libr. 3. Chronici ab anno 1075. uſque ad annum 1083. Bernardus Corbienſis in Apologiâ pro Gregorio teſte Trithemio in catalogo ſcriptorum. Faſciculus temporum anno 1085. ejus ſanctitatem commendat, eique multarum perſecutionum tolerantiam pro juſtitiâ Bertholdus attribuit ad eundem annum. S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis Gregorii VII. coëtaneus in in epiſtolâ ad Guibertum, qui tempore ſchiſmatis erat Antipapa dictus Clemens III. Hujus epiſtolæ meminit Abbas Vrſpergenſis in Chronico. Et quanta fides dicto Patri adhibenda ſit, oſtendit, dicens eum ſcientiâ & ſanctitate fuiſſe conſpicuum, ita ut ante & poſt mortem miracula ediderit. De eodem Gregorio Platina qui aliquos Pontifices ſatis imprudenter mordet, tamen de Gregorio, *Vir* (inquit) *Deo gratus, prudens, juſtus, clemens, pupillorum, viduarum patronus, atque unicus Eccleſiæ fortiſſimus & acerrimus defenſor, contra hæreticorum improbitatem, & malorum principum potentiam res Eccleſiaſticas per vim occupare conantium.* Platina. Noſter P. Lezana tomo 3. Annalium noſtri Ordinis ad annum 1073. uſque ad annum 1085. vocat, *Virum apud Catholicos laudatiſſimum.* Apud politicos tamen & ſectatores de mille criminibus calumnioſè notatum. *Fuit* (inquit) *eximiæ virtutis Pontifex, reformationis Eccleſiæ amator, libertatis Eccleſiaſticæ defenſor acerrimus, & contra Eccleſiæ*

rebelles immotiſſimus, etſi propterea nō potuerit evadere: ſi quidem ſacrilegi cujuſdam Romani Præfecti aggreſſione captus, arceque detentus fuit quonſque per populum tumultuantem & immane piaculum deteſtantem ereptus, & priſtinæ libertati reſtitutus eſt. At à ſchiſmaticis poſtea plura perpeſſus.

XXX Aliis omiſſis audiamus quid contra Lutheranos ultimo ſœculo Apoſtolicæ ſedis impugnatores Angli ipſi & Germani Authores ſentiant. *Scotus.* Marianus Scotus Monachus Fuldenſis, qui floruit tempore Henrici VI. in Chronico anni 1575. comparat eos qui Gregorio adverſantur impios & Gregorium Eliæ, ejusque fautores. *Hac & ſimilia nefanda & inaudita regis flagitia videntes & audientes fieri Catholici viri per id temporis in Eccleſiâ conſtituti, cum Prophetâ Eliâ zelo Domini zelantes pro domo Iſrael.* De eodem verò Gregorio ſpecialiter ibidem. *Gregorius qui rimoniis & clamoribus Catholicorum juſtis adverſus Henricum, & ſcelerum ejus immanitatem auditis Zelo Dei accenſus, jam dictum regem excommunicatum pronunciavit, maximè propter ſimoniam. Quod factum Catholicis quidem viris bene placuit, Simoniacis verò ac fautoribus Regis nimium diſplicuit.* Laudat Gregorii zelum Ottho Phriſingenſis lib. 6. cap. 34. imò non tantùm ejus zelum cōmendat, ſed exemplum, cōſtantiam. *Otho Phriſin.* *Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonſtravit, ac fortis per omnia Athleta murum pro domo Domini ponere non timuit.* Quaſi diceret, hic caſtitatem, devotionem, liberalitatem, miſericordiam, &c. docebat non tantùm verbo, ſed etiam exemplo. De ejus conſtantiâ ſic iterùm loquitur cap. 32. *Hildebrandus ſemper in Eccleſiaſtico vigore conſtanſtiſſimus fuit.* Quanto dolore ejus mors totam Eccleſiam affecerit refert cap. 36. *Eccleſia tanto paſtore, qui inter omnes ſacerdotes & Romanos Pontifices præcipui Zeli & authoritatis fuit ornata dolorem non modicum habuit.* Expende illa verba, *inter omnes, &c.* Quaſi diceret, quemadmodum olim Elias inter omnes Prophetas, inter omnes populi rectores excelluit, ita & Gregorius inter omnes populi rectores excellnit, ſeu ita Gregorius inter omnes ſacerdotes & Pontifices ſuo zelo primum locum meruit. Non cedit Thomæ Cantuarienſi, Lamberto Tungrenſi, &c. Epiſcopis, non cedit ſuis prædeceſſoribus & ſucceſſoribus, qui pro Eccleſiâ Dei & ejus juribus conſtantiſſimè dimicarunt.

Nauclerus volum. 2. generat. 37. XXXI. *Vir fuit certè Gregorius religioſus, timens Deum, juſtitiæ ac æquitatis amator, in adverſis conſtans, qui præter Deum, in his quæ ad juſtitiam pertinebant nihil timuiſſet perficere.* *Naucl.* Krantius in Metropoli lib. 5. cap. 20. vocat Gregorium VII. *Virum ſanctum.* Lambertus Schaffnaburgenſis in hiſtoriâ rerum Germanicarum. *Hildebrandi* (inquit) *conſtantia, & invictus adverſus avaritiam animus omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ.* Idem *Papa tam eximiè, tamq; Apoſtolicè vitam inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret, &c.* Ad hos Accedunt Gratianus circa annum 1150. referens decretum Gregorii quæſt. 6. canon. *Nos ſanctorum.* Guilelmus Tyrius circa annū 1180. Gotefridus Viterbienſis in Chronico ſuo univerſali parte 17. Sigebertus circa annum 1100. licet Henrico Imperatori faveat nullum Gregorio crimen objicit. Vincentius Bellovacenſis qui circa annum 1250. floruit in ſpeculo hiſtoriali lib. 25. cap. 44. ait Gregorium dono prophetiæ & miraculis claruiſſe. Eum honorificè citat D. Thomas 2. 2, quæſt. 12. art. 2. Noſter Thomas Waldenſis tomo 2. cap. 43. S. Antoninus 2. part. ſummæ hiſtorialis tit. 16. cap. 1. §. 2. Martinus Polonus circa annum 1300. in vitâ ejuſdem Gregorii. Joannes Villanus lib. 4. hiſtoriæ Florentinæ. Blondus circa annum 1400. decade 2. libr. 3. Æneas Sylvius in compendio Blondi. Palmerius in chronico. Sabellicus Æneade 9. lib. 3. Volateranus lib. 22. Antropologiæ de eo etiam ut ſanctiſſimo ſcribit. Tantus vir nequivit calumniatorum calumniam evadere.

Omnium calumniatorum Coriphæus eſt Benno pſeudo-Cardinalis, XXXII

non

non à Gregorio VII. vero pontifice, ſed à pſeudopapâ Guiberto dicto Clemente III. creatus eo temeritatis progreſſus eſt, ut ſanctum illum Pontificem calumniis impetere auſus fuerit, adeò verum eſt, quod ſcribit divus Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace in laudem S. Baſilii. *Nulli omninò parcit murmuratoris lingua, nec viles tantùm ac plebeios, ſed etiam præſtantiſsimos quoſque viros momus attingit, ut ſolius Dei ſit omni peccato atque animi perturbatione vacare.* Cur ita in præclarum illum Pontificem debacchatur? ut illum debitis honoribus & encomiis privet. Theologi docent calumniam eſſe, *Vitium diabolicum quo crimen alicui falsò, malitioſèque infertur, ut aliqua ille honoris excellentia, quæ honoris fundamentum eſt exuatur.* Vocant *Diabolicum vitium*, quia (ut ait, Cleanthes) *Nihil ferè tam eſt malig-*
Cleanth. *num quàm calumnia. Hæc enim ubi clam aliquem à ſe perſuaſum. decepit, Odium excitat adverſus eum, qui nihil eſt commeritus.* Expende illud *nihil eſt tam malignum &c.* Quaſi diceret, quemadmodùm inter creaturas nihil dæmone deteſtabilius, ita inter vitia nihil malignius calumniâ. Fideles omnes paſſim invehuntur in Judæos, quod in ipſum Meſſiam, & Filium Dei auſi fuerint manus violentas immittere: ſed non minùs crimen perpetrarunt, dum telis ſuarum calumniarum, & detractionum transverbe-
Marc. c. 15. v. 21 rarunt. Id ni fallor innuere videtur S. Marcus cap. 15, verſ. 21. nam de Chriſti crucifixione diſſerens. *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.*
Ioann. c. 19. v. 14 Joannes verò cap. 19. verſ. 14. *Erat Paraſceve Paſcha hora quaſi ſexta.* Si hora tertia ſecundùm Marcum in crucem actus eſt, quomodò Joannes ait quod horâ ſextâ cruci affixus eſt? Alterutrum verum, vel falſum eſſe debet. Eandem difficultatem proponit, & ſolvit Hugo Cardinalis in Ioannis
Hugo cap. 19. *Erat autem hora quaſi ſexta, quomodò ergò dicit Marcus, quod erat hora tertia?* Ad quam reſpondet poſt Bedam *Quod utrâque horâ crucifixus eſt Dominus, horâ tertiâ linguis Iudæorum, qui peiores & priores in Domini crucifixione, & hoc narrat Marcus. Horâ ſextâ fuit crucifixus manibus militũ, quod narrat Ioannes.* Expende illa verba. *Qui peiores & priores &c.* Quaſi diceret milites magnam impietatem & ſævitiam exercuerunt, dum Chriſtum ipſum in loco infami (ſcilicet in Calvariâ) Filium Dei propriis manibus crucifixerunt, ſed deteriores & inhumaniores fuerunt Judæi, qui ipſi in domo Pilati ſuis calumniis mortem intulerunt. Majus fuit Chriſto ſupplicium crucis per linguas Judæorum, quàm per tela & clavos militum: Non tantùm Chriſtus ſenſit dolorem ab immanitate clavorum, quantùm à puncturâ linguarum, maledicentiâ, & calumniâ Judæorũ, hæc moleſtior illi fuit quam barbaries militum. Magis Chriſtus paſſus eſt ab ore Iudæorum, quàm à cruce per milites erectâ. Socrates in apologiâ apud Platonem. *Vulgi calumnia, & invidia* Socrates *multos & alios viros bonos è medio ſuſtulit, & me quoque (ut opinor) tollet.* Quid Chriſto ſanctius? & tamen calumniatorum linguas non declinavit. Quid lege Moyſis ſapientius qui Deũ ſui conditorem habet? & tamen calumniis eſt obnoxia, Ipſam Cerdon, Marcion, & Manichæus intolerabili animi impudentiâ impugnant, docentes eam à malo principio profectam. Quid Ioanne Baptiſta innocentius, quid Eliâ abſtinentius, quid ipſo Chriſto etiam in vita ſua ſanctius, in prædicatione zeloſius, in convertendis animabus ſtudioſius? Et tamen Ioannes ab adulteræ machinationibus & linguâ ejus diabolicâ de medio tollitur. Elias pro turbatore reputatur: Chriſtus à nonnullis malè feriatis vocatur homo vorax, potator vini, peccatorum & publicanorũ amicus, &c. Imò dæmonium habere dicitur: Apoſtolus Paulus Athenis in linguatâ (ut Tertullianus loquitur) civitate ſpermologus hoc eſt ſemini verbius nuncupatur. Et ut altius exempla calumniæ repetamus, uxor Putifaris vocatis ad ſe domeſticis ita de Joſepho Patri- Geneſ. c. 39. v. 14.
archâ per calumniam locuta eſt. *En maritus meus, introduxit virum Hebræũ ut illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, ut coiret mecum: cumque ego ſucclamaſſem, & audiſſet vocem meam, reliquit pallium*

pallium quod tenebã & fugit foras, &c. Chryſoſ. D. Chryſoſtomus homil. 12. in Matthæum. *Fugit Ioſeph, palliumque dimiſit, ſed fugit cum meliori pallio caſtitatis.* Fronte etiam perfrictâ calumniati ſunt Suſannam duo ſenes malorum inveterati Danielis cap. 13. Et in noſtrâ hiſtoriâ lib. 3. Regum cap. 21. verſ. 16. *Submittite* (inquit Iezabel impia) *duos viros filios Belial contra eum* (Naboth) *& falſum teſtimonium dicant.* Et infra. *Et adductis duobus viris filiis diaboli dixerunt contra eum teſtimonium coram multitudine.* Ideſt ipſum impiè calumniati ſunt. Vocat eo *filios Belial, filios diaboli.* Quia calumnia verè diabolica eſt, nulli peiores calumniatoribus. Et ut ad noſtra Gregor. tempora accedamus, in vitâ Fortunati Epiſcopi Tudertini fertur quod pius hic Præſul, cùm quemdam diabolum ab homine expuliſſet: dæmon formam peregrini aſſumpſit & paſſim cum clamore incedens cœpit conqueri, quod Fortunatus Epiſcopus (qui ab omnibus hoſpitalis habebatur) ſe ab hoſpitio ſuo expuliſſet, variiſque injuriis affeciſſet. Quidam his malignis rumoribus nimis credulus, ut ſe hoſpitaliorem Epiſcopo oſtenderet, eum in domum ſuam excepit. Cùm autem frigeret ignem ſtruere cœpit, cui cum dæmone aſſidens, dæmon eò liberius Fortunatum calumniatus eſt, qui ut ſuum auditorẽ apertis auribus calumnias libenter excipere animadvertit. Statim parvulus hoſpitis ab eo poſſeſſus & vertiginoſo volatu in prunas ſe immiſit mortem ſibi inferre volens. Parens infœlix videns ſe unico filio orbari cognovit calumniam eſſe crimen diabolicum, non tantùm in eo qui ſanctorum vitam cavillatur, ſed etiam qui cavillanti faciles aures arrigit. Hoc vitium vulgare eſt Sycophantis, qui non tantùm vitia, ſceleraque graviſſima ſolent piis imponere, ſed etiam virtutes in ſcelere commutare humiles vocando hypocritas, ſimplices appellando fatuos, non jejunantes nominando guloſos, qui delinquentes corripiunt proclamando duros, aſperos, &c. Hoc calumniæ vitium hæreticis familiare eſt: maximè contra orthodoxæ fidei propugnatores & conſervatores præcipuè ſummos pontifices: contra quos petulantiſſimè ac impudentiſſimè quidquid infame eſt & inglorium excogitant.

3. reg cap. 21. v. 16.

XXXIII Vix in ullum Pontificem Romanũ magis toxicatæ ſpicula vibrarunt quàm in Gregorium VII. Nam (ut animadvertit Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano cap. 13.) Bibliander in Chronico ait illum eſſe Gog, Principum Magog. Illas calumnias ſigillatim inſpiciamus. Primo præfati hæretici aſſerunt Gregorium evectũ fuiſſe ad ſummum Eccleſiæ apicem armatâ manu ſibi pecuniis comparatâ, ſed id falſum eſſe patet ex formâ præfixâ ejuſdem regiſtro, & relatâ à Platinâ de quâ ſupra. Item ex aliis.

Secundò contendunt eum fuiſſe conſecratum & coronatum Pontificem Imperatoris authoritate, ſed nõ expectatâ, vel attentâ ejuſmodi authoritate fuiſſe conſecratum, ex eo patet primò quod eius prædeceſſores Stephanus IX. Nicolaus II. Alexander II. Romani Pontifices ſine ullius Imperatoris authoritate fuerunt inaugurati, & conſecrati. Tantùm abeſt ut ab eorum veſtigiis vel minimùm aberraverit, quin immò illis potius mordicus inhæſit, nè Eccleſia minimum ſuę authoritatis diſpendium acciperet. Deindè ſi cùm eſſet privatus tam ſtrenuè & tam diu pro recuperandâ Eccleſiæ Romanæ pace laboravit, certè ad Pontificatum provectus indignum duxiſſet ab incœpto deſiſtere, aut inaugurationem & conſecrationem ſuam ad Imperatoris referre authoritatem.

XXXIV Tertiò ſuas calumnias etiam jaculantur in Mathildem Virginem piiſſimam, ac caſtiſſimã ſingulari in Deum pietate ac devotione, quæ ob munificentiam in Romanam Eccleſiam politicis, & hæreticis exoſa reddita eſt. Ferunt enim Gregorium ita ejus amore flagraſſe, ut permiſerit illã intereſſe Cõcilio Lateranenſi. ſed falſum eſt, quia Gregorius VII. in eo Eccleſiæ libertatem reſtituit. Inter alia prohibuit ſub pœnâ anathematis omnibus laicis cujuſcumque eſſent dignitatis, conferre ſacerdotium ſeu dig-

pitatum Eccleſiaſticarum inveſtiturā ſeu collationem, ita ut qui daret, & qui acciperet anathemate plecteretur. Statuit nè Clerici uxores ducerent, & qui haberent eas aut ſacerdotium dimitterent. Nè quiſquam ſacris Ordinibus initiaretur qui non profiteretur Cœlibatum perpetuum. Cujus decreti litteras miſit ad omnes Epiſcopos prohibens illis mulierum contubernium. Quod tunc temporis Mathildis Romæ eſſet, & à ſummo Pontifice magno in honore ob egregias animi dotes haberetur, non dubito: quod vero ſacræ illi Synodo interfuerit & ſuum calculum dederit omninò alienum eſt à ratione. Sigonius quidem ait lib. 3. de Regno Italiæ anno 1074. *Proximis quadrageſimis diebus frequentem Epiſcoporum conventum in Laterano convocavit, cui Mathildis quoque & Giſulphus Salernitanus princeps interfuit, atque ad eum de Sacerdotiis, de Clericis atque Normannis qui Marchiam Firmianam Eccleſiæ ditionis invaſerant, retulit.* Sed vocabulum *interfuit*, non denotat inſtar Epiſcoporum ſententiam dixiſſe: ſed cùm non tantùm de rebus Eccleſiaſticis ageretur, ſed etiam de Normannis invaſoribus bonorum Eccleſiæ, Comitiſſa Mathildis militarem manum Eccleſiæ obtulit.

Sigonius

XXXV In odium Eccleſiæ ſanctæ quidam Gregorium accuſant legitima matrimonia prohibuiſſe, & maximè Mathildis cum Azone Marchione. Sed Baronius ad annum 1070. art. 38. rectè docet Mathildem nunquam nupſiſſe Azoni, ſed de aliâ Mathilde intelligendum eſt. Nam noſtrâ, de quâ hic ſermo eſt (Domnizone præsbytero ejus vitæ ſcriptore) nupſit Godefredo cognomento ob corporis deformitatem Gibberto, vel ſtrumoſo filio Godefredi barbati, mariti Beatricis ex aliâ uxore, quem Lambertus Gozelonem appellat, & qui in Ducatum Lotharingiæ Patri ſucceſſit. Sed paulò poſt, necdum conſummato matrimonio factum eſt inter eos divortiū, Mathildiſque virgo permanſit. Bertoldus Conſtantienſis in appendice ad Hermannum ſcribit nupſiſſe Welphoni duci nepoti Azonis Marchionis Ferrarienſis ſubdens. *Et hoc utique non tam pro incontinentiâ, quàm pro Romani Pontificis obedientiâ, videlicet ut tantò viriliùs ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contra ſchiſmaticos poſſet ſubvenire.* Licet ergò fuerit inducta ad matrimonium, hæc tamen nunquam voluit viro cōmiſceri. Vt notat Bertholdus anno 1095. Vndè præfatus Dominizo præsbyter Mathildis individuus comes, & cui morienti parentavit, ait illam meruiſſe juxta parabolam Evangelicam centeſimum fructum, poſt trigeſimum & ſexageſimum, tres vitæ ejus ſtatus exprimens. Fuit enim nupta, vidua, & virgo. Hæc tamen pia & pura virgo graviſſimas à Schiſmaticis calumnias paſſa eſt. *Hi quoque* (inquit Bertholdus anno 1085.) *Mathildem prudentiſſimam ducem & fideliſſimam ſancti Petri filiam militem multis injuriis affecerant in Italiâ. Illis autem divinâ animadverſione de medio ſublatis ipſa ſuam poteſtatem recuperavit, & ſanctæ Dei Eccleſiæ in omnibus adminiculari non ceſſavit, ſicq; ejus providentiâ Mutinenſi Eccleſiæ & Rhegienſi atque Piſtorienſi Catholici paſtores ordinati ſunt.* Qualiter obierit audi Sigonium lib. 10. de regno Italiæ anno 1115. *Mathildis in morbum lapſa per ſeptem menſium ſpatium eſt graviſſime conflicta, &c. Demùm Kalendis Auguſti annos ſex & ſeptuaginta nata mortem vita ſanctiſſimè acta congruentem oppetiit. Mulier non ſolum egregiâ pietate ac religione omnium & ſui, & ſuperiorum ſæculorū mulierum præſtantiſſima, ſed etiam publicis operibus, arcibus, pontibus, viis, templis, monaſteriis in Lombardiâ extructis, belliſque aſſiduis pro tuendâ Eccleſiæ authoritate adminiſtratis ſingularibus laudibus in perpetuum celebranda.*

Quartò, quidam cum Magdeburgenſibus ſcribunt Henricum IV. Imperatorem fuiſſe à Gregorio VII. injuſtè excommunicatum. Vt ejus calumniam facilius refellamus, ejus vitam à puero expendamus. Conradus Abbas Vrſpergenſis anno 1068. *Henricus* (inquit) *Rex adoleſcentiæ uſus libertate, Saxoniam ſolum ex omni Romano Imperio cœpit incolere, principes deſpicere* XXXVI

deſpicere, nobiles opprimere, inferiores ſubtollere, venatui, luſibus, cæteriſque hujuſmodi exercitiis pluſquam juſtitiis faciendis (ut incuſatus eſt) operam dare filios illuſtrium, quibuſlibet obſcurè natis conjungere, privata præſidia) nimirùm potentibus regni non ſatis fidens) inſtituere. Aventinus licet proteſtantium ſeu hæreticorum partibus favens, refert quod reliquum vitæ ſuę ad omnia vitiorum genera perpetranda impenderit lib. 5. annalium Boiorum. *Henricum ſtupris, amoribus, impudicitia & adulteriis flagraſſe infamiâ nec amici negant.* Trithemius in Chronico Hirauſienſi refert Henricũ variis ſimoniis addictum fuiſſe, nam non tantùm invito pontifice inveſtituras ſeu collationes beneficiorum,

Trithem. & Sacerdotium ſibi vindicavit, ſed etiam divendidit, ipſaque Monaſteriorum prædia ſuis domeſticis turpiter diſtraxit. *Stephanus* (inquit) *Halberſtatenſis Epiſcopus vir doctus & ſanctus ſemper Henrici IV. ſcelera deteſtatus cum Romanâ Eccleſiâ optimè ſenſit, ſcripſit ex perſonâ comitis Ludovici fidelis Eccleſiæ Romanæ ad Walranum Epiſcopum Naumburgenſem, qui partes Henrici Imperatoris IV. contra obedientiam ſummi Pontificis pertinaciter defendebat Epiſtolam non minus elegantẽ quàm prolixam: in quâ cunctos errores, crimina, & ſcelera ipſius Henrici Regis tam apertè deſcribit, ut nulla deinceps potuerint excuſatione negari. Inter cætera verò ejuſdem epiſtola ſic dicit ad Walramum defenſorem Regis ſchiſmatici & excommunicati. Audi vera, non fucatà, audi fortia, non faceta.* Poſt enumerata flagitia, ſubdit. *Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolicâ ſede excommunicatus, nec regnum, nec poteſtatem aliquam ſuper nos quia Catholici ſumus poteris obtinere.* Tot ſcelera Henrici materiam excommunicatio-

Calvin. nis ſuperabundantem Gregorio VII. ſubminiſtraſſe fatetur ipſe Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 11. §. 13. *Imperator Henricus hujus nominis IV. homo levis & temerarius, nullius conſilii, magnæ audaciæ, & vitæ diſſolutæ Epiſcopatus totius Germaniæ habebat in aulâ ſuâ partim venales, partim prædæ expoſitos.* Marianus in Chronico anno 1076. ſcribit. *Gregorius querimoniis & clamoribus Catholicorum juſtis adverſus Henricum, & ſcelerum ejus immanitatem* Marian.
auditis zelo Dei accenſus jam dictum regem excommunicatum pronunciavit, maximè propter ſimoniam. Quod factum quidem viris benè placuit: ſimoniacis verò ac fautoribus regis nimium diſplicuit. Vbi hoc excommunicationis decretum innotuit plerique Principes Henricum averſari cœperunt, ut narrat Sigonius lib. 9. de regno Italiæ anno 1076. *Itaque cum ille in die Pen-* Sigonius
tecoſtes conventum Wormatiæ indixiſſet nulli occurrerunt, & cùm alterum Moguntiæ in feſtum ſancti Petri advocaſſet, pauci admodum acceſſerunt, ſine dubio, nè abſentorum colloquio intereſſent. Verùm privatis interim inter ſe conciliis motis ad extremum ultrò circa Kalendas Octobris apud Oppenhem convenerunt, ibique libertatem loquendi nacti, palam ſe ſubjectos eſſe Henrico negarunt: quod à duobus Pontificibus communione piorum expulſus non ſatisfeciſſet, ac demum in Conventu Romano regiâ poteſtate privatus eſt. Hanc verò excommunicationem juſtè latam fuiſſe teſtatur Hiſtoria Guilelmi Epiſcopi Trajectenſis, qui cauſam Henrici nimis pertinaciter tuebatur. Lambertus Schafnaburgenſis Guilelmo coætaneus hæc ſcribit. *Guilelmus Trajecten-* Lābert.
ſis Epiſcopus cauſam Legis contra bonum & æquum obſtinatè tuebatur, & ſtudio partium Regis multa in injuriam Rom. Pontificis omnibus penè diebus ſolemnibus inter Miſſarum ſolemnia rabido ore declamabat, perjurum eum adulterum & pſeudo-apoſtolum appellans: & tam à ſe quàm à cæteris Epiſcopis ſæpè numero excommunicatum pronuncians, poſteaquam rex exactis Paſchalibus feriis Trajecto diſceſſerat, repentè graviſſimâ ægritudine correptus eſt. Cùmque per acerrimos cruciatus animæ & corporis urgeretur miſerabili ejulatu, coram omnibus qui aderant, vociferabatur, juſto Dei judicio ſe, & præſentẽ Dei vitam amiſiſſe, & æternam. Quod Regi ad omnia, quæ perperam intendiſſet, operam ſuam ſummo anniſu præbuiſſet, atque in ſpem gratiæ ejus Romano Pontifici ſanctiſſimo & Apoſtolicarum virtutum viro graves contumelias ſciens & prudens innocenti

irregiſſet. In hanc vocem (ut aſſerunt) ſine communione, ſine ullâ ſatisfactione expiravit. Idem ferè habet Paulus Langius in Chronico Citicenſi anno 1079. Ex Annalibus Eccleſiæ Magdeburgenſis ubi inter alia tandem ſcribit. *Nam in ipſo loco, in quo Romano Pontifici derogabat, ipſe malè ægritudine corripitur in quâ uſque ad miſerrimũ vitæ terminum detinetur. Itaque morbo magis ac magis ingraveſcente, dum quidam homo Regis eum rogaret, ut ſe cum ſuo mandato remitteret ad regem. Hoc* (inquit) *mitto ei mandatum, quod ipſe, & ego, omnes iniquitati ejus faventes ſumus damnati in perpetuum. Cùmque à ſuis qui aderant, Clericis, nè talia loqueretur eſt admonitus: quid aliud, inquit, loquar niſi quod verum eſſe viſibiliter intueor? Ecce enim dæmones lectum meum circumſtant, quatenus me mox ut expiravero rapiant.* Ibidem refert plurimos ſchiſmaticos Henrico excommunicato adhærentes malâ morte periiſſe. Quæ omnia ſatis patenter teſtãtur quanta foret Gregorii VII. ſanctitas, & quomodo non ſint ſpernendę cenſurę ſed extimeſcendę.

Paulus Langius

XXXVII Quintò. Aliqui Duce Bennone aſſerunt Gregorium VII. Berengarii partibus faviſſe, ſaltem indixiſſe jejunium, ut Deus patefaceret quis rectius ſentiret de Sacramento Euchariſtiæ, an Romana Eccleſia, an verò Berengarius: quæſiviſſe à Deo ſignũ, quod olim petente S. Gregorio ad firmamdam mulieris fidem acciderat *Quando Panis Chriſti formam accepit digiti.* Nec tamen obtinuiſſe. Item eundem Pontificem divina reſponſa quærentem contra Henricum regem Sacramentum corporis Domini præſentibus & contradicentibus Cardinalibus in ignem conjeciſſe. Sed hæc omnia eſſe falſiſſima ex eo patet, quod in Synodo Romanâ anno 1079 celebratâ ſub Gregorio anno ſexto ejus pontificatus, Berengarius jam octogenarius ſæpè reſipiſcens, & ſæpè relapſus, iterùm veniam rogavit, & palam omnibus hæreſim abjuravit, ſolemniquè juramento profeſſus eſt fidem Catholicam de ſubſtantiali cõverſione in ſubſtantiam, ſeu verum corpus & ſanguinem Chriſti per conſecrationem. Gregorius Pontifex eidem prohibuit nè ullam unquam de eâ re moveret diſputationem, niſi ut ad fidem reduceret, quos ſubduxerat. Vt patet ex libr. 6. Regiſtri ejuſdem epiſt. 17. Noſter Thomas Waldenſis tomo 2. de ſacramentis cap. 43. etiã ſententiam refert quam in dictâ Romanâ Synodo Gregorius VII. contra Berengarium tulit. Cœterùm quid Gregorius VII. de illo Sacramento ſenſerit, & quantã devotione erga illud ferretur, colligere eſt ex epiſt. 47. lib. 1. ad Mathildem Comitiſſam, ubi hortatur eam ad frequentem illius ſuſceptionem.

Sexto: Alia mendacia contra Gregorium fingunt, ſcilicet fuiſſe Simoniacum, adulterum, homicidam, &c. Sed quomodò ſanctus ille Pontifex tali ſimoniæ labe aſperſus fuiſſet, qui ita Henricum IV. punivit ob ſimoniam? Quo animo potuiſſet in Concilio Lateranenſi legem ferre ſub pænâ anathematis contra omnes, cujuſcumque forent dignitatis, nè quis dignitatum Eccleſiaſticarum inveſtituram conferret, vel acciperet? Quomodò prohibere Clericis conjugium? prohibere mulierum ſocietatem? Calumniatores ſufficienter convincuntur per miracula quæ Sanctiſſimus ille Pontifex ante & poſt mortem edidit. Horum aliqua recenſet Baronius ad annum Chriſti 1085. & quidem ſimilia ab eo patrata quæ ab Apoſtolo. Quemadmodum ſemicinctoria ſudariaį Pauli fideles plurimos languore curabant, dæmones fugabant, ita Gregorii indumenta. XXXVIII.

Sic tantùm abeſt, ut Schiſmaticorũ & æmulorum machinamenta ejus gloriam remiſerint, quin imò majus illi incrementum attulerunt. Ita ut his D. Hieronymi verbis epiſt. 25. apud Auguſtinum affari illum liceat. *Macte virtute in orbe celebraris Catholice, te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atque ſuſpiciunt, & quod ſignum majoris gloriæ omnes hæretici deteſtantur, & me pari proſequuntur odio.* Quaſi diceret, tantùm abeſt ut tenebris infamiæ obvolvant, quin potiùs te illuſtriorem reddunt. Joannis cap. 5. verſ. 10. poſtquam Chriſtus paraly- XXXIX.

Hieron.

paralyticum curavit. *Dicebant Iudæi*
Ioan. c. *illi qui ſanatus eſt Sabbathum eſt, non*
5. v. 10. *licet tibi tollere grabatum tuum.* Cur
in illum hominem invehuntur, & cō-
ſequenter Chriſtum carpunt? debuiſ-
ſent potius illi homini cōgratulari qui
poſt 38. annos infirmitatis tam integrā
ſanitatem recuperaverat & Chriſtum
laudare ob præſtitum illi tantùm be-
neficium? Econtra non laude, ſed vi-
tuperio: non encomio, ſed cenſurâ
dignos judicant. Et tamen dum Chri-
ſti gloriam tenebris ſuæ calumniæ of-
fundere volunt eam clariorem effi-
ciunt. Maldonatus ibi: *Conſtat ex hoc*
loco Chriſtum Iudæorum ſtultitiâ & re-
prehenſione ad illuſtrandam gloriam
Dei, & miraculi magnitudinem uti vo-
luere. Fecit enim ſtulta illa reprehenſio,
ut miraculum quod paucis videntibus
factum fuerat, in totam, dum reprehen-
ditur civitatem evulgaretur. Quod in
vero Chriſti corpore factum eſt; id
poſtea factum eſſe in corpore ejus
myſtico, & in capite ejus ſacræ teſtan-
tur hiſtoriæ. *Id hodieq;* (inquit Maldo-
natus) *accidit, quo magis hæretici ho-*
mines invidi atque maligni Dei gloriā,
Maldō. *Eccleſiæ doctrinam, bonorum hominum*
opinionem obſcurare nituntur; eo magis
nolentes illuſtrant. Id ante illum ele-
ganter dixerat D. Gregorius libr, 6,
Moralium cap. 13. ubi de Chriſto &
membris ejus. *Perſecutores peregerunt*
Gregor. *hoc, quod pernicioſâ moliti ſunt intule-*
runt mortem, ut ab eo abſcinderent fide-
lium devotionem: ſed indè fides crevit,
undè hanc ſe extinguere infidelium cru-
delitas credidit. Cumque ſe exiſtimant
ejus miracula perſequendo abſcindere,
hæc nimium compulſi ſunt neſciendo di-
latare. Huc adduci poſſunt quæ Iuſtus
Lipſius. Lipſius etiam probat ratione naturali
lib. 2. de conſtantiâ cap. 11. ubi oſten-
dit quod clades mundum non de-
ſtruant, ſed aſtruant, ſed ornent. *Orna-*
tum nullum in hac vaſta machina conci-
pio, ſine varietate, & diſtinctâ viciſſitu-
dine rerum. Solem illum pulcherrimum
fateor, ſed gratiorem tamen cum roriſlua
nox facit, & pallium obductum nigra
matris. Æſtatem amœniſſimam, ſed quam
hiems commendat & glacialia illa mar-
mora & canæ nives. Quæ ſi tollis, reve-
ra ſenſum gaudiumque intimum tollis
ſivè lucis, ſivè æſtus. Nihil magis in Ec-
cleſiâ familiare eſt quàm ut mali inicii
eam perſequentes eidem ſerviant, &
militent, & victoriæ ejus palmas &
coronas parent.

Joannem XXII. quidam hæreſeos XXXX
notâ inurunt aſſerentes ipſum docuiſ-
ſe quod animæ ante reſurrectionem
non viſuræ ſint Deum. Sed paſſim
Catholici reſpondent id ſenſiſſe, ut
privatum doctorem, in quâ etiam ſen-
tentiâ aliqui Patres fuêre. Sed non
definiviſſe ut Pontificem prout etiam
ſcribit Ioannes Villanus lib. 10. cap.
230. illi contemporaneus. Addunt
quod Benedictus XII. ſucceſſor Io-
annis XXII. in publicâ ſuâ conſtitu-
tione quam refert Alphonſus à Ca-
ſtro, verbo *Beatitudo*, hæreſi ſextâ te-
ſtatur Ioannem pontificem multis
Prælatis & Magiſtris in Theologiâ in
Conſiſtorio diſtrictè mandaſſe, ut in
eâ quæſtione unuſquiſque deliberatè
diceret quid ſentiret. Nam ad deciſio-
nem ejuſmodi concertationum ſe
diſponebat. *Tamen morte præventus*
perficere nequivit. Inquit Benedictus
papa de hâc materiâ apud Bellarmi-
num lib. 4. de Romano pontifice
cap. 14. & lib. 1. de Beatitudine San-
ctorum cap. 2. ubi notat Calvini mē-
dacia & ea refellit. Item apud Sande-
rum lib. de viſibili monarchiâ Eccle-
ſiæ num. 1006, &c.

Eundem Ioannem quidam taxant, XXXXI.
quia apud quoſdam Antropomor-
phitas declaravit, & judicavit cremā-
dos quoſdam qui in finibus Bohemiæ
& Auſtriæ divinam majeſtatem ſeu
Trinitatem depingebant in ſpecie ſe-
nis, Adoleſcentis & Columbæ, ut ad-
huc paſſim Catholici: quâ cenſurâ
videntur in Eccleſiâ uſum imaginum
abrogaſſe. Reſpondent Bellarminus
lib. 2. de reliquis & imaginibus ſan-
ctorum, & alii, ideò illos condemna-
tos fuiſſe quaſi Antropomorphitarū
ſequaces, quia aſſerebant Deum eſſe
naturæ corporeæ, coloribusque ac
lineamentis poſſe depingi. Omnes
verò Catholici depingunt Deum ſeu
ſanctiſſimam Trinitatem non ſecun-
dùm formam ejus propriam, quæ eſt
inviſibilis & incorporea, ſed cū ſcrip-
turâ exhibet ſub velamine rerum cor-

ſoport. Nam ſi cuncta, quæ Chriſti gratiâ plenus virtutibus atque fide ſanctitatis opera geſſit & moribus, vitâq; docuit, & implevit, chartis inſerere volumus, prius fortaſſe membrana quàm ſermo deficeret. Ottho Phriſingenſis libr. 6. cap. 3. vocat. *Religioſum, ac Dei zelo plenum ſacerdotem.* Rhegino non tantùm cenſet D. Gregorio adæquandum, ſed etiam ipſi Eliæ, lib. 2. chronic. ad annum 866. *Nicolaus* (inquit) *Sanctiſſimus & Beatiſſimus Papa, poſt multos pro Chriſto labores, & multa pro ſanctæ Eccleſiæ inviolabili ſtatu certamina migravit ad Cœleſtia regna.* Infra *Denique poſt D. Gregorium uſque in præſens nullus Præſul in Romanâ urbe Pontificali honore ſublimatus illi videtur æquiparandus. Regibus ac tyrannis imperavit, eiſque ac ſi Dominus orbis terrarum authoritate præfuit. Epiſcopis ac Sacerdotibus, Religioſis ac Domini mandata obſervantibus humilis, blandus, pius, manſuetus apparuit. Irreligioſis, & à recto tramite exorbitantibus terribilis atque auſteritate plenus extitit: ut meritò credatur alter Elias (Deo ſuſcitante) noſtris temporibus reſurrexiſſe, & ſi non corpore tamen ſpiritu & virtute.* Idem ad annum Chriſti 868. *Stultitiæ quidem elogio denotandi qui illam Petri ſedem aliquâ pravo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit, nec ab aliquo hæreſi unquam falli potuit.* Illi ſubſcribens Sanderus lib. 7. de viſibili monarchiâ Eccleſ. §. 649. *Hic manifeſtè apparuit, quam neceſſarium ſit, non modò, ut unus ſummus Pontifex Eccleſiæ toti præſit, verùm etiam ut is à Spiritu ſancto gubernetur, ut Eccleſiam in re quapiam graviſſima errare non permittat, alioqui partim vi ac tyrannide, partim opibus & blanditiis principum juſtitia penitus extingueretur.* Si in re quapiam Eccleſia deficere nequit ſub ſanctiſſimo regimine Pontificum Romanorum quomodò errare perhibentur?

Ottho Phriſin. Rhegino

XXVI Non omittunt hæretici Stephanũ VI. ſecundùm alios VII. qui Formoſi papæ cadaver è ſepulchro extrahens, atque in ſedem Romanam Põtificis ſacerdotalibus veſtibus indutũ collocans, cum tanquam viventi exprobraſſet, quod nimiâ ambitione ex Portuenſi Epiſcopo ſedem Apoſtolicam occupaſſet: illud ipſum damnatum, ſacriſque ſtatim exutum veſtibus ac tribus digitis mutilatum quibus benedicere ſolent Pontifices, in Tiberim projecit, imò quod ad præſens argumentum facit omnes quos idem Formoſus ordinaverat gradu depoſitos iterùm ordinavit. Ejuſdem Formoſi acta Sergius III, poſtea iterùm irritavit. Ad hæc dico Stephanum & Sergium erraſſe in facto, non in jure, erraſſe in exemplo & moribus non in fide & doctrinâ. Undè licet Stephanus ita ſacrilegè egerit cum Formoſo, tamen nullus Epiſcopus ſedium principalium ab obedientiâ Romani Pontificis ſe ſubduxit. Quare meritò dici poteſt hæreticis illud divi Auguſtini lib. 2. contra litteras Petiliani cap 51. *Si omnes per totum mundum tales eſſent, quales vaniſſimè criminaris, Cathedra tibi, quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in quâ ſedes Petrus, in quâ hodie Anaſtaſius ſedet, &c.* Quaſi diceret aliud eſt docere, decernere, aliud facere, aliud eſt jus, aliud exemplum. Quæcumque Stephanus Chriſti Vicarius dicit, quæcumque decernit in materiâ fidei, facite, obtemperate illi. At quæcumque facit, nolite viciſſim facere, nolite illum imitari. Quod confirmat cap. 61. *Non propter Phariſaos præcepit Dominus deſeri Cathedram Moyſi, in quâ utique figurabat ſuam, dicens quippe illos ſuper Cathedram Moyſi ſedentes, dicere & non facere: monet tamen populos facere quæ dicunt, & non facere quæ faciunt, nè Cathedræ ſanctitas deſeratur, & propter paſtores malos gregis unitas dividatur.* Expende illa verba. *Nè Cathedræ ſanctitas deſeratur, &c.* Quaſi diceret, non debemus ſuſpicere ac morem gerere Sedi Romanæ quia Stephanus, &c. in eâ ſedens ſanctus eſt, ſed quia ipſa ſancta eſt, ſivè enim qui in illâ ſedet ſtudioſus, ſivè vitioſus ſit, ſivè virtutis, ſivè vitii exemplum det, quæ docet, quæ decernit ſequi oportet, non quæ facit. Si quæ mala operetur, non oportet ſedi Apoſtolicæ irrogare injuriam, & illi obedientiam detrectare, quia ibi ſedens Stephanus malè agit & capitali odio Formoſum proſequitur.

Auguſt.

Ideò

Bellar. Ideò ſecundùm Bellarminum lib. 44. de Pontifice Romano cap. 12. Formoſi corpus è ſepulchro extrahi juſſit, quia exiſtimavit nunquam fuiſſe legitimum Pontificem, ideòque ejus acta debere eſſe irrita, ſuſceptosque ab eo ordines nullos. An autem Formoſus fuerit legitimus Papa, nec nè, eſt quæſtio facti in quâ Pontifex errare poteſt, & ſic errarunt Stephanus, & Sergius. Vndè iidem Stephanus & Sergius nullum decretum ediderunt, quo decernerent ordinatos ab Epiſcopo degradatos eſſe iterùm ordinandos: ſed duntaxat præcepiſſe eos iterùm ordinari: quod præceptum proveniebat ex odio, non verò ex ignorantiâ vel hæreſi. Sigebertus in chro-
Sigeber. nico anno 903. ait Stephanum reclamantibus ferè omnibus per vim exordinaſſe eos, qui à Formoſo fuerant ordinati. Quemadmodum igitur qui committit adulterium vel fornicationem, non ideò hæreticus cenſendus niſi hoc judicet eſſe licitum ex errore quem habet in intellectu, (nam hæreſis eſt error in intellectu) ſic ex odio quo Stephanus proſequebatur Formoſum non autem ex perverſo judicio, ita cum eo egit. Aliqui exiſtimant Stephanum non exordinaſſe, ſed tantùm ab uſu & exercitio ordinum prohibuiſſe. Quibus favet Sigebertus loco citato ſcribens Stephanum non fuiſſe præſumptum eos iterùm conſecrare. Quod de cadavere Formoſi è ſepulchro eruto ſcribitur. Onuphrius potius fabulæ aſcribit, quàm hiſtoriæ veræ.

XXVII Eſto vera ſit hiſtoria, & Stephanus id ſtatuerit in aliquâ Synodo: hæc non fuit legitima, quia Concilium legitimum cenſetur in quo ſententiæ Epiſcoporum non extorquentur per vim (ut à Stephano factum eſt) non adhibitis minis vel blanditiis, ſed per vim. Hinc Romana Eccleſia ſemper recenſuit Formoſum inter legitimos Pontifices, nullumque Concilium cõtrarium ſtatuit. Nec refert quod in Concilio Ravennate Joannes XI. vocet Stephanum ſuum prædeceſſorem *piæ recordationis*, ita enim eum nominat ob reverentiam. *Hic conſidera* (inquit Baronius ad annum Chriſti 904. art. 4.) *Lector, quanta ſolerent ſucceſſores Pontifices, quantumcumque repræhenſibiles prædeceſſores reverentiâ proſequi, ut Ioannes Stephanum ſuum prædeceſſorem tum ſedis invaſione, tum etiam ſeſſione in omnibus planè execrandis facinoribus deteſtabilem, piæ tamen recordationis Stephanum appellet.* Non ergò illis verbis utitur *piæ recordationis*, propter impietatem commiſſam in Formoſum, ſed ob ſanctitatẽ Pontificiæ dignitatis.

De Sylveſtro II. mira proferunt Romanæ ſedis hoſtes. Scribunt enim illum fuiſſe magum, & necromanticũ, magicisque artibus adeptum eſſe Romanam ſedem, & conſequenter hæticum. Nam ut plurimùm Necromantici ſunt infideles & dæmonem pro Deo colunt. Primò quid de hoc Sylveſtro ſentiat Baronius ad annum Chriſti 999. art. 2. audiamus. *Illud omninò affirmare poſſumus nullum hactenus in Petri ſedem fuiſſe promotum, qui eandem ſcriptis ita prævaluerit ut Gerbertus.* Sic enim vocabatur. Quomodò autem in ſede ſe geſſerit pro manutentione Eccleſiæ idem ad annum 1003. art. 3. *Etſi ipſum ad conciliandos ſibi in Eccleſiâ gradus ſuperiores ſemper vidimus inhiaſſe: potiùs tamen illis, munus explere quod eſſet conſecutus omnibus numeris conatus eſſe videatur: ita ut nè leviſſima prætermitteret in his quæ ſpectant ad defenſionem Eccleſiæ jurium.* Et infra art 7. *Nè ſileatur de ipſo, quod de ejus epiſtolis conſequi licuit ejusque laudi cedit; cultorem fuiſſe ſanctorum virorum tum viventium, nimirum ſancti Majoli Cluniacenſis Abbatis, Eberardi æquè magnæ ſanctitatis viri & aliorum tunc eodem nomine florentium, cupidumque fuiſſe monaſticæ obſervantiæ, malorum verò acerrimum correctorem.* Quæ verò de illo dicuntur Bellarminus lib. citato cap. 14. ait eſſe fabuloſa. Occaſio iſtius fabulæ accipe ex Baronio ad annum Chriſti 999. *Eſt inopinata illius promotio & continuata proſperitas. Aliqui enim exiſtimarunt & ſcripſerunt magicis incantationibus fuiſſe promotum ad Pontificatum pactâ dæmoni pro mercede animâ, quam ſtatuto loco Hieroſolymis, ſic dicta in urbe ſancta Crucis Eccleſia, exactor violentus*

XXVIII

Baron.

violentus extorſerit. Quæ fabula ut auribus ſimplicium facilius ingereretur faciebat ignorantia illius ſæculi, & hujus Gerberti nimia cupiditas ſæcularium. Nam Philoſophiæ, Mathematicæ, & præcipuè Aſtrologiæ erat ſtudioſiſſimus & ſcientiſſimus. Hanc occaſionem nactus eſt Benno ſchiſmaticus, qui ſe Cardinalem Archipræsbyterum nominat, ut de illo tam abſurda & monſtruoſa fingeret. Cæterùm omnes qui ſub ejus pontificatu vixerunt, honorificè de illo loquuntur, inter eos Ditmarus ſcriptor optimæ fidei, Epiſcopus Merſeburgius in Saxoniâ. Helgaldus Monachus Floriacenſis diſcipulus hujus Gerberti, & vitam Roberti regis Francorum ſcripſit, epitaphium ejus ſepulchri inſculptum in Baſilicâ Lateranenſi à Sergio Papâ IV. viro ſancto & authore omnium conſenſu fideliſſimo, poſteriore tantùm quinque annis Gerberto. In quo epitaphio laudatur Sylveſter quaſi optimus Pontifex. Ex quo facilè colligere eſt eum non ita probrosè vixiſſe & obiiſſe, cùm à Coëtaneo tam inſigniter commendetur. Deindè narrationem de Sylveſtro eſſe fabuloſam ex eo conjicio, quod aliqui ſcribant illum perrexiſſe Hiſpalim Hiſpaniæ urbem, ut ibi bonas artes diſceret, magicamque artem ex libro furtim ſublato didiciſſe. Sed ex eo convincitur fictio, quod tunc Hiſpalis poſſideretur à Saracenis barbaris, qui nullas ſcientias colebant. Vndè miror quomodò Sigebertus & alii recentiores ita credant Bennoni impio & ſchiſmatico, & dubitent an Sylveſter II. debeat recenſeri inter Pontifices.

XXIX. Gregorii VII, virtutes celebrant varii Authores omnium nationum. Sanctus Anſelmus Cantuarienſis in epiſtolâ 8. & initio libr. de Azimo, S. Antoninus 2. part. tit. 16. cap. 1. §. 31. Martyrologium 25. Maii. Regiſtrum lib. 1. hujus electionis formã & vitam ejus explicat. *Nos ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Præsbyteri, præſentibus venerabilibus Epiſcopis & Abbatibus, Clericis & Monachis cõſentientibus pluribus turbis utriuſque ſexus diverſique Ordinis, acclamationibus eligimus nobis in paſtorem, & ſummum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum, virum religione, & doctrinâ, juſtitiâq; præſtantem, in adverſis conſtantem, in proſperis moderatum, pudicum, modeſtũ, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam benè regentem, in gremio hujus Eccleſiæ à pueritiâ educatũ & eruditũ, eumque poſthac eſſe & dici Gregorium VII. volumus & conſentimus.* Leo Oſtienſis lib. 3. hiſtor. Caſſinenſis multa de eo Pontifice refert, & cap. 53. meminit cujuſdã viſionis cœleſtis factæ cuidam Joanni dum Apoſtolicus ſacrum faceret. *Vndè* (inquit) *Deus in illâ viſione celeriter & hoc ipſum Papæ intimato ut conſtanter ſancti Spiritus nutum quod cœpit exequatur.* Hoc mãdatum accepit Gregorius cùm Romã diſcederet, &c. De illo etiam præclarè ſcribit Marianus Scotus libr. 3. Chronici ab anno 1075. uſque ad annum 1083. Bernardus Corbienſis in Apologiâ pro Gregorio teſte Trithemio in catalogo ſcriptorum. Faſciculus temporum anno 1085. ejus ſanctitatem commendat, eique multarum perſecutionum tolerantiam pro juſtitiâ Bertholdus attribuit ad eundem annum. S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis Gregorii VII. coëtaneus in in epiſtolâ ad Guibertum, qui tempore ſchiſmatis erat Antipapa dictus Clemens III. Hujus epiſtolæ meminit Abbas Vrſpergenſis in Chronico. Et quanta fides dicto Patri adhibenda ſit, oſtendit, dicens eum ſcientiâ & ſanctitate fuiſſe conſpicuum, ita ut ante & poſt mortem miracula ediderit. De eodem Gregorio Platina qui aliquos Pontifices ſatis imprudenter mordet, tamen de Gregorio. *Vir* (inquit) *Deo gratus, prudens, juſtus, clemens, pupillorum, viduarum patronus, atque unicus Eccleſiæ fortiſſimus & acerrimus defenſor, contra hæreticorum improbitatem, & malorum principum potentiam res Eccleſiaſticas per vim occupare conantium.* Platina. Noſter P. Lezana tomo 3. Annalium noſtri Ordinis ad annum 1073. uſque ad annum 1085. vocat, *Virum apud Catholicos laudatiſſimum.* Apud politicos tamen & ſectatores de mille criminibus calumniosè notatum. *Fuit* (inquit) *eximiæ virtutis Pontifex, reformationis Eccleſiæ amator, libertatis Eccleſiaſticæ defenſor acerrimus, & contra Eccleſiæ*

rebelles

rebelles immotiſsimus, etſi propterea nō potuerit evadere: ſi quidem ſacrilegi cujuſdam Romani Præfecti aggreſsione captus, arceque detentus fuit quouſque per populum tumultuantem & immane piaculum deteſtantem ereptus, & priſtinæ libertati reſtitutus eſt. At à ſchiſmaticis poſtea plura perpeſſus.

XXX Aliis omiſſis audiamus quid contra Lutheranos ultimo ſæculo Apoſtolicæ ſedis impugnatores Angli ipſi & Germani Authores ſentiant. Marianus Scotus Monachus Fuldenſis, qui floruit tempore Henrici VI. in Chronico anni 1575. comparat eos qui Gregorio adverſantur impios & Gregorium Eliæ, ejusque fautores. *Hæc & ſimilia nefanda & inaudita regis flagitia videntes & audientes fieri Catholici viri per id temporis in Eccleſiâ conſtituti, cum Prophetâ Eliâ zelo Domini zelantes pro domo Iſrael.* De eodem verò Gregorio ſpecialiter ibidem. *Gregorius qu rimoniis & clamoribus Catholicorum juſtis adverſus Henricum, & ſcelerum ejus immanitatem auditis Zelo Dei accenſus, jam dictum regem excommunicatum pronunciavit, maximè propter ſimoniam. Quod factum Catholicis quidem viris bene placuit, Simoniacis verò ac fautoribus Regis nimium diſplicuit.* Laudat Gregorii zelum Otthò Phriſingenſis lib. 6. cap. 34. imò non tantùm ejus zelum cōmendat, ſed exemplum, cōſtantiam. *Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonſtravit, ac fortis per omnia Athleta murum pro domo Domini ponere non timuit.* Quaſi diceret, hic caſtitatem, devotionem, liberalitatem, miſericordiam, &c. docebat non tantùm verbo, ſed etiam exemplo. De ejus conſtantiâ ſic iterùm loquitur cap. 32. *Hildebrandus ſemper in Eccleſiaſtico vigore conſtanſtiſsimus fuit.* Quanto dolore ejus mors totam Eccleſiam affecerit refert cap. 36. *Eccleſia tanto paſtore, qui inter omnes ſacerdotes & Romanos Pontifices præcipui Zeli & authoritatis fuit ornata dolorem non modicum habuit.* Expende illa verba, *inter omnes, &c.* Quaſi diceret, quemadmodum olim Elias inter omnes Prophetas, inter omnes populi rectores excelluit, ita & Gregorius inter omnes populi rectores excelluit, ſeu ita Gregorius inter omnes ſacerdotes & Pontifices ſuo zelo primum locum meruit. Non cedit Thomæ Cantuarienſi, Lamberto Tungrenſi, &c. Epiſcopis, non cedit ſuis prædeceſſoribus & ſucceſſoribus, qui pro Eccleſiâ Dei & ejus juribus conſtantiſſimè dimicarunt.

Scotus. Otho Phriſin.

Nauclerus volum. 2. generat. 37. *Vir fuit certè Gregorius religioſus, timens Deum, juſtitiæ ac æquitatis amator, in adverſis conſtans, qui præter Deum, in his quæ ad juſtitiam pertinebant nihil timuiſſet perficere.* Krantius in Metropoli lib. 5. cap. 20. vocat Gregorium VII. *Virum ſanctum.* Lambertus Schaffnaburgenſis in hiſtoriâ rerum Germanicarum. *Hildebrandi* (inquit) *conſtantia, & invictus adverſus avaritiam animus omnia excludebat argumenta humanæ fallaciæ.* Idem *Papa tam eximiè, tamq; Apoſtolicè vitam inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret, &c.* Ad hos Accedunt Gratianus circa annum 1150. referens decretum Gregorii quæſt. 6. canon. *Nos ſanctorum.* Guilelmus Tyrius circa annū 1180. Gotefridus Viterbienſis in Chronico ſuo univerſali parte 17. Sigebertus circa annum 1100. licet Henrico Imperatori faveat nullum Gregorio crimen objicit. Vincentius Bellovacenſis qui circa annum 1250. floruit in ſpeculo hiſtoriali lib. 25. cap. 44. ait Gregorium dono prophetiæ & miraculis claruiſſe. Eum honorificè citat D. Thomas 2. 2. quæſt. 12. art. 2. Noſter Thomas Waldenſis tomo 2. cap. 43. S. Antoninus 2. part. ſummæ hiſtorialis tit. 16. cap. 1. §. 2. Martinus Polonus circa annum 1300. in vitâ ejuſdem Gregorii. Joannes Villanus lib. 4. hiſtoriæ Florentinæ. Blondus circa annum 1400. decade 2. libr. 3. Æneas Sylvius in compendio Blondi. Palmerius in chronico. Sabellicus Æneade 9. lib. 3. Volateranus lib. 22. Antropologiæ de eo etiam ut ſanctiſſimo ſcribit. Tantus vir nequivit calumniatorum calumniam evadere. XXXI.

Naucl.

Omnium calumniatorum Coriphæus eſt Benno pſeudo-Cardinalis, XXXII.

non

non à Gregorio VII. vero pontifice, ſed à pſeudopapâ Guiberto dicto Clemente III. creatus eo temeritatis progreſſus eſt, ut ſanctum illum Pontificem calumniis impetere auſus fuerit, adeò verum eſt, quod ſcribit divus Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace in laudem S. Baſilii. *Nulli omninò parcit murmuratoris lingua, nec viles tantùm ac plebeios, ſed etiam præſtantiſsimos quoſque viros momus attingit, ut ſolius Dei ſit omni peccato atque animi perturbatione vacare.* Cur ita in præclarum illum Pontificem debacchatur? ut illum debitis honoribus & encomiis privet. Theologi docent calumniam eſſe, *Vitium diabolicum quo crimen alicui falsò, malitioſèque infertur, ut aliqua ille honoris excellentia, quæ honoris fundamentum eſt exuatur.* Vocant *Diabolicum vitium*, quia (ut ait Cleanthes) *Nihil ferè tam eſt malig-*
Cleanth. *num quàm calumnia. Hæc enim ubi clam aliquem à ſe perſuaſum. decepit, Odium excitat adverſus eum, qui nihil eſt commeritus.* Expende illud *nihil eſt tam malignum &c.* Quaſi diceret, quẽadmodùm inter creaturas nihil dæmone deteſtabilius, ita inter vitia nihil malignius calumniâ. Fideles omnes paſſim invehuntur in Judæos, quod in ipſum Meſſiam, & Filium Dei auſi fuerint manus violentas immittere: ſed non minùs crimen perpetrarunt, dum telis ſuarum calumniarum, & detractionum transverberarunt. Id ni fallor innuere videtur
Marc.c. 15.v.21 S. Marcus cap. 15, verſ. 21. nam de Chriſti crucifixione differens. *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.*
Ioann.c. 19.v.14 Joannes verò cap. 19. verſ. 14. *Erat Paraſceve Paſcha hora quaſi ſexta.* Si hora tertia ſecundùm Marcum in crucem actus eſt, quomodò Joannes ait quod horâ ſextâ cruci affixus eſt? Alterutrum verum, vel falſum eſſe debet. Eandem difficultatem proponit, & ſolvit Hugo Cardinalis in Ioannis
Hugo cap. 19. *Erat autem hora quaſi ſexta, quomodò ergò dicit Marcus, quod erat hora tertia?* Ad quam reſpondet poſt Bedam *Quod utrâque horâ crucifixus eſt Dominus, horâ tertiâ linguis Iudæorum, qui peiores & priores in Domini crucifixione, & hoc narrat Marcus. Horâ ſextâ fuit crucifixus manibus militũ, quod narrat Ioannes.* Expende illa verba. *Qui peiores & priores &c.* Quaſi diceret milites magnam impietatem & ſævitiam exercuerunt, dum Chriſtum ipſum in loco infami (ſcilicet in Calvariâ) Filium Dei propriis manibus crucifixerunt, ſed deteriores & inhumaniores fuerunt Judæi, qui ipſi in domo Pilati ſuis calumniis mortem intulerunt. Majus fuit Chriſto ſupplicium crucis per linguas Judæorum, quàm per tela & clavos militum: Non tantùm Chriſtus ſenſit dolorem ab immanitate clavorum, quantùm à puncturâ linguarum, maledicentiâ, & calumniâ Judæorũ, hæc moleſtior illi fuit quam barbaries militum. Magis Chriſtus paſſus eſt ab ore Iudæorum, quàm à cruce per milites erectâ. Socrates in apologiâ apud Platonem. *Vulgi calumnia, & invidia multos & alios viros bonos è medio ſu-* Socrates
ſtulit, & me quoque (ut opinor) tollet. Quid Chriſto ſanctius? & tamen calumniatorum linguas non declinavit. Quid lege Moyſis ſapientius qui Deũ ſui conditorem habet? & tamen calumniis eſt obnoxia, Ipſam Cerdon, Marcion, & Manichæus intolerabili animi impudentiâ impugnant, docentes eam à malo principio profectam. Quid Ioanne Baptiſta innocentius, quid Eliâ abſtinentius, quid ipſo Chriſto etiam in vita ſua ſanctius, in prædicatione zeloſius, in convertendis animabus ſtudioſius? Et tamen Ioannes ab adulteræ machinationibus & linguâ ejus diabolicâ de medio tollitur. Elias pro turbatore reputatur: Chriſtus à nonnullis malè feriatis vocatur homo vorax, potator vini, peccatorum & publicanorũ amicus, &c. Imò dęmonium habere dicitur: Apoſtolus Paulus Athenis in linguatâ (ut Tertullianus loquitur) civitate ſpermologus hoc eſt ſemini verbius nuncupatur. Et ut altius exempla calumniæ repetamus, uxor Putifaris vocatis ad ſe domeſticis ita de Joſepho Patri- Geneſ.c.
archâ per calumniam locuta eſt. *En* 39.v.14.
maritus meus, introduxit virum Hebræũ ut illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, ut coiret mecum: cumque ego ſuccla maſſem, & audiſſet vocem meam, reliquit pallium

pallium quod tenebã & fugit foras, &c.
Chryſoſ. D. Chryſoſtomus homil. 12. in Matthæum. *Fugit Ioſeph, palliumque dimiſit, ſed fugit cum meliori pallio caſtitatis.* Fronte etiam perfrictâ calumniati ſunt Suſannam duo ſenes malorum
l. 3 reg cap. 21. inveterati Danielis cap. 13. Et in noſtrâ hiſtoriâ lib. 3. Regum cap. 21.
v. 16. verſ. 16. *Submittite* (inquit Iezabel impia) *duos viros filios Belial contra eum* (Naboth) *& falſum teſtimonium dicant.* Et infra. *Et adductis duobus viris filiis diaboli dixerunt contra eum teſtimonium coram multitudine.* Ideſt ipſum impiè calumniati ſunt. Vocat eo *filios Belial, filios diaboli.* Quia calumnia verè diabolica eſt, nulli peiores calumniatoribus. Et ut ad noſtra
Gregor. tempora accedamus, in vitâ Fortunati Epiſcopi Tudertini fertur quod pius hic Præſul, cùm quemdam diabolum ab homine expuliſſet: dæmon formam peregrini aſſumpſit & paſſim cum clamore incedens cœpit conqueri, quod Fortunatus Epiſcopus (qui ab omnibus hoſpitalis habebatur) ſe ab hoſpitio ſuo expuliſſet, variiſque injuriis affeciſſet. Quidam his malignis rumoribus nimis credulus, ut ſe hoſpitaliorem Epiſcopo oſtenderet, eum in domum ſuam excepit. Cùm autem frigeret ignem ſtruere cœpit, cui cum dæmone aſſidens, dæmon eò liberius Fortunatum calumniatus eſt, qui ut ſuum auditorē apertis auribus calumnias libenter excipere animadvertit. Statim parvulus hoſpitis ab eo poſſeſſus & vertiginoſo volatu in prunas ſe immiſit mortem ſibi inferre volens. Parens infœlix videns ſe unico filio orbari cognovit calumniam eſſe crimen diabolicum, non tantùm in eo qui ſanctorum vitam cavillatur, ſed etiam qui cavillanti faciles aures arrigit. Hoc vitium vulgare eſt Sycophantis, qui non tantùm vitia, ſceleraque graviſſima ſolent piis imponere, ſed etiam virtutes in ſcelere commutare humiles vocando hypocritas, ſimplices appellando fatuos, non jejunantes nominando guloſos, qui delinquentes corripiunt proclamando durôs, aſperos, &c. Hoc calumniæ vitium hæreticis familiare eſt: maximè contra orthodoxæ fidei propugnatores & conſervatores præcipuè ſummos pontifices: contra quos petulantiſſimè ac impudentiſſimè quidquid infame eſt & inglorium excogitant.

Vix in ullum Pontificem Romanū XXXIII magis toxicata ſpicula vibrarunt quàm in Gregorium VII. Nam (ut animadvertit Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano cap. 13.) Biblianderin Chronico ait illum eſſe Gog, Principum Magog. Illas calumnias ſigillatim inſpiciamus. Primo præfati hæretici aſſerunt Gregorium evectū fuiſſe ad ſummum Eccleſiæ apicem armatâ manu ſibi pecuniis comparatâ, ſed id falſum eſſe patet ex formâ præfixâ ejuſdem regiſtro, & relatâ à Platinâ de quâ ſupra. Item ex aliis.

Secundò contendunt eum fuiſſe conſecratum & coronatum Pontificem Imperatoris authoritate, ſed nō expectatâ, vel attentâ ejuſmodi authoritate fuiſſe conſecratum, ex eo patet primò quod ejus prædeceſſores Stephanus IX. Nicolaus II. Alexander II. Romani Pontifices ſine ullius Imperatoris authoritate fuerunt inaugurati, & conſecrati. Tantùm abeſt ut ab eorum veſtigiis vel minimùm aberraverit, quin immò illis potius mordicus inhæſit, nè Eccleſia minimum ſuę authoritatis diſpendium acciperet. Deindè ſi cùm eſſet privatus tam ſtrenuè & tam diu pro recuperandâ Eccleſiæ Romanæ pace laboravit, certè ad Pontificatum provectus indignum duxiſſet ab incœpto deſiſtere, aut inaugurationem & conſecrationem ſuam ad Imperatoris referre authoritatem.

Tertiò ſuas calumnias etiam jaculantur in Mathildem Virginem piiſſimam, ac caſtiſſimā, ſingulari in Deum pietate ac devotione, quæ ob munificentiam in Romanam Eccleſiam politicis, & hæreticis exoſa reddita eſt. Ferunt enim Gregorium ita ejus amore flagraſſe, ut permiſerit illā intereſſe Cōcilio Lateranenſi, ſed falſum eſt, quia Gregorius VII. in eo Eccleſiæ libertatem reſtituit. Inter alia prohibuit ſub pœnâ anathematis omnibus laicis cujuſcumque eſſent dignitatis, conferre ſacerdotium ſeu dig- XXXIV.

 nitatum

nitatum Eccleſiaſticarum inveſtiturā ſeu collationem, ita ut qui daret, & qui acciperet anathemate plecteretur. Statuit nè Clerici uxores ducerent, & qui haberent eas aut ſacerdotium dimitterent. Nè quiſquam ſacris Ordinibus initiaretur qui non profiteretur Cœlibatum perpetuum. Cujus decreti litteras miſit ad omnes Epiſcopos prohibens illis mulierum contubernium. Quod tunc temporis Mathildis Romæ eſſet, & à ſummo Pontifice magno in honore ob egregias animi dotes haberetur, non dubito: quod vero ſacræ illi Synodo interfuerit & ſuum calculum dederit omninò alienum eſt a ratione. Sigonius quidem ait lib. 3. de Regno Italiæ anno 1074. *Proximis quadrageſimis diebus frequentem Epiſcoporum conventum in Laterano convocavit, cui Mathildis quoque & Giſulphus Salernitanus princeps interfuit, atque ad eum de Sacerdotiis, de Clericis atque Normannis qui Marchiam Firmianam Eccleſiæ ditionis invaſerant, retulit.* Sed vocabulum *interfuit*, non denotat inſtar Epiſcoporum ſententiam dixiſſe: ſed cùm non tantùm de rebus Eccleſiaſticis ageretur, ſed etiam de Normannis invaſoribus bonorum Eccleſiæ, Comitiſſa Mathildis militarem manum Eccleſiæ obtulit.

Sigonius

XXXV In odium Eccleſiæ ſanctæ quidam Gregorium accuſant legitima matrimonia prohibuiſſe, & maximè Mathildis cum Azone Marchione. Sed Baronius ad annum 1070. art. 38. rectè docet Mathildem nunquam nupſiſſe Azoni, ſed de aliâ Mathilde intelligendum eſt. Nam noſtrâ, de quâ hic ſermo eſt (Domnizone præsbytero ejus vitæ ſcriptore) nupſit Godefredo cognomento ob corporis deformitatem Gibberto, vel ſtrumoſo filio Godefredi barbati, mariti Beatricis ex aliâ uxore, quem Lambertus Gozelonem appellat, & qui in Ducatum Lotharingiæ Patri ſucceſſit. Sed paulò poſt, necdum conſummato matrimonio factum eſt inter eos divortiū, Mathildisque virgo permanſit. Bertoldus Conſtantienſis in appendice ad Hermannum ſcribit nupſiſſe Welphoni duci nepoti Azonis Marchionis Ferrarienſis ſubdens. *Et hoc utique non tam pro incontinentiâ, quàm pro Romani Pontificis obedientiâ, videlicet ut tantò virilius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contra ſchiſmaticos poſſet ſubvenire.* Licet ergò fuerit inducta ad matrimonium, hæc tamen nunquam voluit viro cōmiſceri. Vt notat Bertholdus anno 1095. Vndè præfatus Dominizo præsbyter Mathildis individuus comes, & cui morienti parentavit, ait illam meruiſſe juxta parabolam Evangelicam centeſimum fructum, poſt trigeſimum & ſexageſimum, tres vitæ ejus ſtatus exprimens. Fuit enim nupta, vidua, & virgo. Hæc tamen pia & pura virgo graviſſimas à Schiſmaticis calumnias paſſa eſt. *Hi quoque* (inquit Bertholdus anno 1085.) *Mathildem prudentiſſimam ducem & fideliſſimam ſancti Petri filiam militem multis injuriis affecerant in Italiâ; Illis autem divinâ animadverſione de medio ſublatis ipſa ſuam poteſtatem recuperavit, & ſanctæ Dei Eccleſiæ in omnibus adminiculari non ceſſavit, ſicq; ejus providentiâ Mutinenſi Eccleſiæ & Rhegienſi atque Piſtorienſi Catholici paſtores ordinati ſunt.* Qualiter obierit audi Sigonium lib. 10. de regno Italiæ anno 1115. *Mathildis in morbum lapſa per ſeptem menſium ſpatium eſt graviſſime conflicta, &c. Demum Kalendis Auguſti annos ſex & ſeptuaginta nata mortem vita ſanctiſſimè acta congruentem oppetiit. Mulier non ſolum egregiâ pietate ac religione omnium & ſui, & ſuperiorum ſæculorū mulierum præſtantiſſima, ſed etiam publicis operibus, arcibus, pontibus, viis, templis, monaſteriis in Lombardiâ extructis, bellisque aſſiduis pro tuenda Eccleſiæ authoritate adminiſtratis ſingularibus laudibus in perpetuum celebranda.*

Quartò, quidam cum Magdeburgenſibus ſcribunt Henricum IV. Imperatorem fuiſſe à Gregorio VII. injuſtè excommunicatum. Vt ejus calumniam facilius refellamus, ejus vitam à puero expendamus. Conradus Abbas Vrſpergenſis anno 1068. *Henricus* (inquit) *Rex adoleſcentia uſus libertate, Saxoniam ſolum ex omni Romano Imperio cœpit incolere, principes deſpicere* XXXVI

deſpicere, nobiles opprimere, inferiores ſubtollere, venatui, luſibus, cæteriſque hujuſmodi exercitiis pluſquam inſtitiis faciendis (ut incuſatus eſt) operam dare filios illuſtrium, quibuſlibet obſcurè natis conjungere, privata præſidia) nimirùm potentibus regni non ſatis fidens) inſtituere. Aventinus licet proteſtantium ſeu hæreticorum partibus favens, refert quod reliquum vitæ ſuę ad omnia vitiorum genera perpetranda impenderit lib. 5. annalium Boiorum. *Henricum ſtupris, amoribus, impudicitia & adulteriis flagraſſe infamiâ nec amici negant.* Trithemius in Chronico Hirauſienſi refert Henricũ variis ſimoniis addictum fuiſſe, nam non tantùm invito pontifice inveſtituras ſeu collationes beneficiorum, Trithem & Sacerdotium ſibi vindicavit, ſed etiam divendidit, ipſaque Monaſteriorum prædia ſuis domeſticis turpiter diſtraxit. *Stephanus* (inquit) *Halberſtatenſis Epiſcopus vir doctus & ſanctus ſemper Henrici IV. ſcelera deteſtatus cum Romanâ Eccleſiâ optimè ſenſit, ſcripſit ex perſonâ comitis Ludovici fidelis Eccleſiæ Romanæ ad Walranum Epiſcopum Naumburgenſem, qui partes Henrici Imperatoris IV. contra obedientiam ſummi Pontificis pertinaciter defendebat Epiſtolam non minus elegantẽ quàm prolixam: in quâ cunctos errores, crimina, & ſcelera ipſius Henrici Regis tam apertè deſcribit, ut nulla deinceps potuerint excuſatione negari. Inter cætera verò ejuſdem epiſtolæ ſic dicit ad Walramum defenſorem Regis ſchiſmatici & excommunicati. Audi vera, non fucata, audi fortia, non faceta.* Poſt enumerata flagitia, ſubdit. *Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolicâ ſede excommunicatus, nec regnum, nec poteſtatem aliquam ſuper nos quia Catholici ſumus poterit obtinere.* Tot ſcelera Henrici materiam excommunicatio- Calvin. nis ſuperabundantem Gregorio VII. ſubminiſtraſſe fatetur ipſe Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 11. §. 13. *Imperator Henricus hujus nominis IV. homo levis & temerarius, nullius conſilii, magnæ audaciæ, & vitæ diſſolutæ Epiſcopatus totius Germaniæ habebat in aulâ ſuâ partim venales, partim prædæ expoſitos.* Marianus in Chronico anno 1076. ſcribit. *Gregorius querimoniis & clamoribus Catholicorum juſtis adverſus Henricum, & ſcelerum ejus immanitatem* Marian. *auditis zelo Dei accenſus jam dictam regem excommunicatum pronunciavit, maximè propter ſimoniam. Quod factum quidem viris benè placuit: ſimoniacis verò ac fautoribus regis nimium diſplicuit.* Vbi hoc excommunicationis decretum innotuit plerique Principes Henricum averſari cœperunt, ut narrat Sigonius lib. 9. de regno Italiæ anno 1076. *Itaque cum ille in die Pentecoſtes conventum Wormatiæ indixiſſet* Sigonius *nulli occurrerunt, & cùm alterum Moguntiæ in feſtum ſancti Petri advocaſſet, pauci admodum acceſſerant, ſine dubio, nè abſentiorum colloquio intereſſent. Verùm privatis interim inter ſe conciliis motis ad extremum ultrò circa Kalendas Octobris apud Oppenhem convenerunt, ibique libertatem loquendi nacti, palam ſe ſubjectos eſſe Henrico negarunt: quod à duobus Pontificibus communione piorum expulſus non ſatisfeciſſet, ac demum in Conventu Romano regiâ poteſtate privatus eſt.* Hanc verò excommunicationem juſtè latam fuiſſe teſtatur Hiſtoria Guilelmi Epiſcopi Trajectenſis, qui cauſam Henrici nimis pertinaciter tuebatur. Lambertus Schaffnaburgenſis Guilelmo coëtaneus hæc ſcribit. Lãbert. *Guilelmus Trajectenſis Epiſcopus cauſam Legis contra bonum & æquum obſtinatè tuebatur, & ſtudio partium Regis multa in injuriam Rom. Pontificis omnibus penè diebus ſolemnibus inter Miſſarum ſolemnia rabido ore declamabat, perjurum eum adulterum & pſeudo-apoſtolum appellans: & tam à ſe quàm à cæteris Epiſcopis ſæpè numero excommunicatum pronuncians, poſteaquam rex exactis Paſchalibus feriis Trajecto diſceſſerat, repentè graviſſimâ ægritudine correptus eſt. Cùmque per acerrimos cruciatus animæ & corporis urgeretur miſerabili ejulatu, coram omnibus qui aderant, vociferabatur, juſto Dei judicio ſe, & præſentẽ Dei vitam amiſiſſe, & æternam. Quod Regi ad omnia, quæ perperam intendiſſet, operam ſuam ſummo anniſu præbuiſſet, atque in ſpem gratiæ ejus Romano Pontifici ſanctiſſimo & Apoſtolicarum virtutum viro graves contumelias ſciens & prudens innocenti*

paralyticum curavit. *Dicebant Iudæi* Ioan. c. 5. v. 10. *illi qui ſanatus eſt Sabbathum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Cur in illum hominem invehuntur, & cõſequenter Chriſtum carpunt? debuiſſent potius illi homini cõgratulari qui poſt 38. annos infirmitatis tam integrã ſanitatem recuperaverat & Chriſtum laudare ob præſtitum illi tantùm beneficium? Econtra non laude, ſed vituperio: non encomio, ſed cenſurâ dignos judicant. Et tamen dum Chriſti gloriam tenebris ſuæ calumniæ offundere volunt eam clariorem efficiunt. Maldonatus ibi. *Conſtat ex hoc loco Chriſtum Iudæorum ſtultitiâ & reprehenſione ad illuſtrandam gloriam Dei, & miraculi magnitudinem uti voluere. Fecit enim ſtulta illa reprahenſio, ut miraculum quod paucis videntibus factum fuerat, in totam, dum reprehenditur civitatem evulgaretur.* Quod in vero Chriſti corpore factum eſt; id poſtea factum eſſe in corpore ejus myſtico, & in capite ejus ſacræ teſtantur hiſtoriæ. *Id hodieq;* (inquit Maldonatus) *accidit, quo magis hæretici homines invidi atque maligni Dei gloriã,* Maldo. *Eccleſiæ doctrinam, bonorum hominum opinionem obſcurare nituntur; eo magis nolentes illuſtrant.* Id ante illum eleganter dixerat D. Gregorius libr, 6, Moralium cap. 13. ubi de Chriſto & membris ejus. *Perſecutores peregerunt* Gregor. *hoc, quod perniciosè moliti ſunt intulerunt mortem, ut ab eo abſcinderent fidelium devotionem: ſed indè fides crevit, unde hanc ſe extinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque ſe exiſtimant ejus miracula perſequendo abſcindere, hæc nimium compulſi ſunt neſciendo dilatare.* Huc adduci poſſunt quæ Iuſtus Lipſius. Lipſius etiam probat ratione naturali lib. 2. de conſtantiâ cap. 11. ubi oſtendit quod clades mundum non deſtruant, ſed aſtruant, ſed ornent. *Ornatum nullum in hac vaſta machina concipio, ſine varietate, & diſtinctâ viciſſitudine rerum. Solem illum pulcherrimum fateor, ſed gratiorem tamen cum roriſlua nox facit, & pallium obductum nigra matris. Æſtatem amæniſſimam, ſed quam hiems commendat & glacialia illa marmora & canæ nives. Quæ ſi tollis, revera ſenſum gaudiumque intimum tollis ſive lucis, ſive æſtus.* Nihil magis in Eccleſiâ familiare eſt quàm ut mali inicii eam perſequentes eidem ſerviant, & militent, & victoriæ ejus palmas & coronas parent.

Joannem XXII. quidam hæreſeos notâ inurunt aſſerentes ipſum docuiſſe quod animæ ante reſurrectionem non viſuræ ſint Deum. Sed paſſim Catholici reſpondent id ſenſiſſe, ut privatum doctorem, in quâ etiam ſententiâ aliqui Patres fuère. Sed non definiviſſe ut Pontificem prout etiam ſcribit Ioannes Villanus lib. 10. cap. 230. illi contemporaneus. Addunt quod Benedictus XII. ſucceſſor Ioannis XXII. in publicâ ſuâ conſtitutione quam refert Alphonſus à Caſtro, verbo *Beatitudo*, hæreſi ſextâ teſtatur Ioannem pontificem multis Prælatis & Magiſtris in Theologiâ in Conſiſtorio diſtrictè mandaſſe, ut in eâ quæſtione unuſquiſque deliberatè diceret quid ſentiret. Nam ad deciſionem ejuſmodi concertationum ſe diſponebat. *Tamen morte præventus perficere nequivit.* Inquit Benedictus papa de hâc materiâ apud Bellarminum lib. 4. de Romano pontifice cap. 14. & lib. 1. de Beatitudine Sanctorum cap. 2. ubi notat Calvini mẽdacia & ea refellit. Item apud Sanderum lib. de viſibili monarchiâ Eccleſiæ num. 1006, &c. XXXX

Eundem Ioannem quidam taxant, quia apud quoſdam Antropomorphitas declaravit, & judicavit cremãdos quoſdam qui in finibus Bohemiæ & Auſtriæ divinam majeſtatem ſeu Trinitatem depingebant in ſpecie ſenis, Adoleſcentis & Columbæ, ut adhuc paſſim Catholici: quâ cenſurâ videntur in Eccleſiâ uſum imaginum abrogaſſe. Reſpondent Bellarminus lib. 2. de reliquis & imaginibus ſanctorum, & alii, ideò illos condemnatos fuiſſe quaſi Antropomorphitarũ ſequaces, quia aſſerebant Deum eſſe naturæ corporeæ, coloribuſque ac lineamentis poſſe depingi. Omnes verò Catholici depingunt Deum ſeu ſanctiſſimam Trinitatem non ſecundùm formam ejus propriam, quæ eſt inviſibilis & incorporea, ſed cũ ſcripturâ exhibet ſub velamine rerum cor- XXXXI

porearum. Sic quia Daniel cap. 7. vocat Deum antiquorum dierum repręſentatur ut ſenex, quia Chriſtus in noviſſimis temporibus aſſumpſit humanam naturam & obiit anno 33. pingitur ut juvenis, quia Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie columbæ in ea figura exhibetur, quo pacto non errat Eccleſia.

XLII. Ioanni XXIII. ètiam aliqui varios errores tribuunt. Inter eos eum negaſſe vitam æternam ſeu aliam huic vitæ ſuccedere. Item non eſſe reſurrectionem. Ad hoc primò aliqui cōtendunt non fuiſſe legitimum Pontificem: ſed cum legatus Bononienſis, & armatum militem (tam in urbe, quàm in agris pro ſtatione haberet) ut ſi præcario id obtinere non poſſet minis & armis tandem conſequeretur Pontificatum. Tandem Platina aſſerit creatum omnium conſenſu. Nicolaus Clemengis Archidiaconus Bajocenſis narrat, quod Ioannes XXIII. antea Balthazar Coſſa dictus, ſeu Cardinalis S. Euſtachii, cùm Romæ Concilium convocaſſet, & ante primam Concili ſeſſionem de more pro invocando auxilio Spiritus ſancti Miſſa foret celebrata, & hic Balthazar præſideret in cathedrâ ſublimiore ſibi paratâ è latebris ſuis erupit quidam bubo dirus & feralis, & voce ſuâ horrifica trabem mediam Oratorii perpetuò percurrit, fixos oculos habens in Balthazarem: quod aliquibus mali ominis opinionem ſubminiſtravit: quo viſo etiam ipſemet erubuit commotus & in magnas anguſtias redactus eſt. Sed nonnulli credunt eſſe fabulam fictam à Nicolao de Clemeng, factionis Petri de Lunâ vulgò Benedicti XIII. Hinc index Romanus prohibet imprimi nulla opera Clemengii quæ citant hæretici. Verior igitur eſt opinio Bellarmini aſſerentis Joannem XXIII. non fuiſſe Pontificē. omninò certum ac indubitatum, ac proindè non neceſſariò defendendū. Nam tunc tres pro pontificatu Romano contendebant, Gregorius XII. Benedictus XIII. & Ioannes XXIII. & vix poterat judicari quis eorum verus eſſet & legitimus, quia ſinguli habebant doctiſſimos patronos. Quomodò à Concilio Conſtantienſi fuerit abrogatus Pontificatus, conſule hiſtoriam Concilii Conſtantienſis præfixam tomo 4. Conciliorum Romæ editorum anno 1612. & acta Concilii uſque ad ſeſſ. 12. & in ſeſſione 8. damnantur quadraginta quinque articuli Joannis Wicleffi, & ſeſſione 12. recitatur ſententia lata contra Joannem XXIII. & cauſæ ejuſdē damnationis ac depoſitionis eiuſdem, nullâ tamen erroris aut hæreſeos mētione factâ, quæ tamen hæreſis primo loco poni debuiſſet, quia propter hanc unicam culpam meruiſſet privari pontificatu. Credibile eſt ſecundùm Bellarminum citatum Ioannem XXIII. non fuiſſe privatis culpis aſperſum, niſi ex vulgi rumore, qui cùm videret illum eſſe diſſolutæ vitæ cœpit opinari, & propalare quod non crederet vitam futuram, nec mortuorum reſurrectionem, ſed temerè: nam ex pravis alicujus operibus non licet colligere eum eſſe hæreticum.

Quidam etiam allegant Benedictū XIII. fuiſſe hæreticum, ſed Bellarminus reſpondet eum non fuiſſe legitimum Pontificem; omiſſis ſuper hac re innumeris variorum authoritatibus, tantùm D. Antoninum producā qui 3. part tit. 22. cap. 7. ex eo conjicit non fuiſſe legitimum Petri ſucceſſorem quia tranſivit annos Petri ad cumulum ſuæ damnationis, nec mirùm quia non in ſede Petri. XLIII.

Ferunt aliqui Eugenium IV. fuiſſe à Baſilienſi Concilio ſeſſ. 34. damnatum & privatum pontificatu ob hæreſim. Ad quod dicendum eſt quod Eugenius ſuccedens in locum Martini V. confirmavit Dominum Cæſarinum Cardinalem S. Angeli, quem Martinus ejus prædeceſſor deſtinaverat ad celebrandum ibi Concilium authoritate Apoſtolicâ, maximè ad ad extirpandam hæreſim Huſſitarū, quæ totum ferè regnum Bohemiæ labefactarat. Cùm autem audivit Cōcilium non tam reformationi Eccleſiæ & extirpationi hæreſis Huſſitanæ incumbere, quàm depoſitioni ſui ipſius, ſtatim Oratores deſtinavit Baſileam maximè Abbatem Panormitanum, XLIV

num, virum doctiſſimum, qui ſcripſit in decretalia juris canonici, qui authoritate Apoſtolicâ Concilium diſſolverint, & legatum à præſidentiâ revocarint. Vndè illud Concilium ab eo tempore deſiit eſſe legitimum, quâ nonobſtante declaratione Concilium erravit & in jure & in facto: in jure cùm ſibi attribuit poteſtatem deponendi pontificem. In facto, cùm Eugenium papam hæreticum pronunciavit, qui tamen nunquam erravit in fide, & quem ipſi Baſilienſes, & Fœlix (quem Baſilienſes creaverãt) pro legitimo ſemper habuit. Quid dicat Æneas Sylvius dictus Pius II. qui Concilio Baſilienſi acephalo adhæſerat, in ſuâ bullâ retractationis de Eugenio IV. audiamus. *Eugenium falsò de multis accuſatum invenimus, Cardinales qui Baſileam venerant, ob privatas inimicitias bono & ſancto viro notã inurere voluiſſe: qui tamen cuncti poſtea ad eum redierunt, & veniam errati petierunt.* Ait ſe inveniſſe cum aliis Eugenium falsò de multis accuſatum. Deindè vocat eum bonum & ſanctũ virum, id eſt ab omni culpâ & errore alienum. Poſtea ſubjicit verba, quæ cum eo Julianus Cardinalis contulerat, quibus dictus Julianus fatetur ſe erraſſe in iis, quę aliquando ſenſit pro Concilio Baſilienſi contra Eugenium & errorem ſuum revocat. *Præſumpſi* (inquit) *nimis de me ipſo dum eſſem Baſileæ, quamvis deceptus decepi, & credens prodeſſe nocui, &c. Cognovi priorem errorem: & quantum à vero procul abiiſſent Baſilienſes planè intellexiſſe abi Romam, & Eugenio, cum fuiſſem rebellis ſubmiſi cervicem, à quo miſericordiã conſecutus, &c.*

XLV. Tandem adverſarii venientes ad Innocentium VIII. aſſerunt in eo peccaſſe, quod permiſerit Norvegiis ut ſacrificium celebrarent abſque vino, quia vini inopiâ laborabant, ut referunt Raphael Volateranus lib. 7. geographiæ cap. 4. Onuphrius & alii. Reſpondent, noſter Corneyo & alii Scriptores moderni non eſſe adhibendam fidem præfatæ hiſtoriæ primò quia à nullo alio ſcriptore illius temporis refertur. Nam Onuphrius refert illud ex ſolo Volaterrano. Secundò, quia Volateranus non dicit fuiſſe permiſſum, ut in ſolo pane ſine vino conſecrarent, ſed ut conſecrarẽt calicem ſine vino quod ſine dubio incredibile eſt. Primò quia certum eſt Pontificem in materiâ ſacramenti non poſſe diſpenſare, nec conſequenter concedere, ut calicem ſine vino cum alio liquore conſecrarent. Vndè Onuphrius referens verba Volaterrani abſtulit illam particulã *Calicem.* Præterea Bellarminus ait hanc hiſtoriam eſſe falſam, quia nunc in Norvegiâ non eſt penuria vini. Ergò nec tunc, neque enim eſt provincia Chriſtianorum quæ ita laboret penuriâ vini, ut non poſſit cõparari ad ſacrificium celebrandum, ut docet D. Thomas 3. part. art. 8. ad 2. vel poſſit facilè ad omnes provincias transferri. Nam providentia divina talis eſt ut ubi lex Evangelica eſt promulgata materię ſacramentorum reperiantur. Vndè noſter Corneyo tomo 2. in 3. part. tract. 4. diſput. 1. dub. 3. concludit non poſſe à ſummo Pontifice diſpenſari ut una ſpecies ſine aliâ conſecretur. Et citat D. Thomam, Cajetanum, Sotum, Sylveſtrum, Suarez, Vaſquez. Ratio eſt quia integritas cõſecrationis in utraque ſpecie eſt de jure divino, in quo Pontifex nequit diſpenſare. Hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. in medio, & can. 2. definit Chriſtum Dominum præcepiſſe Apoſtolis & omnibus Sacerdotibus, ut offerrent Deo Patri corpus & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini; ut benè ponderant Vaſquez & Suarez, & docet expreſsè D. Thomas quæſt. 8. art. 11. Quod autem nequeat Pontifex diſpenſare in jure Divino docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 38. art. 1. ad 2, & clarius quæſt. 89. art. 9, ad 1. & communiter Theologi. Et ita decernunt Vrbanus & Zozimus Pontifices in caput *Sunt quadam,* cap. *Contra ſtatuta,* 25. quæſt. 1. & Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. expreſsè dicens Eccleſiam nihil poſſe ſtatuere vel mutare circa ſacramenta niſi ſalvâ eorum ſubſtantiâ. Ratio eſt, quia inferior non poteſt in lege ſuperioris diſpenſare. Nec ulla eſt cauſa imaginabilis privata vel publica quæ perſuadere

dere poſſit ut Pontifex illam legem aliter interpretetur, & declaret talē legem divinam ceſſare. Alioqui privatus doctor poſſet illam interpretationē facere, hæc enim non eſt actus juriſdictionis, ſed prudentiæ & doctrinæ. Deindè ejuſmodi interpretatio ſpectat ad legiſlatorem, vel eo ſuperiorem ut habetur in cap. *Inter*, de ſentent. excommunic. cap. *Sicut enim*, 11. quæſt. 1. cap. *Ideò*, 25. quæſt. Secunda ratio, integritas hujus Sacramenti non minus eſt de jure divino quàm ejus materia. Sed Pontifex nequit interpretari, quod deficiente vino vitis ſufficiat expreſſum vinum ex pomis: & deficiente tritico ſufficiat hordeaceus. Igitur deficiente vino non poteſt diſpenſare ut conſecretur in ſolo pane, & è contra. Differt tamen, quod conſecratio in hordeaceo, vel vino expreſſo ex pomis eſſet illicita & invalida, & in ſolo pane cōſecratio eſſet illicita. Nec urget quod Chriſtus Lucæ 24. conſecrarit in Emaus in ſolo pane Nam ex Innocentio III. Salmerone tomo 2. tract. 13. Chriſtus non conſecravit ritu ſacramentali, ſed poteſtate excellentiæ: nec ut ſacerdos, ſed ut ſupremus Dominus. Sicut in Pentecoſte dedit diſcipulis effectum confirmationis mittendo ſuper ſingulos Spiritum ſanctū, non ritu ſacramentali, ſed poteſtate excellentiæ. Nec D. Paulus Actorum cap. 27. *Sumens panem gratias egit Deo, &c.* ſumpſit Euchariſticum, ſed uſualem, ad ſubveniendum naturæ neceſſitati, ut notat Lorinus ibi, & alii ab eo citati. Vel ſi fuit Euchariſticus panis conſecravit etiam vinum, licet non fiat mentio illius: cum argumentum ab authoritate negativâ non ſit efficax. Vide plura apud Authores.

XLVI Cæterùm quia authoritas Volaterrani urget, eo quod tunc erat Romæ, & dedicavit hanc hiſtoriā Julio II. qui tunc erat Cardinalis, à quo potuiſſet redargui falſitatis. Dico hoc conceſſo quod infallibilitas fidei nō ſit in Cardinali, ſed in Pontifice. Talis autem hiſtoriam ſuam falſitatem prodit ex hoc, quod ut præmiſſum eſt aſſerat conceſſum fuiſſe. *Ut Calicem ſine vino conſecrarent.* Quod permitti non potuit abſque errore manifeſto. Undè nec ullus hæreticus præter Volaterranum refert talem diſpenſationem, cui ſubſcribunt Onuphrius & Claudius Saintes, quorum poſtremus loco Innocentii VIII. ponit Innocentium IV. Porrò hanc difficultatem fuiſſe propoſitam & agitatam in Concilio Tridentino, & authoritatem ſeu relationem Volaterrani fuiſſe rejectam refert Palavicinus in ſua hiſtoriâ Cōcilii Trident. part. 2, lib. 17. cap. 6. ut potè contra Chriſti inſtitutionem, ut rectè innuit Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. loquens de Chriſto. *Ut* (inquit) *in Eccleſiâ relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur, &c. Corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis quos nunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent præcepit, per hæc verba hoc facite in meam commemorationem.* Expende illa verba. *Corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, &c, ut offerrent præcepit, &c.* Quaſi diceret, ſic ut poſſit ſumi una ſpecies ſine aliâ in ratione ſacramenti, tamen in ratione ſacrificii non poteſt offerri una ſine aliâ, quia ſub ſpecie panis non expreſsè repræſentatus ſeparatio corporis & ſanguinis Chriſti: Undè Concil. citatum ſeipſum ab Eccleſiâ per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo. Ad partem, quando per ſui ſanguinis effuſionem redemit, inſtituit, &c. Ex quibus verbis concludit Cardinalis de Lugo de Sacramento Euchariſtiæ diſput. 19. ſect. 8. num. 106. *Fuit ergò inſtitutum hoc ſacrificium à Chriſto ſub utraque ſpecie ad repræſentandum ſuam paſſionem, & mortem: Cùm enim non morbo, aut ſuffocatione mortuus fuerit, ſed effuſione ſanguinis ſui, debuit hoc genus mortis, & hæc effuſio ſanguinis exprimi per ſacrificium in quo corpus & ſanguis ſeorſim conſtituerentur, quod non fit niſi per utriuſque ſpeciei conſecrationem, per quas conſtituitur in altari ſanguis ex vi verborum in calice*

&

& corpus ex vi verborum ſub ſpeciebus panis, quæ eſt quaſi pictura exprimens, quomodò in cruce ſeparatus fuerit ſanguis à corpore, & per illam effuſionem Chriſtus mortuus fuerit. Ex quibus patet reſponſiones ad calumnias hæreticorum præcipuè fundari in vitâ, famâ & ſanctitate Pontificum quos injuſtè ac impiè calumniantur.

CAPUT NONUM.

Poteſtas Romani Pontificis patet in eo quod Romanæ Eccleſiæ particulares ſubjiciuntur, & Romano Pontifici, Epiſcopi.

I. TEſtantur Patres Eliam eſſe omnium Prophetarum ſummum. Quam excellentiam S. Chryſoſtomus homil. de aſcenſione Eliæ deducit ex ipſius nomine. *Sol* (inquit) *Græco ſermone Helios appellatur, undè Helias verè quoniam curru atque equis fulgentibus igne de oceani fluctu, id eſt de mundi commotione per montium ſcopulos, id eſt per magnorum laborum difficultates progrediens ad cœleſtia devectus aſcendit.* Quaſi diceret, ſi nomen perſonæ, proprietates & eventus ſignificat. Juxta illud Caſſiodori libr. 6. var. cap. 7. *Grata ſunt omninò nomina quæ deſignant protinus actiones quando tota ambiguitas audiendi tollitur; ubi in vocabulo concluditur quod generatur.* Quod autem conveniat in regimine univerſali cum ſole patet: quemadmodùm Sol eſt maximus, terræque ac maris globum ſuâ comprehendit magnitudine, ut canit Virgilius lib. 4. Georg. (*annum.*

Chryſoſ.

Caſſiod.

Virgil.

Interea magnum ſol circumvolvitur

Cui accinens Seneca in Hercule furente.

Seneca

O Lucis alme rector & cœli decus
Qui alterna curru ſpatia flammifero ambiens.
Illuſtre latis exeris terris caput.

Item.

Tuque ante omnes qui per terras
Tractuſque maris fundis radios.

Claudianus in Frat.

Claud.

Sol qui flammiferis mundum complexus habenis.
Volvis inexhauſto redeuntia ſæcula metu

Talis eſt Elias, omnia enim ſæcula, omnes mundi plagas perluſtrat lumine ſuæ ſcientiæ, zeli, ac ſanctitatis: ſicut Sol non tantùm univerſæ terræ, ſed aeri, & aliis aſtris ſuum lumen cōmunicat, juxta illud

Lucis Phœbe parens, quo ſine cætera
Caligante latent aſtra ſub æthere.

Ita Elias tempore Achab omnes Prophetas, totamque Synagogam illuſtravit, & in verâ religione roboravit. Teſte Joanne 44. lib. de Inſtitut. Monachor. cap. 10. *Elias in Monaſticâ vitâ Eremiticâ, quàm primus hominū à propoſito inchoaverat, ſucceſſores poſt ſe in perpetuum relinquere diſpoſuit, qui ut pater primus Monachorum fieret, in ſuos diſcipulos elegit quoſdam viros, qui idcircò ad eum in ſolitudine torrentis Carith, tunc latentem confugiebant, nè per Regem Achab, & Reginam Iezabel cogerentur, ſicut & cæteri populares adorare Baal. Viri quippe iſti timore Dei repleti cernentes Eliam ita verbo Domini tunc continere cælum, quod pluviam non dabat ſuper terram, ad eum tanquā magnum veri Dei cultorem accedebant occultè in ſolitudine Carith, ut ſub ejus doctrinâ in cultu veri Dei perſiſtere poſſent & idololatriam vitarent. Hos itaque Domini devotos viros Elias, ſecundùm formam à Deo ei traditam, habuit ſuæ monaſticæ vitæ primos diſcipulos & imitatores veros.* Quid eſt Pontifex Romanus? quid eſt Eccleſia Romana? quaſi ſol. Quid Epiſcopi & Prælati Eccleſiæ? quaſi luminaria. Matthæi cap. 5. verſ. 14. *Vos eſtis lux mundi.* Quomodò lux mundi dicuntur. *Lux ſunt gentiū producentes eas ad ſcientiæ lumē.* Clarius divus Laurentius Juſtinianus tractatu de inſtitutione & regimine Prælatorum. *In excelſo Eccleſiæ gradu conſtituti tanquam ſpiritualia ſydera in firmamento micantia ad illuminandum eos qui in ignorantiæ tenebris ambulāt. Quemadmodum de ſeipſo Apoſtolus dicit. Mihi (inquit) omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti à ſæculis in Deo, qui omnia creavit: ut innoteſcat principibus* &

Ioan 44.

Matt. 5. 5. v. 14.

Lauren. Iuſtinia.

& poteſtatibus, in cæleſtibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei ſecundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto IESV Domino noſtro; alio quoque in loco de fidelibus *ac in medio nationis pravæ & perverſæ inter quos lucetis, tanquam luminaria in mundo: verbum vitæ continentes. Hæc quippe luminaria ſpiritualia ſanctos videlicet Apoſtolos, doctores & paſtores Eccleſiæ ipſe Dominus IESVS Dei virtus, & Dei ſapientia, non in imo neque ſub modio, ſed poſuit ſuper candelabrum, ut luceant omnibus qui in domo ſunt non minus doctrinâ quàm vitâ* Summus autem Pontifex eſt quaſi ſol qui ejuſmodi luminaria illuſtrat. D. Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 1. *Communis eſt omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis in eo ipſe præmineas celſiore faſtigio ſpecula paſtoralis.* Cui ſubſcribens Caſſiodorus lib, 11. in epiſt. 2. ad Ioannem Papam. *Vos* (inquit) *ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis, vos Patris nomine univerſa diligitis.* Quemadmodum Elias idem eſt, ac *Deus Dominus*, ſecundũ Pagninum. Et ſicut Deus omnibus rebus adeſt & dominatur, juxta illud Virgilii lib. 4. Georg.

Auguſt.

Virgil.

——— Deum namq; ire per omnes
Terraſq; tractuſque maris, cœlumque profundum
Hinc pecudes, armenta viros genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſ-(cere vitas.

Et lib. 6. Æneid.

Spiritus intus alit totamque infuſa per artus (miſcet
Mens agitat molẽ, & magno ſe corpore
Indè hominum pecudumq; genus vitæque volantum.

Ennius apud Ciceronem lib. 2. de naturâ Deorum.

Ennius

Qui ſenero terram circumvecta amplectitur, (hibeto Iovem
Hunc ſummum habeto divum hunc per-

Quibus Aratus antiquiſſimus Poeta apud eundem Ciceronem lib. 2. arridens, canit.

A Iove principium, quem nunquam mittimus ipſi (compita
Infantũ: plena verò Iovis omnia quidẽ
Omnes verò hominum cœtus, plenum verò mare,
Et portus, ubique autem indigemus Iove omnes.

II. De immenſitate divinâ ſeu univerſali exiſtentiâ ac præſidentiâ Divus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 8. ſic loquitur. *Ipſe manet intra omnia: ipſe extra omnia; ipſe infra omnia: & ſuperior eſt per potentiam, & inferior per ſuſtentationem: exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem: ſurſum regens, deorſum continens, extra circumdans, interius penetrans.* Ita Pontifex Romanus non tantùm populis præeſt, ſed & populorum rectoribus ac Epiſcopis. Optatus lib. 2. contra Parmenianum non longè à principio, ita ſcribit de hoc Romani Pontificis ſupra reliquos paſtores primatu Romano. *In quâ ſedit omnium Apoſtolorum caput Petrus, undè & Cephas appellatus eſt. In quâ unâ Cathedrâ unitas ab omnibus ſervaretur, nè cæteri Apoſtoli ſinguli ſibi quiſque defenderent.* Pelagius Papo in epiſt. 1. ad Epiſcopos Orientis. *Romana ſedes inſtituente Domino caput eſt omnium Eccleſiarum.* Divus Gregorius epiſt. 64. ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum. *Quod ſe* (inquit) *dicit ſedi Apoſtolicæ ſubjici, ſi qua culpa in Epiſcopis invenitur neſcio quis ei Epiſcopus ſubjectus non ſit.* Idem in explicatione pſalmi 4. pœnitentialis ſic hanc ſupra omnes Eccleſias Pontificiam dignitatem deſcribit contra Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. *In tantam ſua temeritatem extendit veſaniæ, ut caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in domina gentium terræ jus poteſtatis uſurpet.* Sanctus Athanaſius in epiſt. ad Fælicem papam. *Ob id vos prædeceſſoreſque veſtros Apoſtolicos videlicet Præſules in ſummitatis arce conſtituit omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit ut nobis ſuccurratis.* Achatius in epiſt. ad Simplicium papam quæ habetur tomo 2. Conciliorum. *Sollicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundùm Apoſtolos circumferentes nos indeſinenter hortamini*, Quibus adjungere licet Juſtiniani Senioris Auguſti in epiſt. ad Joannem II. quæ refertur in Codice in primo titulo. *Nec enim* (inquit) *patimur quidquã quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quod*

Gregor.

quod non etiam veſtra innoteſcat ſanctitati, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Divus Bernardus melliflué id declarat lib. 2. de conſiderat. Bernard. cap. 8. *Sunt quidem & alii cæli janitores, gregumq́ paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius utrumque nomen hæreditaſti. Habent ſibi illi aſſignatos greges ſinguli ſingulos, tibi univerſi crediti unt unus nec modò ovium, ſed & paſtorum, tu unus omnium paſtor.* Et infra expendens illa verba Joannis Joann. c. 21. v. 7. cap. 21. verſ. 7. *Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, miſit ſe in mare.* Verſ. 8. *Alii autem diſcipuli navigio venerunt.* Cur aliis Apoſtolis venientibus navigio Petrus mittit ſe in mare? An fortè ut feſtinatius ad ipſum perveniret? minimè. Nam illi remigando citius ipſum attingere poterant: an quia fortè Chriſtum ferventius diligebat? at hoc facto majorem ſuum amorem manifeſtare ridiculum erat: an quia hoc modo ſe mortis periculo exponebat pro Chriſto? Iuxta illud, *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis?* At illicitum eſt ſe ipſum manifeſto mortis periculo exponere ſine causâ rationali, vel motivo aliquo ſupernaturali. Divus Bernardus ſupra oſtendit hoc facto Petrum oſtendiſſe ſe non unius Eccleſiæ particularis curam habere, ſed omnium Eccleſiarum, ſed totius orbis ac maris vaſtiſſimi Eccleſiæ militantis. *Quid illud? nempè ſignum ſingulare Pontificii Petri. Per quod non navem unam, ut cæteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt, naves Eccleſiæ. Indè eſt quod alterâ vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas, unicum ſe Chriſti vicarium deſignavit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ populi multi. Ita cùm quiſque cæterorum habeat ſuam ſibi, tibi una commiſſa eſt grandiſſima navis facta ex omnibus, ipſa univerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa.* Lauren. Iuſtinia. D. Laurentius Juſtinianus tractatu de obedientiâ cap. 12. *Cæteri Præſules deputati ſunt præeſſe in locis: iſti verò univerſalis Eccleſiæ incumbit regimen. Magnus procul dubio honor eſt iſte, præcelſa dignitas, auctoritas veneranda, privilegium præcipuum, uni tantùm ex omni hominum numeroſitate prærogatum: ſed onus quàm maximum, officium laborioſum, miniſterium vigiliarum plenum & ſarcina penè intollerabilis nec non cura ad quam peragendam humanæ non ſuppetunt vires.* Expende illa verba. *Cæteri præſules deputati ſunt.* A quo? à Romano Pontifice, non verò ab Imperatore, ut conſtanter oſtendit Innocentius II. poſt Concilium Rhemenſe. Narrat Auctor vitæ ſancti Bernardi lib. 2. cap. 1. quod: *Soluto Concilio Leodium Dominus papa Romanorum Regi occurrit, & honorificè quidem ſuſceptus eſt: ſed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importunè Rex inſtitit tempus ſe habere reputans opportunum Epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras quas ab ejus prædeceſſore Imperatore Henrico per maximos quidem labores, & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat, ad quod verbum expavere & expalluere Romani, gravius ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe, quàm declinaverint Romæ. Nec Conſilium ſuppetebat, donec murum ſeſe oppoſuit Abbas ſanctus Bernardus. Audacter enim reſiſtens Regi verbum malignum mirâ libertate redarguit, mirâ authoritate compeſcuit.* Idem referunt alii authores. Phriſingenſis ſcribit lib. 7. cap. 18. quod Lotharius expoſito prius modeſtè quantum attenuatum eſſet regnum à more Eccleſiarum, & earum inveſtiturâ abdicatâ, quantum diſpendium paſſus fuerit, illâ inveſtiturâ reſtitutâ auxilium Romanæ Eccleſiæ promiſit. Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi lib. 4. cap. 99. ſcribit in eo conventu Leodienſi inveſtituras à Pontifice fuiſſe conceſſas Lothario. *Innocentius* (inquit) *Germanias ingreſſus à Lothario Rege juxta Leodium excipitur: virgam ei & annulum antiquo ex more confirmans.* Sed Baronius ad annum 1131. ipſum erraſſe oſtendit, imò Lotharium pro inveſtituris repulſam paſſum fuiſſe quâ nonobſtante Papam reduxit Romã. Sed viciſſim anno 1133. in Laterano à Pontifice coronâ Imperiali fuit inſignitus, quia Anacletus Antipapa Baſilicam Vaticanã operibus & præſidio

firmatam tenebat, in quâ moris erat Imperiale diadema conferre.

III. Idem Innocentius ſupremam ſuam authoritatem oſtendit, dum ex Epiſcopis Archiepiſcopos efficit & aliorum juriſdictionem dilatat, & aliorũ coarctat & minuit. Genuenſibus ac Piſanis, à quibuſcum comiter & benignè fuiſſet exceptus, & expertus eorum propenſionem in ſedem Apoſtolica mſtudium contra Schiſmaticos, eorum Eccleſias prærogativâ exaltandas cogitavit. Itaque Genuenſem & Piſanum Epiſcopatus in Archiepiſcopatus erexit. De hac plenitudine poteſtatis ſcribens ſanctus Bernardus epiſt. 131. ad Mediolanenſes. *Plenitudo* (inquit) *poteſtatis ſuæ per univerſas Eccleſias ſingulari prærogativâ Apoſtolicæ ſedi donata eſt: qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinatione reſiſtit, poteſt* (*ſi utile judicaverit*) *novos ordinare Epiſcopos ubi hactenus non fuerunt, poteſt eos, qui ſunt alios deprimere, alios ſublimare prout ratio ſibi dictaverit, ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è converſo, ſi neceſſè viſum fuerit, &c.* Quod & noſtro tempore factum eſt dum Epiſcopatus Parîſienſis in Archiepiſcopatum erectus eſt. Vndè Innocentius I. in epiſt. ad Concilium Milevitanum, quæ eſt 93. inter epiſtolas ſancti Auguſtini. *Arbitror omnes fratres & Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis & honoris auctorem, deferre debere.* Et patet ex praxi, quam ſervat Pontifex Romanus dum aliquem Epiſcopum creat. *Providemus Eccleſiæ tali, de tali perſonâ, & præficimus eum in Patrem, & paſtorem, ac Epiſcopum ejuſdem Eccleſiæ, committentes ei adminiſtrationem in temporalibus, & ſpiritualibus in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.* Ex quibus hanc deducit rationem Bellarminus tomo 1. de Romano Pontifice lib. 4. cap. 29. poteſt Pontifex auferre materiam ſubjectam Epiſcopo, ideſt populum ejus alteri ſubjicere, & eâ ratione non propriè illi auferre juriſdictionem, ſed efficere indirectè ut illam perdat: at cùm poteſtas Juriſdictionis relationem ſignificet Prælati ad ſubditum, ex relativis vero uno poſito vel ſublato, & alterum ponitur & tollitur. Si ergò poteſt Epiſcopus populis auferri, poterit & juriſdictio. Denique poteſtas univerſalis Romani Pontificis patet in eo quod nullus etiam in regionibus diſſitis poſſit ordinari Epiſcopus inconſulto Romano, vel Vicariis ab eo deputatis, ut conſtat ex epiſtol. Leonis papæ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum. *De perſonâ conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad tuam fraternitatem referat quodque in Provinciâ placuit ſcire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas.* Et paulò infra, *Sicut enim juſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.* Sanctus Gregorius lib. 4. epiſt. 34. ad Conſtantiam Auguſtam. *Salonitanæ Civitatis Epiſcopus me ac reſponſali meo neſciente ordinatus eſt, & facta eſt res, quæ ſub nullis anterioribus principibus evenit.* Ratio eſt, quia ſicut in Regno aliquo omnis juriſdictio pendet à Rege, & ab eo omnes miniſtri Regni immediatè, ſeu ejus auctoritate inſtituuntur, eique juramentum fidelitatis præſtant, & ab eo deficientes exauctorantur. Ita in Republicâ Chriſtianâ à Romano Pontifice ut Petri ſucceſſore omnis juriſdictio ſpiritualis dependet, ita ut juxta illud ex epiſt. 4. Syricii. *Nemo extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt privatus audeat ordinare Epiſcopum.* Seu ſecundùm Gratianum diſtinct. 64. cap. *Extra conſcientiam.* Ex epiſtolâ Innocentii I. ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum ubi legitur *Extra conſcientiam Metropolitani.* Quæ fit ſcilicet auctoritate Apoſtolicâ. Vndè fit ut Romanus Pontifex paſſim orthodoxus & univerſalis Epiſcopus appelletur.

Bernard. *Bellarm.* *Gregor.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

Primates in recognitionem ſupremæ authoritatis Pontificiæ à ſolo Pontifice Romano pallium accipiunt.

I. LIb. 3. Regum cap. 19. verſ. 20. *Miſit pallium ſuum ſuper illum.* Pagninus & Vatablus. *Projecit pallium ſuper eum.* Cur pallium ſuum miſit ſuper eum? Dionyſius. *In ſignũ dilectionis ſuæ ad ipſum, quemadmodum Ionathas exuit ſuas veſtes & induit David Lib. 1. Regum cap. 18. atque in præſagium futurorum, quod ſcilicet ipſe Eliſeus ſpiritualiter cooperandus erat ac veſtiendus duplici ſpiritu Eliæ, Lib. 4. Reg. cap. 2. variiſq; chariſmatibus Spiritus ſancti,* Toſtatus quæſt. 23. *Per hoc ungebat eum in Prophetam lib. 4. Reg. cap. 2. verſ. 13. Eliſeus idem Eliæ aſcendentis pallium levavit. Et levavit pallium Eliæ quod ceciderat.* Et Vatablus. *Elevatoque pallio quod ceciderat ab illo.* Dionyſius. *Quia Elias dejecit illud pro conſolatione dilecti ſui diſcipuli, ut aliquid haberet quaſi ex teſtamento patris ſublati, atque ut illo pallio veſtiretur in ſignum quod magiſtro ſuo ſuccederet in duplici gratiâ, & per illud miraculum faceret.* Toſtatus quæſt. 23.

l. 3. Reg. 19. v. 20

Dionyſ.

Toſtatus

„ Vt Eliſeus uteretur illo pallio tanquam inſignio prophetali, ut ſcilicet ſicut Eliſeus ſuccedebat in officio & dignitate prophetandi, ita ſuccederet ei in pallio. Nam Elias utebatur illo pallio tanquam proprio inſignio, &c. Secunda cauſa fuit quia Eliſeus unctus fuit in Prophetam cum illo pallio, & nunc incepturus erat executionem ſui officii. Ideò dignum erat ut acciperet pallium illud ad officium prophetandi, per quod ſuſceperat dignitatem, & authoritatem prophetandi, &c. Tertia, ad magis confirmandũ quod Eliſeus acceperat id quod petiverat, nam Eliſeus petiverat duplicem ſpiritum Eliæ, & ad hoc datum erat ei in ſignum, quod ſi videret Eliam rapi, aſſequeretur petitionem ſuam alioquin non, &c. Quarta, ad operationem miraculorum, nam Elias operabatur miracula per illud pallium, &c. Quinta, ad indicandam dignitatem Eliſei aliis prophetis. Nam Eliſeus ſufficienter ſciebat de ſe ipſo ſcilicet ſe eſſe hæredem ſpiritus Eliæ eo quod viderat Eliam quãdo raptus eſt. Et infra. Alioqui non dediſſet ei palliũ ſuum quia illud non decebat niſi virum habentem dignitatem Eliæ. Vide quæ ſcribit P. noſter Lezana de hoc pallio anno mundi 3127. num. 11. & anno 3204. num. 10. Ex his patet pallium Eliæ datum Eliſeo fuiſſe ſignum ſingularis beneficii, poteſtatis, & dignitatis præ aliis, ac patriarchatus totius ordinis prophetici, necnon diſciplinæ Elianæ.

In lege novâ Patriarchæ, Primates, & Metropolitani etiam pallio utuntur in ſignum dignitatis, poteſtatis, ac ſpecialis in alios, &c. ſubmiſſionis erga ſedem Romanam. *Vt per illud* (inquit Durandus lib. 3. rationalis divin. offic. cap. 17.) *à cæteris Epiſcopis diſcernantur, quod privilegiatam obtinent dignitatem.* Si ex Patre Lezanâ citato pallium Eliæ album erat ex lanâ ovinâ. Ita *Pallium quo utuntur Primates* (inquit Durandus) *de lanâ non cujuſlibet animalis, ſed ovis dumtaxat efficitur, quæ eſt animal manſuetum. Vndè & Propheta Iſaias cap. 53. de Chriſto ait, Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente non aperuit os ſuum.* Eliſeus pallium ab Eliâ accepit, & Primates à Pontifice Flodoardus lib. 2. hiſtor. Rhem. cap. 17. ſcribit quod Carolus magnus circa annum 779. impetravit ab Adriano Papâ pallium Tilpino ſeu Turpino Archiepiſcopo Rhemẽſi. Sic enim Põtifex ad Imperatorem reſcribit. *Quia ad petitionem ſpiritalis filii noſtri & glorioſi Regis Francorum Caroli, & præbente tibi bonum teſtimonium de ſanctitate & doctrinâ Fulrado amabiliſſimo Abbate Franciæ Archipræsbytero pallium ſecundùm cõſuetudinem tibi tranſmiſiſſe nos cum privilegio Metropolis Eccleſiæ Rhemenſis ſuo ſtatu maneat benè memoramus.* Ex eadem hiſtoriâ Eccleſiæ Rhemenſis conſtat Archiepiſcopos Rhemenſes ſucceſſores Tilpini

II.

Durãd.

Flodoar.

pallium ſibi à Sede Apoſtolicâ tribui poſtulaſſe. Idem Flodoardus libr. 4. cap. 1. teſtatur quod Fulco Rhemenſis Antiſtes ſcribens ad Formoſum Papam. *Subnectit etiam de quibuſdam Epiſcopis Galliarum, qui ſibi pallium indebitè à Romanâ poſcebant Sede, Metropolitanos ſuos tali aſpernantes tenore aſſerens, quod res eadem niſi prudenti præcauta foret ſollicitudine confuſionem non mediocrem generaret.* Sanctus Gregorius (ut patet ex epiſt. 51. ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum lib. 4. indict. 13.) ad Petitionem Regis Childeberti ei pallium tranſmittit, & conſtituit eum ſuum legatum in regno Childeberti, dicẽs juxta antiquum morem uſum pallii ac vices ſedis Apoſtolicæ ſe concedere. *Libenti animo* (inquit) *poſtulata concedimus, nè aut nobis quidquam de debito honore ſubſtrahere, aut præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis petitionem contempſiſſe videamur.* Idem Sanctus Gregorius poſt converſos Anglos miſit Auguſtino in ſignum primatiæ pallium, ut patet ex Bedâ libr. 1. hiſt. Angl. cap. 29. & Wilelmo Malmesburienſi lib. de geſtis Pontif. Anglorum. *Hic uſus pallii ita antiquiſſimus eſt ut nulla ſit provincia, nos Eccleſia ex Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis conſtat, ad quam non legantur pallia à Pontificibus miſſa. Utuntur autem in ejuſmodi pallio Primates diebus ſolemnioribus in miſſarũ ſolemniis, ut habetur extra de auctoritate & uſu pallii cap ad honorẽ Dei.* Ubi dicitur: *Solus Romanus Pontifex in miſſarũ ſolemniis pallio ſemper utitur & ubique, quoniam aſſumptus eſt in plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per pallium ſignificatur. Alii autem eo nec ſemper, nec ubique, ſed in Eccleſiâ ſuâ in quâ juriſdictionem Eccleſiaſticam acceperunt certis debent uti diebus.* Durandus illos dies ſpecificat. *In ſolemnibus* (inquit) *diebus, & qui in cujuſcumque Eccleſiæ privilegiis continentur.* Extra, cap. penult. & ult. &c. *Utique non licet, niſi hoc in privilegio contineatur expreſſum.* Extra eo cap. fin. *Epiſcopus Oſtienſis qui Papam conſecrat utitur pallio ex inſtitutione Marci Papæ. Et etiam quidam Epiſcopi ex privilegio ſpeciali.*

Gregor.

III. Notat Idem Durandus pallium eſſe ſignum tantæ authoritatis, ut antequam Metropolitanus pallio decoretur non debeat Cõcilium convocare, Chriſma conficere, Clericos in ſuâ provinciâ ordinare, Pontifices cõſecrare, vel Eccleſias dedicare, nec ſe Archiepiſcopum nominare. Extra de Elect. *Quod ſicut*, in fin. de poſt bonæ ii ad finem. Aiunt: *Tamen quod extra provinciam ſuam invitatus poſſet ordines tanquam ſimplex Epiſcopus ſine pallio celebrare.* Infra. *Sed unus Metropolitanus non poteſt cum alterius pallio celebrare, neque pari ratione ſepeliri, ſed cum proprio tantùm. Extra, de uſu pallii, Ad hoc.* Ex conſuetudine in Eccleſiâ ſemper obſervatâ, & canonibus, quoties Patriarcha vel Archiepiſcopus aliquis pallium recipit à Sede Apoſtolicâ, jurare debet fidelitatem & obedientiam beato Petro, ac ſanctæ Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ Pontifici Romano, & ejus ſucceſſoribus. Et meritò: nam Archiepiſcopi habent ſuam juriſdictionem à Romano Pontifice, & per pallium confertur illis ab eodem plenitudo poteſtatis in alios. Unde cum tempore Schiſmatis multi à Romano Pontifice defeciſſent & adhærerent Friderico & Antipapis, Crucis & pallii dignitate privati ſunt: Inter quos Epiſcopus Papienſis, eo quod Civitas Octaviano hęreſiarchę & Friderico Imperatori tamdiu adhæreret. Forma iſtius juramenti à ſuſcipientibus pallium emittendi habetur in Pontificali Romano. Et ſanè ſi Imperatores juramentum fidelitatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præſtant, & promiſſis ſtare tenentur: ut patet ex ordine Romano. *In nomine Chriſti promitto, ſpondeo, atque polliceor ego N. Imperator coram Deo, & Divo Petro Apoſtolo me protectorem ac defenſorem fore hujus ſanctæ Eccleſiæ in omnibus utilitatibus in quantùm divino fultus fuero adjutorio ſecundùm ſcire meum ac poſſe.* A fortiori eodem juramento ſe aſtringere debent Primates pallium ſuſcipientes, hocque privari quando perjuri deprehenduntur.

Durand.

CAPUT

CAPUT XI.

Pontifex Romanus ſuam authoritatem & ſanctitatem manifeſtat congregando Concilia & iis præſidendo.

1. QVemadmodum Elias intrepidè dixit Acabo Regi eum eſſe authorem Idololatriæ aliorumque malorum ac ſuppliciorum ſubſequentium, quæ totum Iſrael devaſtarant: ita quaſi deſpoticè, ac imperioſè jubet totum populum Iſrael congregari,
13. Reg. 18 v. 19 lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 19. *Verum tamen nunc mitte.* quaſi diceret, licet ob flagitia tua & pravum exemplum non merearis habere pluviam, & aliquod ſignum quo Deus Iſrael divinitatem, & omnipotentiam manifeſtet, quia magis adhæres Jezabeli, ejuſque falſis prophetis aurem arrigis, quàm Deo Iſrael, quàm Patrum tuorum præceptis & ſanctis traditionibus, quàm mihi: licet eos magis diligas, quàm me, quem jam à triennio perſequeris, & eodẽ mortis genere affeciſſes, quo reliquos Prophetas Domini, niſi me ſingularis Dei providentia protexiſſet, & paviſſet. Tamẽ ut videas quanta ſit Dei bonitas, & miſericordia, in te & univerſam Synagogam: quomodò ſim immemor malorum quæ feciſti, altaria deſtruendo, prophetas occidendo, me perſequendo, & quantò Deus populum tuum eodem quo hactenus vult favore & beneficiis afficere, quibus Patres tuos in deſerto: quos poſt rebelliones miraculis devincire ſtuduit. *Congrega ad me univerſum Iſrael.* Non rogo te, non hortor te, ſed præcipio ut omnes compellas, & prohibeo, nè quemquam impedias huc ad me convenire. Dicit *Congrega*, ut diſtinguat Synagogam ab Eccleſiâ Romanâ, quam oculis propheticis intuebatur, quæ non dicitur Synagoga ſicut cœtus Iudæorum: ſed Eccleſia, quaſi evocata: quia eſt cœtus vocatorum: nemo enim ad hunc Dei populum ſe adjungit per ſe, & ſuo proprio inſtinctu, ſed quotquot veniunt, à Dei vocatione præveniuntur. Gratia enim vocans eſt primum beneficium, quod ſancti à Deo accipiunt, juxta illud Romanorum cap. 8. verſ. 30. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, &c.* Rom. c. 8. v. 30 Actorum cap. 2. verſ. 39. *Nobis eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.* Act. c. 2 v. 39. Dionyſius hæc verba ſic elucidat. *Per Evangelicam prædicationem, ſeu inſpirationem divinam ad fidem & charitatem, ſeu Eccleſiaſticam unitatem perduxerit, hoc eſt in omnibus prædeſtinatis, propter quod apud Ioannem ſcriptum eſt cap. 11. IESVS moriturus erat pro gente, & non ſolùm pro gente, ſed ut filios Dei qui diſperſi erant congregaret in unum.* Idem Apoſtolus explicans Eccleſiam, ſeu loquens de membris ejus 1. Corinth. cap. 1. verſ. 1. & 2. vocat illam convocationẽ, & ejus membra vocatos. 1 Corin. c. 1. v. 1. & 2. *Paulus vocatus Apoſtolus IESV-Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi ſanctificatis in Chriſto IESV vocatis ſanctis cum omnibus, &c.* Cornelius. *Eſt Appoſitio, ſivè explicatio Eccleſiæ, ut ſi quæras quid ſit Eccleſia, reſpondebo hunc ex Paulo ſunt vocati ſancti: ſivè eſt congregatio, & cœtus fidelium, qui vocati ſunt ad ſanctitatem.* Vnde ſi Eccleſiæ etymologiam ſpectemus, venit à verbo συγκαλέω idest *Convoco*, cõvocantur autem non beſtiæ, ſed homines. At verò cœtus Judæorum non Eccleſia, ſed Synagoga appellatur, quia συναγείρω Grecè, Latinè *Congrego*, ut notat Calepinus à grege derivatur quaſi Synagogæ filii ſunt quaſi beſtiæ, filii verò Eccleſiæ ſunt homines. Vndè illi congregantur more pecudum, hi verò convocantur quaſi homines. Id ſubtiliter animadvertit D. Auguſtinus in pſalmum 81. expendens illa verba. verſ. 1. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum. In Synagoga* (inquit) *populum Iſrael accepimus quia & ipſorum propriè Synagoga dici ſolet, quamvis & Eccleſia dicta ſit. Noſtram verò Apoſtoli nunquam Synagogam dixerũt ſed ſemper Eccleſiã ſiuè diſcernendi cauſa ſivè inter cõgregationem undè Synagoga: convoca-* Auguſt.

convocationem, undè Eccleſia nomen accepit diſtet aliquid, quod ſcilicet congregari & pecora ſolent, atque ipſa propriè quorum & greges propriè dicimus. Convocari autem magis eſt utentium ratione ſicut ſunt homines, Quibus verbis manifeſtè innuit Chriſtianos hominibus aſſimulari: Iudæos verò & Ethnicos brutis. Quorum meminiſſe videtur idem Vates Regius pſalm. 35. verſ. 7. *Homines & jumenta ſalvabis Domine.* Ideſt qui Chriſtianã doctrinam ſuſceperunt, & jumenta ideſt Iudæos qui more pecudum ad obſervantiam legis Moyſis movebantur, inhiantes potius rebus temporalibus, quàm ſpiritualibus comparandis. Audi eundem D. Auguſtinum in pſalm. 35. *Nam* (inquit) *populus ille terrena bona deſideravit, & regnum Ieruſalem, ſubjectionem inimicorum ſuorum, abundantiam frugum, ſalutem propriam, ſalutem filiorum ſuorum. Talia deſiderabant & talia accipiebant ſub lege cuſtodiebant. Deſiderabant à Deo bona, quæ dat & jumentis, quia nondum ad illos venerat filius hominis, ut eſſent filii hominum, tamen jam habebant nubes annuntiantes filium hominis. Venerunt ad illos Prophetæ, annuntiaverunt Chriſtum. Erant ibi qui nonniſi carnalia deſiderarent & terrena, temporalemque fælicitatem. Ipſis labebantur pedes ad facienda vel ornanda idola.* Per homines autem fideles intelliguntur, qui ſub lege gratiæ in Eccleſia vivunt.

Pſal 35 v. 7. — *Auguſt.*

II. Elias ſubjicit *univerſum Iſrael*, ideſt magnam partẽ Iſrael. Quare tantùm cætũ convocat? Dicendum eſt primò ut ſit teſtis necis prophetarũ Baal, qui adduxerant & introduxerant idololatriam in Iſrael ſub auſpiciis & protectione Iezabelis. Secundò viſa cæde Prophetarum Baal eorum ritus, cultumque Baalis deinceps deteſtaretur. Tertiò, ut Iſraelitæ audirent reſponſa facta à pſeudoprophetis ſub nomine Baal eſſe falſa. Quartò, ut populus videret pluviam à Deo per ſpecialem favorem dari, ac oratione Eliæ obtineri. Si enim adfuiſſet populus pſeudoprophetę adhibuiſſent pluviam ſuo Baali: & illius cultores fuiſſent in idololatriâ obſtinatiores. Denique, ut populus viſâ nõ tantùm pluviâ divinitus emiſsâ, conſpectâque falſitate pſeudoprophetarum retraheretur ab idololatriâ. Dicendum potius ad rem noſtram, & hoc cum Lyrano, Dionyſio Abulenſi, per univerſum Iſrael intelligendos eſſe majores & primates regni. Sic licet Concilia Diœceſana ab Epiſcopo, Provincialia ab Archiepiſcopo, Nationalia à Patriarchâ vel Primate poſſint convocari (ut notat D. Auguſtinus epiſt. 217. ad Victorinum, & fatentur hæretici, Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 7. §. 8. Illyricus cent. 4. cap. 7.) Tamen munus convocandi Concilium Generale, non ad Imperatorem ſpectat, ſed ad Romanum Pontificem: ita ut nemo illud indicere poſſit, niſi de ejus mandato, & conſenſu. Patet in primis ex ſcripturâ, quæ manifeſtè docet Concilium non eſſe legitimum niſi in nomine Chriſti convocetur. Matthæi cap. 18. verſ. 20. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Cornelius ex hoc loco cum nonnullis probat auctoritatem Conciliorum, & Calvinus apud Bellarminum de Conciliis & Eccleſiâ lib. 1. cap. 12. *Matt. 18. v. 20.*

III. Ratio verò prima hæc eſt, quia cõgregare Concilium totius Eccleſiæ ſpectat ad caput totius Eccleſiæ: at caput illud eſt Pontifex, non vero Imperator, alioqui in initio Eccleſiæ Concilia debuiſſent congregari à Tiberio, Nerone, & aliis Imperatoribus Ethnicis. Deindè Imperator convocare nequit, niſi ſibi ſubjectos. Sed multæ provinciæ non ſunt ſubjectæ Imperatori, igitur nec ipſe earum Epiſcopos, &c. convocare poteſt. Tertiò habet Eccleſia Canonem antiquiſſimum quo ſtatuitur præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari non poſſe, quem canonem eſſe Apoſtolicum ſcribit Marcellus Papa ad Epiſcopos Antiochiæ Provinciæ. & Julius I. in epiſtolâ ad Epiſcopos Orientales, (cujus meminit Socrates & alii) teſtatur eſſe renovatum in Concilio Nicæno primo canone I. his verbis. *Non debent præter Romani Pontificis ſententiam celebrari.* Verba autem Julii I. epiſt. 1. ad Orientis Epiſcopos, quæ extat tomo 1.

Conciliorum

Conciliorum ante Cõcilium Romanum primum ab eodem celebratum. *Hæc ſunt* (inquit) *Patres quæ ob inſidias, & illicitas altercationes unanimiter in prædictâ Nicanâ ſtatuerimus Synodo, ut nullus Epiſcopus niſi in legitimâ Synodo, & ſuo tempore Apoſtolicâ authoritate convocatâ ſuper quibuſdam criminationibus pulſatus audiatur, id eſt judicetur, vel damnetur.* Et poſt pauca. *Ipſi verò primæ ſedis Eccleſiæ convocandorum jura & judicia Epiſcoporum, ſingulari privilegio Evangelicis, & Apoſtolicis atque Canonicis conceſſa ſunt ſtatutis: quia ſemper majores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam multis authoritatibus percepta ſunt: nec ullo modo poteſt major à minori judicari. Ipſa namque omnibus major & prælata eſt Eccleſiis, quæ non ſolummodò canonum & ſanctorum Patrum decretis, ſed Domini Salvatoris noſtri voce ſingularem obtinuit principatum. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quartò in Concilio Chalcedonenſi actione 1. Dioſcorus Alexandrinus damnatus, quia inter cœtera auſus eſt facere Synodum abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate. *Quod* (inquiunt ibi legati Romani Pontificis) *nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Quintò idem docent alii antiqui Pontifices Leo I. epiſtolâ ad Turpinum quæ eſt 93. cap. 17. *Dedimus* (inquit) *epiſtolas ad fratres & Coepiſcopos noſtros eiſque concilium Synodi generalis indiximus.* Pelagius II. in epiſt. 1. ad Orientales. *Generalium Conciliorum convocandi poteſtas Apoſtolicæ ſedi B. Petri ſingulari privilegio tradita eſt.* Sixtus III. prædeceſſor Leonis. & Pelagius in epiſt. ad Orientales. *Valentinianus* (inquit) *Auguſtus noſtrâ authoritate Synodum convocavit.* Adrianus II. in epiſtolâ ad Imperatorem quæ lecta eſt in octavâ Synodo actione 1. *Volumus per tuæ pietatis induſtriam Conſtantinopoli numeroſum convocari Concilium.* Sextò favet antiquus uſus & praxis Eccleſiæ, Nam licet Imperatores ſubindè dicantur indixiſſe Concilia, vel Epiſcopos ad ea convocaſſe, id tamen ſoliti ſunt facere authoritate Pontificum Romanorum: Quemadmodũ Achab rex omnes primates Synagogæ, populi mandante Eliâ convocavit. Ratio verò cur Imperatores Epiſcopos ſic convocarint, eſt quia cum Eccleſia in cunis ageret, Pontifices Imperatorum operâ & auxilio indigebant, ideoque Concilia per illos indici curabant, ut res commodius & efficacius fierent. Maximè cum illis temporibus Epiſcopi ſumptibus publicis ad Concilia pergerent. Cùm inſuper lege antiquiſſimâ Imperiali prohiberentur congregationes Epiſcoporum inſcio & invito Imperatore.

IV. Quod verò jus primarium ſeu ordinarium convocandi Epiſcopos ad Concilium non competat Imperatoribus, hac ratione convinci poteſt. Quando Chriſtus in cœlum aſcendit, ſuâque præſentiâ viſibili Eccleſiam deſtituit, non credidit ejus curam, congregandi Eccleſiam Tyberio Imperatori, qui tunc imperabat, ſed Petro Apoſtolo. *Paſce oves meas.* Igitur ſucceſſorum Petri, non vero Tyberii eſt congregare Eccleſiam. Deindè is poteſt indicere Concilium generale, qui omnes cogere poteſt: ſed nullus Imperator habuit totam Eccleſiam ſibi ſubjectam, etiam quoad actiones civiles, ſicut ſummus Pontifex illam ſibi ſubjectam habet, quoad actiones ſpirituales. Nam tempore S. Leonis & S. Proſperi Imperium Romanum latiſſimè diffundebatur, nihilominus major pars mundi ſubjiciebatur Pontifici Romano quàm Imperatori: ut eleganter de Româ fatur D. Leo ſermone 1. de SS. Petro & Paulo. *Ut per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta latius præſideres religione divinâ, quàm dominatione terrenâ. Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terrâ marique protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſti ſubjecit.* S. Leo. Hujus verò Imperii Romani dominium tantillum eſt: unde vix unius Provinciæ Epiſcopos poteſt cogere ad Concilium. Nam Italia, Polonia, Hiſpania, Gallia à ſuis propriis Regibus & Principibus reguntur. Præterea quamvis Orbis Chriſtianus careret Regibus & Imperatoribus, tamen poſſent celebrari Concilia Generalia. Inſuper Reges, Duces, Magiſtratus civiles

civiles non indicant Provincialia Cõcilia vel Nationalia: igitur nec Imperator Generalia. Et ſicut Provincialia indicantur à Metropolitano, Nationalia à Primate ſeu Patriarchâ: ita Generalia à ſummis Pontificibus. Cur enim Generalia convocarentur à principe politico & civili, potius quàm Nationalia & Provincialia. Confirmatur ex Concilio Romano quarto ſub Symmacho, in quo cùm Rex Theodoricus aſſereret ſe Synodũ convocaſſe, ut cauſa Symmachi pontificis judicaretur. Epiſcopi omnes reſponderunt non debuiſſe à Rege Synodum convocari, licet Pontifex accuſaretur: quibus Rex ſubjecit ſe Synodum indixiſſe volente & annuente Papâ. Cui tamen Epiſcopi non crediderunt, niſi poſtquam illis protulit litteras Pontificis, & Pontifex præſens ita eſſe affirmavit. Omitto alias rationes quas cumulat Joannes à Turrecremata lib. 3. cap 6. Item Concilium Lateranenſe ultimum ſub Leone X, ſeſſ. 11. Quod aſſerit munus, & jus Romani Pontificis eſſe convocare Generalia Concilia. Quod decretum emanavit uno anno priuſquam Lutherana hęreſis prodiret. Prætereo etiam alios Canones qui habentur diſtinctione 17. Sufficit quod ſummus pontifex præſit toti orbi, ut eleganter oſtendit ſanctus Leo ſermone 5. de anniverſario die aſſumptionis ſuæ ad pontificatum, & epiſt. 34. ad Anaſtaſium in fine. Nec refert quod Actor. cap. 6. verſ. 2, ipſi Apoſtoli dicantur cõgregaſſe Concilium primum Apoſtolicum, non verò D. Petrus. *Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt, non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* (Act. c. 6. v. 2.) Ex hoc enim tantùm poteſt colligi Concilium non fuiſſe indictum inconſultis & inauditis Apoſtolis, non autem congregatum eorum authoritate, ſed ſolius D. Petri, quia totius univerſalis Eccleſiæ regimen ſoli Petro fuit commiſſum, & ejus ſucceſſoribus. Nec refert ſecundò quod apud Gratianum extent multa capita diſtinction. 25. in quibus dicitur Concilia fuiſſe congregata authoritate Imperatorum: nam dicendum eſt hoc factum fuiſſe, vel uſurpatâ legitimâ juriſdictione, vel quia ejuſmodi Concilia fuerunt convocata in Civitatibus juriſdictioni Imperatorũ ſubjectis, ad quas ut tutè poſſent accedere, & liberè de rebus fidei Catholicæ diſſerere & ſuffragari, legesvè & Canones à Concilio emanan facilius promulgarentur, dicuntur quodam modo authoritate Imperatoris coacta Concilia. Sic in ſextâ Synodo actione 18. Conſtantinus & Sylveſter dicuntur magnam Synodum apud Nicęnam congregaſſe: apud Theodoretum lib. 5. teſtantur Epiſcopi in epiſtolâ ad Damaſum ſe mandato litterarum ejus ad Imperatorem Theodoſium miſſarum Conſtantinopolim ad ſecundum Concilium Generale conveniſſe. Quod ad tertium Concilium Generale, quod eſt Epheſinum conſtat illud congregatum fuiſſe induſtriâ ſancti Cyrilli Alexandrini, tanquam Vicarii Sedis Apoſtolicæ. Quoad Concilium Chalcedonenſe in quadam epiſtolâ ad Leonem Imperatorem dicunt Epiſcopi Synodum illam congregatam juſſu Leonis Romani pontificis, qui eſt caput Epiſcoporum. Idem docet epiſt. 35. cap. 17. Cùm ergò idem pontifex epiſtol. 13, ſupplicat Theodoſio Juſto ut convocet Concilium, cenſendus eſt ſolùm rogare ut illud indicat ipſius pontificis authoritate.

§. 1.

Præſes Conciliorum Romanus Pontifex.

IDeò Elias Achabum alloquens ait: *Congrega ad me.* Vt innueret ſe illius congregationis eſſe præſidem. (I. l. 3. reg. cap. 18.) Quæ præſidentia in Conciliis univerſalibus ad ſolum etiam pontificem pertinet. Ratio prima, quia hoc eſt proprium munus capitis cui in Petro dictum eſt, *Paſce oves meas, confirma fratres tuos.* Et patet ex praxi veterum Conciliorum. Nam in Nicæno primo præſedit Sylveſter per legatos, ut docet S. Leo & alii, ut patet ex actis ipſius Concilii. Cui Hoſius Cordubenſis

Cordubenſis, Vitus. & Vincentius, Præsbyteri præfuerunt, qui tres primi omnium loco Romani pontificis ſubſcripſerunt Neque Conſtantinus, qui ibi aderat locum præſidis tenuit, imò ſedit in ſede humiliori, quàm eſſet ſedes Epiſcoporum, profeſſus ſe Epiſcopis ſubjectum eſſe ut patet ex Theodoreto lib. 1. hiſtor. cap. 7. & Ruffino lib. 1. cap. 2.

II. Secundò, Concilio Generali ſcilicet Conſtantinopolitano primo non præſedit Imperator, ſed tantùm litteras Romani Pontificis miſit ad Epiſcopos, quibus ad Concilium vocabantur, ut patet ex epiſtolâ Concilii ad Damaſum, quam refert Theodoretus lib. 5. cap 9. Cui Concilio præſedit Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Cauſa hujus rei eſt: quia Pontifex Romanus non interfuit, nec per ſe, nec per legatos. Damaſus enim convocaverat quidem Conſtantinopolim Epiſcopos Orientis, ſed poſtea voluit eos illinc tranſire Romam, quò convocaverat Epiſcopos Occidentis, ut fieret pleniſſimum Concilium. Sed juſtas ob cauſas Orientales ſe excuſarunt, & conjunxerunt ſe animis & opinionibus cum Occidentalibus, licet præſentiâ corporali eſſent ab invicem diſſiti. De quo vide Theodoretum libr. 5. cap. 9. & 10. ubi refert epiſtolas Damaſi ad Concilium Conſtantinopolitanum, & Concilii ad Damaſum. Quod hic interfuiſſet, & indubiè præfuiſſet, patet ex citatis epiſtolis, ubi illi venerantur Damaſum, ut caput ſuum, & ille viciſſim ſuos vocat filios.

III. Tertiò, Concilio ſcilicet Epheſino non præfuit Imperator, ſed Romanus pontifex per legatum ſuum, ſcilicet ſanctum Cyrillum Alexandrinū. Quod Imperator ſcilicet Theodoſius Junior non præfuerit: imò nec interfuerit patet ex ejus epiſtolâ ſcriptâ ad Synodum, quæ habetur tomo 1. illius Concilii cap. 32. ubi ait ſe miſiſſe Cādidianum comitem ad Concilium ad defendendam Synodum, non verò ad aliquas quæſtiones præponendas vel ſolvendas. Conſule etiam epiſtolam Nicolai I. ad Michaelem Imperatorē. Quod ſanctus Cyrillus in Concilio 200. Patrum Epheſi præſederit, & Neſtorium aliosque hæreticos profligarit, vide Evagrium lib. 1, cap. 41. Photium lib. de ſeptem Synodis, Proſperum in chronico, Nicephorum lib. 14. cap. 34. Liberatum Abbatem in Breviario cap. 15. Juſtinianum in edicto, Cæleſtinum in epiſtolâ ad Cyrillum quæ extat in hâc Synodo, tom. 1. cap. 16. & inter opera Cyrilli, noſtrum P. Lezanam tomo 3. Annalium anno Chriſti 429.

Quarto Concilio ſcilicet Chalcedonenſi in initio interfuit quidem Imperator Martianus & primum locum occupavit, ſed non præfuit ut judex, nec quiſquam ejus nomine: ut colligitur ex ejus oratione ad Synodum, quæ habetur actione 1. ubi ait ſe veniſſe ad fidem confirmandam, ut olim Conſtantinus, ſed non ad explicandam fidem, & dirimendas controverſias, ſed ut fides à Concilio explicata firma & tuta conſiſtat, ſcilicet authoritate Imperatoris defenſa. Nec refert quod in variis actionibus aliqui judices ſæculares cōparuerint. Illi enim non adfuêre ut judices, ſed partim ad ornandum Concilium ſuâ præſentiâ: partim ad comprimendā hæreticorum violentiam, & ut ordinatè omnia gererentur. Quod totum conſtat ex epiſtolâ Concilii ad Leonem. *Supereſt* (inquit) *ut ſi placuerit tua beatitudini in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: noſtris utique deſideriis veſtra Sanctitas ſatisfaciet, & ſacra religioni, quæ utilia ſunt decernet.* Quibus verbis declarat non eſſe ſui juris celebrare Synodum, & quidquam de fide decernere, cui Leo acquievit mittens ſuos legatos qui vices ſuas implerent. Idē patet ex ejuſdem Leonis epiſtol. 17. ad Theodoſium Auguſtum & epiſtol. 51. ad Pulcheriam Auguſtam, in quâ Leo præſcribit formam judicandi in illâ Synodo Chalcedonenſi ſervandā, *Non aſpernanter accepi, ut binos de Coepiſcopis meis, & compræsbyteris ordinarem qui vicem meam implere ſufficerent: etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus ſcriptis, quibus fraternitas advocata cognoſceret quam formam ſervare in hac dijudicatione deberet.* IV. *Leo*

Confirmatur ex dicto Valentiniani Imperatoris, qui (ut refert Sozomenus lib. 6. cap. 7.) rogatus ab Epiſcopis, ut eis permitteret Cõcilium celebrare, reſpondit. *Mihi qui ſum in ſorte* Sozom. *plebis non eſt talia curioſius perſcrutari ſacerdotes, quibus iſta cura ſunt quæcumque voluerint loco conveniant.* Denique patet ex Athanaſio in epiſtola ad ſolit. vitam agentes arguente Cõſtantinum Imperatorem quod præſederit judiciis Eccleſiaſticis, de quibus omnibus ſpecialiter videndus Malderus relect. de conciliis cap. 4. & 5. Item de aliis conciliis, Bellarminus lib. 1. de conciliis cap. 19. & 20. Solùm ſolvemus difficultatẽ circa concilium Francofurtenſe, in quo Fœlix & Elipandus fuerunt condemnati, cui interfuit Carolus Magnus, & videtur convocaſſe Epiſcopos ex omnibus provinciis. Ad quod dicendum eſt eò miſſos fuiſſe legatos à Pontifice. Vndè illud Concilium tantùm legitimum cenſetur quoad ea quæ à Pontifice confirmata ſunt. Hinc Ariminenſe Concilium juſſu Conſtantii Imperatoris convocatum, fuit declaratum illegitimum, & irritum, quia Pontifex Romanus ei non conſenſit. Ita Theodoretus lib. 4, cap. 22. Paulus Æmilius lib. 3. de geſtis Francorum in Ludovico ait. *Lugduni Concilium Epiſcoporum quos filii (ſcilicet Ludovici Regis)* Paulus Æmilius *Reges contraxerant habitum, imperiumque Patri abrogatum, quod decretum mox à Gregorio Pontifice maximo reſciſſum eſt & audacia Archiepiſcopi Lugdunenſis mulctata: ex ſede enim dejectus eſt.* Contra quam depoſitionem Clerus Galliæ reclamavit, & meritò. Nam (ut habetur lib. 7. capitul. cap. 265.) *Conſtitutiones contra Canones & decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores nullius ſunt momenti.* Et cap. 267. decernitur. *Vt comprovincialis Synodus retractaretur per Vicarios urbis Romæ, ſi ipſe decreverit.* Quibus innuitur decreta Synodorum provincialium ſubjacere cenſuræ Papæ.

V. Textus ſacer refert quod Achab juſſus eſt ab Eliâ compare cum primatibus ſuis, & ei paruit: quia videbat Eliam non ſe quærere ſed Dei honorem. Erat enim Elias homo non pinguis, & benè cultus, ſed pœnitentiâ pallidus, macilentus, rigidus, cilicio indutus, noctu diuque altiſſimæ meditationi vacans. Sic Lucæ cap. 3. omnes Ioannem colebant, eique credebant quia pellibus indutus erat, aſperâ pœnitentiâ confectus, uno verbo, non tam ſermone, quàm moribus & vitâ prædicabat. Vndè omnium corda in admirationem rapiebat & convertebat. Ipſe Herodes eum metuebat ſciens eum virum juſtum & ſanctum. Ionæ cap. 3. ut pervenit Ionæ prædicatio ad Regem Ninivæ, ſurrexit Rex de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, &c. Aliqui exiſtimant hunc regem Ninive fuiſſe Sardanapalum. Attila rex Barbarus viſo ſancto Lupo ſtatim ſe ſubmiſit, & à conceptâ cœde & incendio abſtinuit. Vel Achab comparet in Carmelo, non ut diſputationis Eliæ cum Baalitis foret judex, illique concertationi præſideret, ſeu ut aliquam violentiam ſedaret. Alii tamen ut Abulenſis in cap. 18. libr. 3. Regum quæſt. 16. Salianus ad annum 3126. aiunt Achab paruiſſe & comparuiſſe quia pluviam deſiderabat, eamque ex ſolo Eliæ verbo, & nutu ſciebat dependere: ita ut auſus nõ fuerit ei reluctari, nè illum exaſperaret, & ſic nollet orare pro impetranda pluviâ, imò ſi Elias ei aliquid injunxiſſet, rex paruiſſet. Ex quo patet quam obedientes ſint mundani homines quando piorum operâ indigent. Cæterùm quemadmodum Deus illi congregationi in Carmelo non benedixiſſet niſi præfuiſſet Elias, ſic concilia nullius fuiſſent roboris, niſi Pontifex præfuiſſet, & illorum decreta confirmaſſet. Vndè fit ut Concilium Francofurtenſe ſit legitimum quoad ea, quæ probavit Adrianus contra Fælicem & Elipandum ſcilicet Chriſtum non eſſe filium Dei adoptivum. Et confirmatur eo quod Fælix Epiſcopus Vrgelitanus biennio ante Synodum fuerit miſſus Romam ut coram Pontifico Adriano hæreſim abjuraret, quod præſtitit, ſed tantùm verbis. Quare Synodus Francofurtenſis coacta eſt, præſiden-

præſidentibus Legatis ſedis Apoſtolicæ (ut refert Ado Viennenſis) non verò præſide Carolo. Idem dicendum de aliis Conciliis, quæ in Eccleſia, eodem Carolo imperante celebrata ſunt ab Epiſcopis Galliæ & Germaniæ, ut teſtatur Rhegino ſub annum 813. quorum unum Moguntiæ, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabilone, quintum Arelate, pro quibus (ut notat Flodoardus libr. 6. *Flodoar.* cap. 267.) præhabita eſt Romani Pontificis facultas. Vnde ſubdit, *Authoritas Eccleſiaſtica atque Canonica docet non debere abſque ſententiâ Rom. Pontificis Concilia celebrari.* Et Baronius ad *Baron.* annum 770. art. 21. ſubjungit. *Quibus intelligas quotquot ſub iiſdem Francorum Regibus legiſti celebrata fuiſſe eorum ordinatione Concilia, eadem non niſi aſſenſu Romanorum Pontificum habita eſſe*, Pro coronide audiamus Gerſonis mentem de Conciliis Generalibus, qui licet cautè legendus ſit, tamen *Gerſon.* huic veritati ſubſcribit, in tract. de poteſtate Eccleſiaſticâ conſideratione 11. *Concilium generale in ſuâ ratione formali includit de neceſſitate papalem authoritatem.* Ibidem ait, quod licet ad tempus Concilium generale poſſit eſſe ſine Papâ, tamen talem defectum ferre non poteſt. *Quia tamen habere Papam eſt præceptum affirmativum obligans ad ſemper, & non pro ſemper (ſicut apparuit, quando vacavit ſedes per duos aut tres annos, ſicut & nunc vacat) nihilominus generale Concilium neque deberet, neque poſſet talem defectum capitis uſque ad finem ſæculi tolerare ſtante lege.* Quibus verbis innuit Eccleſiam vel Conciliũ congregatum authoritate Papæ non poſſe ſubſiſtere, imò vacante ſede ſuprema poteſtas ſpiritualis Eccleſiaſtica, quæ immediatè Petro & ſucceſſoribus ejus conceſſa eſt, non ineſt Eccleſiæ vel Concilio prout à Papâ ſeorſim intelligitur, ut præfatis verbis innuere videtur. Quod ſi hallucinetur, ignoſcendum illi (ut ait Poſſevi- *Poſſev.* nus in ſuo apparatu ſacro loquens de Gerſone.) *Tempora* (inquit) *quibus de poteſtate Eccleſiæ ſcripſit, ea fuerunt, ut plurima in mundo, & ob ſchiſma Petri Lunæ Antipapæ, & aliquot Anti-Cardinalium eſſent altercationes.* Et verò unuſquiſque licet Catholicus & doctus, dum id agitaretur in Synodo Conſtantienſi, variis ſententiis detineretur, qui ſartam tectam Eccleſiam Chriſti & unam inconſutilem veſtem optaret. Inter hos igitur fuit Gerſon qui aliquando in ſenſu ſuo abundans ea dixit, vel ſcripſit quæ nemini ambigendum eſt quin ſecùs ſenſiſſet, ſi ſequentia tempora, & ſecundas (ut vocant) cogitationes audiviſſet: præſertim eas, quæ ab eâdem Eccleſiâ ritè congregata non ſemel & iterùm profectæ fuerunt. Vide Amicum de fide diſput. 8. ſect. 2.

CAPUT XII.

Pontifex Romanus Concilium convocans inſtinctu Spiritus ſancti, ſuam ſanctitatem patefacit.

LIb. 3. Regum 18. verſ. 1. *Poſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio dicens, vade & oſtende te Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ.* I. *l. 3 Reg. 18. v. 1.* Cur ait ſuper faciem terræ, cùm poſtea dicatur quod facta fuerit pluvia grandis, quæ non tantùm ſuper ipſam ſuperficiem terræ cecidit, ſed etiam intra ipſa viſcera ejus recepta eſt? Dicendũ eſt hoc eſſe Deo familiare, ut plura det quàm promittat? Cur etiam textus dicit, vade & oſtende, &c. ut innuat univerſum Iſrael congregatum fuiſſe in Carmelum non nutu Eliæ, ſed divino: ut patet verſ. 17. ubi Elias ſic Deum affatur. *Oſtende hodie, quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Ideſt non tantùm præcepiſti, & inſpiraſti mihi, ut comparerem coram Rege Achab, ſed etiam ut populum & præcipuè Magnates in hunc locum congregarem. Toſtatus quæſt. 32. *Elias egit omnia iſta quia Deus juſſerat ſibi, ut ſic faceret, & non egit aliquid de corde ſuo* Idem præceptum ſeu inſpirationem divinam de facienda præfatâ congregatione innuere

nuere videtur Sanctus Chryſoſtomus tomo 1. homil. 1. de Eliâ expendens hæc verba. *Proficiſcere* (inquit) *verba legationis Dei ſunt, &c. Proficiſcere & compare apud Achab: reconciliari eis volo: ſed abs te non reconciliabor: gratiam illis præbe, qui nunc caſtigantur. Ego clam apud te pro illis intercedo: tu autem manifeſtus amicitiæ reſarcitæ ſis author. Vade & compare apud Achab, & dabo pluviam ſuper terram. Tu concilia, tu ſignifica, tu pluviam ſuper terram conceſſam prænuncia, & ede. Ego autem tuis ſententiis ſubſcribam.* Scilicet poſtquam convocaveris in Carmelum, &c. Actor. cap. 15. v. 6. *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc.* Per ſeniores Cornelius intelligit ſacerdotes, aitque hoc loco fieri mentionem primi conventus Eccleſiæ, primique Concilii, in quo acta eſt cauſa Chriſtianiſmi contra Judaiſmum ſcilicet anno 14. à converſione Pauli, ut ipſe fatetur Galat. cap. 2. verſ. 1. qui fuit annus à paſſione Chriſti 16. ab ejus nativitate 51. verſ. 7. *Surgens Petrus, dixit ad eos: viri fratres, vos ſcitis, &c.* Quare Petrus dicitur ſurgere? quia eſt Princeps Apoſtolorum, & primus Eccleſiæ. Quod autem ejuſmodi Cōcilium fuerit coactum Cœleſti inſtinctu, innuit verſ. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Ideſt Spiritui ſancto qui nos in unum congregavit. Vndè ſacra Concilia ſic decreta ſua auſpicantur. Concilium Tridentinum ſeſſione 2. *Sacroſancta Tridentina Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, in eâ præſidentibus tribus Apoſtolicæ ſedis legatis, agnoſcens cum B. Iacobo Apoſtolo quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendēs à Patre luminum, qui iis, qui poſtulant à ſe ſapientiam dat omnibus affluenter, & non improperat iis, & ſimul ſciens, quod initium ſapientiæ eſt timor Domini, ſtatuit & decrevit, &c.* Et ita in ſequentibus ſeſſionibus & longè ante illud ſexta Synodus actione 7. *Sancta, magna, atque univerſalis Synodus, quæ per gratiam Dei congregata eſt.* Concilium Chalcedonenſe in epiſtolâ ad Leonē. Cæleſtinus Papa in epiſtolâ ad Cōcilium Epheſinum, Concilium Toletanum tertium, paulò poſt initium congregationes univerſales fieri inſtinctu Spiritus ſancti probant ex illis verbis Matthæi cap. 18. verſ. 21. *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi ſum in medio eorum.* Arias vertit. *Duo vel tres coacti.* Si enim pauci, qui non humano ſed divino Conſilio congregantur, à fortiori Patres & Prælati Eccleſiæ. Deindè quamvis ratio naturalis dictet ut Reges & Principes ſœculares in rebus dubiis ab hominibus doctis conſiliū poſtulent, tamen ut ſoli Epiſcopi convocentur, & ii non modò conſiliariorum, ſed etiam judicum officio fungantur non humanæ rationis inventum, ſed divinum Conſilium, & cœleſtis gratiæ beneficium eſt, ut innuit Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ad Adrianum Romanum Pontificem in epiſtolâ quæ extat inter epiſtolas Adriani I. tomo 3. Conciliorum part. 1. ubi reddens rationem eorum quæ geſta ſunt in ſeptimâ Synodo univerſali. *Prædicabatur à nobis omnibus qui beneplacito Dei congregati eramus, recta & irreprehenſibilis confeſſio, &c.* Ait beneplacito Dei id factum & celebratum.

Concilium Trident.

§. I.

Qui convocandi ad Concilium ut Romanæ Sedis ſanctitas demonſtretur.

I. SUpra oſtendimus convocatum fuiſſe ab Eliâ univerſum Iſrael, ſeu Majores & Primates regni, ſeu magnam partem Iſrael. Idem Propheta ſubdit. *Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetaſque lucorum quadringentos qui comedunt de menſa Iezabel.* Quaſi diceret. Congrega illos vates, qui hoc tempore famis non eſuriunt, neque ſitiunt, nec compatiuntur plebi afflictæ propter idololatriam, cujus ſunt authores & propugnatores, ſed epulantur & veſcuntur cibis regiis, diſpoſitis pro menſa, & ex penuario Iezabelis depromptis. Dum Prophetæ Domini vix panem & aquam habent quibus victitent, illi

l. 3. Reg. 18. v. 19.

illi in domibus regum ſunt, hi in ſpeluncis: illi ſplendidi & magnifici, hi egeni & miſeri ſunt: illi ſuis adulationibus & mendaciis in gratiam aulicorum & primatum veniunt eoſque faſcinant, hi ſingulis momentis mortis decretum & tortorem expectant. Hoc exemplo vel figurâ poſſet aliquis concludere cum Luthero in lib. de Conciliis parte ſecundâ, proteſtantibus in eo libro, quem inſcripſerunt. Cauſa cur Electores & cœteri confeſſioni Auguſtanæ addicti ad Concilium Tridentinum non accedant: Carolus Molinæus in ſuo Conſilio de Concilio Tridentino non recipiendo §. 28. Magdeburgenſes centur. 1. lib. 2. cap. 9. eos omnes intereſſe debere ex omni genere hominum, qui docti ſunt, eoſque omnes debere eſſe judices, habereque ſuffragium deciſivum.

II. Sed conſtans omnium Catholicorum ſententia eſt ſolos Prælatos, majores, & eos omnes, ideſt Epiſcopos in Conciliis generalibus & provincialibus habere jus ſuffragii deciſivi ordinariè. Cardinales verò, Abbates, Generales Ordinum ex conſuetudine: Præsbyteros aliquos & alios Clericos minores Doctores tantùm vocari, ut ferant ſuffragia conſultiva, ſeu juvent in diſputando, aliiſque miniſteriis vacent.

III. Ratio prima fundatur in ſcriptura. Proprium officium Paſtorum eſt paſcere gregem, & docere quæ tenetur credere juxta illud Jeremiæ cap. 3. verſ. 15. *Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ.* (Ierem c. 3. v. 15.) Jeremiæ cap. 31. verſ. 10. *Qui diſperſit Iſrael congregavit eum, & cuſtodiet ſicut paſtor gregem ſuum.* Act. cap. 20, verſ. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* (Act. cap. 20 v. 15) Vndè meritò Deus côqueritur & defectum populi in carentiam paſtorum refundit Ezechielis cap. 34. v. 5. (Ezech. 34. v. 5) *Diſperſi ſunt oves meæ eo quod non eſſet Paſtor.* Et lib. 3. Regum cap. 22. v. 17. (3. Reg. 22. v. 17) Propheta Michęas cum magnum malum populo imminere ſignificaret. *Vidi* (inquit) *cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oves non habentes paſtorem.* Cui alludês Sapiens Proverb. cap. 11. verſ. 14. *Vbi non eſt gubernator populus corruet.* (Prover. 11 v. 14.) Ad quorum intelligentiam hæc D. Gregorii Nazianzeni in orat. 1. Apolog. adduci poſſunt. (Gregor. Naz.) *Nam* (inquit) *profectò ars quædam artium, & ſcientiarum mihi eſſe videtur hominem regere animal varium & multiplex: ideſt ars una eſt plures artes coercens.* Et paucis interjectis oſtendit hominem ſimilem eſſe beſtiis, quæ duce indigent. *Quemadmodum* (inquit) *ſi quis belluam varium & multiplicem ex multis belluis magnis juxta praviſque feris moribusq; compactam cicurare ac docere aggrediatur: huic in naturâ adeò variâ & prodigiosâ gubernandâ maximè utique labor ſubeundus ſit, magnumque certamen quippè nec vocibus, nec alimentis, nec manus attrectationibus, ac ſibilis, nec reliquis delectetur, ſed alii aliis pro ſua quiſque natura & conſuetudine vel gaudeant vel offendantur: ut qui ejuſmodi belluæ curam ſuſceperit cum variâ omninò & multiplici ſcientiâ ornatam eſſe oporteat. Haud diſſimili modo communi huic Eccleſiæ corpori inſtar compoſitæ cujuſdam, & inæqualis belluæ ex pluribus variiſque moribus & ſermonibus coagmentato ſummopere quoque neceſſe eſt Antiſtitem ſcilicet ſimul & ſimplicem eſſe, quantum ad eam, quàm ad res omnes adhibere debet animi integritatem. Et quam maximè varium & multiplicem quantùm ad id attinet, ut uniuſcujuſque benevolentiam ſibi concilie t.* Per animi integritatem intellige non tantùm virtutem, ſed prudentiam, doctrinam. Ita ut officium paſtoris cum doctrinâ ſit conjunctum. Sed innuere videtur Apoſtolus ad Epheſios cap. 4. verſ. 11. ubi de Chriſto Eccleſiæ ſtatus ordinantè. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* (Epheſ c. 4. v. 11.) Per Paſtores intellige Epiſcopos qui in unâ Diœceſi præſunt, & eam regunt. D. Anſelmus vult eoſdem eſſe paſtores & doctores (Anſelm.) qui eam paſcunt & docent. *Paſtores enim* (inquit) *& doctores unum regentium ordinem intelligimus, quia gregem Dei ipſe veraciter paſcit qui docet. Et ideò non dicitur diſtinctè alios autem paſtores, alios verò doctores: ſed dicitur conjunctè*

pallium ſibi à Sede Apoſtolicâ tribui poſtulaſſe. Idem Flodoardus libr. 4. cap. 1. teſtatur quod Fulco Rhemenſis Antiſtes ſcribens ad Formoſum Papam. *Subnectit etiam de quibuſdam Epiſcopis Galliarum, qui ſibi pallium indebitè à Romanâ poſcebant Sede, Metropolitanos ſuos tali aſpernantes tenore aſſerens, quod res eadem niſi prudenti præcauta foret ſollicitudine confuſionem non mediocrem generaret.* Sanctus Gregorius (ut patet ex epiſt. 51. ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum lib. 4. indict. 13.) ad Petitionem Regis Childeberti ei pallium tranſmittit, & conſtituit eum ſuum legatum in regno Childeberti, dicẽs juxta antiquum morem uſum pallii ac vices ſedis Apoſtolicæ ſe concedere. *Libenti animo* (inquit) *poſtulata concedimus, nè aut nobis quidquam de debito honore ſubſtrahere, aut præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis petitionem contempſiſſe videamur.* Idem Sanctus Gregorius poſt converſos Anglos miſit Auguſtino in ſignum primatiæ pallium, ut patet ex Bedâ libr. 1. hiſt. Angl. cap. 29. & Wilelmo Malmesburienſi lib. de geſtis Pontif. Anglorum. *Hic uſus pallii ita antiquiſſimus eſt ut nulla ſit provincia, nec Eccleſia ex Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis conſtat, ad quam non legantur pallia à Pontificibus miſſa. Vtuntur autem in ejuſmodi pallio Primates diebus ſolemnioribus in miſſarũ ſolemniis, ut habetur extra de auctoritate & uſu pallii cap. ad honorẽ Dei.* Vbi dicitur: *Solus Romanus Pontifex in miſſarũ ſolemniis pallio ſemper utitur & ubique, quoniam aſſumptus eſt in plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per pallium ſignificatur. Alii autem eo nec ſemper, nec ubique, ſed in Eccleſiâ ſuâ in quâ juriſdictionem Eccleſiaſticam acceperunt certis debent uti diebus.* Durandus illos dies ſpecificat. *In ſolemnibus* (inquit) *diebus, & qui in cujuſcumque Eccleſiæ privilegiis continentur.* Extra, cap. penult. & ult. &c. *Vtique non licet, niſi hoc in privilegio contineatur expreſſum.* Extra eo cap. fin. *Epiſcopus Oſtienſis qui Papam conſecrat utitur pallio ex inſtitutione Marci Papæ. Et etiam quidam Epiſcopi ex privilegio ſpeciali.*

Gregor.

III. Durand.

Notat Idem Durandus pallium eſſe ſignum tantæ authoritatis, ut antequam Metropolitanus pallio decoretur non debeat Cõcilium convocare, Chriſma conficere, Clericos in ſuâ provinciâ ordinare, Pontifices cõſecrare, vel Eccleſias dedicare, nec ſe Archiepiſcopum nominare. Extra de Elect. *Quod ſicut*, in fin. de poſt bonæ ii ad finem. Aiunt: *Tamen quod extra provinciam ſuam invitatus poſſet ordines tanquam ſimplex Epiſcopus ſine pallio celebrare.* Infra. *Sed unus Metropolitanus non poteſt cum alterius pallio celebrare, neque pari ratione ſepeliri, ſed cum proprio tantùm. Extra, de uſu pallii, Ad hoc.* Ex conſuetudine in Eccleſiâ ſemper obſervatâ, & canonibus, quoties Patriarcha vel Archiepiſcopus aliquis pallium recipit à Sede Apoſtolicâ, jurare debet fidelitatem & obedientiam beato Petro, ac ſanctæ Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ Pontifici Romano, & ejus ſucceſſoribus. Et meritò: nam Archiepiſcopi habent ſuam juriſdictionem à Romano Pontifice, & per pallium confertur illis ab eodem plenitudo poteſtatis in alios. Vnde cum tempore Schiſmatis multi à Romano Pontifice defeciſſent & adhærerent Friderico & Antipapis, Crucis & pallii dignitate privati ſunt: Inter quos Epiſcopus Papienſis, eo quod Civitas Octaviano hęreſiarchę & Friderico Imperatori tamdiu adhæreret. Forma iſtius juramenti à ſuſcipientibus pallium emittendi habetur in Pontificali Romano. Et ſanè ſi Imperatores juramentum fidelitatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præſtant, & promiſſis ſtare tenentur: ut patet ex ordine Romano. *In nomine Chriſti promitto, ſpondeo, atque polliceor ego N. Imperator coram Deo, & Divo Petro Apoſtolo me protectorem ac defenſorem fore hujus ſanctæ Eccleſiæ in omnibus utilitatibus in quantùm divino fultus fuero adjutorio ſecundùm ſcire meum ac poſſe.* A fortiori eodem juramento ſe aſtringere debent Primates pallium ſuſcipientes, hocque privari quando perjuri deprehenduntur.

CAPVT

CAPUT XI.

Pontifex Romanus ſuam authoritatem & ſanctitatem manifeſtat congregando Concilia & iis præſidendo.

1. QVemadmodum Elias intrepidè dixit Acabo Regi eum eſſe authorem Idololatriæ aliorumque malorum ac ſuppliciorum ſubſequentium, quæ totum Iſrael devaſtarant: ita quaſi deſpoticè, ac imperiosè jubet totum populum Iſrael congregari,
l. 3. Reg. lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 19. *Ve-*
18 v. 19 *rum tamen nunc mitte*, quaſi diceret, licet ob flagitia tua & pravum exemplum non merearis habere pluviam, & aliquod ſignum quo Deus Iſrael divinitatem, & omnipotentiam manifeſtet, quia magis adhæres Jezabeli, ejuſque falſis prophetis aurem arrigis, quàm Deo Iſrael, quàm Patrum tuorum præceptis & ſanctis traditionibus, quàm mihi: licet eos magis diligas, quàm me, quem jam à triennio perſequeris, & eodẽ mortis genere affeciſſes, quo reliquos Prophetas Domini, niſi me ſingularis Dei providentia protexiſſet, & paviſſet. Tamẽ ut videas quanta ſit Dei bonitas, & miſericordia, in te & univerſam Synagogam: quomodò ſim immemor malorum quæ feciſti, altaria deſtruendo, prophetas occidendo, me perſequendo, & quantò Deus populum tuum eodem quo hactenus vult favore & beneficiis afficere, quibus Patres tuos in deſerto: quos poſt rebelliones miraculis devincire ſtuduit. *Congrega ad me univerſum Iſrael.* Non rogo te, non hortor te, ſed præcipio ut omnes compellas, & prohibeo, nẽ quemquam impedias huc ad me convenire. Dicit *Congrega*, ut diſtinguat Synagogam ab Eccleſiâ Romanâ, quam oculis propheticis intuebatur, quæ non dicitur Synagoga ſicut cœtus Iudæorum: ſed Eccleſia, quaſi evocata: quia eſt cœtus vocatorum: nemo enim ad hunc Dei populum ſe adjungit per ſe, & ſuo proprio inſtinctu, ſed quotquot veniunt, à Dei vocatione præveniuntur. Gratia enim vocans eſt primum beneficium, quod ſancti à Deo accipiunt, juxta illud Romanorum cap. 8. verſ. 30. *Quos* Rom. c.
prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos 8. v. 30
vocavit, hos & juſtificavit, &c. Actorum cap. 2. verſ. 39. *Nobis eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.* Act. c. 2 v. 39. Dionyſius hæc verba ſic elucidat. *Per Evangelicam prædicationem, ſeu inſpirationem divinam ad fidem & charitatem, ſeu Eccleſiaſticam unitatem perduxerit, hoc eſt in omnibus prædeſtinatis, propter quod apud Ioannem ſcriptum eſt cap. 11. IESVS moriturus erat pro gente, & non ſolùm pro gente, ſed ut filios Dei qui diſperſi erant congregaret in unum.* Idem Apoſtolus explicans Eccleſiam, ſeu loquens de membris ejus 1. Corinth. 1. Corin.
cap. 1. verſ. 1. & 2. vocat illam con- c. 1. v. 1.
vocationẽ, & ejus membra vocatos. & 2.
Paulus vocatus Apoſtolus IESV-Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi ſanctificatis in Chriſto IESV vocatis ſanctis cum omnibus, &c. Cornelius. *Eſt Appoſitio, ſivè explicatio Eccleſiæ, ut ſi quæras quid ſit Eccleſia, reſpondebo hinc ex Paulo ſunt vocati ſancti: ſivè eſt congregatio, & cœtus fidelium, qui vocati ſunt ad ſanctitatem.* Vnde ſi Eccleſiæ etymologiam ſpectemus, venit à verbo [illegible] ideſt *Convoco*, cõvocantur autem non beſtiæ, ſed homines. At verò cœtus Judæorum non Eccleſia, ſed Synagoga appellatur, quia [illegible] Grecè, Latinè *Congrego*, ut notat Calepinus à grege derivatur quaſi Synagogæ filii ſunt quaſi beſtiæ, filii verò Eccleſiæ ſunt homines. Vndè illi congregantur more pecudum, hi verò convocantur quaſi homines. Id ſubtiliter animadvertit D. Auguſtinus in pſalmum 81. expendens illa verba verſ. 1. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum.* *In Synagoga* (inquit) Auguſt.
populum Iſrael accepimus quia & ipſorum propriè Synagoga dici ſolet, quamvis & Eccleſia dicta ſit. Noſtram verò Apoſtoli nunquam Synagogam dixerũt ſed ſemper Eccleſiã ſivè diſcernendi cauſa ſivè inter cõgregationem unde Synagoga:

convocat

Conciliorum ante Cõcilium Romanum primum ab eodem celebratum. *Hæc ſunt* (inquit) *Patres quæ ob inſidias, & illicitas altercationes unanimiter in prædictâ Nicanâ ſtatuerimus Synodo, ut nullus Epiſcopus niſi in legitimâ Synodo, & ſuo tempore Apoſtolicâ authoritate convocatâ ſuper quibuſdam criminationibus pulſatus audiatur, id eſt judicetur, vel damnetur.* Et poſt pauca. *Ipſi verò primæ ſedis Eccleſiæ convocandorum jura & judicia Epiſcoporum, ſingulari privilegio Evangelicis, & Apoſtolicis atque Canonicis conceſſa ſunt ſtatutis; quia ſemper majores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam multis authoritatibus percepta ſunt: nec ullo modo poteſt major à minori judicari. Ipſa namque omnibus major & prælata eſt Eccleſiis, quæ non ſolummodò canonum & ſanctorum Patrum decretis, ſed Domini Salvatoris noſtri voce ſingularem obtinuit principatum. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quartò in Concilio Chalcedonenſi actione 1. Dioſcorus Alexandrinus damnatus, quia inter cœtera auſus eſt facere Synodum abſque Sedis Apoſtolicæ authoritate. *Quod* (inquiunt ibi legati Romani Pontificis) *nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Quintò idem docent alii antiqui Pontifices Leo I. epiſtolâ ad Turpinum quæ eſt 93. cap. 17. *Dedimus* (inquit) *epiſtolas ad fratres & Coepiſcopos noſtros ei q́; concilium Synodi generalis indiximus.* Pelagius II. in epiſt. 1. ad Orientales. *Generalium Conciliorum convocandi poteſtas Apoſtolicæ ſedi B. Petri ſingulari privilegio tradita eſt.* Sixtus III. prædeceſſor Leonis. & Pelagius in epiſt. ad Orientales. *Valentinianus* (inquit) *Auguſtus, noſtrâ authoritate Synodum convocavit.* Adrianus II. in epiſtolâ ad Imperatorem quæ lecta eſt in octavâ Synodo actione 1. *Volumus per tuæ pietatis induſtriam Conſtantinopoli numeroſum convocari Concilium.* Sextò favet antiquus uſus & praxis Eccleſiæ. Nam licet Imperatores ſubindè dicantur indixiſſe Concilia, vel Epiſcopos ad ea convocaſſe, id tamen ſoliti ſunt facere authoritate Pontificum Romanorum: Quemadmodũ Achab rex omnes primates Synagogæ, populi mandante Eliâ convocavit. Ratio verò cur Imperatores Epiſcopos ſic convocarint, eſt quia cum Eccleſia in cunis ageret, Pontifices Imperatorum operâ & auxilio indigebant, ideoque Concilia per illos indici curabant, ut res commodius & efficacius fierent. Maximè cum illis temporibus Epiſcopi ſumptibus publicis ad Concilia pergerent. Cùm inſuper lege antiquiſſimâ Imperiali prohiberentur congregationes Epiſcoporum inſcio & invito Imperatore.

IV. Quod verò jus primarium ſeu ordinarium convocandi Epiſcopos ad Concilium non competat Imperatoribus, hac ratione convinci poteſt. Quando Chriſtus in cœlum aſcendit, ſuâque præſentiâ viſibili Eccleſiam deſtituit, non credidit ejus curam, congregandi Eccleſiam Tyberio Imperatori, qui tunc imperabat, ſed Petro Apoſtolo. *Paſce oves meas.* Igitur ſucceſſorum Petri, non vero Tyberii eſt congregare Eccleſiam. Deindè is poteſt indicere Concilium generale, qui omnes cogere poteſt: ſed nullus Imperator habuit totam Eccleſiam ſibi ſubjectam, etiam quoad actiones civiles, ſicut ſummus Pontifex illam ſibi ſubjectam habet, quoad actiones ſpirituales. Nam tempore S. Leonis & S. Proſperi Imperium Romanum latiſſimè diffundebatur, nihilominus major pars mundi ſubjiciebatur Pontifici Romano quàm Imperatori: ut eleganter de Româ fatur D. Leo ſermone 1. de SS. Petro & Paulo. *Ut per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta latius præſideres religione divinâ,* S. *Leo.* *quàm dominatione terrenâ. Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terrâ mariq; protuleris, minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſti ſubjecit.* Hujus verò Imperii Romani dominium tantillum eſt: unde vix unius Provinciæ Epiſcopos poteſt cogere ad Concilium. Nam Italia, Polonia, Hiſpania, Gallia à ſuis propriis Regibus & Principibus reguntur. Præterea quamvis Orbis Chriſtianus careret Regibus & Imperatoribus, tamen poſſent celebrari Concilia Generalia. Inſuper Reges, Duces, Magiſtratus

Cordubenſis, Vitus. & Vincentius, Præsbyteri præfuerunt, qui tres primi omnium loco Romani pontificis ſubſcripſerunt Neque Conſtantinus, qui ibi aderat locum præſidis tenuit, imò ſedit in ſede humiliori, quàm eſſet ſedes Epiſcoporum, profeſſus ſe Epiſcopis ſubjectum eſſe ut patet ex Theodoreto lib. 1. hiſtor. cap. 7. & Ruffino lib. 1. cap. 2.

II. Secundò, Concilio Generali ſcilicet Conſtantinopolitano primo non præſedit Imperator, ſed tantùm litteras Romani Pontificis miſit ad Epiſcopos, quibus ad Concilium vocabantur, ut patet ex epiſtolâ Concilii ad Damaſum, quam refert Theodoretus lib. 5. cap. 9. Cui Concilio pręſedit Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Cauſa hujus rei eſt: quia Pontifex Romanus non interfuit, nec per ſe, nec per legatos. Damaſus enim convocaverat quidem Conſtantinopolim Epiſcopos Orientis, ſed poſtea voluit eos illinc tranſire Romam, quò convocaverat Epiſcopos Occidentis, ut fieret pleniſſimum Concilium. Sed juſtas ob cauſas Orientales ſe excuſarunt, & conjunxerunt ſe animis & opinionibus cum Occidentalibus, licet præſentiâ corporali eſſent ab invicem diſſiti. De quo vide Theodoretum libr. 5. cap. 9. & 10. ubi refert epiſtolas Damaſi ad Concilium Conſtantinopolitanum, & Concilii ad Damaſum. Quod hic interfuiſſet, & indubiè præfuiſſet, patet ex citatis epiſtolis, ubi illi venerantur Damaſum, ut caput ſuum, & ille viciſſim ſuos vocat filios.

III. Tertiò, Concilio ſcilicet Epheſino non præfuit Imperator, ſed Romanus pontifex per legatum ſuum, ſcilicet ſanctum Cyrillum Alexandrinū. Quod Imperator ſcilicet Theodoſius Junior non præfuerit: imò nec interfuerit patet ex ejus epiſtolâ ſcriptâ ad Synodum, quæ habetur tomo 1. illius Concilii cap. 32. ubi ait ſe miſiſſe Cādidianum comitem ad Concilium ad defendendam Synodum, non verò ad aliquas quæſtiones præponendas vel ſolvendas. Conſule etiam epiſtolam Nicolai I. ad Michaelem Imperatorē. Quod ſanctus Cyrillus in Concilio 200. Patrum Epheſi præſederit, & Neſtorium aliosque hæreticos profligarit, vide Evagrium lib. 1, cap. 41. Photium lib. de ſeptem Synodis, Proſperum in chronico, Nicephorum lib. 14. cap. 34. Liberatum Abbatem in Breviario cap. 15. Juſtinianum in edicto, Cæleſtinum in epiſtolâ ad Cyrillum quæ extat in hâc Synodo tom. 1. cap. 16. & inter opera Cyrilli, noſtrum P. Lezanam tomo 3. Annalium anno Chriſti 429.

Quarto Concilio ſcilicet Chalcedonenſi in initio interfuit quidem Imperator Martianus & primum locum occupavit, ſed non præfuit ut judex, nec quiſquam ejus nomine: ut colligitur ex ejus oratione ad Synodum, quæ habetur actione 1. ubi ait ſe veniſſe ad fidem confirmandam, ut olim Conſtantinus, ſed non ad explicandam fidem, & dirimendas controverſias, ſed ut fides à Concilio explicata firma & tuta conſiſtat, ſcilicet authoritate Imperatoris defenſa. Nec refert quod in variis actionibus aliqui judices ſæculares cōparuerint. Illi enim non adfuère ut judices, ſed partim ad ornandum Concilium ſuâ pręſentiâ: partim ad comprimendā hęreticorum violentiam, & ut ordinatè omnia gererentur. Quod totum conſtat ex epiſtolâ Concilii ad Leonem. *Supereſt* (inquit) *ut ſi placuerit tua beatitudini in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: noſtris utique deſideriis veſtra Sanctitas ſatisfaciet, & ſacræ religioni, quæ utilia ſunt decernes.* Quibus verbis declarat non eſſe ſui juris celebrare Synodum, & quidquam de fide decernere, cui Leo acquievit mittens ſuos legatos qui vices ſuas implerent. Idē patet ex ejuſdem Leonis epiſtol. 17. ad Theodoſium Auguſtum & epiſtol. 51. ad Pulcheriam Auguſtam, in quâ Leo præſcribit formam judicandi in illâ Synodo Chalcedonenſi ſervandā, *Non aſpernanter accepi, ut binos de Coepiſcopis meis, & compræsbyteris ordinarem qui vicem meam implere ſufficerent: etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus ſcriptis, quibus fraternitas advocata cognoſceret quam formam ſervare in hac dijudicatione deberet.* IV.

Leo

Bbb 2 Confir-

Confirmatur ex dicto Valentiniani Imperatoris,qui(ut refert Sozomenus lib. 6. cap. 7.) rogatus ab Epiſcopis, ut eis permitteret Cōcilium celebrare, reſpondit. *Mihi qui ſum in ſorte plebis non eſt talis curioſius perſcrutari ſacerdotes,quibus iſta cura ſunt quocumque voluerint loco conveniant.* Denique patet ex Athanaſio in epiſtola ad ſolit. vitam agentes arguente Cōſtantinum Imperatorem quod præſcederit judiciis Eccleſiaſticis, de quibus omnibus ſpecialiter videndus Maldetus relect. de conciliis cap. 4. & 5. Item de aliis conciliis, Bellarminus lib. 1. de conciliis cap. 19. & 20. Solùm ſolvemus difficultatē circa concilium Francofurtenſe, in quo Fœlix & Elipandus fuerunt condemnati, cui interfuit Carolus Magnus, & videtur convocaſſe Epiſcopos ex omnibus provinciis. Ad quod dicendum eſt eò miſſos fuiſſe legatos à Pontifice. Vndè illud Concilium tantùm legitimum cenſetur quoad ea quæ à Pontifice confirmata ſunt. Hinc Ariminenſe Concilium juſſu Conſtantii Imperatoris convocatum ,fuit declaratum illegitimum, & irritum, quia Pontifex Romanus ei non conſenſit. Ita Theodoretus lib. 4, cap. 22. Paulus Æmilius lib. 3. de geſtis Francorum in Ludovico ait. *Lugduni Concilium Epiſcoporum quos filii (ſcilicet Ludovici Regis) Reges contraxerant habitum, imperiumque Patri abrogatum, quod decretum mox à Gregorio Pontifice maximo reſciſſum eſt & audacia Archiepiſcopi Lugdunenſis mulctata; ex ſede enim dejectus eſt.* Contra quam depoſitionem Clerus Galliæ reclamavit, & meritò. Nam(ut habetur lib. 7. capitul. cap. 265.) *Conſtitutiones contra Canones & decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores nullius ſunt momenti.* Et cap. 267. decernitur. *Vt comprovincialis Synodus retractaretur per Vicarios urbis Romæ, ſi ipſe decreverit.* Quibus innuitur decreta Synodorum provincialium ſubjacere cenſuræ Papæ.

Sozom.

Paulus Æmilius

V. Textus ſacer refert quod Achab juſſus eſt ab Eliâ compare cum primatibus ſuis, & ei paruit: quia videbat Eliam non ſe quærere ſed Dei honorem. Erat enim Elias homo non pinguis, & benè cultus, ſed pœnitentiâ pallidus, macilentus, rigidus, cilicio indutus, noctu diuque altiſſimæ meditationi vacans. Sic Lucæ cap. 3. omnes Ioannem colebant, eique credebant quia pellibus indutus erat, aſperâ pœnitentiâ confectus, uno verbo, non tam ſermone,quàm moribus & vitâ prædicabat. Vndè omnium corda in admirationem rapiebat & convertebat. Ipſe Herodes eum metuebat ſciens eum virum juſtum & ſanctum. Ionæ cap. 3. ut pervenit Ionæ prædicatio ad Regem Ninivæ, ſurrexit Rex de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe,& indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, &c. Aliqui exiſtimant hunc regem Ninive fuiſſe Sardanapalum. Attila rex Barbarus viſo ſancto Lupo ſtatim ſe ſubmiſit, & à conceptâ cœde & incendio abſtinuit. Vel Achab comparet in Carmelo, non ut diſputationis Eliæ cum Baalitis foret judex, illique concertationi præſideret, ſeu ut aliquam violentiam ſedaret. Alii tamen ut Abulenſis in cap. 18. libr. 3. Regum quæſt. 16. Salianus ad annum 3126. aiunt Achab paruiſſe & comparuiſſe quia pluviam deſiderabat, eamque ex ſolo Eliæ verbo,& nutu ſciebat dependere: ita ut auſus nō fuerit ei reluctari. nè illum exaſperaret, & ſic nollet orare pro impetranda pluviâ, imò ſi Elias ei aliquid injunxiſſet, rex paruiſſet. Ex quo patet quam obedientes ſint mundani homines quando piorum operâ indigent. Cæterùm quemadmodum Deus illi congregationi in Carmelo non benedixiſſet niſi præfuiſſet Elias, ſic concilia nullius fuiſſent roboris,niſi Pontifex præfuiſſet, & illorum decreta confirmaſſet. Vndè fit ut Concilium Francofurtenſe ſit legitimum quoad ea, quæ probavit Adrianus contra Fælicem & Elipandum ſcilicet Chriſtum non eſſe filium Dei adoptivum. Et confirmatur eo quod Fælix Epiſcopus Vrgelitanus biennio ante Synodum fuerit miſſus Romam ut coram Pontifico Adriano hæreſim abjuraret, quod præſtitit, ſed tantùm verbis. Quare Synodus Francofurtenſis coacta eſt,

præſidea-

præſidentibus Legatis ſedis Apoſtolicæ (ut refert Ado Viennenſis) non verò præſide Carolo. Idem dicendum de aliis Conciliis, quæ in Eccleſia, eodem Carolo imperante celebrata ſunt ab Epiſcopis Galliæ & Germaniæ, ut teſtatur Rhegino ſub annum 813. quorum unum Moguntiæ, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabilone, quintum Arelate, pro *Flodoar.* quibus (ut notat Flodoardus libr. 6. cap. 267.) præhabita eſt Romani Pontificis facultas. Vnde ſubdit. *Authoritas Eccleſiaſtica atque Canonica docet non debere abſque ſententiâ Rom. Pontificis Concilia celebrari.* Et Baronius ad *Baron.* annum 770. art. 21. ſubjungit. *Quibus intelligas quotquot ſub iiſdem Francorum Regibus legiſti celebrata fuiſſe eorum ordinatione Concilia, eadem non niſi aſſenſu Romanorum Pontificum habita eſſe.* Pro coronide audiamus Gerſonis mentem de Conciliis Generali- *Gerſon.* bus, qui licet cautè legendus ſit, tamen huic veritati ſubſcribit, in tract. de poteſtate Eccleſiaſticâ conſideratione 11. *Concilium generale in ſuâ ratione formali includit de neceſſitate papalem authoritatem.* Ibidem ait, quod licet ad tempus Concilium generale poſſit eſſe ſine Papâ, tamen talem defectum ferre non poteſt. *Quia tamen habere Papam eſt præceptum affirmativum obligans ad ſemper, & non pro ſemper (ſicut apparuit, quando vacavit ſedes per duos aut tres annos, ſicut & nunc vacat) nihilominus generale Concilium neque deberet, neque poſſet talem defectum capitis uſque ad finem ſæculi tolerare ſtante lege.* Quibus verbis innuit Eccleſiam vel Conciliū congregatum authoritate Papæ non poſſe ſubſiſtere, imò vacante ſede ſuprema poteſtas ſpiritualis Eccleſiaſtica, quæ immediatè Petro & ſucceſſoribus ejus conceſſa eſt, non ineſt Eccleſiæ vel Concilio prout à Papâ ſeorſim intelligitur, ut præfatis verbis innuere videtur. Quod ſi hallucinetur, ignoſcendum illi (ut ait Poſſevi- *Poſſev.* nus in ſuo apparatu ſacro loquens de Gerſone.) *Tempora* (inquit) *quibus de poteſtate Eccleſiæ ſcripſit, ea fuerunt, ut plurima in mundo, & ob ſchiſma Petri Lunæ Antipapæ, & aliquot Anti-Cardinalium eſſent altercationes.* Et verò unuſquiſque licet Catholicus & doctus, dum id agitaretur in Synodo Conſtantienſi, variis ſententiis detineretur, qui ſartam tectam Eccleſiam Chriſti & unam inconſutilem veſtem optaret. Inter hos igitur fuit Gerſon qui aliquando in ſenſu ſuo abundans ea dixit, vel ſcripſit quæ nemini ambigendum eſt quin ſecùs ſenſiſſet, ſi ſequentia tempora, & ſecundas (ut vocant) cogitationes audiviſſet: præſertim eas, quæ ab eâdem Eccleſiâ ritè congregata non ſemel & iterùm profectæ fuerunt. Vide Amicum de fide diſput. 8. ſect. 2.

CAPUT XII.

Pontifex Romanus Concilium convocans inſtinctu Spiritus ſancti, ſuam ſanctitatem patefacit.

I. Lib. 3. Regum 18. verſ. 1. *Poſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio dicens, vade & oſtende te Achab, ut dem pluviam ſuper faciem terræ.* (*l. 3 Reg. 18. v. 1.*) Cur ait ſuper faciem terræ, cùm poſtea dicatur quod facta fuerit pluvia grandis, quæ non tantùm ſuper ipſam ſuperficiem terræ cecidit, ſed etiam intra ipſa viſcera ejus recepta eſt? Dicendū eſt hoc eſſe Deo familiare, ut plura det quàm promittat? Cur etiam textus dicit, vade & oſtende, &c. ut innuat univerſum Iſrael congregatum fuiſſe in Carmelum non nutu Eliano ſed divino: ut patet verſ. 17. ubi Elias ſic Deum affatur. *Oſtende hodie, quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Ideſt non tantùm præcepiſti, & inſpiraſti mihi, ut comparerem coram Rege Achab, ſed etiam ut populum & præcipuè Magnates in hunc locum congregarem. Toſtatus quæſt. 32. *Elias egit omnia iſta quia Deus juſſerat ſibi, ut ſic faceret, & non egit aliquid de corde ſuo* Idem præceptum ſeu inſpirationem divinam de facienda præfatâ congregatione innuere

nuere videtur Sanctus Chryſoſtomus tomo 1. homil. 1. de Eliâ expendens hæc verba. *Proficiſcere* (inquit) *verba legationis Dei ſunt, &c. Proficiſcere & compare apud Achab: reconciliari eis volo: ſed abs te non reconciliabor: gratiam illis præbe, qui nunc caſtigantur. Ego clam apud te pro illis intercedo: tu autem manifeſtus amicitiæ reſarcitæ ſis author. Vade & compare apud Achab, & dabo pluviam ſuper terram. Tu concilia, tu ſignifica, tu pluviam ſuper terram conceſſam prænuncia, & ede. Ego autem tuis ſententiis ſubſcribam.* Scilicet poſtquam convocaveris in Carmelum, &c. Actor. cap. 15. v. 6. *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc.* Per ſeniores Cornelius intelligit ſacerdotes, aitque hoc loco fieri mentionem primi conventus Eccleſiæ, primique Concilii, in quo acta eſt cauſa Chriſtianiſmi contra Judaiſmum ſcilicet anno 14. à converſione Pauli, ut ipſe fatetur Galat. cap. 2. verſ. 1. qui fuit annus à paſſione Chriſti 16. ab ejus nativitate 51. verſ. 7. *Surgens Petrus, dixit ad eos: viri fratres, vos ſcitis, &c.* Quare Petrus dicitur ſurgere? quia eſt Princeps Apoſtolorum, & primus Eccleſiæ. Quod autem ejuſmodi Cōcilium fuerit coactum Cœleſti inſtinctu, innuit verſ. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Ideſt Spiritui ſancto qui nos in unum congregavit. Vndè ſacra Concilia ſic decreta ſua auſpicantur. Concilium Tridentinum ſeſſione 2. *Sacroſancta Tridentina Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, in eâ præſidentibus tribus Apoſtolicæ ſedis legatis, agnoſcens cum B. Iacobo Apoſtolo quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendēs à Patre luminum, qui iis, qui poſtulant à ſe ſapientiam dat omnibus affluenter, & non improperat iis, & ſimul ſciens, quod initium ſapientiæ eſt timor Domini, ſtatuit & decrevit, &c.* Et ita in ſequentibus ſeſſionibus & longè ante illud ſexta Synodus actione 7. *Sancta, magna, atque univerſalis Synodus, quæ per gratiam Dei congregata eſt.* Concilium Chalcedonenſe in epiſtolâ ad Leonē. Cæleſtinus Papa in epiſtolâ ad Cōcilium Epheſinum, Concilium Toletanum tertium, paulò poſt initium congregationes univerſales fieri inſtinctu Spiritus ſancti probant ex illis verbis Matthæi cap. 18. verſ. 21. *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi ſum in medio eorum.* Arias vertit. *Duo vel tres coacti.* Si enim pauci, qui non humano ſed divino Conſilio congregantur, à fortiori Patres & Prælati Eccleſiæ. Deindè quamvis ratio naturalis dictet ut Reges & Principes ſœculares in rebus dubiis ab hominibus doctis conſiliū poſtulent, tamen ut ſoli Epiſcopi convocentur, & ii non modò conſiliariorum, ſed etiam judicum officio fungantur non humanæ rationis inventum, ſed divinum Conſilium, & cœleſtis gratiæ beneficium eſt, ut innuit Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ad Adrianum Romanum Pontificem in epiſtolâ quæ extat inter epiſtolas Adriani I. tomo 3. Conciliorum part. 1. ubi reddens rationem eorum quæ geſta ſunt in ſeptimâ Synodo univerſali. *Prædicabatur à nobis omnibus qui beneplacito Dei congregati eramus, recta & irreprehenſibilis confeſſio, &c.* Ait beneplacito Dei id factum & celebratum.

Conciliū Trident.

§. I.

Qui convocandi ad Concilium ut Romanæ Sedis ſanctitas demonſtretur.

I. Supra oſtendimus convocatum fuiſſe ab Eliâ univerſum Iſrael, ſeu Majores & Primates regni, ſeu magnam partem Iſrael. Idem Propheta ſubdit. *Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetaſque lucorum quadringentos qui comedunt de menſa Iezabel.* Quaſi diceret. Congrega illos vates, qui hoc tempore famis non eſuriunt, neque ſitiunt, nec compatiuntur plebi afflictæ propter idololatriam, cujus ſunt authores & propugnatores, ſed epulantur & veſcuntur cibis regiis, diſpoſitis pro menſâ, & ex penuario Iezabelis depromptis. Dum Prophetæ Domini vix panem & aquam habent quibus victitent, illi

l. 3. Reg. 18. v. 19.

illi in domibus regum ſunt, hi in ſpeluncis: illi ſplendidi & magnifici, hi egeni & miſeri ſunt: illi ſuis adulationibus & mendaciis in gratiam aulicorum & primatum veniunt eoſque faſcinant, hi ſingulis momentis mortis decretum & tortorem expectant. Hoc exemplo vel figurâ poſſet aliquis concludere cum Luthero in lib. de Conciliis parte ſecundâ, proteſtantibus in eo libro, quem inſcripſerunt. Cauſa cur Electores & cœteri confeſſioni Auguſtanæ addicti ad Concilium Tridentinum non accedant: Carolus Molinæus in ſuo Conſilio de Concilio Tridentino non recipiendo §. 28. Magdeburgenſes centur. 1. lib. 2. cap. 9. eos omnes intereſſe debere ex omni genere hominum, qui docti ſunt, eoſque omnes debere eſſe judices, habereque ſuffragium deciſivum.

II. Sed conſtans omnium Catholicorum ſententia eſt ſolos Prælatos, majores, & eos omnes, ideſt Epiſcopos in Conciliis generalibus & provincialibus habere jus ſuffragii deciſivi ordinariè. Cardinales verò, Abbates, Generales Ordinum ex conſuetudine: Præsbyteros aliquos & alios Clericos minores Doctores tantùm vocari, ut ferant ſuffragia conſultiva, ſeu juvent in diſputando, aliiſque miniſteriis vacent.

III. Ratio prima fundatur in ſcriptura. Proprium officium Paſtorum eſt paſcere gregem, & docere quæ tenetur credere juxta illud Jeremiæ cap. 3. verſ. 15. *Dabo nobis paſtores ſecundum*
Ierem c. *cor meum, & paſcent vos ſcientiâ &*
3. v 15. *doctrinâ.* Jeremiæ cap. 31. verſ. 10. *Qui diſperſit Iſrael congregavit eum, & cuſtodiet ſicut paſtor gregem ſuum.* Act. cap. 20, verſ. 28. *Attendite vobis &*
Act. cap. *univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſan-*
20 v. 15 *ctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Vndè meritò Deus cõqueritur & defectum populi in carentiam paſto-
Ezech. rum refundit Ezechielis cap. 34. v. 5.
34. v. 5 *Diſperſi ſunt oves meæ eo quod non eſſet*
3. Reg. *Paſtor.* Et lib. 3. Regum cap. 22. v. 17.
22. v. 17 Propheta Micheas cum magnum malum populo imminere ſignificaret. *Vidi (inquit) cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oves non habentes paſtorem.* Cui alludẽs Sapiens Proverb. cap. 11. verſ. 14. *Vbi non eſt gu-* *Prover.*
bernator populus corruet. Ad quorum *11 v. 14.*
intelligentiam hæc D. Gregorii Nazianzeni in orat. 1. Apolog. adduci *Gregor.*
poſſunt. *Nam (inquit) profectò ars* *Naz.*
quædam artium, & ſcientiarum mihi eſſe videtur hominem regere animal varium & multiplex: ideſt ars una eſt plures artes coercens. Et paucis interjectis oſtendit hominem ſimilem eſſe beſtiis, quæ duce indigent. *Quemadmodum (inquit) ſi quis belluam variam & multiplicem ex multis belluis magnis juxta praviſque feris mitibuſq; compactam cicurare ac ducere aggrediatur: huic in naturâ adeò variâ & prodigiosâ gubernandâ maximè utique labor ſubeundus ſit, magnumque certamen quippè nec vocibus, nec alimentis, nec manus attrectationibus, ac ſibilis, nec reliquis delectetur, ſed alii aliis pro ſua quiſque natura & conſuetudine vel gaudeant vel offendantur: ut qui ejuſmodi belluæ curam ſuſceperit cum variâ omninò & multiplici ſcientiâ ornatam eſſe oporteat. Haud diſsimili modo communi huic Eccleſiæ corpori inſtar compoſitæ cujuſdam, & inæqualis belluæ ex pluribus variiſque moribus & ſermonibus coagmentato ſummopere quoque neceſſe eſt Antiſtitem ſcilicet ſimul & ſimplicem eſſe, quantum ad eam, quàm ad res omnes adhibere debet animi integritatem. Et quam maximè varium & multiplicem quantùm ad id attinet, ut uniuſcujuſque benevolentiam ſibi conciliet.* Per animi integritatem intellige non tantùm virtutem, ſed prudentiam, doctrinam. Ita ut officium paſtoris cum doctrinâ ſit conjunctum. Sed innuere videtur Apoſtolus ad Epheſios cap. 4. verſ. 11. ubi de Chriſto Eccleſiæ ſtatus ordinante. *Et ipſe dedit quoſdam quidem* *Epheſ c.*
Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, *4. v. 11.*
alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores. Per Paſtores intellige Epiſcopos qui in unâ Diœceſi præſunt, & eam regunt. D. Anſelmus vult eoſdem eſſe paſtores & doctores *Anſelm.*
qui eam paſcunt & docent. *Paſtores enim (inquit) & doctores unum regentium ordinem intelligimus, quia gregem Dei ipſe veraciter paſcit qui docet. Et ideò non dicitur diſtinctè alios autem paſtores, alios verò doctores: ſed dicitur conjunctè*

conjunctè alios autem paſtores & doctores ut intelligerent eſſe officium ſuam doctrinā, &c. Concilia verò definiunt ea quæ credenda, vel agenda ſunt, ſeu credenda & agenda more Paſtorum. Hos igitur ad Concilium convocare oportet.

IV. Secunda ratio hæc eſt quod Patres referant non alios olim ad Conciliū fuiſſe convocatos niſi Epiſcopos. Patet ex Sancto Leone epiſt. 18. ubi Pulcheriam Auguſtam ſic affatur loquens de Theodoſio Imperatore. *Ne autem piiſſimi principis diſpoſitioni, quâ Epiſcopale Concilium voluit congregari noſtra videretur præſentia defuiſſe fratres meos Julianum Epiſcopum, Renatum Præsbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum miſi qui vicem præſentiæ implere ſufficerent.* Et epiſt. 19. *Et quia clementiſſimus Imperator pro benevolentiâ, ac pietate animi ſui, de ſtatu hujus, qui ante honorabilis videbatur diligentius voluit judicari, atque ob hæc indicendum credidit Epiſcopale Concilium per fratres noſtros Julianum Epiſcopum & Renatum Præsbyterum: ſed & filium meum Diaconum Hilarium, & quos ex latere meo vice meâ miſi, &c.* Et alibi. D. Ambroſius epiſt. 32. quæ eſt ad Valentinianum Imperatorem. *Ambroſ.* *Si conferendum de fide Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit judicium Sacerdotibus. Factum eſt etiam ſub Conſtantio Auguſtæ memoriæ Imperatore, paternæ dignitatis hærede, ſed quod benè cæpit conſummatum eſt: nam Epiſcopi ſinceram primò ſcripſerant fidem, ſed dum volunt quidam de fide intra palatium judicare, id egerunt, ut circumſcriptionibus illa Epiſcoporum judicia mutarentur, qui tamen inflexam ſtatim revocavêre ſententiam. Et certè major numerus Arimin. Concilii fidem probavit, Ariana decreta damnavit.* Idem aſſerunt D. Auguſtinus epiſt. 119. D. Hieronymus lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum, Hilarius lib. de Synodis, D. Cyprianus initio epiſtol. ad Jubajanum, Athanaſius in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, Ruffinus lib. 10. cap. 1. Euſebius lib. 3. cap. 23.

Tertia ratio, ſi præter Epiſcopos alii ex jure debuiſſent ad Concilium evocari, Auguſti illud manutenuiſſent, at contra illud ſibi arrogantes ſeverè ſcripſerunt. Theodoſius Junior in epiſt. ad Epheſinam Synodum, quæ extat tomo 1. ejus Concilii cap. 32. *Illicitum eſt eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Pulcheria etiam Imperatrix in epiſt. ad Strategum Bithyniæ, quæ extat ante Concilium Chalcedonenſe præcepit Monachos, Clericos, & Laicos vi à Concilio expelli, iis exceptis, quos Epiſcopi ſecum duxerant. V.

Quarta ratio fundatur in eo quod Conciliorum hactenus celebratorum decreta à ſolis Epiſcopis facta fuêre, & ſubſcripta, ut patet percurrenti illa. Quinta, quælibet Reſpublica ſecundùm dictamen rationis quando aliqua Comitia ſunt celebranda debet ſervare aliquem ordinē, ita ut ſoli Principes & capita cœterorum locū adſint & ſuffragium ferant, non verò quilibet plebeius. Sexta, negotia publica Eccleſiaſtica non ab omnibus promiſcuè, ſed à ſolis perſonis publicis debent pertractari, quales ſunt Epiſcopi. Septima, ſi omnes docti deberent ad Concilium convocari, vix poſſet fieri: vel ob diſtantiam locorum, vel princeps in cujus regione Concilium celebraretur poſſet facilè introducere in Concilium omnes doctos ſuæ Provinciæ, quod alii Principes remoti præſtare non poſſent. VI

§. 2.

Satisfit opinioni contrariæ.

Quod ſi aliqui Imperatores Conciliis ſubſcripſerunt, id conſentiendo fecerunt, non definiendo modo judiciali ut Epiſcopi. Generales etiam Ordinum & Abbates, aliique optimi & doctiſſimi viri ſi ad Concilia admiſſi ſunt non ut judices, ſed ut Conſiliarii. Verum eſt ad Concilium Baſilienſe aliquos Præsbyteros admiſſos fuiſſe ad ſuffragium deciſivum ferendum, ſed illud Concilium non fuit legitimum I.

legitimum, ſed reprobatum à Concilio Lateranenſi ultimo ſeſſ. 11.

II. Nec refert quod Actor. cap. 15. Act. c. 15 v. 6. verſ. 6. Textus ſacer dicat: *Convenerunt Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc.* v. 22. Et verſ. 22. ſubdatur. *Tunc placuit Apoſtolis cum omni Eccleſiâ, &c.* Quæ verba innuere videntur nõ tantùm Apoſtolos, ſed etiam Præsbyteros & Laicos interfuiſſe primò iſti Concilio. Dicendum enim eſt ibi Apoſtolos adfuiſſe ut judices ad definiendum, Præsbyteros ad conſultandum: plebem verò non vocatam fuiſſe, ſed adfuiſſe, non ut definiret, diſputaret, vel reclamaret, ſed ut conſentiret & acquieſceret audiendo. Et colligo primò ex textu noſtro lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 24. ubi poſtquam Elias dixit. *Deus qui exaudierit* l. 3 Reg. 18. v. 24. *per ignem ipſe ſit Deus, reſpondens omnis populus ait, optima propoſitio.* Scilicet quam locutus eſt Elias: quia in ſacrificiis Geneſis cap. 4. de Caio & Abele. Judicum cap. 13. de Manue. Judicum cap. 6. de Gedeon. Levit. cap. 9. de Aaron. Lib. 2. Regum cap. 24. de Davide. Lib. 3 Regum de Salomone. Per ignem cœlitus emiſſum Deus manifeſtavit hunc actum eſſe religioſum ſibique gratiſſimum. Favet etiam praxis Eccleſiæ, quæ eſt optima ſcripturarum interpres: docet enim in omnibus Conciliis, quæ ſunt celebrata poſt tempora Apoſtolorum ſolos Epiſcopos interfuiſſe ut judices: quod idem ſervatum fuiſſe in primo Apoſtolorum cœtu credibile eſt. Eſto in illo Concilio Apoſtolico Præsbyteri etiam locuti fuerint, ut colligere eſt ex illis verbis verſ. 12 *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabã & Paulum narrantes, &c.* Quaſi diceret, audientes ſententiam definitivam Apoſtolorum maximè Petri, ejuſque dicta approbantes, ejus ſententiæ & definitioni acquieſcentes.

III. Nec etiam multùm urget quod Concilium generale repreſentet univerſam Eccleſiam, eique ex omni genere hominũ aliquos intereſſe oporteat, ſcilicet ex Epiſcopis, Præsbyteris, Clericis, Principibus, Privatis, Laicis omnes vel aliquos. Ad hoc divus Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. reſpon- Cyprian. det Eccleſiam eſſe in Epiſcopo, ſeu quemlibet Epiſcopum gerere perſonam ſuæ Eccleſiæ. Vndè D. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. conſenſum Epiſcoporum in Concilio vocat totius Eccleſiæ conſenſum. Et Euſebius in vitâ Conſtantini lib. 3. Concilium Epiſcoporum 318. vocat *Conventum orbis terrarum.* Quaſi diceret, quemadmodum in Comitiis Generalibus multorum ſolent congregari Conſules, vel Domini Civitatum, & per illos Regnum vel Provinciam comparuiſſe dicitur: ſic in Conciliis Generalibus Eccleſiæ convocantur Epiſcopi, & per illos tota Eccleſia cenſetur interfuiſſe.

IV. Nec premunt multùm verba Nicolai I. in epiſtolâ ad Michaëlem, quæ habetur diſtinct. 69. Canon. *Vbi nam. Vbi nam legiſti Imperatores antecesſores Synodalibus Conventibus interfuiſſe, niſi fortè in quibuſdam, ubi de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis, quæ non ſolùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos, & omnes omninò pertinet Chriſtianos.* Quaſi diceret cauſa communis communibus votis & viribus juvanda eſt: cauſa verò fidei nõ tantùm Imperatores, ſed omnes Chriſtianos tam laicos, quã clericos tangit; omnes igitur promiſcuè convocari debent. Dicendũ Laicos maximè Imperatores & Principes debere intereſſe non ut judicent ſed ut defendant ſuis edictis ac legibus, & ſi expediat etiam gladio communem fidem.

V. Quod ſi ex Gratiano 36. quæſt. 2. canon. ult. vel Hieronymi auctoritas ſcripturis ſacris munita toti Concilio Generali præjudicavit, ſicq; unius hominis privati ſententia præponi poteſt ſententiæ totius Concilii. Dicendum eſt poſſe præponderari ſententiæ Concilii Generalis dum diſcutitur, non verò poſt definitionem. Poſt etiam definitionem Concilii illegitimi poteſt diſcuti. Deindè Gratianus nõ agit de Concilio Generali, ſed particulari. Inſuper verba Hieronymi quæ Gratianus refert nuſquam apud Hieronymum reperiuntur. Deindè Gratianus fallitur. Nam Hieronymus & Concilium nõ pugnant. Hieronymus

 enim

enim tantùm dicit licuiſſe ſecundùm legem veterem raptori ducere in uxorem mulierem à ſe raptam, ſi ejus pater conſentiat. At Concilium ſtatuit non licere raptori in uxorem ducere eam quam rapuit, nonobſtante illâ lege veteri, quæ judicialis eſt, & quæ Chriſtianos non obligat.

VI. Et licet Joannes Gerſon parte 1. de examinatione doctrinarum aſſerat unius privati ſententiam ſententiæ Papæ eſſe præferendam, ſi ille privatus melioribus authoritatibus veteris & novi teſtamenti moveatur. Panormitanus verò in cap. *Significaſti*, de electione doceat quemcumque hominem doctum poſſe & debere toti Concilio reſiſtere, ſi videat illud errare malitiosè vel ignoranter. Ratio eſt, quia ideò Epiſcopi præ aliis vocantur quia putantur aliis doctiores. Si igitur alii Laici ſint doctiores, vel æquè docti debent ad Concilium vocari. Dicendum Gerſonem & Panormitanũ loqui conditionaliter: ſicut ad Galatas cap. 1. v. 8. *Galat. 1. verſ. 8.* *Si nos* (inquit Apoſtolus) *aut Angelus de cælo evangelizet.* Dico inquam quemadmodum ex illâ conditionali Apoſtoli ratiocinatione non ſequitur Apoſtolos, & Angelos poſſe evangelizare aliquid contrariũ Evangelio Chriſti: ſic ex verbis Gerſonis & Panormitani, non poteſt colligi quod Concilium aut Papa errare poſſint. Vel dicendum eſt poſſe privatum reſiſtere Concilio vel Papæ dum diſcutitur, ante definitionem: vel etiam poſtea, ſi Concilium fuerit illegitimum. Nec Epiſcopi qui interſunt habent authoritatem judicandi quia docti & probi ſunt, ſed quia ſunt perſonæ publicæ & principales habentes Eccleſiaſticam juriſdictionem, ſicut licet plebeius ſit melior & doctior principe vel judice non debet illum ſuâ ſede privare & eam occupare.

VII. Quamvis etiam S. Petrus & Simon Magus teſte Clemente lib. 1. & 2. recognit. Archilaus Epiſcopus & Manichæus teſte Epiphanio hæreſi 56. Sylveſter Papa, & Iudæi teſte Zonarâ in vitâ Conſtantini: Athanaſius & Arius teſte Vigilio Epiſcopo Tridentino. Auguſtinus & Maximinus teſte eodẽ Auguſtino lib. 1. cap. 1. contra Maximinum ſuas cauſas coram populo diſputarint. Et D. Ambroſius epiſt. 32. *Ambroſ.* dicat, *Cauſam fidei in Eccleſiâ agendam quis abnuat? ſi quis confidit huc veniat.* Paucis interjectis. *Iſte populus judicat cujus in corde lex divina eſt, non humano lex atramento ſcripta, ſed Spiritu Dei vivi.* Et inferius. *Sed Auxentius certus non gnaros vos eſſe fidei, veſtrum refugit examen.* Dicendum publicas diſputationes coram populo fieri permiſſas more Eliæ, & relinquendum judicium populo ut ſequatur quos viderit melioribus argumentis fulciri, quando Pagani & Hæretici impunè Catholicis, & fidelibus cohabitant, multoſque ſeducunt. Et hoc judicium populi non publicum ſed privatum eſt: Sic intelligendus eſt D. Ambroſius. Cum enim Imperator Mediolani faveret Arianis, nec aliquid ab eo poſſet obtineri; cauſam egit D. Ambroſius coram populo ut judice privato, ut patet ex ejus verbis epiſt. 32. *Veniant planè, ſi qui ſunt, ad Eccleſiam audiant cum populo, non ut quiſquam ut judex reſideat, ſed ut unuſquiſque de ſuo affectu habeat examen, & eligat quem ſequatur.*

VIII. Tale judicium privatum tulit populus Iſrael libr. 3. Regum capit. 18. Cùm enim utrimque tam ab Eliâ, *L. 3. Reg. cap. 18.* quàm à Baalitis ignis cæleſtis in ſacrificiũ deſcenſus eſſet propoſitus pro ſigno veræ religionis: ut populus vidit illum ignẽ non in ſacrificium Baalitarum deſcendiſſe, ſed Eliæ: judiciũ tulit Deum Eliæ eſſe verum, & ab omnibus colendum, verſ. 39. *Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam* (*ſcilicet ut adoraret.*) *Et adoraverũt* (inquit Joſephus) *unum ſolum Deum, maximum, verumq; proclamant, alios verò fallaciter ſe & vanâ opinione coluiſſe.* Sic Geneſis cap. 17. verſ. 3. *Geneſ. c. 17. v. 3.* auditâ promiſſione divinâ de fœdere ineundo, & multiplicandâ ſobole, Abraham pronus in faciem adoravit Deum & gratias egit de promiſſo filio ex Sarâ ſterili, verſ. 17. *Cecidit Abraham in faciem ſuam.* Non dubitans de divinâ promiſſione, ut explicant D. Hieronymus, & Chryſoſtomus: Ejus enim fidem prædicat Apoſtolus Roman. cap 4. num. 19. ſed credens & judicãs eſſe

eſſe verum Deum, ſeu obſtupeſcens ad tantum miraculum, vel cum ſumma animi demiſſione & reverentiâ adorans Sic Numerorum cap. 14. v. 5. Moyſes & Aaron audito murmure *Num. c. 14. v. 5.* populi volentis reverti in Ægyptum. *Ceciderunt proni in terram coram omni multitudine:* Adorantes ſcilicet Deũ, & orantes, nè iiſdem ſuppliciis murmurantem populum affligeret, quibus ſupra cap. 11. verſ. 4. ut ſeditionem Core & aliorum diſſiparet. *Cecidit pronus in faciem oravit & adoravit* *Ioſue c. 5 verſ. 15* *Deum.* Et clarius Ioſue cap. 5 verſ 15. *Cecidit Ioſue pronus in terram, &c.* Ideſt incurvavit ſe ut Deum, vel Angelum debito honore veneraretur. Populus adjicit. *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Quaſi diceret, credimus Deum Iſrael eſſe verum Deum & unicè ab omnibus adorandum. Vel quaſi diceret cum Moyſe Deuteron. cap, *Deut. 3. verſ. 24.* 3. verſ. 24. *Neque enim eſt alius Deus vel in cælo vel in terrâ, qui poſſit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ.* Et Vates Regius pſalmo 82, verſ. 17. *Tu ſolus altiſſimus in omni terrâ.* Ideſt *Pſal. 82 v. 17.* ſuperas poteſtate omnes Deos qui adorantur ab hominibus ſuper terram. *Pſal. 76 v. 13.* Pſalmo 76, verſ. 13. *Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabilia.* Et verſ. 14. *Notam feciſti in populis virtutem tuã, ideſt potentiam tuam manifeſtaſti, vel religionem & fidem per emiſſionem de cælo.* Et clarius adhuc meo judicio pſalm. 96. ubi *Pſ. 96. verſ. 4.* poſtquam verſ. 14. dixit. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ vidit & commota eſt terra.* Ideſt poſtquam illuxit ignis de cœlo & voravit holocauſtum Eliæ omnis populus hoc miraculo *verſ. 5.* commotus eſt. Verſ. 5. *Montes ſicut cera fluxerunt à facie.* Populus in monte congregatus quaſi cera liqueſcens cecidit in terram, pſeudoprophetæ humiliati ſunt. vel Achab aliique peccatores, qui illuc convenerant, ut confunderentur Eliam viſo igne deſcendente ſuper holocauſtum confuſi ſunt. Vide apud noſtrum Michaelem de Bononiâ varias analogias montium cum peccatoribus & ſuperbis. Sed alio fine populus procidit in terram, alio verò pſeudoprophetæ. Populus in recognitionem divinæ Majeſtatis, de quâ cum majorem haberet fidem, quàm ante, ideò majorem animi & corporis humilitatem exercuit, vel quàm cum ſuâ inconſtantiâ & inſtabilitate graviter offendiſſet, ideò ad veniam impetrandam ſe humi proſternit; Baalitæ verò tanto miraculo confuſi præ pudore & oculos & corpus ad terram demittunt. Vtraque hæc humiliatio & populi & Baalitarum colligitur ex verbis ſequentibus verſ. 6. *Annunciaverunt cæli juſtitiam ejus.* *verſ 6.* Statim atque ignis cœlitus emiſſus manifeſtavit gloriam majeſtatis & potentiæ divinæ populus in Carmelo congregatus, tota terra Iſrael ex eorum relatione viderunt per ſpeculum in ænigmate, & cognoverunt Deum Iſrael eſſe unicè adorandum, illamque fidem publicâ corporis demiſſione proteſtati ſunt. Ecce quomodò Carmeli montes & tota terra Iſrael fluxerunt à facie Domini. Verſ. 7. *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.* *verſ. 7.* Baalitæ qui altaria & fana erexerant Diis manibus qui nec ſe nec ſuos clientes juvare poſſunt erubeſcunt, maximè qui tam avidè, & glorianter ſigna, reſponſa, opem fruſtrà expectaverant, hoc enim ſimulacrũ propriè ſignificat, ut notant Lactantius lib. 2. cap. 8. Euſebius lib. 1. de præparatione, D. Auguſtinus libr. 8. de Trinitate cap. 24 Et poſt eos Genebrardus, vel hoc miraculo victi turpiſſimâ & infami morte hic pereant, & æternis in inferno ſuppliciis adjudicentur. Subdit Pſaltes verſ. 8. *Adorate eum omnes Angeli ejus, audivit & lætata eſt Sion.* *verſ. 8.* Ideſt Elias & omnes Prophetæ Domini ſeu Sacerdotes. Sic enim per Angelos intelligendos eſſe Sacerdotes docent D. Ambroſius, D. Anſelmus, D. Thomas in 1. Corinth. cap. 11. ſeu viri juſti qualis erat Abdias & alii, ſed occulti. Sic D. Clemens lib. 2. Hypotypos. per Angelos putat intelligendos Angelos de quibus 1. Corinth 11. Hortatur igitur David Prophetas, Sacerdotes & Juſtos ut jam publicè & majori cum devotione colant Deum quàm ante. Vel invitantur Angeli ad adorandum Deum, licet eum de facto adorent, ſi

tre pueri Danielis excitant Angelos ad benedicendum Dominum. *Benedicite Angeli Domini Domino* Licet de facto eum benedicant. Vel invitatur quidquid habetur pro Deo ut adoret hunc verum Deum, eique cedat. *Audivit & lætata eſt Sion. Sion* (inquit noſter de Bononiâ) *ſpecula interpretatur, ſignificat Eccleſiam, quæ Deum per fidem ſpeculatur.* Quaſi diceret audivit quod Regis ſui juſtitiā cœli annuntiaverunt, quod viderunt omnes populi gloriam ejus, quod confundentur adoratores Idolorum, quod Angeli Deum adorent, & lætata eſt. Vel ubi populus Dei audivit Deum ſolum potentem, & Idola nihil eſſe, nec colenda, ſed eorum fana & altaria penitus deſtruenda. Verſ. 9. *Et exultaverunt filiæ Iudæ propter judicia tua Domine.* Populus in Carmelo congregatus qui per Sion & filios Iudæ intelligitur exultavit, quia juſto tuo judicio & holocauſti Elæani concrematione diſcernit verum Deum ab Idolis, teque ſolum adorandum, non verò Idola, quia tu es ſupremus Dominus ſuper omnes reges, & principes terræ. *Nimis exaltatus ſuper omnes Deos.* Ideſt ſuper Baal, aliaque Deorum ſimulachra, quæ per errorem in his regionibus colebantur. Vel ſuper Angelos qui dicuntur Dii per participationem, ideòque ſolus es ab omnibus adorandus, quod colligitur ex illis verbis, *Dominus ipſe eſt Deus.* Quaſi diceret, cælum & terram regit, de omnibus pro nutu ſuo diſponit, & in quo vivimus, movemur, & ſumus, eumque talem eſſe exiſtimamus, & credimus, ac palam profitemur.

Bononiâ

v. 9.

IX. Hæc hiſtoria, fideique profeſſio accedit ad fidei profeſſionem factam à D. Thomâ Joannis cap. 20. verſ. 28. poſtquam Principes Sacerdotum, Seniores populi cum aliis furibundè irruiſſent in Chriſtum; eumque urgente Synagogâ Pilatus morte turpiſſimâ condemnaſſet, Diſcipuli viſâ hac tragediâ fugerunt, & ſe toto mortis triduo ejus occultaverunt. Poſtquam verò Chriſtus reſurrexit, in ſuæ reſurrectionis teſtimonium omnibus diſcipulis ſuis, excepto Thomâ, tunc per occaſionem, vel Deo ita ſpecialiter diſponente apparuiſſet. Thomas hujus rei monitus negavit ſe crediturum Chriſtum reſurrexiſſe, niſi prius vidiſſet in manibus ejus fixuram clavorum, imò & miſiſſet manum ſuam in latus. Sciebat enim Chriſtum retenturum cicatrices illas: non tam ut eſſent illuſtris victoriæ ſuæ & gloriæ inſignia, quàm ſuæ reſurrectionis teſtes, & certa infidelitatis remedia. Vndè D. Auguſtinus epiſt. 49. & in pſalm. 74. ad illa verba verſ. 4. *Ego confirmavi columnas ejus. Columnas* (inquit) *dicit pſalmographus Apoſtolos. Et quid eſſent illæ columnæ, niſi ab illo firmarentur? Columnæ quæ in paſſione nutaverunt, in reſurrectione firmatæ ſunt, terruerant eos vulnera, firmaverunt cicatrices, habere voluit cicatrices, undè nutantes columnas firmaret.* In tractatu 121. in Joannem. *Clavi manus fixerant, lanceâ latus ejus aperuerat, ubi ad dubitandum corda ſananda vulnerum ſunt ſervata veſtigia.* Idem ferè repetit Beda in Ioannem. *Ad dubitantium corda ſananda vulnerum ſunt reſervata veſtigia.* His aſtipulans D. Chryſologus ſermon. 76. *Dominus vulnera reportat clavorum, foramina reſumit, ipſa facit teſtimonia ſui corporis, ſuæ reſurrectionis indicia, quæ ſuæ fuerant contumeliæ paſſionis.* Et ſerm. 84. rationem reddit cur Chriſtus dicat infer digitū tuum huic. *Vt* (inquit) *effundant toto orbe iterùm te aperiente hæc vulnera fidem: quæ aquam in lavacrum, ſanguinem in omnium pretium jam fuderant.* Idem habet D. Leo ſermone 1. de aſcenſione. *Ad ſananda infidelium cordium vulnera, clavorum, & lanceæ erant ſervata veſtigia, ut nō dubiâ fide, ſed conſtantiſſimâ ſcientiâ eam crederēt naturā in Dei Patris conſeſſuram Throno, quæ jacuerat in ſepulchro.* Sic ſubditi Achab, viſâ altarium ruinâ, cœde prophetarum, fugâ Eliæ, Jezabele dominante, pſeudoprophetarum multitudine triumphante in fide claudicare cœperunt tacitè innuens ſe non crediturum Deum Eliæ, ſeu Iſrael eſſe verum Deū niſi hoc igne in holocauſtū mactatum in monte Carmeli cælitus cōprobaret, quâ incredulitate animadverſâ, Elias ignem cœlitus ſuâ oratione in victimam ſuam imperravit. Quo miraculo Deus

Ioan 20. v. 28.

Auguſt.

Beda.

Chryſol.

Leo

Deus ſuam omnipotentiam, & majeſtatem manifeſtavit populusque exclamavit. *Dominus Deus ipſe eſt Deus, Dominus Deus ipſe eſt Deus.* Ideſt judico & credo eſſe verum Deum.

X. *Auguſt.* D. Auguſtinus in cap. 20. Ioannis de D. Thomâ. *Videbat* (inquit) *tangebatque hominem, & cōfitebatur Deum quem non videbat, atque tangebat, illud jam remotâ dubitatione credebat.* Sic populus tacitè dicebat video ignem, & confiteor Deum omnipotentem, quem non video, ſed per hoc quod video illum jam remotâ dubitatione, & curatâ claudicatione confiteor. Si D. Thomas ad oſtendendum qualis eſſet ſuæ fidei profeſſio, quàm vehemens, quàm conſtans geminatâ oratione dixerit. *Dominus meus & Deus meus.* Ideſt verus Deus, & verus totius naturæ Dominus, ut ex Græco notant D. Cyrillus, Theophilactus, Leontius ad illum locum Joannis cap. 20. Sic Apoſtoli ut oſtenderent Chriſtum eſſe Deum per excellentiam, talemque de eo ſe habere opinionem & judicium vocaverunt Dominum. *Joan. 13 v. 13.* Joannis cap. 13. verſ. 13. *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benedicitis, ſum etenim.*

XI. D. Thomas ad majorem emphaſim, & firmiorē fidei affectum exprimendū addidit bis *Meus*. Sic populus oſtendere volens ſe amplius non dubitare, nec titubare in fide, nec levem tranſitoriam profeſſionem fidei exercere, vel politicam, aut æquivocam vocem non proferre dixit clarè, diſtinctè, & publicè. *Dominus ipſe eſt Deus.* Hebraicè. *Iehova ipſe eſt Elohim.* Ideſt ipſe eſt ſolus verusque Deus, & Numen quod omnia regit, cœlo, terræ, marique dominatur, rebus omnibus providet, victumque & alia naturæ neceſſaria ſubminiſtrat: illamq; profeſſionem repetit, ut oſtendat ſuā in fide conſtantiam, eam eſſe ut nullo deinceps poſſit mortis & tormentorū vi concuti: ſic populus ait. *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Noſtrum judicium tam firmum eſt, fides noſtra tam conſtans, ut nullo Jezabeliticæ perſecutionis metu poſſit commoveri. Vel quaſi diceret, ſicut Meſſias Eccleſiæ ſuæ fundamenta ita ſupra petram ſtabiliet, ut portæ inferi adverſus eam prævalere nequeant, ideſt temporales perſecutiones, & prava hæreticorum dogmata, quæ fideles ad inferos mittere conabuntur. Ita (inquiebat populus in Carmelo congregatus) colimus Deum quem Elias prædicat, fidémque profitemur quam annuntiat. Ad Concilium generale etiam citantur hæretici more Baalitarum: non ut ſuffragium ferant, vel judicent: ſed ut judicentur, confundantur, ſeu rationem reddant ſuæ doctrinæ, ſuáque dogmata probent. Sic Joannes de Praga ad Cōcilium Conſtantienſe, & Lutherus ad Tridentinum citati fuerunt.

Quoad Abbates & Generales Ordinum, quamvis habeant juriſdictionem ſpiritualem in ſubditos, ſolum ſuffragium conſultivum ferunt (ut dictum eſt) non verò deciſivum. Ratio, quia ad dicendum jus in Comitiis Eccleſiæ neceſſaria eſt publica & primaria juriſdictio. Concludit Suarez diſp. 11. ſect. 1. Laicos non eſſe capaces cōparendi in Concilio, nec Pontificē poſſe illis dare jus ſuffragii deciſivi, licet ſint doctiſſimi. Nec Imperatores ſubſcripſerunt decidendo, ſed conſentiendo. XII.

CAPUT XIII.

Utilitas Conciliorum, quæ authoritate Apoſtolicâ celebrantur ejus ſanctitatem commendat.

AD hujus Theorematis intelligentiam Eliana Hiſtoria non parum juvabit. Poſtquam univerſus Iſrael, & cœtus pſeudoprophetarum convenit in Carmelum ad diſcernendam veram religionem à falsâ, dixit Elias lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 23. *Dentur nobis duo boves, & illi eligant bovem unum.* Ideſt nè populus & prophetæ Baal ſuſpicarentur Eliam eſſe ſuperſtitioſum, vel uti arte diabolicâ: Elias voluit primò à Rege & populo deſignari duos boves. Deindè ut prophetæ Baal forent inexcuſabiles I. *l. 3. Reg. 18 v. 23.*

ſabiles, & non ſuſpicarentur Eliam è duobus bobus accepiſſe eum qui arte dæmonis igne non ſuppoſito poſſet cremari, ex duobus bobus à populo deſignatis, voluit primò eligi ita Abulenſis in libr. 3. Regum cap, 18. verſ. 23. *Et in fruſtra cædentes.* Cur Elias nullam hic facit mentionem excoriationis, ſeu deſtructionis pellis, ſed tantùm diviſionis membrorum? Fortè quia ſecundùm eorum ritum victimæ membratim ſcindebantur cum pelle. Sed potius dicendum eſt Eliam prius voluiſſe detrahi pellem, quàm in ſtruſta concidi: quia victima Eliæ & prophetarum eodem modo dividebantur; Elias autem curavit prius excoriari ſuum bovem, juxta Levitici cap. 1. verſ. 6. *Detractâque pelle hoſtiæ artus in fruſta concident.* Vel ut Septuaginta. *Concident eam membratim.* Varias hujus excoriationis explicationes morales & myſticas refert Lorinus in Leviticum: quomodò etiam non tantùm Sacerdotibus, ſed etiam Leviticis permiſſa erat ejuſmodi victimarum excoriatio. Factâ illâ excoriatione, in fruſta cædebant more antiquorum, qui fœdera ſua confirmabant cæde & diviſione membrorum. Hujus ritus meminit Virgilius lib. 8. Æneid.

Abulen. *Leuit. c. 11. v. 6.* *Virgil.*

—— Inter ſe poſito certamine reges
Armati Iovis ante aram paterasque tenentes
Stabant, & caſâ jungebant fœdera porcâ.

Ideſt per porcam crudeliter occiſam optabatur mors ei, qui à pace reſiliiſſet. Convivium ſuum militare pellis ſeparatione, & ſectione membrorum etiam inſtituebant, ut canit Virgilius lib. 1. Æneid.

Illi ſe prædæ accingunt dapibusque futuris,
Terga diripiũt coſtis, & viſcera nudãt
Pars in fruſta ſecant, veribusque trementia figunt.

Per tergus intellige corium, per viſcera nudata non tantùm inteſtina, ſed quidquid ſub corio eſt. Hac etiam viſcerum ſectione vtebantur Veteres in ſacrificiis, juxta eundem Virgilium lib. 6. Æneidos vbi de ſacrificio Herculis ſic canit.

Tunc lecti juvenes certatim araq; ſacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorũ onerantq; caniſtris
Dona laborata Cereris, &c.

Ignem autem non ſupponant. Licet hic nulla fiat mentio altaris, tamen certum eſt aliquod erectum fuiſſe. Primò quia dicitur. *Ignem non ſupponant.* Scilicet altari non ſubjiciant. Sacerdotes enim Idolorum ſolebant ignem ſub altari abſcondere, & ſic divinitùs productum populo perſuadere: ut notat D. Chryſoſtomus tomo 6. hom. in ſanctos Petrum & Eliam. *In idolorum altaribus foramina quædam ſunt, ex inferiori altaris parte, & fovea quædam obſcura; deſcendunt autem erroris artifices in foveam illam, & ex foribus deorſum, quæ diximus, ignem ſufflant deſuper ad ſacrificium conficiendum, ita ut multi decepti cæleſtem eſſe ignem illum exiſtiment. Nè igitur & Elias in ſuſpicionem veniret quod & ipſe aliquid tale machinatus eſſet aquam effundit, ut aqua illa nulla eſſe infra altare foramina oſtenderet, ubi enim foramen aqua invenenerit, illic aqua non conſiſtit, ſed per foramina ipſa defluat neceſſe eſt.* Elias igitur prohibet nè pſeudoprophetæ ſuâ ſolitâ aſtutiâ utantur.

Chryſoſ.

II. Sed hæc explicatio quibuſdam non placet. Cur igitur prohibet illum ignem ſubjici, promittitque viciſſim ſe ignem non ſuppoſiturum. Quandoquidem Levitici cap. 1. verſ. 17. præcipiat Deus ejuſmodi ignis ſubjectionem. *Et ſubjicient* (inquit) *in altari ignem ſtrue lignorum ante compoſitâ in altari,* Ideſt ſub altari: Altaria enim erant cava intrinſecùs, & in hac cavitate ponebant ligna ad ſtruendum ignẽ, quæ cavitas tegebatur craticulâ æneâ factâ in modum retis, & poſita in ſuperficie altaris, in quâ victimarum carnes cremandę imponebantur. Vndè Iſidorus ait quod altare dicitur quaſi alta ara, ara verò ab ardendo, quia in ea ardebant victimæ. Varro ait quod ara dicatur quia areæ in vrbe puræ erant; vel ab ardore victimarum. Vide plura apud Cornelium in cap. 27. Exodi verſ. 4. & 8. & alios Quare reſpondeo Eliam prohibuiſſe ſupponi ignem quia cùm ageretur de probandâ & diſcernendâ verâ religione à falſâ, & revocando populo ab

ab erroribus Baalitarum, aliiſque vitiis: Elias ex inſtinctu divino cognovit non alio modo poſſe dignoſci veram religionem, rectamque virtutis ſemitam, quàm emiſſione ignis cœleſtis in victimam, eo modo, quo aliàs ſacrificium Abelis flagravit. Hinc patet quàm urbanus ſit Elias. Licet enim eſſet ſanctitate & officio ſuperior prophetis Baal, tamen ita officioſus eſt, ut permittat illis primò ſacrificare.

III. Hinc ſubdit ingenioſè illos alloquens: *Et ego faciam bovem alterum.* Quid *facite*, & *faciam*, hoc loco ſignificant? Abulenſis in cap. 18. libr. 3.
Abulen. Regum quæſt. 22 ait, quod faciam idem ſit, ac excoriabo, mactabo, diſ-
Dionyſ. ponam. Sed melius Dionyſius ait, quod faciam idem ſit ac *offeram*, offe-
Pineda ratur à me. Pineda in caput primum Iob verſ. 5. in fine docte & fusè probat quod facere idem ſit ac ſacrificare. Salianus ad annum 3126. in hujus explicationis confirmationem refert Septuaginta & Hebræos uti verbo ſacrificandi. Sic Cornelius explicat
Cornel. illud Ezechielis cap. 46. verſ. 2. *Facient Sacerdotes holocauſtum ejus.* Ideſt (inquit Dionyſius) *offerent*, ſeu ſacrificabunt. Et verſ. 12. *Cùm autem fecerit princeps.* Scilicet per manus ſacerdotum ſacrificia, inquit Dionyſius. Sic Hector Pintus & idem Dionyſius
Hector Pintus. verſ. 13. ejuſdem capitis. *Et agnum ejuſdem anni immaculatum facies holocauſtum quotidie Domino, ſemper mane facies illud, & facies ſacrificium ſuper eo.* Dionyſius. *Agnum anniculum, ſeu eodem anno natum immaculatum, omni manè offeret hoſtiam illam ſimul cum holocauſto iſto agni anniculi, per mane vel de mane offeret in ſacrificium.* Imò etiam quidam veteres prophani vocē facere pro ſacrificare acceperunt. Sic
Macr. Aurel. Macrobius Aurelius libr. 3. Saturnaliorum explicans illud Virgilii in Bucolicis Eclog. 3.

Virgil. *Cùm facio vitulam pro frugibus ipſe venito.*

Sic inquam explicat. *Vitulâ dixit pro vitulatione, quod nomen ſacrificii ob lætitiam facti, aperius expreſſimus, cum faciam vitula, &c.* Ideſt cùm faciam rem divinam non ove, non caprâ, ſed vitulâ. Quamquam dicat cùm vitulā pro frugibus ſacrificabo, Elias dicit, *faciam bovem.* Non verò ovem, non capram, vel aliud animal: quia ſacrificio deſtinatus erat. Et favet illud Levit. cap. verſ. 3. *Si holocauſtum fuerit ejus oblatio, ac de armento.* Græcus Levit. 1 v. 3.
habet *ex bobus.* S. Petrus Damianus vocat bovis hoſtiam præcipuam. Beda in cap. 4. Apocal. ait quod vitulus hoſtia magna fuit in lege. D. Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum vocat magnam victimam Sacerdotis: Imò apud Gentiles ſacrificium erat commendatiſſimum, & uſitatiſſimū, ut canit Homerus Iliade 2. 7. & 14. Feſtus in *Solitantilia* nuncupat hoſtiā boum ampliſſimam. Virgilius lib. 2. Georgicon maximam. Virgil.

—— *Maxima Taurus*
Victima ſæpè tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Plinius lib. 8. cap. 45. nominat optimam victimam, & lautiſſimam Deorum placationem. Aliquibus Diis olim immolabantur boves albi, quod ſi deeſſet albus cretâ dealbabantur. Vndè Juvenalis Satyrâ 10.

——— *Duc in Capitolia magnum* Iuven.
Cretatumque bovem.

Arnobius lib. 2. contra gentes refert etiam olim nullos alios licuiſſe tauros immolare in albo monte, quàm nivei candoris. Pluribus aliis omiſſis hoc unum ſufficiat, quod ideò ex quatuor animalibus, quorum meminerāt Ezechiel cap. 1. verſ. 16. Joannes Apoc. cap. 4. verſ. 7. bos Lucæ Evangeliſtæ attribuatur, quia Evangelium ſuum à Sacerdotio auſpicatus eſt. *Lucas* (inquit D. Auguſtinus tractat. 36. in Io-
annem) *quoniam cæpit à Sacerdotio Zachariæ ſacerdotis, faciens mentionem Patris Ioannis Baptiſtæ vitulo deputatus eſt, quia magna victima vitulus erat in ſacrificiis ſacerdotum.* Idem ſanctus Auguſtinus ſimilia habet libro 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 3. & 6. & lib. 4, cap. 10, D. Ambroſius præfatione comment. in Lucam. *Tertius* (inquit) *Evangeliſta ſacrificium ſacerdotale præmiſit, & ipſam vituli immolationem ſtylo quodam pleniore diffudit, hunc librum ſcilicet Evangelii* Auguſt.

ſecundum

ſecundùm Lucam voluit vituli ſpecie figurari, vitulus enim ſacerdotalis eſt victima, &c. Idem habet lib. 3. in Lucam. Eandem rationem afferunt ſanctus Irenæus lib. 3, adverſus hæreſes cap. 11. Beda in cap. 4. Apocal. Rupertus ibidem. Item Primaſius Sedulius tam in carmine quàm in lib. 1. Paſchalis operis cap. 24, Theophilus Antiochenus, Germanus Cõſtantinopolitanus, Gregorius, Hieronymus, Theophilactus, & multi alii, quibus omiſſis ſolum Petrum Damianum ſerm. de S. Lucâ proferemus. *Cùm Redemptor noſter verus ſit Rex, & Sacerdos, Lucas ſacerdotalem indicat per omnem textum ſui voluminis dignitatem; nam in ſacerdotali plerumque verſatur officio, & dum diverſa Dominici operis geſta percurrit, ab his tamen quæ ad ſacerdotium pertinent non recedit. Modò enim ſacerdotii delegatum narrat officium, modò progeniem, modò vicem, modò ſacrificium, modò nominat templum. Et cùm plurima inter ſacræ hiſtoriæ ſeriem comprehendat, in intentione tamen quâ cœperat proſequendi ſacerdotis perſeverat. Nam in ipſo ſuæ narrationis initio ſic exorſus eſt dicens, fuit in diebus Herodis Regis Iudæ ſacerdos quidam, &c. Deindè ipſum ſacerdotem ad adolendum ante altare ſacrificiũ ſtatuit. Poſtmodum quoque ad ejuſdem ſacerdotis domum Mariam Virginem dirigit, tria quoque cantica in Eccleſiâ quotidie cantanda deſcribit. Quod nullum Evangeliſtarum præter eum feciſſe reperitur. Quadrageſimo verò die à Nativitate Dominum cum muneribus in templo narrat oblatum. Deindè duodennem in eodem templo inter Doctores cõſtituit reſidentem. Parentes quoque Domini narrat per ſingulos annos in ſolemnitate Paſchali orationis gratiâ Hieruſalem aſcendere ſolitos. Poſtremò Evangelium ſuum hoc fine concludit, ut dicat ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magnô, & erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum, undè fit ut Beatus Lucas vituli ſpeciem teneat; vitulus ſiquidem in templo ſolebat offerri.* Patres etiam ideo notant Chriſtum inter cœtera animalia bovis figuram aſſumpſiſſe. *Quia* (inquit Ambroſius præfat. in Lucam) *hoſtia eſt. Quia mundi ſacrificii mactatio fuit.* Inquit Gregorius lib. 31. moral. cap. 33. *Ipſe in ſacrificio noſtræ redemptionis dignatus eſt mori ut vitulus,* inquit idem Gregorius homil. 4. in Ezechielem. Deindè quemadmodum ex dictis mactatio bovis eſt omnium optima & maxima, ita oblatio Chriſti reliquas omnes ſuperat. Quæ major victima, quam quæ mundi totius peccatum ſuo cruore mundavit. Audi D. Ambroſium in pſalmum 43. ubi hanc & alias analogias Chriſti & bovis ita expendit. *Pulchrè ait ſcriptura tauri decus ejus. Sicut enim Taurus ducit armentum, ita Chriſtus plebem gentium duxit ad Eccleſiam, induxit ad paſcua, ut poſſet dicere in loco paſcuæ ibi me collocavit, ſuper aquam refectionis conſtituit me. Hujus tauri decore perpetuo capta noſtræ fragilitatis armenta ſecuta ſunt procedentem ut vitam adipiſcerentur æternam. Mugiit hic taurus & mors refugit, leo rugit & quis non timet? Verè maxima taurus victima, quam quæ mundi totius peccatum ſuo cruore mundavit. Audi quia ipſum taurum dicit etiam S. Propheta Iacob, cum revelaret Domini paſſionẽ, quem Iudæi poſtea perſecuti ſunt in furore (inquit) ſuo ſubnervaverunt taurum, & ut aperiret quia de Iudæis dicebat addidit; dividam eos in Iacob, & diſpergam in Iſrael. Hic eſt homo qui luctatus eſt cum Iacob & femur ejus tetigit, quo tactu Patriarchæ nervus obſtupuit, ſignificans ex ejus ſucceſſione ſecundùm carnem ſe eſſe venturum qui ſubvertendus eſſet à populô Iudæorum in ſui corporis paſſione.* Eandẽ analogiam proſequitur lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 11. D. Auguſtinus quæſt. 56. Iuſtinus contra Tryphonem part. 70. Tertullianus contra Iudæos cap. 10. quibus ſimilitudinibus hæc addi poteſt. Quemadmodum taurus auctore Plinio lib. 81. cap. 45, præcipuam ſuam fortitudinem habet abſconditã in cornibus ſuis, ita de Chriſto Pſalmiſta ait. *Cornua ejus in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Nam ejus manibus cruci affixus dum vinci putabatur victor ipſe evaſit. Sicut ex eodem Plinio lib. 8. cap. 21. Taurus ſub ficu ferocitatem deponens manſueſcit, ſic

Petrus Dam. — *Ambroſ.* — *Gregor.* — *Plinius.*

ſic ubi ſub Crucis arbore Deus ultionum fuit adeò benignus effectus eſt, ut non ad arma ſed ad veniam, non ad vindictam ſed ad miſericordiam, non ad mortem ſed ad ſalutem eorũ procurandam totus propenderet. *Pater ignoſce illis, &c.* Lucæ cap 23, Denique ſicut canes hinc & illinc in taurum inſurgunt, ac dentibus dilacerãt, ſic principes ſacerdotum tantâ rabie in Chriſtum inſurrexerunt, ut carnem ejus lacerarent tam in flagellatione, quam coronatione, & crucifixione, de quibus Regius Vates pſal. 21. *Circumdederunt canes multi concilium malignantium obſedit me.* Verè adhuc canes appellandi ſunt. Sicut enim aliquando propter cibum inter ſe contendunt, tamen cum mendicus præ foribus eſt omnes canes ei allatrant, aggrediuntur, ſic Pilatus & Herodes hactenus inimici, facti ſunt amici. Lucæ cap. 23, ut Chriſtum morti traderent: vide plura apud authorẽ Sylvæ-allegoriarum.

Pſal. 21.

IV. Subdit S. Parens Elias. *Et imponam ſuper ligna.* Quaſi diceret, Diviſum bovem in fruſta imponam ſuper ligna. Quæ autem ligna non exprimit, lib. Judicum cap. 6, num. 26. Gedeon dicitur obtuliſſe holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderat lib. 1. Regum cap. 6. v. 14. Viri Bethſamitæ uſi ſunt lignis plauſtri ſui ad componendum ſacrificium. Ioſue cap. 9. verſ. 23, & 27. quidam Gabaonitæ damnati ſunt à Ioſue, ut ligna cæderent, aquasque comportarent in domum Domini propter fraudem, ſed non exprimit quæ ligna ſacrificio applicari debeant. Alexander ab Alexandro lib. 4, c. 17. ait nefas fuiſſe apud Græcos accendere ignem, Numinibusque adolere ex oleâ, lauro, quercu craſſioris corticis, aut cujus caudex cavus, fangoſusque foret, item ex mortuo carbone. Perſas dempſiſſe corticem lignorum aridorum, deſuperque oleum aridum fudiſſe, & aruinam pinguem, ignem verò appoſitum non flatu, ſed ventulo excitaſſe. Magos apud eoſdem carnes ſuper Myrto, & lauro appoſitas ſubtilibus urgis aduſiſſe. Scythas ipſiſſimis oſſibus earum, Luſitanos ignitis lapidibus, Ioſidas ſeu Ioxidas uſos quidem omni ligno, ſed aſpargi ſpinas ac ſtramina miſcuiſſe. Fertur etiam mulieres Eretrienſes obſervaſſe in Cerialibus, ut cæsâ hoſtiâ, non igne coctis, ſed torridis veſcerentur. Quidam etiam Poetæ fabulantur, quod dum apud Siculos ſacrum fieret in colle Vulcanio juxta prætenſum ſtagnum ſarmentorum faſces igne abſumptos fuiſſe. Crederem Eliam rogum conſtruxiſſe, non ex lignis ſelectis, ſed quæ in Carmelo creſcebant, Eliæque magis familiaria, & obvia erant. Primò quia Levitici cap. 1. v. 7. dicitur, *Et ſubjicient in altari ignem ſtrue lignorum ante compoſitâ.* Ibi nullum genus lignorum exprimitur. Secundò, quia hoc ſacrificium quaſi inopinatè & nemine cogitante factum eſt, nec præparatis, nec præmeditatis ad tale opus neceſſariis. Tertiò, ſi Elias aliqua ligna ſpecialia ſibi comparaſſet, non verò communia tam ſibi quàm pſeudoprophetis, potuiſſet ex illis & populo dare occaſionem ſuſpicandi, quod in illis lignis præeſſet aliqua naturalis diſpoſitio ad concipiendum ignẽ. Vndè ſequitur Eliam uſum fuiſſe lignis, quæ in Carmelo creſcebant. Cùm autem ex Adrichomio & aliis Carmelus ſit ſaltus, ſeu mons in Iudæâ fertiliſſimus, vineis, oleis, aliisque arboribus fructiferis & odoriferis abundans. Sequitur Eliam & pſeudoprophetas ſumpſiſſe ligna ex arboribus quæ magis ad manum & obvia erant.

1. reg. 6. v. 14.

Alexan. ab Alex.

Levit 1. verſ. 7.

Elias ſubdit. *Ignem autem non ſupponam.* Cur hæc verba ſubjiciat diximus ſupra & alibi, ſcilicet nè putarẽt eſſe ſubterraneas & patulas cavernas ex quibus ignis in altare emitti poſſet, quæ ratio fundari videtur in eo quod Danielis cap. 14. verſ. 12. fertur de ſacerdotibus Bel, qui in Babylone fecerant in templo ſub menſâ occultũ introitum, per quem clam ingrediebantur ut cibos illi Idolo appoſitos devorarent. Ita periculum ſuſpicandi erat, nè Elias vel pſeudoprophetæ feciſſent ejuſmodi cuniculos & cavernas, Sic ſcribunt Florimundus Raymundus lib. 6. cap. 9. Et Sanderus de quadam muliere Elizabethâ Coſtâ, V.

quæ Londini in Angliâ ſollicitata à Zuinglianis, multa contra religionem Catholicam, & contra Reginam effutiebat, prædicabatque Angliæ multa futura mala. Aliqui ejus dictis, quaſi quibuſdam oraculis fidem adhibebant. Hæretici authores & fautores iſtius rei ubique ejus oracula & ſententias diſſeminabant. Tandem decreto Senatus ruptus eſt paries cubiculi, ex quo iſta prophetiſſa ſua oracula in tranſeuntes edebat, in quo reperta fuit fiſtula ærea longitudine 12. pedum, latitudine tantùm unius calami ita ingenioſè & ſubtiliter accommodata & totum parietem penetrans ut à nemine poſſet percipi. Credo ejuſmodi latibula & cavernas factas fuiſſe in locis & templis ubi ordinariè efficiebantur ſacrificia Baal, non verò in Carmelo, quia non erat ibi templũ nec locus ubi ordinariè immolabatur Baal. Deindè eſto forent ibi concavitates & latibula, per quæ ſine dolo, ſed publicè iſti prophetæ ſubmiſiſſent ignem: prohibuit tamen Elias ſubmitti, ſed illum cœlitus mittendũ & expectandum prænuntiavit ut hoc miraculo vera religio à falsâ diſcerneretur.

V. *Invocate nomina Deorum veſtrorum.* Aliquando invoco ſumitur pro voco. Plautus in cap. 6. ſc. 1. art. 1. *Invocatus eſſe ſoleo in convivio.* Idem Curc. ſc. 3. art. 2. *Invocat planè ſuum, ego almam meam nutricem Cererem.* Geneſ. cap. 33. verſ. 20. *Invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſrael.* Ideſt vocavit illud altare, vide Lapide ibid. Sumitur ſecundò pro intro-voco, Suetonius in Caligulâ cap. 50. Invocare lucem. Tertiò pro ſubſidium peto, voco in auxilium. Plautus in Alm. *Deam ſibi invocet, quam lubebit propitiam.* Cicero lib. 2. de naturâ Deorum. *Apud noſtros Iunonem Lucinam in pariundo invocavit.* Idem. *Et exilio damnatus antequam diſcederet, ſic ait auxilium ab alienis efflagitabit, cùm cives veſtros dejeratis, doctorum invocabo ſubſidium, cum à civibus interclusum ſit ſubſidium.* David pſalm. 4. verſ. 1. Pſal. 4 verſ. 1. cùm eſſet à Saul oppreſſus, & ad extremas anguſtias redactus, ait. *Cùm invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.* Ideſt opem divinam imploravi, & ſtatim recepi dilatationem, & libertatẽ. Pſalm. 17. verſ. 4. *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* Et verſ. 17. *In tribulatione invocavi Dominum.* Pſalmo 19. verſ. 10. *Exaudi nos in die quâ invocaverimus te.* Pſalm 80. verſ. 8. *In tribulatione invocaſti me.* Et alibi paſſim. Quartò ſumitur pro facio publicas preces, publicas conciones, cathecheſes, publicum Dei cultum per ſacrificia & alios ritus, ac cæremonias coram magno hominum cœtu. Sic Geneſis cap. 4. verſ. 20. *Enoch cœpit invocare nomen Domini.* Geneſ. 4 v. 20. Ideſt cœpit publicè & per cœtus colere Deum, precibus, ſacrificiis & aliis ritibus. Aliquando invoco ſignificat exhibeo peculiarem Dei cultũ & ſublimiorem quam ſit religio vulgi. Sic noſter Thomas Waldenſis & Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 5. dicunt quod cœpit invocare Deũ, ideſt inſtituere, quaſi quædam incunabula, & tyrocinia vitæ Monaſticæ & religioſæ. Nam ante eum Adam, Abel, Seth, & alii invocabant Deum, ſed communi, vulgari modo & ritu. Quintò, denomino, nomen do: in hunc ſenſum Lapide explicat illud Iſaiæ cap. 4. verſ. 1. *Tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos.* Ideſt, Iſaiæ 4. verſ. 1. permitte ut aſſumamus nomen tuum. Sic Cantic. cap. 6. verſ. 12. Sponſa vocatur Sulamitis quaſi Salomia à Salomone marito. Ab Hebræis Maria Cleophæ, Maria Jacobe, &c. Et auctore Valerio lib. 10. à Romanis uxores Tullii, Publii, Caii, Lucii, &c. vocabantur Tullia, Publia, Cornelia, Caia, Lucia, &c. Sextò, laudo, invito, Iſaiæ cap 12. verſ. 4. *Confitemini Domini & invocate nomen ejus.* Ideſt cebrate laudes & alias creaturas invitate ut ſecum gratias agant, eumque laudibus efferant, & paſſim alibi. Septimò, opto, Iſaiæ cap. 24. verſ. 12. *Regem potius invocabunt.* Iſaiæ 24 v. 12. Ideſt victi Idumæi à Nabucodonoſor eum optabunt, ita Lyranus, vel Idumæi deſolati optabunt Regem qui rebus perditis occurrat. Sic Apocal. cap. 8. verſ. 9. occiſo Antichriſto optabunt hominem ſimilem Monarcham. Octavò,

pro

pro adhibere Iſaiæ c. 59. verſ. 4. dicitur. *Non eſt qui invocet juſtitiam.* Quaſi diceret favores & munera pervertunt judicia, non eſt qui juſtitiam in conſilium advocet & adhibeat ad juſtè judicandum. Hebræus habet, non eſt qui in judicio litiget aut diſputet verè. Nonò, Proteſtor, Deuter. cap. 4. verſ. 26. *Teſtes invoco cælum & terram.* Idem cap. 30. verſ. 19. & cap. 31. verſ. 28. *Invocabo contra eos cælum & terram.* 2. Corinth. cap. 1. verſ. 23. *Teſtem Deum invoco in animam meam* Decimò, Invoco ſumitur pro offero, ſacrifico, Sap. 14. verſ. 1. *Fragilius lignum invocat, &c.* libr. 3. Regum cap. 18. verſ. 24. Elias dicit *Invocate.* Item *Invocabo*, ideſt offerte unum horum boum, & ego alterum offerā, vel peculiarem cultum & inuſitatum ei obſequium exhibere: *Et ego* etiam. Quem cultum exhibuerunt pſeudoprophetæ, dum ſe lanceolis incidebāt, & altare proprio ſanguine cruentabant. Vel publicas preces & conciones facite: Et ego idem præſtabo. Vel rogate Baal ejuſque opem implorare, ut liberetur terrà à ſiccitate, & populus à fame, & idem petam à Deo meo. Dionyſius exiſtimat quod Elias propoſuerit tantùm invocationem Baal per ſacrificium, ſed veriſimilius propoſuiſſe invocationem mixtam ex prædictis modis, ut patet ex ſequentibus.

Iſaiæ 59 v. 4.
Deuter. c. 4. v. 26.
l. 3. Reg. 18 v. 24

VII. *Nomina Deorum veſtrorum.* Nota quod non dicit ſurgat is qui mihi magis adverſatur, invocet Baal. Vel ſurgite omnes vos 850 prophetæ, & invocate nomen alicujus Dei. Sed ait, *Invocate nomina Deorum,* Quaſi diceret, ſi Baal non ſit verus Deus, non vos exaudiat, alium invocate. Si iſte non audiat, adhuc alium invocate, uno verbo invocate omnes Deos quos colitis & quæcumque Gentiliū Numina volueritis. Hanc autem omnium Deorum invocationem ideò illis permittit, ut magis confundantur, & populus efficacius commoveatur.

VIII. *Et ego invocabo nomen Domini Dei mei.* Ideſt ſolus palam omnibus offeram preces & hoſtias unico Deo meo Iſrael. Dicit, *nomina Deorum veſtrorum,* ideſt quos facitis, quos putatis Deos, ſed non ſunt. Pluralitas illa nullitatem Deitatis oſtendit. Vndè propheta Regius Pſalmo 17. exclamat. *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum.* Et pſalmo 82. ſic Deum alloquitur. *Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram, magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.* Iſaiæ 47. ſuæ naturæ unitatem & æternitatem ita exprimit. *Ego ſum primus & noviſſimus & præter me non eſt Deus.* 1. Corinth. cap. 8. verſ. 5. *Etſi ſint qui dicantur Dii.* Scilicet à Paganis quorum alius vocatur Jupiter, alius Apollo, alius Mars, alius Vulcanus, &c. *Nobis tamen unus eſt Deus Pater ex quo omnia, & non in illo, unicus omnium author & finis.* Et ad Epheſ. cap. 4. verſ. 6. *Vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus vobis.* Videtur hoc loco probare unitatem Dei, primò quia eſt Pater omnium, ideſt rerum omnium principium. Vndè in Juſtino Martyre libr. de Monarchiâ rectè monemur.

Pſal. 17
Pſal. 82

Qui regit imperio cuncta, hunc reſpice ſolum,
Vnus is es, per ſe extitit, omnia condidit unus,
Eſt in eis ipſe, aſt hominū nec cernitur ulli,
Cùm tamen aſſiduè cuncta videantur ab ipſo.

Iuſtinus Martyr.

His alludit Menander in Diphilo. *Quoniam Dominus eſt verè ſemper omnium & Pater, hic unus ſemper colendus eſt.* Non minus acutè Sophocles.

Meand.

Eſt unus eſt, verè, profectò unus Deus,
Polumque fabricavit, &c.

Sophocl.

Addidit Apoſtolus. *Qui eſt ſuper omnes.* Quaſi diceret cum Sybilla. *Vnus Deus qui ſolus eſt, excedens omnem magnitudinem, increatus, omnipotens.* Vel cum Homero Illiade 8. ubi primo Deo quem Jovis nomine intelligit dominium omnium rerum tribuit ſub ænigmate funis & catenæ aureæ, quem introducit ſic Deos alloquentē;

Quin agite periculum facite
Dii; ut cognoſcatis omnes
Catenam auream de Cælo ſuſpendētes
Omnes appendamini Dii, omnesq́, Deæ,
At non trahatis de Cælo in terram
Iovem ſummum, ſapientiſſimum

Homer.

Etiamſi multum laboraveritis, (here,
Sed quando jam, & ego lubēs volā tra-
Cum ipsâ terrâ, traham ipſoq; mari
Catenam ipſam Deûm ad ſummitatē
Olympi (debant
Religabo, illa verò ſuſpenſa omnia pē-
Tantùm ego ſuper Deos ſum & ſuper
homines.

IX. Populus Iſrael auditâ propoſitione Eliæ, lib. 3. reg. c. 18. v. 24. *Reſpondens*, ait, *optima propoſitio.* Quaſi diceret: Si ignē invocatione Dei tui cœlitus emittere poſſis, illi credemus, illū colemus, illū toto animi affectu, devotione, demiſſione proſequemur. Quomodò cœleſtis ignis demiſſio veræ fidei argumentum, & ad virtutem incitamentum eſſe poteſt? Nam teſtatur Alexander ab Alexandro lib. 4. Genialiū dierum cap. 17. in colle Vulcano juxta Pettenſinum ſtagnum, dum ſacrum fit, ſarmentorum faſces ſuper aras ſuâ ſpontè ignem concipere, & nullo flante halitu incendium fieri fabulabantur. Sicut de Seleuco traditur, qui cum Jovi in Pellâ victimam faceret, ligna aris impoſita ultrò arſerunt. Et de Egnatiâ Nymphâ in Apulis, in cujus arâ lignis extructis ignem ſuâ ſpontè excitari opinio erat. Fertur Magos apud Perſas dum ſacrum fit, carnes ſuper myrtho & lauro appoſitas ſubtilibus virgis adurere, atque Eretrienſes Mulieres in Cerealibus obſervare, ut cæsâ victimâ carnibus non igne coctis, ſed ſole torridis veſcantur. Et apud Scythas ſacrum fiebat Marti, ubi victimarum carnes ipſarum oſſibus aduruntur, ut Horatius lib. 1. Satyra 1. refert in urbe Egnatiâ in ſacrificio liqueſcere ſine igne Thura. *Horat.*

Dehinc Egnatia Lymphis
Iratis extructa dedit riſusq; jocoſque
Dum flamma ſine Thura liqueſcere
limine ſacro.
Perſuadere cupit, &c.

Plinius libr. 2. cap. 107. & Solinus cap. 11. idem narrant. Virgilius in Pharmacentriâ aliquid ſimile eveniſſe canit, ac rebus proſperis annumerat. *Virgil.*

Aſpice corripuit tremulis altaria flā-
mis (boum ſit.
Spontè ſuâ, dum ferre moror, cinis ipſe

Quod ſi à ſacrificiis ad alia tranſeamus. Plinius lib. 2. cap. 104. narrat, quod in Comagenes vrbe ſtagnum eſt emittens maltham flagrantem, cum quid attingit ſolidi, adhæret. Præterea ſequitur fugientes, ſic defendere muros oppugnante Lucullo, flagrabatque miles armis ſuis aquis etiā accēditur terra. Et cap. 105. ait Naphtam eſſe ſimilis naturæ, ita ferunt à Medeâ pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat. Plures authores differentes de Ætna aiunt ſemper ardere etiam hybernis temporibus. Vide plura apud eundem Plinium lib. citato cap. 106. Idem cap. 107. narrat quod in Nymphęo exit de petrâ flamma, quæ pluviis accenditur: exit & ad aquas Scantias, viret æterno, &c. S. Ioannes Apocal. cap. 13. verſ. 13 de Antichriſto ita vaticinatur. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* Idem potuit fieri à Baalitis quod natura, præſtat & demon per Antichriſtum. Reſpondeo extraordinarii ignis effectus aliquos eſſe fabuloſos, fictos, falſos, alium verò ignem eſſe productum in locis plenis ſulphure & bithumine, & in materiâ ad talem ignem concipiendum diſpoſitâ vel arte vel præſtigiis dęmonis intuentium oculos perſtringentis: ſicque illos ignes ut plurimùm non fuiſſe veros ignes defectu materiæ vel formæ. Quod ſi ejuſmodi ignes eſſent veri & naturali virtute poſſent excitari, maximè tempore AntiChriſti: De quo tamen & ejus aſſeclis Chriſtus ita vaticinatur Marci cap. 13 verſ. 22. *Et dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt etiam electos.* Et Matthæi cap. 24, verſ. 24. *Surgent pſeudo Chriſti, pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Et Apoſtolus 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. verſ. 9. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis, mendacibus & in omni ſeductione.* Ideſt iis prodigiis & ſignis homines faſcinabit, quibus Judæos præcipuè commoveri poſſe exiſtimabit. Audi Lactantium lib. 7. cap. 7. Inſtitut. divin. de

Plinius. *Apoc. c. 13. v. 13.* *Marc. c. 13. v. 22.* *Mat. 24 v. 24.* *2. ad Th. 2. v. 9*

de adventu Anti-Chriſti & ejus ſignis ita differentem. *Rex verò ille teterrimus erit quidem & ipſe, ſed mendaciorũ* Lactan. *propheta, & ſe ipſum conſtituet, ac vocabit Deum, & ſe coli jubebit ut Dei filium: dabitur ei poteſtas ut faciat ſigna, & prodigia, quibus viſis irretiat homines, ut adorent eum. Iubebit ignem deſcendere de cœlo, & ſolem à ſuis curſibus ſtare, & imaginem loqui, fient hæc ſub verbo ejus: quibus miraculis etiam ſapientum plurimi allicerentur ab eo.* Accipe etiam hæc verba D. Chryſoſtomi homil. 4. in caput 2. Epiſtol 2. ad Theſſalonicenſes innuentis virtutem Chryſoſ. Anti-Chriſti fore tantùm ad deceptionem. *In prodigiis* (inquit) *mendaciis, ſeu falſis & inducentibus ad falſum.*

X. Quamvis Pſeudoprophetæ Baal ſuis præſtigiis populum faſcinaverint etiam demiſſione ignis in terram, tamen Elias divinitus inſpiratus ſciebat Baalitas non exaudiendos, nec Deum permiſſurum, ut arte diabolicâ & magicâ, vel aliâ virtute ignis tunc in ſacrificia Baalis produceretur. Vndè quærentibus cur Deus permittat tot prophetas & ſeductores, reſponderi poteſt idem quod D. Chryſoſtomus Chryſoſ. citatus de Anti-Chriſto *Cur* (inquit) *permittit Deus ut is eſſet, & quodnam eſt ejus conſilium, & quodnam lucrum percipitur ex ejus adventu, cùm ſit exitium noſtræ generationis?* Reſpondet ſibi Chryſoſtomus. *Ne timeas ô dilecte, ô dilecte: ſed audi ipſum dicentem, vim habet in iis qui pereunt, qui etiamſi ille non acceſſiſſet, non credidiſſent. Quodnam eſt ergo lucrum? quod iis qui pereunt os obſtruetur, quomodò ſive ille veniſſet, ſivè non veniſſet, Chriſto non credidiſſent. Venit ergò eos convicturus: Nam nè ſint dicturi quoniam ſe Deum dicebat eſſe Chriſtus: etiamſi nuſquam id dixiſſet apertè: ſed quoniam qui poſtea fuerunt ſecuti prædicaverunt non credidimus. Quoniam audivimus quod ſit unus Deus, ex quo omnia non credimus. Hunc ergò eorum prætextum tollet Anti Chriſtus. Nam quando ille venerit, & nihil bonum & rectum, ſed omnia iniqua, & legibus contraria imperabit. Ex ſolis falſis ſignis credetur, ora eorum obturabit. Nam ſi Chriſto non credis, multò magis non oportebat credere Anti Chriſto.* Quaſi diceret, Deus permiſit Anti-Chriſtum regnare, ut confundantur reprobi, qui Anti-Chriſto ſuam miſſionem falſis miraculis corroboranti credent Chriſto verò nomine, licet ſuam legationem & religionem veris miraculis comprobarit. Rectè igitur Elias vero miraculò ignis cœleſtis emiſſi ſuam religionem probare contendit, & impedit nè pſeudoprophetæ ſua falsa miracula edant. Item ut hoc miraculo populum à prophano Baalis cultu ad veram fidem revocet.

Non minorem utilitatem, & fructum ſecum advehunt Concilia Generalia, undè & neceſſaria aliquando ſunt. De utilitate patet quia multi abuſus, & vitia in Eccleſiam irrepunt, ad quæ tollenda licet ſummus Pontifex poſſet toti Eccleſiæ aliquas leges præſcribere, tamen facilius tolluntur cum leges pontificiæ ad illum effectũ latæ à Concilio generali approbantur ſeu recipiuntur, & promulgantur. Vnde in omnibus ferè Conciliis Generalibus Canones editi ſunt de reformatione, pro quibus conſuli poteſt Joannes de Turrecremata libr. 3. cap. 9. & 10. XI.

Quod verò ſint etiam neceſſaria aliquo modo, primò ad hæreſes convellendas, innuere videtur D. Auguſtinus lib. 4 contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 12. ubi aſſerit ad omnes ferè hæreſes extirpandas Concilium ex Patribus Orientalibus & Occidentalibus fuiſſe neceſſariũ. D. Leo in epiſtol. 43. ad Martianum. laudat Martianum Auguſtum quia ipſe neceſſarium judicaret Concilium Generale à ſe poſtulatum. D. Iſidorus ſcribit in præfatione Conciliorum Eccleſiam variis hæreſibus fuiſſe oppugnatam, quia Imperatorum perſecutione aliundè vexata Epiſcopi non poterant Concilia celebrare, ſcilicet Generalia: multa enim particularia celebrata ſunt ante Conſtantini tempora. Victor Vticenſis lib. 2. de perſecutione VVandalicâ refert, quod cùm ſanctus Eugenius Epiſcopus Chartaginenſis vrgeretur à rege Hunnerico, & cum Arianis Epiſcopis de fide XII. Leo

fide conferret. Reſpondit cauſam fidei commuem eſſe toti Eccleſiæ Catholicæ, ac proindè cœtum Epiſcoporum ex omnibus Eccleſiæ partibus deſiderare, remque totam ſignificandam eſſe Romanæ Eccleſiæ, ut potè omnium Eccleſiarum capiti. Audiamus inter omnes unicum D. Auguſtinum lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. ubi quæſtionem illam an rebaptizandi ſint qui ab hæreticis fuerint baptizati, ait neceſſariò terminandam eſſe à Concilio Generali. *Quæſtionis* (inquit) *hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros, & magnâ charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit, ſalvâ pace diſceptare, & fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibuſvis regionibus diverſa ſtatuta mutarint, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiatur etiã remotis dubitationibus firmaretur.* Et cap. 18. *Hoc de Baptiſmo piè credamus, quod univerſa Eccleſia à ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit: in quo tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſtâ quæſtione ſalvâ pace ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatũ, ſincerumque placuiſſet humanæ infirmitatis errorem excuſaret charitas unitatis.* Eandem Concilii Generalis neceſſitat non quidem abſolutam, ſed ſecundùm quid inculcat lib. 2. c. 4. Aliquâ ratione etiã neceſſaria eſt Synodus univerſalis, quando bellum indicendum eſt, vel reſiſtendum Eccleſiæ hoſtibus. Sic fecerunt Urbanus II. Calixtus II. Eugenius III. & alii pontifices. Aliquando celebrata ſunt Cõcilia ad deponendum Imperatorem, ut à Gregorio III. contra Leonem Imperatorem Iconomachum, à Gregorio VII. contra Henricum, ab Innocentio IV. contra Fridericum II. Aliàs etiam ob ſchiſma inter Pontifices, ut temporibus Cornelii, Damaſi, Symmachi, Innocentii II. Alexandri III. Gregorii XII. & Benedicti XIII. Piſanum & Conſtantienſe. Quandoetiam dubitatur de electione ſummi Pontificis. Si enim nollent, aut non non poſſent Cardinales creare Pontificem: vel aliunde dubitaretur ad ad quos ſpectaret? licet id vix contingere poſſet, tunc Concilii Generalis eſſet de futurâ Pontificis electione decernere. Denique ſi Romanus Pontifex eſſet hæreticus manifeſtus: tunc à Cõcilio ſeu Eccleſiâ eſſet deponendus; vel declarandus præciſus. Ita Thomas del Bene 1. part. diſput. 1. quæſt. 29. qui citat pro ſe Cajetanum, Driedonem, Canum, Sotum, Cordubam, Turrecrematam, Azorium, Valentiam, Aragonium cõtra Pyghium, & quoſdam alios. Quibus favere videtur ſexta Synodus action. 13. ſeptima Synodus action. ultim. octava Synodus actione 7. in epiſtolâ Adriani, & Concilium Romanum ſub Symmacho papâ his verbis. *A multis antecesſoribus noſtris Synodaliter decretum atque firmatum eſt, ut oves paſtores ſuum nec reprehendere, niſi à fide exorbitaverit, præſumant.* Dicit *reprehendere*, non verò ſententiam pronuntiare. Sic in Cõcilio Sinveſſano cauſa Marcellini agitata fuit. Sic cauſa Damaſi; Sexti III. Symmachi, Leonis III. & IV. examinata fuit: nullus tamen in Concilio eos damnare auſus eſt. ſed Marcellinus ſibi ipſi pœnitentiam injunxit coram Concilio. De quibus conſule tomos Conciliorum & Platinam. Bellarminus libr. 2. de Pontifice cap. 30. hunc caſum paulò aliter, & doctiſſimè explicat, dicens, quod ſi Papa eſſet hæreticus, per ſe deſineret eſſe Papa & Caput, ſicut deſineret eſſe Chriſtianus & membrũ Corporis Eccleſiæ. Quare ab Eccleſiâ poſſet judicari & puniri. Et hanc opinionem ait eſſe veterum Patrum, docentium hæreticos manifeſtos ſtatim amittere omnem juriſdictionem, imò & doctiſſimorum & recentiorum. Fundamentum hujus ſententiæ eſt, quia hæreticus manifeſtus nec animo nec corpore, ſeu nec unione internâ nec externâ eſt membrum Eccleſiæ: internâ per fidem, externâ per confeſſionem fidei & Sacramentorũ participationem. Vide quid de hoc argumento ſupra dixerimus.

Auguſt. *Synod. 8.* *Bellar.*

§. 1.

Concilium accedente Romani Pontificis confirmatione cenſetur ſanctum & infallibile.

I. POſtquam Elias monuit, ut ſignificaret Achab ſe adeſſe, & cum eo conferre velle, & (ut probabile eſt) audivit Abdias mentem Eliæ eſſe ut congregaretur populus in monte Carmeli, ſtatim ab aulâ receſſit, adiitque Prophetas Domini in ſpeluncis latitantes, eos hortans ut cum populo in Carmelum cōvenirent. Horum tamen ſcriptura non meminit, nec eos quidquam dixiſſe refert, ſed ſolum Eliam memorat; quia hic erat prophetarum caput & pater, ut eum paſſim vocat Joannes 44. Patriarcha Jeroſolymitanus in ſuo lib. de inſtit. Monachor. eum ſolum locutum fuiſſe refert.

II. Ita in novo teſtamento D. Petrus omnes diſcipulos convocaſſe fertur ſolus orationem habuiſſe ad omnem diſcipulorum cœtum Actorum cap. 1. verſ. 15. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit, viri fratres oportet impleri ſcripturam, &c.* Si Petrus caput & Pater totius Eccleſiæ quomodo vocat eos fratres? Reſpōdet Cornelius, Apoſtolos vocari fratres, quia licet eſſet eorum præſul, tamen in Apoſtolatu erant illi pares, & quaſi fratres. Sic ſummus Pontifex vocat Cardinales & Epiſcopos Fratres. Deinde Petrus vocat cœteros diſcipulos & fideles fratres non cognatione carnis, ſed fidei: non nativitate carnali, ſed regeneratione baptiſmi. Sic Apoſtolus in epiſtolis ſuis vocat fideles fratres & ſorores, quia Eccleſia eſt quaſi familia, in qua voluit ut fideles eſſent conjunctiſſimi, ſe mutuò diligerent in Chriſto, qui eſt Pater omnium, cujus ſponſa eſt Eccleſia, cujus domus eſt templum, cujus menſa eſt altare Euchariſticum, eadē Verbi divini educatio, eadem Patria Cœleſtis. Quos vates Regius alloquēs pſalm. 132. verſ. 1. *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Quomodo Fratres? quia ejuſdē fidei & ſpei ſunt participes. Minutius Fœlix in Octavio. *Fratres vocamur, ut unius parentis homines, ut conſortes fidei, ſpei cohæredes.* Solus ergo aliis tacentibus loquitur Petrus, ut ſe eis præſidere demonſtret. D. Chryſoſtomus homil. 3. in acta. *Quam eſt fervidus Petrus, quam agnoſcit creditum à Chriſto gregem? quam in hoc Choro Princeps eſt, & ubique primus omnium incipit loqui.* Et infra. *Meritò primus omnium authoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu.* Eidem ſubſcribens OEcumenius ad cap. 1. Actorum. *Surgit Petrus non Iacobus, ut is cui præſidentia diſcipulorum commiſſa erat, neque ullius orationi Petri contradixit.* Quemadmodum Deus Eliæ revelavit ſe ſuam divinitatem manifeſtaturum per demiſſionem cœleſtem ignis: ita inter omnes Apoſtolos facta eſt Petro prima revelatio divinitatis Chriſti, eamque ipſe primus profitetur Matthæi cap. 16. verſ. 16. *Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viventis.* Quam profeſſionem aliqui aſſerunt fuiſſe factā à Petro nomine omnium. Ita D. Paſchaſius lib. 1. in Matthæum, D. Thomas, Albertus Magnus, Gloſſa, Lyranus, Caſſianus lib. 3. de Incarnatione, D. Ambroſius lib. de Incarnatione cap. 4. Rectè D. Hieronymus. *Petrus ex perſonâ omnium Apoſtolorum profitetur, Tu es Chriſtus Filii Dei vivi.* D. Auguſtinus. *Petrus pro multis dedit reſponſum.* Alii, ut D. Hilarius, Lucas Burgenſis, Toſtatus, Barradius, Maldonatus, Cornelius aſſerunt Petrum pro ſe ſolo reſpondiſſe. Quibus ſubſcribit noſter Sylveira lib. 6. in Evangelia cap. 3. quæſt. 10. quia ob hæc verba, Chriſtus ſolum Petrum remunerat, & ſermonem ad eum ſolum dirigit. *Et ego dico tibi.* Item. *Beatus es Simon Bariona.* Ei ſoli promittit claves, nullam aliorum Apoſtolorum mentionem faciens. Quæ omnia denotant Petrum pro ſe ſolo locutum eſſe. Sed cur Petrus pro ſe vel pro omnibus reſpondet, cùm Chriſtus dixerit. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Cur Andræas, Jacobus, Joannes & alii

Margin notes: Act. c. 1. v. 15. — Pſ. 132. v. 1. — Minut. Fœlix — Chryſoſ. — OEcum. — Mat. 16 v. 16. — Hieron.

alii ſilent, & ſolus Petrus reſpondet? Quia cæteros ſuperat dignitate. Sanctus Leo ſerm. 2. (S. Leo.) *Ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolicâ dignitate, non quia Petrus eſt ſenior in Apoſtolatu, non quia à Chriſto præ aliis interrogatus eſt: ſed quia dignitatem eminentiorem eſt aſſecutus.* S. Paſchaſius lib. 8. in Matthæum. *Petrus prior præ omnibus reſpondet, prioratus officii eſt, & ardor fidei nimius.* Sed audiamus D. Chryſoſtomum homil. 55. in Matthæum. (Chryſoſ.) *Quid igitur Petrus omnium Apoſtolorum os, vertex conſortii totius? Cum omnes interrogati eſſent, ipſe ſolus reſpondet. Et quando quidem de ſententiâ vulgi petebat omnes reſponderunt. Cùm verò de ſuâ eos rogat, Petrus confeſtim proſilivit.* Ecce quomodo Petrus loquatur primus & ſolus. Primus quia Apoſtolorum *Vertex eſt*; ſolus, quia eorum *Os eſt*. Eo præſente tacent, obmuteſcunt: quia eſt eorum os, unde quaſi linguâ carere videntur. Hinc excellenter reſpondet Chriſtus Matthæi cap. 16. verſ. 17. (Mat. 16 v. 17.) *Quia caro & ſanguis non revelavit tibi.* Ideſt, non ab hominibus hanc divinitatis meæ notitiam accepiſti, ſcientiam didiciſti: ſed ab ipſo divino Numine revelante. Dionyſius. (Dionyſ.) *Non Iudæi, de quorum ſanguine natus eſt, nec caro nec ſanguis, ideſt à te ipſo non inveniſti, quod profeſſus es, dicens, quod ſim Chriſtus Filii Dei vivi. Simili modo teſtatur Paulus Galat. cap. 9. Non acquievi carni & ſanguini; ſed pater meus à quo datum optimum, & omne datum perfectum: Nemo enim novit filium niſi pater, & cui revelaverit Pater.* Magna ſanè Petri prærogativa, & aliis præeſſe, & præ illis, ac pro illis loqui, & prius illis afflari divino Spiritu: ut animadvertunt D. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos, D. Hilarius in pſalm. 131. D. Auguſtinus ſermon. 124. de tempore, D. Leo ſermon. 3. de aſſumptione ſuâ ad pontificatum.

III. Magna Eliæ prærogativa eſt etiam quod omnium Prophetarum cõſtantiſſimus & fortiſſimus ſit Athleta, vel potius Synagogici exercitus dux ſtrenuiſſimus, verus typus Petri, qui in conſtantiâ fidei & cathedræ ſtabilitate, ac firmitate inconcuſſus fuit, juxta Chriſti pollicitationem Lucæ cap. 22. verſ. 32. (Luc. 22. v. 32.) *Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua.* Et Matthæi cap. 16. verſ. 16. (Mat 16 verſ. 16.) *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Quomodò Chriſtus promittit ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam ſuper illam petram? numquid etiam reliqui Apoſtoli ſunt lapides fundamentales, & ſic non una ſed duodecim petræ ſunt juxta illud Apocal. cap. 21. verſ. 14. (Apoc. 21 v. 14.) *Et murus civitatis*, ideſt Eccleſiæ, *habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum agni:* Nihil refert etſi ſint Petræ, & lapides fundamentales Eccleſiæ, tamen ſoli huic Petræ ſeu Petro conſtantia & firmitas ejuſque ſucceſſoribus promiſſa eſt. Sola Petri Cathedra & ejus ſucceſſorum adhuc firma conſiſtit, nec in ea unquam fides Catholica defecit. Id manifeſtè docent Patres etiam antiquiſſimi. Origenes homil. 5. in Exodum. (Origen.) *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſſimæ ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicitur à Domino*, Et in Pſalm. 1. *Petrus ſuper quem Chriſti Eccleſia ædificata eſt, contra quam inferorum portæ nõ prævalebunt.* D. Baſilius Magnus in cap. 2. Iſaiæ. (Baſilius.) *Vnus ex his montibus fuit Petrus quem Petram appellavit propter maximam firmitatem fidei, propter infractum animi robur ad non credendum inflictis plagis tentationum: ſuper quam petram promiſit ædificare Eccleſiam ſuã.* Et lib. contra Eunonium. *Statim ex hac voce Petra intelligimus Petrum Ionæ filium (qui fuit ex Bethſaida) Andreæ fratrem, qui quoniam fide præſtabat Eccleſiam ſibi commiſſam ædificationẽ ſuſcepit.* D. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 12. (Cyrillus) *Intuitus autem eum IESVS dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, &c. Vocabulo ipſo commodè ſignificans quod in eo tanquam in petrâ, lapideq; firmiſſima ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* D. Chryſoſtomus homiliâ in Petrum & Eliam. (Chryſoſ.) *Sed vide cujuſmodi peccato permiſit ſubjici Petrum illum talem ac tantum virum, Apoſtolorum verticem, fundamentum immobile, & Petram ſtabilem quæ non poſſet*

Epiph. *poſſet concuti.* S. Epiphanius in Anchorato. *Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum, Petram firmam ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ Inferorum non valebunt adverſus* August. *eam.* D. Auguſtinus in pſalmum contra partem Donati. *Numerate ſacerdotes vel ab ipſâ ſede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte, ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Theophilactus ad caput 22. Lucæ ſupra citatum. *Tu verò converſus confirma fratres tuos. Planus hujus intellectus hic eſt: quia te habeo ut diſcipulorum principem, poſtquam negato me fleveris & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hæc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es & fundamentum.* Ex quibus manifeſtè patet ſoli Petro & ejus ſucceſſoribus eſſe promiſſam fidei & Cathedræ cōſtantiam, non verò Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, quorum plurimæ cathedræ pridem collapſæ ſunt. Ut Petra Jacobi Jeroſolymitana, Cathedra Joannis Epheſina, Cathedra Matthæi Æthiopica, Cathedra Andrææ Scythica, &c.

IV. Hinc concludo, primò, quod Concilia particularia qualibuſcumque Epiſcopis doctis & piis ac magnæ auctoritatis ſint compoſita, tamen errare poſſe, ſivè ſint Provincialia, ſivè Nationalia. Breviter aliqua tantùm percurramus, Concilium Carthaginenſe ſub Cypriano, quod fuit Nationale, celeberrimum & legitimum, ex 85. Epiſcopis coactum, & quidem pleriſque Martyribus, & Confeſſoribus, (ut patet ex epiſtolâ Cypriani ad Iubajanum,) illud (inquam) Concilium erravit definiens hæreticos non poſſe validè baptizare. Sexta Synodus Romana ſub Symmacho, teſtatur Concilia Provincialia quibus Papa non adeſt, non eſſe omninò valida & inconcuſſa. Hinc Proſper in Chronico anni 420. ait hæreſim Pelagianam à Concilio Africano 217. Epiſcoporum damnatam, non prius damnatā, quàm Zozimus papa decreta illius Concilii probaſſet. Vndè D. Auguſtinus lib. 2. retractationum cap. 5. dānationem hæreſis Pelagianæ non tribuit Conciliis Africanis, quæ erant particularia, ſed Innocentio, Zozimo Epiſcopis cooperantibus.

Nec refert quod cap. *Ad abolendum.* V. extra de hęreticis excommunicentur omnes qui judicantur hæretici ab Eccleſiâ Romana, vel Concilio Provinciali aut Diœceſano. Ex hoc enim nō ſequitur Concilia Provincialia, vel Diœceſana poſſe condere dogmata de fide: ſed poſſe judicare an aliquis inciderit in hæreſim manifeſtam, ſic Inquiſitores etiam judicant. Sic Concilium Aquileienſe tempore D. Ambroſii definivit quendam Palladium verum eſſe Arii diſcipulum, & de hoc præcipuè agit cap. illud *Ab abolendum* de hæreticis. Deindè etiam Concilium particulare in re facili poteſt judicare de hæreſi ſecundùm ſe, ſi omnes ferè Doctores conveniant. Sic teſte Euſebio lib. 7. cap. 24. undique convenerant Epiſcopi ad Concilium Antiochenum ad judicandū de hæreſi Pauli Samoſateni & ad manifeſtum hæreticum damnandum. Præterea Concilia particularia poſſunt dogmata dubia definire ex commiſſione ſedis Apoſtólicæ. Sic Conciliū Arauſicanum 2. Toletanum 1. Synodus Complutenſis tempore Sixti IV, ut videre eſt in ſumma Conciliorum. Vel ſaltem ſi ſuam deciſionem mittāt ad Pontificem Romanum, ut ab eo confirmetur. Sic teſte D. Auguſtino epiſtolâ 90. 91. 92. 93. Fecerunt Concilia Milevitanum & Carthaginenſe. Imò credo nullum Concilium particulare aliquid definiviſſe de fide ſine Sedis Apoſtolicæ approbatione. De his omnibus explicari debet cap. *Ad abolendum.* Et quamvis Concilium particulare non expreſsè confirmatū nihil definiat de fide, tamen temerarium eſt illi fidē non adhibere. Vndè ex ſeptimâ Synodo actione 3. octavâ Synodo actione ult. cap. 1. *Honorantur Synodi locales & ſuſcipiuntur.* Licet cōfirmationis nulla fiat mentio. Concilia Toletana, Bracharenſia, Arelatenſia, Hiſpalenſia ſolo Eccleſiæ uſu quodammodo probata ſunt. Denique ſi multi Patres eandem opinionem tenentes, faciant opinionem probabilem, quantò magis 50. vel 60. aliquid ſimul decernentes

poſt invocatum Spiritum ſanctum.

VI. Concludo ſecundo, quod Concilium Generale legitimè congregatū, & legitimè procedens, non eſt per ſe auctoritatis infallibilis, etiam ut diſtinctū à Pontifice: nec ab eo definita ſunt de fide ante Pontificis confirmationem. Ita Cajetanus opuſculo de auctoritate Papæ cap. 11. & 12. in Apolog. part. 2. cap. 21. Ioannes à Turrecremata lib. 3. cap. 32. 33. 34. 38. Melchior Canus lib. 5. de locis Theolog. cap. 5. quæſt. 1. Valentia de objecto fidei diſput. 1. puncto 7. Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 11. Malderus tract. de Concil. diſp. 5. dub. 1. Bannez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Sylvius lib. 5. de controver. quæſt. 2. art. 3. Turrianus diſput. 18. dub. 4. Amicus tract. de fide diſput. 8. ſect. 6. Philippus à SS. Trinitate de fide diſput. 3. dub. 4. contra Dioſcorum, Ioannem, Lutherum, & alios hæreticos aſſerentes Concilium Generale erraſſe etiam accedente conſenſu Sedis Apoſtolicę. Ratio prima eſt, quia nullum eſt fundamentum ex quo ſufficienter probetur infallibilitas talis Concilii, ut infra patebit. Deinde Concilia etiā Generalia ſolent petere approbationem à ſummô Pontifice, quam ille negare poteſt quoad ea quæ ſunt definita abſque expreſſo ejus inſtinctu. Tertiò, poteſt Concilium errare conſtituendo aliquid contra Pontificis inſtructionem, ut patet ex Epheſino 2. quod reluctantibus legatis Leonis Pontificis Romani definire voluit, ut videre eſt in epiſt. 24. & 25. S. Leonis. Patet etiam ex Concilio Conſtantinopolitano tempore Nicolai I. quod erravit, cùm legati Nicolai cōtrà hujus inſtructionem egerunt, ut refert Zonaras in vitâ Michaelis Imperatoris, & patet ex epiſt. Nicolai ad Patriarchas, & cœteros Epiſcopos Orientis. Idem dicendum eſt, quando aliquid definit ſine ſpeciali Pontificis Romani inſtructione. Bannez tamen addit nullum ejuſmodi Cōcilium hactenus erraſſe, & Suarez cenſet probabiliſſimè Deum non permiſſurum, ut tale Concilium legitimè procedendo erret non tā propter ipſum, quàm Pontificem: quia eſſet magna perplexitas, & magnum ſcandalum Eccleſiæ ſi Pontifex & Concilium inter ſe diſſentirent, & ſi alii aliter ſentiant.

Nec refert primò quod Cōcilium Generale antecedenter ad Pontificis confirmationem repræſentet univerſam Eccleſiam, quæ eſt fundamentum & columna veritatis. Falſum enim eſt Concilium ſine Pontifice repræſentare perfectè univerſam Eccleſiā, cùm ſic ſit corpus ſine capite, cui tamen à Chriſto ſpecialiter promiſſum eſt fratres in fide confirmare. Nec refert ſecundò quod adſint & conſentiant legati, qui repræſentant Pontificem, quia infallibilitas quam Pontifex habet in definiendo perſonalis eſt. Nec tranſit ad legatos (qui in eo tantùm repræſentant pontificem,) qui ejus nomine, & conſilio aſſiſtunt, & præſident. Adde tamen Eccleſiam, ut à capite diſtinctam eſſe hoc ſenſu firmamentum veritatis, quod non poſſit tota, aut omnes etiam ejus Prælati errare in credendo, ſeu in profeſſione fidei. Ex quo ſequitur Conciliū Generale errare poſſe in definiendo. Primò quia ad illud non conveniunt de facto omnes Prælati. Secundò quia ad decretum formandum ſufficit judicium majoris partis, neque neceſſe eſt omnes conſentire. Nec refert tertiò quod Concilium ante conſtitutionem dicat anathema aliter ſentientibus. Hæc enim dicit quantum eſt ex parte ſuâ & dependenter à confirmatione Pontificis: Cùm & etiam Concilia Provincialia, quæ per ſe nō habent authoritatem infallibilem ſoleant quædam ſub anathemate definire. Nec refert quartò, quod Epiſcopi in Concilio ferant ſententiam deciſivam, tanquam judices. Dicendum eſt enim, eſſe veros judices, ſicut eorum ſententia non ſit ultimum judicium Eccleſiæ cùm poſſit abſolutè retractari à pontifice, qui eſt ultimus judex controverſiarum. Nec ultimò urget quod Epiſcopi dicant ſe eſſe in Spiritu ſancto legitimè congregatos, cenſendi enim ſunt legitimè in Spiritu ſancto congregati in quantum intervenit authoritas legitima, & ad bonum Eccleſiæ, ſperantque affuturam ſibi Spiritus ſancti aſſiſtentiam, licet non

non adſit illis infallibiliter, ſecluſâ cõfirmatione Papali. Nec tenetur populus eorum definitioni credere regulariter loquendo licet ſint paſtores ſi ſint ſuſpecti de hęreſi. Vndè ſi quis haberet fundamentũ ſufficiens dubitandi, an id quod hoc modo à Concilio proponitur ſit conforme fidei, poſſet ſe habere negativè ante confirmationem. Nec ſequitur ex noſtrâ opinione non fore differentiam inter Concilium Generale & Provinciale. Licet enim neutrum ſit per ſe infallibile: tamen Generale ex multis caſibus habet majorem authoritatem.

CAPUT XIV.

Romani Pontificis ſanctitas ex eo patet quod errare nequeat in decretis fidei & morum cùm aliquid definit in Concilio.

I. POſtquam Elias cum ſuis prophetis invocavit Dominum, ignis cœlitus emiſſus eſt in ſacrificiũ, illudque cremavit, ac devoravit, imò etiam, *Lapides & ligna, pulverem quo-*
l.3 Reg. 18.v.38 *que & aquam quæ erat in aquæductu lambens*. Lib. 3. Regum cap. 18. v. 38.
Chryſoſ. D. Chryſoſtomus tom. 6. homilia in ſanctos Petrum & Eliam. *Ecce* (inquit) *cum ipſe invocaſſet celeriter ignis deſcendit de cælo & conſumpſit ſacrificium & lapides, & aquam linxit ignis.* Exiſtimat Joſephus libr. 8. cap. 1. hunc
Ioſephus. locum igne cœleſti conſumptum adhuc extare. Quæ conſumptio non contigit modo ordinario, ſed divinâ virtute per quam. *Refrænata fuit* (inquit Dionyſius) *operatio Baal ſeu dæmonis, cujus tamen poteſtate poſſet ignis formari in aere atque deſcendere, Deo hoc permittente, ſicut in Apocalypſi fertur de beſtiâ ſcilicet Anti Chriſto, qui fecit, id & faciet ſigna magna, ita ut ignem faceret de cælo deſcendere. Nam & hoc modo ignis deſcendit, qui oves & pueros Iob conſumpſit cap.* 1. Quod verò illa ignis demiſſio ab Eliâ impetrata fuerit quaſi decretum fidei, & morum infallibile patet ex eo quod hoc facto ſtatim deleti fuerint Baalitæ, populus in fide, cultu divino fuerit confirmatus, denique ferventius dilexerit Deum quàm ante.

Hujus ſacrificii inflammationem, II.
veræ religionis oſtentationem, & ad virtutem incitamentum optaſſe videtur Vates Regius pſalm. 19. verſ. 1. & ſequentibus. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis.* Scilicet cùm Achab cum ſuo populo deletis prophe- Pſal. 19
tis Domini te graviter & hoſtiliter v. 1.
proſequetur, Pſeudoprophetæ altaria deſtruẽt, populus à te deflectet, & Achab te totius tribulationis, & afflictionis authorem prædicabit. Et ad tales anguſtias redactus clamabis. *Exaudi me Domine, exaudi me.* Adjiciens. *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Ia-* l.3. Reg.
cob, oſtende hodie quia tu es Deus Iſrael. cap. 18.
Quomodò Deus Iſrael? non tantùm v. 37.
quia invocaris ab Iſrael, illum protegis: ſed etiam quia illum protegis virtute & authoritate Divinâ. *Protegat* v. 36.
te nomen Dei Iacob. Ideſt à perſecutione, inſidiis & telis inimicorum tuorum, ut tibi non noceant, vel Synagogam deſtruant vel publica idolorum ſuorum adoratione, vel fidelium cæde.

Verſ. 2. *Mittat tibi auxilium de* III.
ſancto, & de Sion tueatur te. Quaſi diceret illud pſalmi 19. verſ. 7. *Exaudiat te de cælo ſancto ſuo.* Seu de excelſo Cœlorum habitaculo ubi ſpeculator aſtat deſuper. Nam Sion idem eſt quod ſpeculatio, & videre Deorum (inquiebant veteres) eſt adjuvare. Philo
Impoſſibile (inquit Philo lib. de agricultura) *eſt enim deeſſe commodum aliquod, ubi Deus præſidet, ſolitus plena perfectaque bona largiri rebus omnibus.* Audi aurea D. Chryſoſtomi verba Chryſoſ.
homil. 46. in Geneſim. *Quando amicum & benevolum habemus Deum, etiamſi in deſerto fuerimus multò ſecuriores vivemus, quam ii qui in civitatibus verſantur divinâ gratiâ nobis omnia ſuppeditante.* Nemo autem magis Deum prę oculis habebat, quam Elias ut patet ex illis verbis libr. 3. Regum cap. 17. verſ. 2. *Vivit Dominus Deus* l.3. Reg.
Iſrael in cujus conſpectu ſto. Nemo 17. v. 2.
Deo amicitior quàm Elias, nemo illo ſanctior, devotior. Vnde idem Divus

Chryſoſtomus tomo 1. de Eliâ. *Elias ſtabat inter ſacrilegos ſanctus, inter peccatores juſtus, inter prophanos devotus.* Quaſi diceret, quemadmodum Petro dixit Chriſtus Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Rogavi Patrem ut non deficiat fides tua.* Ita Eliæ inconcuſſa firmitas in fidê conceſſa eſt â Deo. Vnde non eſt mirum ſi Pſaltes ſingularem Dei protectionem ei affuturam promittat, etiam in extremis neceſſitatibus, anguſtiis & perſecutionibus conſtituto.

Luc.22. v.32.

Chryſoſ. Rectè D. Chryſoſtomus hom. 26. in cap. 11. ad hebræos concludit. *Si ergò* (inquit) *mente Deum ſemper videamus, ſi in ejus recordatione ſemper noſtram verſemus cogitationem nobis ſemper omnia videbuntur ferenda; omnia tolerabilia, omnia facile feremus, erimus omnibus ſuperiores.* Non exiſtimavit efficaciori remedio & armaturâ poſſe hoſtes ſuperari, quàm hac divinâ præſentiâ. Deuter. cap, 20. verſ. 1. *Si* (inquit) *exieris ad bellum contra hoſtes tuos & videris equitatus & currus, & majorem quàm tu habeas adverſarii exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum eſt.* Id eſt hoſtiles inſidiæ, expugnationes, arma non nocebunt tibi. Hinc fit ut inſtante pugnâ ſacerdos milites vegetiores reddere volēs dixerit verſ. 3. *Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit.* Si Deus corporaliter prçliaturis ita efficaciter adeſt, à fortiori ſpiritualem luctam de religione inituris aderit. Vndè Pſaltes pſalmo 19. verſ. 2. & 3. ait. *Mittat tibi auxilium, &c. Memor ſit omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pignus fiat,* Ideſt non contemnat oblationem tuam & victima per illam oblata tota incendatur. Nam (ut notat noſter Incognitus) holocauſtum ideſt quaſi totum incenſum. Dicitur enim *Abholon* quod eſt totum, & *Cauſtos* quod eſt incenſum vel incendium, quod confirmat verſio Hebraica, holocauſtum incineretur, vel in cinerem redigatur. Igne ſcilicet de cœlo illud abſumente Pſaltes verſ. 4. ſubdit. *Tribuat tibi ſecundum cor tuum.* Ideſt quæcumque deſideras, impleat, perficiat, (inquit) Genebrardus, *Omne conſilium tuum confirmet.* Ideſt ſtabiliat, ratum faciat, omne quod deliberaſti quandoquidē ſtatueris deſtruere altare, & cultum Baal Deus supremâ ſuâ providentiâ, & potenti manu illud propoſitum cōfirmet, ſtabiliat ratumfaciat, &c. Verſ. 5. *Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur.* viſâ ſcilicet hac religionis & fidei defenſiōne, viſâ hac victoriâ tuâ, omnis populus, tota Synagoga, cujus membrum ego ſum, exultabimus non tantùm mente, ſed etiam voce, ut patebit ex publicâ populi acclamatione. *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus,* Lib. 3. Regum cap. 18. verſ. 39. Vel cum Genebrardo. *Triumphabimus, vexillabimus, vexillum erigemus,* Cum Bellarmino. *Magnos nos eſſe ducemus, & dicemus; non propter magnitudinem quæ in nobis ſit, ſed propter magnum Dominum, quem habemus, qui ſic invocantibus tam potenter, tam efficaciter adeſt, & tam evidente ſigno manifeſtat ſe eſſe verum Dominum.* Pſaltes verſ. 6. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.* Ideſt adeò audacter repero, ut Deus exaudiat orationes tuas, acceptet ſacrificia tua, & ratas habeat propoſitiones & conſilia tua, quia nunc divinitus illuſtratus cognovi, quod Deus infallibiliter ſalvum faciet, ſeu triumphare faciet Eliam ſacrificantem, & in prædefinitione ſuâ ſalvum fecit. Verſ. 7. proſequitur idem Pſaltes. *Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo in potentatibus ſalus dextræ ejus.* Ideſt immiſſo igne de Cœlo per omnipotentiam ſuam: Nam ut animadvertit noſter Incognitus potentatus dicitur à potens, unde in Hebræo legitur *Ghobura* ideſt in potentiis, ſeu in magna potentiâ, Cui ſubſcribens Genebrardus. *In potentia & viribus Dei ſalus dextræ ejus.* Quaſi diceret, non tam ſalvatur vitâ Eliæ, quam religio per effectum illum divinæ potentiæ. Tandem concludit Pſaltes. *Hi in curribus & in equis nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus,* Ideſt Achab in curru ſuo gloriatur juxta illud lib. 3. Reguni cap. 18. v. 44. *Iunge currum & deſcende.* Vel Achab &

Deuter. c. 20. v. 1.

Pſal. 19 verſ. 3.

verſ. 4.

l. 3. Reg. 18. v. 39

verſ. 6.

l. 3. Reg. 18. v. 44

& Baalitæ ſuperbè gloriantur, tum quia plures ſunt, tum quia ditiores.
Incogn. *Quia* (inquit Incognitus noſter) *ſuperbi volubili ſucceſſione temporalium trahuntur, qui ſæculari potentiâ gaudent. Hi etiam ſunt in equis dum ſuperbis honoribus inflati diſcurrunt. Tangit enim hic duo triumphorum genera, quæ apud Romanos fiebant, ſcilicet major & minor. Major triumphus qui dicebatur laureatus fiebat in curru, minor autem qui dicebatur ovatio fiebat in equo: Et per hoc omnes ſuperbos hic deſpicit propheta qui dignitate præſumunt. Propter quod ſubdit. Nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus? quaſi dicat ſuperbi confidunt in temporalibus, nos autem in Deo.* Hæc ille. Vel Baalitæ confidunt & ſperant prævalere & opprimere verum Dei cultum, quia habent regem, reginam, totam aulam regiam, Primates populi, ſuæ idololatriæ propugnatores, qui nonniſi curribus & equis vehuntur, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur: nos autem invocato Deo noſtro ſperabimus. Et ideò ſicut utilius eſt nobis in nomine Domini fiduciam collocare, quàm in magnatibus, qui in curribus & in equis triumphant. Pſaltes verſ. 9. *Ipſi obligati ſunt & ceciderunt.* Græcus. *Ipſi colligati ſunt.* Hebræus. *Incurvati ſunt, ſuccubuerunt.* Genebrardus. *Vincti, conſtricti, perſtricti, deſtituti viribus ſunt, & gladio perierunt.* Vt pa-
3. Reg. 18. v. 40. tet ex lib. 3. regum cap. 18. verſ. 40. *Apprehendite prophetas Baal & nè unus quidem effugiat ex eis, quos cùm apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſſon & interfecit eos ibi.*

IV. Victis Baalitis Textus ſubdit. *Aſcendit Elias in verticem Carmeli.* Ideſt cultus Dei & religio quæ omninò periiſſe videbatur erecta eſt, & novas radices facere viſa eſt. Verſ. 10. *Domine ſalvum fac regem exaudi nos in die quâ invocaverimus te.* Vel ſecundùm Hieronymum & modernos. *Domine ſalva, Rex exaudi nos in die quâ &c.* Hæc oratio finalis eadem eſt cum initiali, quâ Pſaltes poſtulat, ut quandoquidẽ dominetur, *A mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarũ.*
Pſ. 88. v. 10. Pſalmo 71. verſ. 8. & pſalm. 88. v. 10. *Dominaris poteſtati maris motum autẽ fluctuum ejus tu mitigas.* Verſ. 11. *Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbũ, in* verſ. 11.
brachio tuo diſperſiſti inimicos tuos. Ideſt rebelles Angelos in initio mundi, & Pharaonem ſuperbum cum exercitu ſuo in mari rubro. Verſ. 12. *Tui* v. 12.
ſunt cæli, tua eſt terra orbem terrarum & plenitudinem ejus tu fundaſti, aquilonem & mare tu creaſti. Quaſi diceret ſalva Eliam, ſalva Synagogam, deſtrue idololatriam, mores politicos quibus aulici & populi magis ſequuntur nutum & placitum principum quàm Dei, in die quâ erecto altari, & victimâ ſuperpoſitâ ignem cœlitus emitti petierit ad cremandam præfatam victimam, & in teſtimonium veræ religionis, & ad incitamentum ad meliorem vitam inſtituendam. Verſ. 13.
Thabor & Hermon in nomine tuo exul- verſ. 13
tabunt, tuum brachium cum potentiâ. Quaſi diceret, ſicut populus exultavit in Hermon pro miraculoſo tranſitu Jordanis, & in Thabor pro victoriâ contra idololatras, & Siſaram per Barach. Sic populus in Carmelo viſo miraculoſo deſcenſu ignis de cœlo, & victoriâ reportatâ contra Baalitarum idololatriam exultabit dicens: *Dominus Deus ipſe eſt Deus, Dominus Deus ipſe eſt Deus.* Verſ. 14. *Firmetur manus* v. 14.
tua, & exaltetur dextra tua, juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ. Sicut tempore Joſue captâ urbe Hai & deletis habitatoribus ejus paraſti locum ſtabilem pro arcâ Domini in Sylo, ſic deletis prophetis Baal juſto Dei judicio non amplius deſtruentur altaria, non amplius prophetæ tui occidentur, vel abſcondentur, non amplius vacillabit cultus tuus, ſed ſolidus & firmus ſtabilietur, numerusque fidelium augebitur, & eorum fides firmiores radices faciet.

Sed cur Elias ad firmandam fidem, V.
moresque populi componendos è cœlo ignem evocat, & tantam de hoſtibus fidei victoriam reportat. Nos verò quando graſſantur bella, hæreſes, Atheiſmi & iis ferè opprimimur, vitia ſerpunt, & omnia vitia mentes occupant, de hoſtibus etiam noſtris aliquo miraculoſo igne non triumphamus? Reſpondet Origenes homil. 2. Origen.
in pſalmum 37. *Si eſſemus tales, quales*

nos eſſe vult ſermo divinus, ſicut Elias diceremus utique Deo ut dares pluviam & plueret, lib. 3. reg. cap. 18. v. 42. Sicut Samuel in diebus Meſſiam peteremus, ut præſtaret de cælo imbrium copiam, & audiremur, lib. 1. Regum cap. 12. verſ. 17. Nunc autem quando nos audiet Deus, cum nos ipſum non audiamus, quomodo faciet quod volumus, cum nos quod ille vult non faciamus? Vult nos tales eſſe Deus, ut quaſi Dii cum Deo loquamur. Quaſi diceret, in omnibus ejus nutum & voluntatem non ſequimur, divinæ legis obſervantiam non ſtudemus habere, ſerioque virtutem ut Elias non amplectimur: Et ideò vota orationesque noſtræ non exaudiuntur. Vates Regius hujus rei non ignarus erat cùm dixit pſalmo 118.
Pſ. 118. v. 167. verſ. 167. *Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Quaſi diceret, antequam funderem orationem meam obſervantiæ legis tuæ me totaliter addixi, ut facilius exaudirer, non enim ſoles obſurdeſcere, nec oratio deorſum retorqueri ſolet, quando proficiſcitur à viro juſto: nam *Volare* (inquit D. Am-
Ambroſ. broſius ſerm. 22. in pſalmum 118.) *facis orationem bona vita, & dat alas precibus ſpirituales quibus ſanctorum eo vehatur oratio.* Et paulò poſt. *David orationem ſuam dirigit in cæleſtia, mittit eam in conſpectu Domini Salvatoris, dans illi flabra juſtitiæ, ſapientiæ flumina, remigia devotionis & fidei: Innocentia, puritatiſque ſubſidia: peccato enim graveſcit oratio & longè fit à Deo. Tanto enim plus gravatur, quantò improbior eſt vita deprecantis, innocentum aſcendit oratio, & gemitus compatientis affectus, ſi Ægyptium lutum oderint, & operari terrena declinent.*

VI. Quod autem bona vita multùm oranti conferat ad gratiam obtinendã: peccatum verò impediat. Sic probat de Hebræis. *Si dura Ægyptiorum imperia ferre non poterant, & ut gravia, ita & luculenta opera indigna ſui nobilitate generis recuſabant gemitus & vox aſcenderat ad Dominum Deum noſtrum: aſcendet enim oratio, quia etſi operabantur, tamen operabantur injuſtè deſcendebat itaque ad illos Dei miſericordia, quia illorum ad Deum aſcendebat devotio.* Et infra oſtendit quomodò appropinquet oratio ad Deum per elevationem actuum noſtrorum. *Si dolum neſcias mendacium oderis, veritatem ſequaris, juſtitiam non refugias, diligas caſtimoniam appropinquaſti Chriſto, & per Chriſtum Deo.* Cum igitur Elias his omnibus virtutibus ornatus eſſet nõ mirum eſt, ſi ſacrificium ejus tam efficaciter idololatriam deſtruat, populique mores componat. Vel potius dicendum occurrit ad rem noſtram, ideo ad nutũ Eliȩ ignẽ cælitus potius dilabi, quã orantibus & poſtulantibus aliis prophetis, quia Elias erat caput prophetarum, claves cœli habebat, ut ait D. Chryſoſtomus ſupra, quod autem hic ignis cœlitus emiſſus, & Pſeudoprophetarum interfectio facta fuerit ad mores populi inſtruendos audi D. Baſilium homil. de Irâ. *Elias Zelotes quinquaginta ſupra quadringentos turpitudinis ſacerdotes, & quadringentos ſacrorum nemorum comedentes de menſâ Iezabel juſtâ, ſapientiq; indignatione in totius Iſrael utilitatem ut morte plecterentur effecit.* Salubris igitur fuit iſta congregatio populi in monte Carmelo, & efficax, imò infallibile motivum fidei & morum ignis deſcenſus, dum ibi adeſſet & præſideret Elias. Baſilius.

VII. Ex quibus deducitur, primò, Pontificem Romanum cùm aliquid docet, ut privata perſona, aut ut doctor particularis colloquendo, diſputando, librum edendo, &c poſſe errare, ſaltem quamdiu ſuam doctrinam nõ proponit Eccleſiæ ut indubitanter credendam.

VIII. Deducitur ſecundò Pontificem, etiam ut pontificem, ſeu ſupremum judicem poſſe errare in particularibus quæſtionibus facti: ut cùm judicandum eſt, verbi cauſa, an hic Epiſcopus ſit talis criminis reus, excommunicandus, deponendus, &c. Quia in his deciſionibus, quæ factum particulare concernunt, non eſt undè dicatur illi infallibiliter aſſiſtere Spiritus ſanctus. Reſtat ergo quæſtio an errare poſſit in decretis fidei, quæ tanquam Pontifex ex Cathedra (ut aiunt) proponit Eccleſiæ, ſimiliterque in decretis morum, ut ſi verbi gratiâ, declaret

certum

certum contractum eſſe injuſtum, illicitum, &c. Quæ rurſum quæſtio poteſt dupliciter intelligi. Primò, an in his errare poſſit cum aliquid definit in Concilio generali. Secundò, an quando per ſe & extra Concilium.

IX. Concludo Pontificem errare non poſſe in decretis fidei, & morum, quæ tanquam Pontifex proponit Eccleſiæ, ſaltem cum hoc facit unà cum Concilio generali: Eſt de fide, ita auctores ſupra citati. Probatur primò ex iis ſcripturis quibus Petro ejuſque ſucceſſoribus promiſſa eſt à Chriſto infallibilitas fidei, quæ, ut minimùm, probant Pontificem Romanum errare nō poſſe in Concilio Generali. Secundò, datur in Eccleſiâ regula viva quæ eſt ſupremus judex controverſiarum fidei, & cujus decretis acquieſcere omnes fideles debent. Non eſt autem alius quàm Pontifex, ſaltem in Concilio Generali. Vel Concilium Generale à pontifice approbatum. Tertiò, Generale Concilium cum ſuo capite repræſentat univerſam Eccleſiam, quæ ex Apoſtolo eſt columna & firmamentum veritatis. Quartò, vera fuit ſemper praxis Eccleſiæ, ut quod in aliquo Concilio Generali accedente Pontificis authoritate definitū eſt, habeatur ut infallibile. Quo ſenſu D. Gregorius, & alii dixerunt ſe quatuor Concilia OEcumenica recipere, ut quatuor Evangelia.

X. Dices Pontifex in veteri teſtamento cum Concilio Sacerdotum potuit errare in decretis pertinentibus ad religionem, prout de facto erravit Cayphàs circa Chriſtum Joannis cap. 11. verſ. 49. Matthæi cap. 26. verſ. 5. Ergò, quidā admiſſo antecedente negant conſequentiam, quia in veteri lege non erant promiſſiones infallibilitatis, quæ ſunt in noſtro. Sed cum aliis nego antecedens loquendo de tempore præcedente Chriſti adventum. Nec refert quod D. Gregorius Nazianzenus in epiſtolâ ad Procopiū dicat. *Ego* (inquit) *ſi vera ſcribere oportet in animo affectus ſum, ut omnia Epiſcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum fauſtumq́; vidi, nec quod depulſionem malorum potius, quàm acceſſionem & incrementum habuerit.* Non enim ille ſanctus negat legitima Concilia certam fidem facere, ſed queritur, quod ſuo tempore nullum potuerit fieri legitimum Concilium, quia multi Epiſcopi tunc favebant hæreticis. Huic reſponſioni aſtipulatur Sanctus Baſilius epiſtol. 52. ad Athanaſium ait ſibi videri impoſſibile, ut ſuo tempore fiat legitimum Concilium, & ideò ſcribendum eſſe ad Pontificem Romanum, ut acta Concilii Ariminenſis ſuâ authoritate irritet. Nec obſtat etiam D. Auguſtinus lib. 3. contra Maximum cap. 14. dicens. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam prajudicaturus proferre Concilium, nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris, &c.* Ibi enim ſanctus ille Doctor non negat authoritaetm Concilii Nicæni, quam paulò ante tanti fecerat: ſed ait tunc non eſſe tempus probandi Nicænum Concilium eſſe legitimum. Quod autem idem D. Auguſtinus ait lib. 2. de baptiſmo cap. 3. Concilia plenaria priora à poſterioribus emendari, videtur intelligi de quæſtionibus facti non juris, vel de Conciliis illegitimis, & à ſede Apoſtolicâ non confirmatis vel probatis, vel de Provincialibus.

Gregor. Nazian. — Baſilius. — Auguſt.

XI. Tempore Eliæ aliqui etiam cœtus prophetarum & Concilia facta ſunt, quæ illegitima fuerunt, & errarunt, ut lib. 3. Regum cap. 22. ubi Dominus ipſe proteſtatur ſe miſiſſe ſpiritū mendacem in ore ipſorum, verſ. 20. *Ait Dominus quis decipiet Achab regem Iſrael ut aſcendat & cadat in Ramoth Galaad.* Quæ verba ſic explicat Cornelius. *Iſta Dei* (inquit) *inquiſitio præter demerita, & ſcelera Achab, quibus meruit decipi & perire duo ſignificat, prius quod decipere alienum eſt à Deo. Vnde Deus illud hic inquirit, quaſi id ipſum non habeat in ſe, nec inter divina illud reperiatur; ſed in cœtu dæmonum, qui hic inter ſe agitabant conſilium de modo decipiendi Achab. Vndè Deus eum in hac viſione interrogans inducitur, quaſi diceret, quis ex vobis ò dæmones decipiet Achab? Scio enim vos hac de re agitare conſilium. Secundò, ſignificat quod ipſum decipere dæmonum fuerit exactè cognitum, & ordinatum à Deo*

l. 3. reg. 22. v. 20.

Deo ad punitionem Achab. Deus enim volebat punire Achab, ideò permiſit eum conſulere dæmonem per ſuos Pſeudoprophetas, ac dæmoni permiſit mentiri, & decipere Achab promittendo victoriam in prælio quo ipſe erat occidendus. Hanc reſponſionem accepit à D. Auguſtino quæſt. 44. in lib. 1. Judicum. Licet ergò Deus omnia perfectè ſciat, nihilque poſſit inquirere, quod ipſum lateat, tamen inducitur humano more loquens, homines enim in re dubia & futura inquirunt & conſultant de modo congruo rei peragendæ. Poſtquam varii modi decipiendi Achab ab aſtantibus dæmonibus fuerunt propoſiti, verſ. 21.
v. 21. *Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum cui locutus eſt Dominus in quo?* Vnus dæmon cujus officium eſt decipere obtulit ſe ad decipiendum Achab, verſ. 22.
verſ. 22 *Et ille ait egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Quaſi diceret, ego mendacium ſuggeram & promiſſionem mendacem omnibus prophetis Achab, ut unanimi opinione, & voce polliceantur Achabo victoriam in prælio, ubi interficiendus erit
Philaſtr. Philaſtrius lib. de hæreſibus hæreſi de Pythoniſsâ ſubdit. *Et ait ſpiritus immundus ad Dominum, faciam me quaſi Angelum lucis & verba ſimilia eloquar, & ducam eum in prælium, & ibi eum deſeram, & ſic morietur.* Eodem
v. 22. verſu. *Et dixit Dominus decipies, & prævalebis: egredere & fac ita.* Quaſi diceret, non jubeo, ſed permitto quãdoquidem paratus ſis ipſum decipere, ſic Ioannis cap. 13. verſ. 27. Chri-
Ioan. 13 verſ. 27 ſtus ait Iudæ. *Quod facis fac citius.* In
S. Leo. quæ verba D. Leo ſerm. 7. de paſſione. *Vox hæc non jubentis eſt ſed ſinentis: nec trepidi ſed parati, qui habens omnium temporum poteſtatem oſtendit ſe moram non facere traditori, & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod à præſentibus parabatur nec impelleret, nec timeret.* Sacer Textus v. 25.
verſ. 25 *Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritũ mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic ſunt?* Ideſt nõ impedivit dæmoni iſtam deceptionem: quia dæmon neminẽ decipere poteſt, niſi Deus permittat. Ex quibus patet illud concilium prophetarum erraſſe, quia non erant veri, ſed pſeudoprophetæ, qui dæmones conſulebant: quod colligitur ex verbis præcedentibus. Cùm enim ſuas ſententias dixiſſent. Verſ. 7. *Dixit Ioſaphat non eſt hic propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum.* Corne- verſ. 7. Cornel.
lius, *Ioſaphat* (inquit) *erat veri Dei cultor; quare diſplicuit ei, quod Achab prophetas ipſumque Baal, hoc eſt dæmonem conſuluiſſet, nec eis utpotè mendacibus credidit. Petit ergò quæri verum veri Dei Prophetam, ejuſque oraculum ſciſcitari & ſequi.* Achab autem reſpondit. verſ. 8.
Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi illum, quia non prophetat mihi bonum ſed malum Michaas filius Iemla. Cui Ioſaphat ait: nè loquaris ita rex. Deindè eſto iſti prophetæ fuerint boni, ideò in eorum concilio erratum eſt quia non erant ſacerdotes, ex quibus concilium componi debebat. Præterea ideò ejuſmodi concilium non fuit legitimum, quia non fuit congregatũ authoritate Eliæ ſeu pontificis, ſed regis Achab, nec ſuper illo negotio Elias conſultus fuit. Eodem modo philoſophandum eſt de Conciliis coactis abſque pontificis aſſenſu, de quibus vide Bellarminum lib. 2. de Conciliorum authoritate. Amicum ſup. ſect. 6. Philippum citatum. P. Franciſcum Bonæ ſpei tomo 2. tractat. de fide, diſp. 5 dub. 22.

CAPUT XV.

Concilium ſeu Eccleſia ſecluſo Romano Pontifice non eſt ſupra illum.

PRæcedentes ac ſubſequentes veritates intelligi nequeunt perfectè, niſi hæc ſupponatur, quæ non tantùm de Concilio illegitimè, ſed etiam legitimè congregato intelligenda ſunt. Hanc theſim problematicè ſuſtinui Pariſiis in actu publico majoris ordinariæ anno 1631, die 25. Octobris. Nunc vero poſtquam illam ſtudioſius ac maturius perpendi & penetravi, partem negativam conſtanter I.

ſtanter ſuſtinendam eſſe exiſtimavi, ideòque aſſero Concilium generale ſecluſo Romano Pontifice non poſſere majori auctoritate, quam Romanum pontificem. Ita ex veteribus Scholaſticis, S. Thomas, S. Bonaventura, Albertus Magnus, Richardus, Paludanus, & alii in 4. diſtinct. 19. agentes de Clavibus. Quamvis de hac re nō diſputent ex profeſſo ſicut poſtea diſputarūt expreſsè Card. à Turrecremata in ſummâ de Eccleſiâ lib. 2. cap. 93. cap. 104. lib. 3. cap. 28. & in reſponſione ad Oratores Baſilienſes de ſummi Pontificis & Concilii auctoritate. Cardinalis Cajetanus tractat. de cōparatione Papæ & Conciliorum, & in apologiâ pro tract. præfato. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Conciliis, cap. 14. & ſeq. S. Antoninus 3. part. tit. 22. cap. 10. §. 4. ſummæ hiſtorialis, & 2. part. tit. 3. cap. 11. ſummæ Theologicæ. S. Bernardinus in morali part. 3. ſerm. 3. Nicolaus Sanderus lib. 7. de viſibili monarchiâ pag. mihi 540 & ſeq. Antonius de Roſellis tract. de Conciliis, num. 40. num. 52. uſque ad 72. Paulus à Monte Venetus tractat. de Concilio generali cap. 1. num. 4. & 6. Cataldinus Boncompagnus de tranſlatione Concilii Baſilienſis (cui ipſe Cataldinus interfuit) ad civitatem Ferrarienſem num. 26. & 27. Henricus Boecius in Rubricâ decretalium de conſtitut. Thomas Campegius tract. de poteſtate Romani pontificis cap. 22. & ſeq. Ioannes Antonius Delphinus libr. 2. de Eccleſiâ cap. ult. Petrus de Monte lib. de poteſtate papæ & concilii. Auguſtinus de Anconâ tract. de poteſtate Eccleſiæ, Albertus Pighius lib. 6. de Hierarchiâ Eccleſiæ, Alvarus Pelagius de planctu Eccleſiæ lib. 1. art. 6. Dominicus Iacobatius lib. 1. de conciliis art. 7. Ferrarienſis lib. 4. contra gentes, cap. 76. Franciſcus Turrianus tribus libris, quos de hac quæſt. ſcripſit. Amicus tractat. de fide, diſput. 8. ſect. 7. Philippus à Sanctiſſimâ Trinitate de fide diſput. 3. dub. 3. Panormitanus cap. *Significaſti*, de elect. extr. not. 7. num. 9. & ferè omnes Canoniſtæ in cap. *Significaſti*, de elect. & can. *Si Papa*, diſtin. 40. Pius II. ſeu Æneas Sylvius lib. retractationum ſuarum contra Cardinalem Cameracenſem, Cardinalem Florentinum, Hermannum Havelmannum, Joan. Gerſonem, Iacobum Almainum in ſuis tract. de poteſtate Eccleſiæ, Nicolaum Cuſanum tract. de concordantiâ Canonicâ, Panormitanum, in cap. *Significaſti*, extr. de elect. Toſtatum in cap. 18. Matthæi quæſt. 108. Quoſdam modernos Doctores Pariſienſes ſub nomine Facultatis Theologicæ Pariſienſis, Arreſtum Parlamenti Pariſienſis emanatum 30. Maii 1663. vocans *Cette dependance imaginaire au Pape*.

Probatur ex figurâ, quàm nobis ſubminiſtrat S. Parens Elias. Si enim ſpectemus ejus Hebræum nomen idē eſt ac *Eliahu*, ideſt *Deus Dominus*, vel *Deus meus Dominus*, Si verſionē S. Hieronymi in cap. 5. Michææ. *Elias idem eſt quod Dominus Deus*. Si mentem D. Chryſoſtomi homiliâ 3. de Eliâ, Bedæ & Angelomi in lib. 4. Regum. *Elias* Græcè ἥλιος ideſt *Sol*, at Deus eſt ſupra univerſam mundi machinam, eamque regit, ut teſtantur ipſi Gentiles, Aratus apud Ciceronem lib. 2. de naturâ Deorum. II.

A Iove principium, quem nunquam mittimus ipſi *Aratus.*
Infatum: plena verò Iovis omnia quidem compita, *(mare,*
Omnes verò hominū cætus, plenū verò
Et potius, ubique autem indigemus Iove omnes.

Ennius apud eundem loco citato.

Vides ſublime fuſum immoderatum *Ennius*
athera, *(plectitur.*
Qui tenero terram circum vectu am-
Hunc ſummum habeto Divûm, hunc perhibeto Iovem.

His accinit Virgilius lib. 4. Georg. *Virgil.*

—Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſcere vitas.

Et lib. 6. Æneidos cum Platone.

Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus *(miſcet,*
Mens agitat molē, & magno ſe corpore

Inde hominum, pecudumque genus,
vitaque volantum.

Sic S. Elias univerſo non tantùm ordini prophetico, ſed etiam ſtatui Iſraelitico dominabatur ac præerat, imò
l.3.Reg. ipſis elementis & cœlis imperabat,
17.v.1. lib. 3. Regum cap. 17. verſ. 1. *Vivit Dominus* (inquit) *in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba.* Romanus Pontifex eſt Chriſti Vicarius. *Eſt* (inquit S. Hyppolitus orat. de conſummatione mundi) *primus qui regni claves habet.* Quod ſi Sol puriſſimos radios immittit in orbē, ut canit Martialis lib. 8.
Martia. *Hybernis objecta ſpecularia puros*
Admittunt ſoles & ſine fæce diem.

Elias & Romanus Pontifex puriſſimā doctrinam tam in fide, quàm in moribus docuère, ut infra videbitur. Sicut Sol lunam, aliaque aſtra illuminat, ita Elias Synagogam, Papa Eccleſiam, omneſque fideles etiam Epiſcopos, unde paſſim vocatur à Patribus *Luminare majus.*

III. Liber 4. Regum aliam analogiam, ſeu figuram nobis ſubminiſtrat. Nam Eliſeus videns Eliam ſurſum raptum, cap. 2. verſ. 12. & Rex Ioas intuens
l.4.Reg. Eliſeum morti proximum cap. 13.
2.v.12. verſ. 14. in hæc verba prorumpunt.
cap. 13. *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & au-*
v. 14. *riga ejus.* Caldæus *Magiſter mi, Magiſter mi.* Hebræus pro *auriga*, habet *equites.* Septuaginta vertunt *eques.* Romanus Pontifex vocatur non tantùm *Pater*, ſed papa, ideſt *Pater, pater*, ſed *Pater patrum.* Quaſi diceret, Pater non accipit eſſe nec ſuam auctoritatem à filiis ſuis quamvis alias proles generent, ſic Romanus pontifex non emendicat ſuam dignitatem, poteſtatem & dependentiam ſpiritualem ab Epiſcopis, quamvis hi ſubjectos populos habeāt. Vocantur Elias, Eliſeus, Romanus pontifex *Magiſter*, ad denotandam eorum ſuperioritatem ſupra alios quoſcumque, juxta illud Chriſti Matthæi cap. 10. verſ. 24. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum*, Lucæ cap. 6. verſ. 40. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.* Syriacus. *Non eſt diſcipulus præſtantior Magiſtro ſuo.* Quaſi diceret, Quemadmodum diſcipuli non docent magiſtrum ſuum, nec illo ſunt doctiores: ſed è contra ab eo docentur, ut ſapientiori, illo ſunt indoctiores. Sicut ſervi non præcedunt vel imperant Domino ſuo, ſed è contra illi ſubjiciuntur. Sic Petrus & ſucceſſor eſt (inquit S. Hyppolitus ſupra) Cant.1.
Princeps fidei petra, doctor Eccleſia. Sicut v.4. auriga currum & equos dirigit, ſic Elias Synagogam, pontifex Romanus Eccleſiam, per currū & equum figuratam Canticorum cap. 1. verſ. 4. *Equitatui meo aſſimulavi te amica mea.*

In novo Teſtamento ipſe Chriſtus IV. id clarè docet, Joannis cap. 10. v. 16. *Alias* (inquit) *oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, illas oportet me adducere, & vocem meam audient; fiet unum ovile & unus paſtor.* S. Leo ſer- Ioan.10.
mone 14. de paſſione, *Erit unus grex,* v. 16.
& unus paſtor. Ex quibus infero, Chriſtus comparat ſe, & conſequenter ſuum Vicarium pro tempore exiſtentem bono paſtori, ut patet ex ejuſdē verbis Ioannis c. 21. *Paſce oves meas.* cap. 21.
Particula *fiet* vel *erit*, quæ futurum tempus ſignificat, eſt intelligenda non tam de ſe quàm de ſuo Vicario viſibili. Eccleſiam univerſalem comparat ovili. At paſtor eſt ſupra ovile cùm ſit ipſius rector ac director. Igitur pontifex Romanus eſt ſupra Eccleſiam univerſalem, ſive ſupra Concilium generale, alioqui Chriſtus non dixiſſet Petro ut diſtincto ab aliis Apoſtolis, *Paſce oves meas.* Niſi ipſum & ejus ſucceſſores elegiſſet in ſuos Vicarios, & commiſiſſet cunctas oves, voluiſſetque ex illis componi unum ovile, & unam Eccleſiam univerſalem. Rectè noſter Sylveira tomo 4. in Evangelia lib. 6, cap. 19, quæſt. 15. num. 115. *Sicut unum ovile, ſic & unus Paſtor, & ſupremus gubernator Chriſtus IESVS,* Sylveir. *poſt cujus aſcenſionem unus eſt rector Petrus, unus etiam paſtor Petri ſucceſſor Romanus Pontifex, qui vices Chriſti gerit in terris, ſub quo inferiores militant multi paſtores, non toti ovili, ut ille, ſed ſinguli ſingulis ovilis partibus præſidentes, &c.* Omitto mentem pontificum Romanorum Leonis epiſtol. 44. ad Anaſtaſium in fine, Gelaſii p[r]imo l. ad Epiſcopos Dardaniæ, Nicolai I. epiſt,

epiſt. ad Michaelem, Gregorii lib. 9. epiſt. 39. ad Theotiſtum Patricium, Paſchalis ut habetur in cap. *Significaſti*, extr. de elect. Innocentii III. ſermone de conſecratione Pontificis, Bonifacii VIII. in extravagant. *Viam ſanctam*, titul. *de majoritate & obedientiâ.*

V. Audiamus quid Concilia de Sedis Apoſtolicæ auctoritate reſpectu ſui cenſeant. Concilium Sinveſſanum ſub Marcello habet in fine. *Prima ſedes à nemine judicabitur.* Concilium Romanum ſub Sylveſtro canon. ultim. *Nemo judicabit primam ſedem.* Ideſt neque Epiſcopi ſeorſim, neque ſimul congregati. In Concilio Chalchedonenſi act. 3. non ſolùm damnatur Dioſcorus, ſed etiam ſecunda Synodus Epheſina, maximè quia Leonem papam damnare præſumpſerat. Nam (ut ait Nicolaus ad Michaelem) Dioſcorus damnatus eſt, non tam quia in hæreſim lapſus eſt, quàm quia dictare præſumpſit ſententiam in pōtificem Romanum. Quod ſi præfatus Patriarcha Alexandrinus primus poſt pontificem Romanum non potuit cum generali Concilio judicare pontificem Romanum evidenter colligitur authoritatem Concilii univerſalis non eſſe ſuperiorem auctoritate Apoſtolicâ. Omitto Concilium Romanum V. ſub Symmacho, octavam Synodum generalem action. 7. & alia incœpta, terminata, & confirmata ſola Apoſtolicâ ſede. Accipe dumtaxat duorum generalium Conciliorum definitionem. Concilium Florentinum in decreto pontif. *Definimus (inquit) ſanctam Apoſtolicam Sedem, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV-Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* His verbis. *Totius Eccleſiæ caput.* Item. *Omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem.* Item. *Ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV-Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Significat auctoritatem habere non dumtaxat in ſingulos fideles, vel Epiſcopos, Patriarchas &c. ſeorſim, ſed etiam cōjunctim ſpectatos, pro ut omnes Chriſtianos, ſeu univerſalem Eccleſiam repræſentant: ut clariſſimè exprimit Conciliū Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. Vbi poſtquam declaravit decreta Concilii Baſilienſis nullius roboris eſſe, ſubjicit. *Cum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem tanquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem conciliorum judicandorum transferendorum, ac diſſolvendorum plenum jus & poteſtatem habere, nè dum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propriâ etiam eorundem cōfeſſione manifeſtè conſtet.* Ex quo ſequitur quod ſi Parlamentum Pariſienſe arreſto citato, *A fait prohibitions & defenſes à tous Bacheliers, Licentiez, Docteurs, & toutes autres perſonnes de ſouſtenir & diſputer, lire & enſeigner directement ny indirectement és Eſcoles publiques, ny ailleurs aucunes propoſitiōs contraire à l'ancienne doctrine de l'Egliſe, aux ſaints Canons, decrets des Conciles Generaux, & aux libertez de l'Egliſe Gallicane, & autres anciens decrets de la faculté de Theologie, &c.* debet neceſſariò noſtram concluſionem admittere, quandoquidem ex præfato Concilio Lateranenſi. *Nedum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtet.* Imò conſtet ex doctrinâ antiquiſſimorum Theologorum Pariſienſium. Vndè non immeritò multi tum Theologi, tum Canoniſtæ vocant ſententiam oppoſitam erroneam.

Conciliū Sinveſſ.

Roman.

Florent.

Conciliū Laterā.

§. 1.

Rationibus probatur.

I. PRima, Romanus pontifex non minùs eſt Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ, quàm quilibet Epiſcopus ſuæ Diœceſis ſeu Eccleſiæ. Vt patet ex dictis, quibus oſtendimus Romanum pontificem eſſe Epiſcopum univerſalem, ſeu univerſalis Eccleſię, eſſe Patrem Patrum, &c. at quilibet Epiſcopus eſt ſupra ſuam Eccleſiam, non tantùm ut ſingulares perſonas denotat, ſed etiam ut importat totā collectionem earum in unam communitatem: imò ut primariò & principalius importat ipſam collectionē ſingularum perſonarum, & tantùm ſecundariò & minus principaliter ipſas ſingulares perſonas. Ex eo quod debet prius intendere bono communi ſuæ Eccleſiæ, ut ſic, deindè bono particularium. Igitur etiam pontifex Rom. eſt ſupra univerſalem Eccleſiā etiam in Concilio congregatam.

II. Secunda ex dictis, Eccleſia eſt regimen Monarchicum debet igitur auctoritas reſidere in uno ſupremo capite ex naturâ regiminis Monarchici, non in Conciliis, ſed in Romano pontifice. quia ex ſæpedictis hoc regimen eſt præſtantiſſimum, minoribus incommodis obnoxium, electum à Chriſto cùm primùm ſuam fundavit Eccleſiam, illudque Petro & ſucceſſoribus reliquit. Concilium verò non eſt unum caput, ſed multitudo, in quâ ſi Eccleſiaſtica poteſtas reſideret non eſſet Monarchica, ſed Ariſtocratica. Cùm itaque hæc poteſtas debeat reſidere in unâ perſonâ ſingulari, & hæc alia eſſe nequeat quàm Romanus pontifex: in eo reſidebit hæc poteſtas, ut in ſupremo capite Eccleſiæ univerſalis.

III. Tertia, quod hæc poteſtas Eccleſiaſtica non reſideat in Conciliis etiam legitimè cōgregatis. Patet primò quia illa in cauſis fidei aliquando errarūt. Secundò quia alioqui multa dogmata fidei definita à Romano pontifice extra Concilium, verbi causâ, quinque propoſitiones Janſenii damnatæ ab Innocentio X. & Alexandro VII. revocarentur in dubium. Tertiò quia omnes Chriſti promiſſiones factæ Petro & ejus ſucceſſoribus redderentur falſæ. Quartò, firmatur ex eo quod ſequeretur illam poteſtatem non ineſſe Concilio & pontifici ſimul junctis, quia nec alterutrum poſſet per ſe ſeorſim ab altero ullam rem certò definire. Aliàs enim quidquid Concilium ſeorſim à Pontifice Romano in causâ fidei definiſſet, tenendum eſſet ut dogma fidei; cùm tamen multa generalia etiam legitimè congregata errarint in materiá fidei. Quintò, quia illam poteſtatem ſupremam ineſſe Cōcilio & Sedi Apoſtolicæ abſque ſubordinatione repugnat bono regimini, ut patet in Republicâ. Quod enim ab unâ fieret, poſſet ab aliâ deſtrui. Vndè orirentur multa diſſidia & ſchiſmata, & neutra poteſtas eſſe ſuprema, quia quod una aggrederetur alteri ſubjiceretur, & ſi Sedes Apoſtolica extra Cōcilium generale aliquam fidei controverſiam dirimeret poſſet à Concilio reformari, ſeu immutari.

Quarta Romanus pontifex eſt paſtor & rector univerſalis ſingularum Eccleſiarum, igitur & omnium ſimul collectarum: quia per collectionem in unum non deſinunt Eccleſiæ particulares eſſe oves Chriſti, ac proindè Sedi Romanæ ſubjectæ tanquam paſtori univerſali inſtituto à Chriſto. Confirmatur, Chriſtus dixit Petro etiam reſpectu Eccleſiæ ſimul congregatæ, Ioannis cap. 21. *Paſce oves meas.* Item Lucæ cap. 22. *Confirma fratres tuos.* Item Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Nam Eccleſia univerſa coacta in unum eſt Eccleſia Chriſti, quæ paſci debet doctriná fidei ædificata ſuper petram firmam Petri. IV. *Joan.* 21. *Luc.* 22. *Mat.* 16

Quinta, Romanus pontifex eſt Chriſti Vicarius etiam totius Eccleſiæ in unum coactæ, nec per ejuſmodi collectionem jacturam facit auctoritatis à Chriſto collatæ: quam tunc maximè habere debet, cùm illá uti oportet. Accepit enim illam, ut paſcat & doceat Eccleſiam univerſam. Confirmatur. Chriſtus eo modo regit V.

Eccleſiam

Eccleſiam, quo ipſe regeret, ſi viſibiliter eam regeret. At ſi Chriſtus eam viſibiliter regeret, ipſe ſolus ſuâ poteſtate uteretur independenter à Concilio, quia Chriſtus eam non alio modo regeret, quam rexit, quando primò eam condidit ſcilicet ſolus abſque ullâ dependentiâ ab Eccleſiâ. Igitur eodem modo debet regere per ſuum Vicarium. Eo quod Vicarius cum ſuo principali facit unum, ſicut inſtrumentũ eſt unum cum causâ principali, nec alius modus agendi aſcribitur inſtrumento operanti in virtute cauſæ primariæ, quàm ſi cum illâ operaretur, præſertim ſi inſtrumentum ſit morale. Quod ſi concedatur Concilio generali auctoritas infallibilis etiam in controverſiâ fidei, ſaltem cum omnes Patres ſunt in eo congregati. Illa concedenda eſt dumtaxat conſequenter ratione auctoritatis infallibilis collatæ Sedi Apoſtolicæ. Quia cum hæc in dirimendis controverſiis fidei ſoleat uti præviâ Doctorum conſultatione, ex quorum ſententiâ & teſtimonio firmat practicum judicium de veritate determinandâ, Deus nunquam permittet ut omnes Doctores congregati in Concilio generali falſum concludant. Cùm concluſio Concilii in causâ fidei ſit medium ſeu potius cõditio reſpectu Apoſtolicæ definitionis. Et quoniam conferens finem confert etiam media ad finem neceſſaria, ſequitur quod Deus conferens Sedi Apoſtolicæ auctoritatem infallibilem in fidei cõtroverſiis exercendam poſt conſultationem Doctorum, efficit etiam ut nunquam totum generale definitivè concludat. Denique alibi diximus, quod Sedes Apoſtolica infallibiliter aliquid definiret, quamvis non præmitteret Doctorum examen.

VI. Vltima ratio eſt Bellarmini ſupra cap. 15. Eccleſia Chriſti ſemper eſt cõgregata formaliter, quia eſt unum regnum, una familia, & unus grex licet diſperſa videatur quantum ad locum. Si igitur Pontifex eſt paſtor & caput Eccleſiæ, non certè diſperſæ, quæ nulla eſt, ſed congregatæ Eccleſiæ eſt paſtor & caput, ut patet ex illo, Ioannis cap. ultim. *Paſce oves meas.* Quamvis adverſarii dicant Chriſtum dixiſſe *Paſce oves meas*, non Eccleſiam meam. Nihilominus per *oves* intelligendus *Ioan. 21.* eſt cœtus fidelium. Audi Theophilactum ibi *Totius orbis ovium præfecturam Petro committit.* *Petrus Dam.* Petrum Damianum ſerm. 26. *Adeſt Petrus & ad ejus arbitrium orbis univerſus ſolvitur & ligatur.* Non ait hic & ille homo ligatur & ſolvitur, ſed univerſus orbis, ſeu univerſa Eccleſia. *Chryſoſ.* Et S. Chryſoſtomum homiliâ 8. ad populum Antiochenũ. *Ei per totum orbem terrarum Eccleſiæ præſidentiam tradidit.* Quid eſt Eccleſia? eſt congregatio fidelium comprehendens tam Epiſcopos, quàm eorum ſubditos. Quid eſt Concilium? eſt congregatio Epiſcoporum repræſentantium Eccleſiam totius orbis. Chriſtus Petro & ejus ſucceſſoribus Eccleſiam tradidit, igitur etiam curã Epiſcoporum in Concilio generali congregatorũ. Huic explicationi, & menti Patrum arridet Eccleſia in oratione de ſummo pontifice. *Deus omnium paſtor & rector, qui famulum N. praeſſe voluiſti, &c.* Eccleſiæ (inquam) ſive congregatæ in Concilio generali, ſive non. Nam *in*, ſive *extra*, Concilium ſemper eſt Eccleſia, ſemper eſt ovile Chriſti, ſemper ſpectat ad Romanum Pontificem, ſemper illi præeſt, ac illam paſcit.

§. 2.

Satisfit argumentis adverſariorum ab auctoritate depromptis.

I. PRimum, Chriſtus Matthæi cap. 18. verſ. 18 ait Apoſtolis. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram* *Matt.c. 18.v.18* *erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælo.* Quibus verbis Chriſtus confert Eccleſiæ ſupremam poteſtatem ligandi & ſolvendi. Reſpondet ſanctus Thomas ad illum locum illis verbis promiſſam Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus poteſtatem abſolvendi & retinendi peccata in foro ſacramentali pœnitentiæ, quam poteſtatem hic pollicitam poſtea Chriſtus cõtulit. Ioannis cap. 20. verſ. 23. *Quo-* *Ioan 20. v. 23.*

rum remiſeritis peccata, rmitsuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.
Concilium Trident. Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. canon. 3. *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris accipite, &c. Non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem hujus ſacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit.*

II. Secundum deſumitur ex eodē cap.
Mat. 18 18. Matthæi verſ. 15. *Si peccaverit in*
v. 15. *te frater tuus, vade & corripe eum, &c.*
verſ. 16 Verſ. 16. *Si autem te non audierit adhibe tecum unum vel duos, &c.* Verſ. 17.
verſ. 17 *Si autem non audierit eos, dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Quibus
v. 19. ſtatim ſubdit verſ. 19. *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint fiet illis à patre meo.* Verſ. 21.
verſ. 21 Aſſignat cauſam univerſalē. *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Reſpondeo cum S. Chryſoſtomo, Theophylacto, Euthymio, Hugone, Cajetano, Sylveira tomo 4. in Evangelia, & aliis nomine Eccleſiæ non intelligi Conciliū generale, ſed paſtores & prælatos Eccleſiæ, ut patet 1. ex praxi univerſali Eccleſiæ. Secundò, ex verbis citatis Chriſti verſ. 23. *Quæcumque alligaveritis, &c.* ita ut dic *Eccleſiæ*, idem ſit, dic Eccleſiæ paſtori, apud quem eſt auctoritas ligandi pœnis & cenſuris ejuſmodi contumacem. Alioqui tertiò ſequeretur quod quoties aliquis correctionem fraternam non ſuſciperet, deberet Concilio generali renuntiari. *Senſus ergò eſt* (inquit noſter
Sylveira Sylveira tom. 4. lib. 6. cap. 11. expoſitione 3.) *ut obſtinatus ad prælatum deferatur, ut qui privatos deſpexit, prælatum ob ejus dignitatem & poteſtatem revereatur, eiq; corripienti obediat, Nec aliud volunt ſancti Patres citati. Nam dicere toti Eccleſiæ per orbem diffuſæ fieri facile non poteſt. Ergò Eccleſiæ præpoſito ſeu illius miniſtris dicendum eſt.* Hæc porrò verba verſ. 21. *Vbi enim duo,* Intelliguntur de quibuſcumque fidelibus conſentientibus ad gratiam Dei impetrandam. *Poſtquam* (inquit S. Chryſoſtomus) *contentionis extrema ſupplicia poſuit magna cōcordiæ præmia exponit, cum & à patre, qui conſenſu & charitate conjuncti ſunt, facile impetrent, quod petunt.* Chryſoſ. Euthym. Et Euthymius. *Magna minatus eſt his, qui non corriguntur. Rurſum magna promittit his, qui diligunt, ut tum minis, tum promiſſis ad amorem congreget Chriſtianos.* Reſpondeo ſecundò quod ſi præfata verba accipiantur de Eccleſiâ in Cōcilio congregatâ, ab eâ tamen non excluditur Romanus Pontifex, qui eſt caput.

Quartum argumentum proponit III. Gerſon, particulam *Frater* intelligi de quolibet Chriſtiano, & conſequenter de Romano Pontifice, cum orando etiam dicat *Pater noſter qui es in cælis.* Poteſt ergò Romanus Pontifex vocari ad judicium Eccleſiæ, ac proindè ab Eccleſiâ judicari & plecti. At Eccleſia nihil agit niſi per Prælatos ſuos. Poteſt igitur Pontifex Romanus judicari à Concilio Prælatorum ut ſuperiore. Reſpondeo, quando Chriſtus hoc dixit, Petrus non dum erat creatus caput Eccleſiæ. Nec refert quod Romanus Pontifex vocet Eccleſiæ Præſules fratres, hoc nomen non ſignum æqualitatis in dignitate & gradu, ſed eſt ſignum amoris.

Quintum argumentum colligitur IV.
ex Act. cap. 8. verſ. 14. ubi fertur S. Act. c. 8
Petrum tunc ſummum Pontificem v. 14.
miſſum fuiſſe ab aliis Apoſtolis Eccleſiam repræſentantibus. *Cùm audiviſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem, &c.* Igitur Petrus non fuit illis ſuperior ſed inferior, juxta illud Chriſti Ioannis cap. 15. *Non eſt ſervus major Domino ſuo*, nec miſſus eo, qui mittit eum. Reſpondeo non fuiſſe miſſum auctoritativè ut inferiorem cui præcipiatur: ſed honorariè ut caput & ſuperior qui rogetur ad rem arduam & ſanctam aggrediendam ob bonum commune, verbi cauſâ, Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, & ſalutem animarum. Sic S. Leo ut votis fidelium ſatisfaceret, ivit ad Attilam, ut ejus furorem averteret ab Eccleſiâ Rom.

Sic

Sic rex rogatur, ut legationem magni momenti obeat. Sic Pater miſit filium in mundum, ut Chriſtus & Apoſtolus teſtantur. Sic Pater & Filius miſerunt Spiritum in die Pentecoſtes, ut teſtatur Chriſtus Joan.c. 15. v.26. cap. 16. verſ. 7. Quamvis ſint pares non tantùm in ſubſtantia, ſed etiam in auctoritate & gloriâ. *Sic* (inquit Cajetanus) *Petrum Apoſtoli mittunt non imperio, ſed fraternâ charitate ac impulſione. Vt multi fratres mittunt quandoque majorem, canonici & capitulanter mittunt Epiſcopum ad Papam vel ad Cæſarem.*

VI. Sextum argumentum deſumitur ex Actor. cap. 15. verſ. 22, ubi poſt Concilium Generale ab Apoſtolis celebratum, miſſa ſunt non nomine Petri, ſeu totius Concilii ſeu Eccleſiæ decreta ad fideles Antiochenos. *Tunc placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnabâ Judam.* Reſpondeo Decreta in Concilio Apoſtolico fuiſſe miſſa Antiochiam nomine totius Eccleſiæ, cujus Concilii caput & præſes erat Petrus, à quo ejuſmodi decreta vim & robur acceperunt.

Act. 15. v.22.

VII. Septimum argumentum accipiunt ex facto Patrum Concili Sinveſſani, qui Marcellinum Papam damnarunt & depoſuerunt. Reſpondent aliqui Marcellinum fuiſſe accuſatum de actu infidelitatis ratione cujus Concilium damnavit eum, in quo caſu poteſt Cōcilium examinare cauſā, & ſi reperiat eſſe de facto infidelē poteſt declarare eum eſſe extra Eccleſiam, & ſic damnare. Reſpondeo melius Marcellinū ſeipſum primò damnaſſe, ſeu abdicaſſe Pontificatu clamantibus ſæpè Patribus. *Prima ſedes à nemine judicabitur, tu reus, tu judex, noli à nobis judicari, &c.* Cui propriæ damnationi annuerunt Epiſcopi.

VIII. Octavum argumentum eruitur ex epiſtolâ Leonis quæ à Concilio Chalcedonēſi examinata fuit, teſte Evagrio lib. 2. cap. 18. Imò ipſe Leo epiſt. 63. gloriatur quod ſua epiſtola fuerit ab illo Concilio approbata. Eſto, non ſequitur papam eſſe inferiorem Concilio. Leo enim miſerat ſuam epiſtolam ad Concilium, non ut continebatur ultima ac definitiva ſententia, ſed ut inſtrueret dumtaxat, quâ Patres Cōcilii adjuti melius judicarent. Cui epiſtolæ poſtquam omnes conſenſerunt, definitio ultima nomine Pontificis & Concilii edita eſt (inquit Bellarminus lib. citato cap. 19.)

IX. Nonum argumentum petitur ex Concilio Conſtantienſi congregato anno 1415. ſub Martino V. quod declarat ſeſſ. 4. oppoſitam opinionem eſſe veram his verbis. *Hæc ſancta Synodus declarat quod ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata Concilium generale faciens, & Eccleſiam Catholicam repræſentans poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui, quilibet, cujuſque ſtatus vel dignitatis, etiamſi papalis exiſtat obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis & reformationem dictæ Eccleſiæ in capite & in membris.* Et infra. *Item declarat, quod quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus ſacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitimè congregati ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur & debitò puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia ſi opus fuerit recurrendo.* Reſpondet primò Philippus à ſanctiſſimâ Trinitate Gallus Provinciæ ſanctæ Thereſiæ, & Conventus Maſſilienſis Priore in ſuo opere in 2. 2. diſput. 3. dub. 3. approbato à D. Deville Provicario Generali Lugdunenſi anno 1655. Concilium Conſtantienſe loqui tantùm in ordine ad illos tres Pontifices tempore ſchiſmatis, qui non erant certi, ſed omnes dubii, & in ordine ad illos Concilium habebat immediatè à Chriſto poteſtatem. Reſpondet ſecundò, ſi loquatur abſolutè dicendum quod illa duo decreta fuerint edita, tempore ſchiſmatis, nec poſtea fuerint approbata & confirmata ab alio ſummo Pontifice. Quamvis autem Martinus V. ſub finem Concilii ſeſſione ultimâ dixerit, quod omnia & ſingula determinata, concluſa & decreta in materiâ fidei per præſens Concilium

Concilii Conſtan.

Concilium conciliariter fidei tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contraire quoquo modo, ipſaque cōciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo: hæc tamen approbatio & cōfirmatio non cadit ſupra dicta duo decreta quæ non ſunt in dicto Concilio edita quaſi materia fidei, ſeu ut credenda per fidem, de quibus tantùm procedit hæc approbatio: procedit enim de rebus fidei formaliter, & non materialiter ſumptis, ideſt de rebus quaſi de fide determinatis, & non de rebus ad fidem materialiter ſolùm pertinentibus. Concilium autem etiam legitimè congregatū, ſi non fuerit approbatum poteſt errare. Ita Cardinales Turrecremata & Bellarminus, item Sanderus & Campegius citatis locis idem ferè reſpondent, ſcilicet Concilia Generalia habere à Christo poteſtatem ſupra Pontifices tantùm in caſu, ideſt tempore ſchiſmatis, quando ignoratur quis ſit verus papa. Nam dubius papa habetur pro non papâ, ac proindè habere ſuper illum poteſtatem non eſt habere poteſtatē in papam. Reſpondet aliter Bellarminus Concilium Conſtantienſe aſſerens ejuſmodi quæſtiones de fide definire poſſe non fuiſſe Generale, quia tunc dumtaxat aderat tertia pars Eccleſiæ, ideſt aderant tantùm ii prælati, qui parebant Joanni, nam qui parebant Gregorio & Benedicto repugnabant iis, quæ à Concilio fiebant. Denique tunc non aderat certus papa in Eccleſiâ ſine quo dubia de fide nequeunt definiri. Tunc ergò in præfato Concilio nullus erat papa. Nam ipſe Joannes XXIII. qui Concilium inchoaverat receſſerat, cùm quarta ſeſſio ederetur. Additque Martinum V. tantùm confirmaſſe ea decreta de fide, quæ facta erant conciliariter, ideſt more aliorum Conciliorum re diligenter examinatâ. At conſtat hoc decretum factum eſſe à Concilio Conſtantienſi abſque ullo prævio examine. Martinus ergò confirmavit decreta de fide conciliariter concluſa damnantia hæreſim Wicleffi, & Joannis Hus. Nec ſequitur etiam erraſſe deponendo Gregorium XII. Benedictum XIII. & Ioannem XXIII. Quāvis enim Concilium abſque papâ nequeat definire nova fidei dogmata, tamen poteſt judicare tempore ſchiſmatis quis ſit verus papa, & providere Eccleſiæ de vero paſtore, quando is eſt vel dubius vel nullus, & ita ſe rectè geſſit Concilium Conſtantienſe. Prætereà Ioannes & Gregorius non fuerunt inviti depoſiti, ſed ſponte renunciaverunt Papatui, ut patet ex ſeſſ. 12. & 14 Concilii Conſtant. Benedictus verò non ceſſit, ſed illo defuncto Clemens VIII. ſucceſſor ceſſit Martino V. qui ab univerſâ Eccleſiâ ut verus pontifex agnitus fuit.

X. Eodem ferè modo ſolvendum argumentum decimum deſumptum ex Concilio Baſilienſi, quod indictum fuit à Martino V. ſeſſ. 1. continuatū ab Eugenio ſeſſ. 16. confirmatum à Nicolao V. ſeſſ. 23, Id definit fide Catholicâ eſſe credendum. Reſpondet Amicus ſup. hoc Concilium ſimul & Conſtantienſe quoad illud decretum non fuiſſe confirmatum, ut patet ex bullâ Leonis X. lata in Concilio generali Lateranenſi, quâ declaratur utrumque quoad hoc erraſſe, idem vocat Baſilienſe conciliabulum. Reſpondet ſecundò Philippus à Sanctiſſima Trinitate, ideò Concilium Baſilienſe dici conciliabulum, dum edidit illud decretum: quia tunc ab Eugenio vero Pontifice fuerat revocatum, ſicque non erat amplius legitimum. Vndè falſum eſt non fuiſſe confirmatū cum actibus ſuis à Nicolao V. ut patet ex ejus bullâ eidem Concilio annexâ, quæ confirmat ea quæ egerat quoad beneficia & cenſuras Eccleſiaſticas, at quæ Concilium definivit quoad auctoritatem ſupra ſedem Apoſtolicam nullus pontifex approbavit: imò ex profeſſo reprobant. Vndè Fœlix creatus papa ab illo Concilio Baſilienſi ceſſit Nicolao Eugenii ſucceſſori, ipſique Baſilienſes qui Cōcilium tranſtulerant, Lauſannam tandem ſe Nicolao ſubmiſerunt, ut teſtatur bullâ Nicolai.

XI. Non multum etiam urget undecimum argumentum petitum ex S. Auguſtino epiſt. 162. ad Gloriū & Eleuſium dicente eandem ſententiam

Melchiadis

Melchiadis papæ fuiſſe judicatam ab Epiſcopo Arelatenſi, & hæc ſubjiciente. *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicaverunt, non bonos judices fuiſſe. Reſtabat autem plenarium Eccleſiæ univerſæ concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent eorum ſententiâ ſolverentur.* Reſpondeo ex eodem S. Auguſtino citato illam cauſam iterùm judicatam fuiſſe ab Epiſcopo Arelatenſi non quia opus erat, ſed quia voluit Imperator acquieſcens Donatiſtis aliud judiciū poſtulantibus, ſperans illos ſanandos duobus judiciis, quod allegat S. Auguſtinus de generali Concilio, non loquitur de Concilio abſque papâ, ſed cui papa præſit, & ſit cauſa judicata à papa in Concilio particulari cui papa præfuit, poſſit revocari à Concilio generali, cui etiam papa præſit, præſertim ſi ſit quæſtio facti, quæ requirit informationes, & in quâ Eccleſia poteſt errare, cujuſmodi erat quæſtio quæ tunc agitabatur. Notat Bellarminus ſupra, quod judicato Concilio generali, in ſingulis Provinciis, imò etiam Romæ prius olim fiebant Concilia particularia, in quibus res definitæ iterùm agitabantur in Concilio generali, in quo ultima & definitiva ſententia à Papâ & Concilio pronunciabatur.

Auguſt.

XII. Quod affertur pro duodecimo argumento, Smyrnienſe Concilium favet multùm adverſariis, de quo ſcribit Sozomenus libr. 4. cap. 14. quod præcepit Fœlici ut cum Liberio gereret Eccleſiam, & Imperator depoſitum Liberium poſtea reſtituit in ſuam ſedem, idem (inquā) ſtatuens, ſcilicet, ut cum Fœlici regeret Eccleſiam. Reſpondet Bellarminus Cōcilium Smyrnienſe fuiſſe nullius momenti, quia major pars illius fuit Arianorum. Deindè illud Concilium non juſſit, ſed ſcripſit hortans Fœlicem ut pateretur ſecum ſedere Liberium. Quòad Imperatorem (qui erat Arianus) inſtar Neronis in Petrum & Paulum proceſſit injuſto & tyrannico modo in Liberium.

§. 3.

Solvuntur rationes contrariæ.

Ratio alia argumenta adverſariis ſuggerit. Primum totum eſt majus ſuâ parte, ut natura docet, ſeu corpus eſt majus membro, ſed Eccleſia eſt totum, ſeu corpus, Pontifex autem eſt pars ſeu membrū juxta illud Apoſtoli Roman. cap. 12. verſ. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, & ſinguli alter alterius membra.* Undè S. Hieronymus ait. *Si auctoritas quæritur orbis major eſt urbe.* Reſpondeo, quamvis totum ſit majus mole ſuâ parte, non tamen ſemper eſt virtute, quando ſcilicet virtus totius ab illâ parte derivatur, ut hic accidit. Vel (inquit Bellarminus ſupra) ſumitur Eccleſia cum papâ, vel ſine papâ. Si ſumatur ſine papâ falſum eſt illam eſſe totum. Eſt enim pars major quidem magnitudine molis, ſed minor magnitudine virtutis, & auctoritatis. Vel Eccleſia ſumpta cum papa habet majorem auctoritatem extenſivè, quàm ſolus papa, non autem intenſivè. Sicut ens ut complectitur Deum & creaturas eſt majus bonum extenſivè non verò intenſivè. Eccleſia cum Chriſto (qui eſt caput) extenſivè major eſt quàm ſolus Chriſtus, non autem intenſivè. I.

Rom. 12. verſ. 5.

Hieron.

II. Secundùm virtus agendi eſt principalius in toto quàm in partibus, quæ ſunt inſtrumenta totius. Homo enim dicitur principalius videre quā oculus. Igitur cum Eccleſia includens etiam papam ſit quoddam totum ſeu corpus, & papa ſit quædam pars & inſtrumentum hujus totius. Summa poteſtas Eccleſiaſtica principalius competit ipſi Eccleſiæ quàm papæ. Reſpondeo aliter philoſophandum eſſe de corpore myſtico Eccleſiæ ac de corpore naturali. Nam in hoc virtus ab eſſentiâ derivatur ad potentias, & ideò totum dicitur agere principalius quàm ulla pars. Sed in corpore Eccleſiæ virtus non derivatur ab eſſentiâ ad potentiās ſeu partes, ſed ab extrinſeco. Papa enim, qui eſt caput Eccleſiæ, habet auctoritatem à Deo, non ab

Eccleſiâ, ideoque Chriſtus eſt principale agens non autem Eccleſia. Reſpondeo ſecundò, in quolibet corpore agens principale eſſe ſuppoſitū, quod ſuſtentat & movet omnia membra. Suppoſitum corporis Eccleſiæ eſt Chriſtus. Sicut enim dicimus hoc eſt corpus Petri vel Ioannis, particulæ Petri vel Ioannis denotāt ſuppoſitum. Sic cum dicitur Eccleſia eſt corpus Chriſti, particula Chriſti denotat ſuppoſitum. Nec obſtat quod Chriſtus ſit etiā caput Eccleſię, dicitur enim caput ut influit in cuncta membra, dicitur ſuppoſitum ut ſuſtentat & movet illa; ſic papa dicitur inſtrumentum corporis Eccleſiæ & minus ipſo toto, quatenus ſcilicet includimus ipſum Chriſtum ut ſuppoſitum in toto.

III. Tertium, Papa poteſt abuti hac poteſtate in deſtructionem Eccleſiæ, Igitur debet eſſe ſupra papam aliqua regula indefectibilis data in Chriſto prudentiſſimo legiſlatore, quâ poſſint corrigi & dirigi qui abutuntur hac poteſtate. Sed hæc non poteſt eſſe alia quàm Concilium Generale repræſentans Eccleſiam univerſam. Igitur Concilium Generale pollet authoritate ad regulandum & moderandum Papam. Confirmatur ex Philoſopho. Medium virtutis illud eſſe debet, quod ſapiens judicaverit. At Pontifex habet poteſtatem pro ut ſapiens judicarit. Igitur cùm ſapientia indefectibilis ſit in Eccleſia univerſali, non autem in pontifice, medium judiciale erit in illâ. Reſpondeo negando papā poſſe abuti in deſtructionem Eccleſiæ quoad ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem. Nequit enim cauſas fidei aliter definire, vel præcepta neceſſaria ad ſalutem decolorare, quàm juxta mentem Spiritus ſancti. Cùm enim hæc poteſtas quoad pręcepta fidei & ad ſalutem neceſſaria dirigantur à Spiritu Sancto, qui motione ſpeciali in his rebus aſſiſtit pontifici vt Chriſti Vicario nè erret, eâ abuti nequibit quāvis poſſit in iis, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem. Ad quem abuſum corrigendum non eſt poteſtas in Cōcilio, ſed in Deo qui ſolus eſt Pontifice ſuperior. Ideoque nego confirmationis conſequentiam, quamvis enim non ſit in pontifice ut privato homine regula indefectibilis decidendi cauſas fidei. Eſt tamen in illo, ut Vicario Chriſti, cui ſpecialiter pollicitus eſt nè deficiat in illis.

IV. Quartum, debent de jure naturæ abſcindi membra, quæ inficiunt totum corpus, & conſequenter papa ab Eccleſiâ, ſi illam inficiat. Reſpondeo de jure naturæ membra illa amputanda eſſe excepto capite, quia præſtat habere caput putridum quàm illo carere. Reſpondeo ſecundò, ſi amputetur caput corporis naturalis totūcorpus moritur. At moriente papâ non moritur corpus Eccleſiæ. Nec Reſpublica eſt ſupra Regem, licet poſſit illum deponere & alium eligere, ſi Rex caput regni tyrannicè regat. Reſpondeo tertiò, poſſe in corpore naturali, & Republicâ temporali amputari membra quæ totum corpus inficiunt, eo quod pendent ab illo corpore, & ab eo vim habent. Sed diſpar eſt ratio corporis Eccleſiæ, cujus caput non accepit auctoritatem à corpore, ſed à Deo. Sic œconomus nequam non eſt deponendus à familiâ, ſed à domino à quo eſt inſtitutus. Nec refert quod ſi pontifex malus omnes vexans, perdens impunè, & abſque reſiſtentiâ Eccleſia carebit remedio. Dico enim manſuram abſque remedio efficaci, cùm ejus ſalus præcipuè non pendeat ab induſtriâ humanâ, ſed à protectione divinâ per quam regitur. Quamvis igitur Eccleſia nequeat papam deponere, tamen poteſt ac debet Deum rogare, ut de remedio provideat, quod præſtabit Deus, vel convertens papam, vel mortem illi inferens, priuſquam Eccleſia deſtruatur. Infeżres, igitur non licebit reſiſtere pontifici Eccleſiam deſtruenti. Reſpondeo, licebit reverenter ac modeſtè monere & corripere, & vi & armis uti, ſi Eccleſiā deſtruere intendat. Ad quam reſiſtentiam authoritas non eſt neceſſaria ut docet Cardinalis à Turrecremata lib 2, cap. 106.

V. Quintum, S. Petrus non habuit auctoritatem ſupra Collegium Apoſtolorum. Igitur nec papa ſucceſſor Petri ſupra totam Eccleſiam repræſentatam per reliquos Apoſtolos. Quamvis

vis ſupra reſponderimus, tamen iterum dico cum Cajetano tractat. de auctoritate Papæ & Concilii cap. 3. quod ſicut Apoſtoli erant oves Chriſti, qui ordinavit ut ſit unum ovile & unus paſtor, ſic ſoli Petro dictum eſt Ioannis cap. 21. verſ. 17. *Paſce oves meas*, non has vel illas, ſed omnes. Mariana. *Paſce omnes oves meas.* Igitur Apoſtoli ſunt oves unius ovilis. Licet enim fuerint pares in auctoritate Apoſtolicâ, non tamen in juriſdictione. Deindè differunt Petrus & Apoſtoli in modo habendi auctoritatem. Nam Petrus habuit ordinariam per eum & ſucceſſores continuandam & derivandam in totum corpus myſticū Eccleſiæ. At reliqui Apoſtoli illam habuerunt perſonaliter delegatam, ceſſaturam cum ipſis & in ipſis. Vndè reſpectu auctoritatis Pontificiæ eſt per accidens, quod ex ſpeciali gratiâ alii Apoſtoli fuerint à Chriſto immediatè præditi poteſtate, cum viâ ordinariâ potuerint & debuerint ad regendam Eccleſiam elevari. Quia viâ ordinariâ & quantum eſt ex parte Petri, & plenæ ejus poteſtatis omnis poteſtas à Petro incipit & derivatur, niſi Chriſtus ut ſuperior eam immediatè & viâ extraordinariâ ſive præventione gratuitâ eam communicet. Reſpondeo denique (ut alibi dictum eſt) Epiſcopos non eodem modo pollere auctoritate, quo Apoſtoli quoad Eccleſiæ regimen, ſicut Romanus Pontifex habet eam totam, quæ fuit in Petro. Quia auctoritas Petri fuit ordinaria ratione ſui officii, Apoſtolis verò perſonaliter delegata. Vndè Eſto, quod Petrus non habuerit auctoritatem ſupra Collegium Apoſtolicum, non ſequitur non habere ſupra Concilium generale, ſeu cœtum cunctorum fidelium & Prælatorum.

Ioan. 21. verſ. 17

VI. Sextum ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 100. art. 1. ad 7. ſupremum dominium rerum temporalium eſt penes Eccleſiam, non verò Papam. Igitur à pari ſupremum dominium in ſpiritualibus, ſeu plenitudo poteſtatis clavium non eſt in pontifice, ſed in Eccleſiâ. Reſpondeo eſſe diſparitatem, nam poteſtas juriſdictionis à Chriſto collata eſt Petro, dominium verò rerum temporalium eſt datum Eccleſiæ à Conſtantino & aliis Principibus, qui dominium quod habebant, illi transtulerunt. Vndè cum Chriſtus voluerit ſtatum Eccleſiæ eſſe Monarchicū, conceſſit immediatè ejus capiti plenitudinem poteſtatis, ac ipſo mediante, toti Eccleſiæ. Principes verò & alii volentes ſuas donationes eſſe firmas transtulerunt immediatè ſuum dominium in utilitatem ſuæ Eccleſiæ, & mediatè in aliquem particularē. Hoc diſcrimen patet in Eccleſiis particularibus in quibus Epiſcopi gaudent poteſtate juriſdictionis, non verò dominio rerum.

Septimum, in qualibet religione Capitulū generale eſt ſupra Generalem. Igitur etiam Concilium generale eſt ſupra pontificem. Eſto, quod Generalis ſit infra Capitulum generale, non eſt paritas, quia ſtatus Eccleſiæ eſt de jure divino, ſtatus Religionis de jure Eccleſiaſtico. Quare dum Chriſtus fundavit Eccleſiam voluit ſtatum ejus Monarchicum eſſe, & ſic ſtatuit ut ejus caput foret ſupra reliquum corpus, cùm eligeret ipſum in ſuum Vicarium, & ſtatuit ut illum in omnibus dirigeret, nè in errorem laberetur circa Eccleſiæ regimen, ut teſtatur ſacer Textus. Eccleſia verò non judicavit cōveniens ut religionis ſtatus foret perfectò Monarchicus, quare ſtatuit ut Capitulum generale repræſentans univerſam religionem eſſet ſupra ipſum Generalem, quia eſt facilius unum ſolum hominem errare in regendâ religione, quam potiorem partem Ordinis in Capitulo generali congregatam. Nam Deus non eſt expreſsè pollicitus ſe directurū in omnibus aliquem religionis generalem, nec permiſſurum ut aliqua religio erret, nam ſæpè contrarium evenit. Sed (ut ſæpè dictum eſt, & cap. ſequenti dicemus) conſtat ex ſcriptura Chriſtum ſæpè promiſiſſe ſe in omnibus directurum ſuum Pontificē, ut ſuum Vicarium nè in regimine Eccleſiæ erret. Quemadmodum promiſit Eccleſiam ſponſam ſuam fore ſemper immaculatam. VII.

Octavum, ſi plenitudo poteſtatis verbi causâ in determinandis rebus VIII.

fidei eſt penes ſedem Apoſtolicam, non erit opus congregare Concilium Generale pro determinandis rebus fidei, & aliis Eccleſiæ negotiis diſponendis. Fruſtra enim fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora. Reſpondeo cogi Concilia ad melius eſſe, & alia plura faciendo, quamvis plenitudo poteſtatis & juriſdictionis ſit in Romano Pontifice. Vndè ad axioma paſſim reſpondent Philoſophi fruſtra fieri per plura, ſi aliquid æquè benè fiat. Melius autem res fidei determinantur à Concilio cui præeſt Papa, quàm ab hoc ſolo.

IX. Vltimum, quod habet rationem, finis eſt ſupra id quod ad ipſum ordinatur. At claves collatæ ſunt ad ædificationem, ut ſcribit Apoſtolus 2. Corinth. cap. 13. Reſpondeo non cōferri claves ob Eccleſiam præcisè ſpectatam, ſed ob bonum fidei & pacis Eccleſiaſticæ, & propter hoc papa, ut habens poteſtatem juriſdictionis, ut docet S. Thomas lib. 4, contra gentes cap. 77, & Romanus Pontifex eſt ignobilior fide, quæ exſuperat omnē ſenſum, quamvis enim papa ſit Princeps, eſt tamen inſtar Vicarii Principis temporalis, & finis ejus eſt ſuum bonum, ad quod ordinatur univerſa Eccleſia cum ſuo capite. Sicque Romanus pontifex non ordinatur ad Eccleſiam ut medium ad finem, ſed ut principium perfectivum ad perfectibile. At perfectivum eſt ſupra perfectibile. Reſpondeo ſecundò finem nō eſſe ſemper perfectiorem medio, ut patet in jubilæis, quorum finis eſt aliquando impetratio boni naturalis. Media autem ſunt ſupernaturalia, ut orationes, jejunia, eleemoſynæ, confeſſiones, communiones, &c. Ex his ſatis clarè patet auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſupra Concilium non eſſe imaginariam, ſed veram, & realem realitate morali, cujuſmodi eſt auctoritas Patris in filios, Regis in ſubditos, Domini in ſervos, &c.

CAPUT XVI.

Eccleſia ſancta ex infallibilitate Romani Pontificis extra Concilium generale.

I. POſt approbatum hoc argumentum Romæ, & de mandato Sereniſſimi Electoris Colonienſis Epiſcopi & Principis noſtri Leodienſis à Doctoribus Colonienſibus examinatum, pervenit ad manus meas arreſtum Senatus Pariſienſis emanatum anno 1663. die 30. Maii, quo innuitur quod quidam Doctores Pariſienſes ſub nomine Vniverſitatis Pariſienſis, per manus ſui Syndici porrexerunt dicto Senatui ſex propoſitiones concernentes Apoſtolicam auctoritatem. Quarum propoſitionū quintam impugnavimus capite ſuperiori. Sexta eſt. *Non eſſe doctrinam, nec dogma Facultatis quod ſummus Pōtifex nullo accedente Eccleſiæ conſenſu ſit infallibilis.* Quibus perlectis Senatus edidit hoc arreſtum. *Les Gens du Roy, par la bouche de Maiſtre Denys Talon, ont dit que la verité des anciennes maximes ſe ſouſtient aſſez par ſon propre poids, & n'a pas beſoin de mandier des ſuffrages ny des approbateurs: que c'eſt pourtant un grād avantage lors que tout le monde concourt dans un meſme ſentiment, & qu'il ne paroiſt point de diviſion dans les eſprits. Perſonne n'ignore les efforts & les artifices pratiquez par les partiſans de la Court de Rome depuis trente ans pour élever la puiſſance du Pape par de fauſſes prerogatives, & pour introduire les opinions nouvelles des Vltramontains. Et enfin les choſes ont paſſé juſques à tel excés, qu'apres avoir inſinué en ſecret ces propoſitions fauſſes & dangereuſes dans les eſcrits, ils ont eu la hardieſſe de les publier & de les mettre dans des Theſes pour eſtre publiquement diſputées. Cette temerité n'eſt pas demeurée impunie, car cette auguſte Compagnie également jalouſe de maintenir l'authorité Royale, les droits de la Couronne, les Libertez de l'Egliſe Gallicane, & l'ancienne Doctrine, auſquels ces opinions de l'infallibilité, & de la ſuperiorité*

ſuperiorité du Pape au Concile ſont directement oppoſées, n'a pas manqué de reprimer ces entrepriſes par la ſeverité de ſes Arreſts, & meſme d'en punir les Autheurs : de ſorte que l'on peut dire que ces monſtres ont eſté eſtouffez dans leurs naiſſances, & que ces tentatives, bien loin d'avoir aucun ſuccés, n'ont ſervy qu'à confirmer plus puiſſamment la verité, & à couvrir de honte & de confuſion les emiſſaires de Cour de Rome. Cependant la Faculté de Theologie occupée par une cabale puiſſante de Moines, & de quelques Seculiers liez avec eux par intereſt & par faction, a eu de la peine à ſe demeſler de ſes liens injuſtes, & à ſuivre les traces des Gerſons, & de ces autres perſonnages illuſtres qui ont eſté dans tous les ſiecles les principaux defenſeurs de la verité : mais enfin par un genereux effort, ayant fait reflexion ſur ce qu'elle doit au Roy, au public, & à ſa propre reputation, elle a expliqué ſes ſentimens, & condamné toutes ces nouvautez comme des erreurs qui ne peuvent eviter la cenſure. Et comme les ſix propoſitions qui viennent d'eſtre leuës & expliquées par l'organe du Doyen, contiennent non ſeulemẽt la condemnation de tout ce qui pouvoit eſtablir quelque ſuperiorité du Pape ſur le temporel, mais auſſi de cette chimere d'infallibilité, & de cette dependance imaginaire du Concile au Pape ; il eſt inutile d'examiner ſi toutes ces propoſitions ſont conceuës en termes affirmatifs, eſtant certain qu'il n'y a point de milieu entre deux propoſitions contradictoires, & que ſi la Faculté ne crait pas que le Pape ſoit infaillible, il faut par une conſequence, neceſſaire qu'elle juge qu'il peut tomber ou eſtre induit en erreur, & corrigé par une puiſſance ſuperieure, qui ne peut eſtre autre que celle du Concile, & de l'Egliſe univerſelle. Et tout le monde demeurãt d'accord qu'il faut qu'il y ait une ſubordination, dés que l'on avouë que le Pape n'eſt point au deſſus du Concile, il faut qu'il ſoit au deſſous & ſoumis à ſes deciſions & à l'obſervatiõ des Canons, etc. Vocat Apoſtolicam infallibilitatem *chimæram infallibilitatis*, poteſtatis Apoſtolicæ *falſam prærogativam*, illius propugnatores *monſtra, emiſſarios curiæ Romanæ, monaſticam cabalam*, hanc opinionem & quinque alias *falſas & pernicioſas novitates quas Roma introducere voluit in animos Tranſalpinorũ ab annis 30. errores*, ſubditque horum *opinionem temerariam nõ caruiſſe pœnâ*, fallibilitatis autem Apoſtolicæ doctrinam dicit eſſe *antiquam, Gerſonis & aliorum illuſtrium virorum, qui ubique in omnibus ſæculis præcipui veritatis defenſores fuêre.*

II. Quod hoc Senatus Pariſienſis arreſtum, cùm non tantùm ſit injurioſum ſedi Apoſtolicæ, ſed etiam ſcripturæ ſacræ, organo Spiritus ſancti, Conciliis, Clero Gallicanæ Eccleſiæ, Patribus, qui à temporibus Apoſtolorum in omni ſæculo floruerunt, Doctoribus primariis Univerſitatis Pariſienſis, non dumtaxat Religioſis, ſed etiã ſæcularibus (qui ab anno 791. ſuâ doctrinâ orbem univerſum illuſtrarũt) Juriſperitis, & rationibus id nunc probare contendam, maximè cùm infallibilitas ſit una ex præcipuis dotibus Sedis Apoſtolicæ, & cenſura præfatorum Doctorum Pariſienſium ſit illis nimis probroſa, dum definit etiam propoſitionem quæ aſſerit quod *Summus Pontifex ſit vera regula fidei, eſt temeraria, & in errorem inducens.*

III. Pręmitto ac fateor 1.° Rom. Pontificem, etiam ut Pontificẽ cum ſuis cõſiliariis, imò Concilio Generali poſſe errare in negotiis particularibus facti, quæ maximè pendent ex informatione & teſtimoniis hominum. Secundò cenſeo illum ut privatum Doctorem poſſe errare, etiam in quæſtionibus univerſalibus juris tam fidei, quàm morum, multo magis dum de rebus variis diſſerit Sicut Innocentius III. ſcripſit Commentaria ſuper decretales. Tertiò, non eſt dubitandum Romanum Pontificem cum Cõcilio generali eſſe infallibilem, ac errare non poſſe in condendis decretis, vel generalibus præceptis morum. Quartò ſuſtineo contra Lutherum in libro de Conciliis, Calvinum lib. 4. inſtitutionum cap. 7. & 8. §. 28. & cap. 9. §. 9. Romanum Pontificem non poſſe cum Concilio Generali errare in materiâ fidei, ſeu doc re aliquam hæreſim, nec unquam docuiſſe,

ex dictis ſupra. Difficultas ac controverſia dumtaxat nunc eſt an Romanus Pontifex, quatenus eſt univerſalis Eccleſiæ paſtor docens ex Cathedrâ habeat chimæram infallibilitatis ſeu auctoritatem infallibilem chimæricam & imaginariam, an veram definiendi ſolus res fidei, ac obligandi fideles ad credenda, quæ ipſe docet ac definit. Dico igitur eſſe extra Concilium verè infallibilem in iis, quæ ad fidem pertinent, ac per bullas toti Eccleſiæ divinâ fide illa credenda proponit.

§. 1.

Romani Pontificis infallibilitas probatur ex S. Eliæ hiſtoriâ.

I. Patris Sanctiſſimi Eliæ Hiſtoria hanc veritatem figuratè illuſtrabit. Quod hic Propheta errare nequiverit extra cætum Prophetarũ in ſuis oraculis edendis, vel in decernendis ac definiendis iis, quæ concernunt fidem. Id primò ſuadet Ratio. Tanta eſt divinorum oraculorum infallibilitas ut nullis poſſit creaturarũ conatibus immutari, vel eorum executio retardari, id patet lib. 3. Regum
l.3.Reg. 17.v.1. cap. 17 verſ. 1. *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia. niſi juxta oris mei verba.* Titinus. *Non erit.* Quibus verbis docet Deum eſſe omnipotentem justumque flagitiorum vindicem. Quam veritatem probat cohibitione & ſubſtractione roris & pluviæ, innuens ſe eſſe præfatæ omnipotentiæ miniſtrum præconem, & vatem. Sanctus Epiphanius hoc divinæ omnipotentiæ miniſterium ac organum explicans in
S. Epiph. vitis Prophetarum, ait: *Imbrem ſuâ linguâ geſtavit.* Quid eſt imbrem ſuâ linguâ geſtare? Ergò nè totum profluvium imbrium ſuâ linguâ continuit? Ergonè univerſam aeris regionem pluviarum matricem linguâ geſtavit? Sic hoc inauditum & incredibile portentum linguæ affingemus, quod Poetæ humeris Athlantis impoſuerunt? Ergonè Elias immenſum aquarum oceanum ſuâ linguâ portavit, ſicut ille gigas mundũ, quantus, quantus eſt dicitur ſuſtinere? Nihil refert (inquit) S. Epiphanius. Audi illud Eccleſiaſtici cap. 48. v. 1. *Verbo Domini cõtinuit cælum.* Quid eſt *verbo Domini?* *Eccli. c. 48. v. 1.*
Dionyſius. *Virtute divinâ.* Vel (ut Cornelius) *Juſſu Domini*, ſivè, *jubens ex ore & poteſtate Dei.* Quid eſt *continuit?* Complutenſis verſio. *Suſtinuit.* Nè Poeticum de Athlante figmentũ & ſtylum ſectari videamur, potius Vatabli verſioni inhæreamus. *Inhibuit.* Vel ut (Dionyſius) *Repreſſit cælum & aerem à pluviâ.* Quibus arridet ſanctus Chryſoſtomus tomo 1. orat. 1. *Chryſoſ.* de Eliâ. *Clavis cæli fit ſermo Eliæ ſanctiſſimi, jubet enim & clauditur.* Pondera illud *jubet.* Non dicit orat, non dicit prænunciat clauſuram cælorum, claudit januam, ſed *jubet*: quod verbũ denotat auctoritatẽ, potentiam & imperium. Quod confirmat ibidem. *Zelo Dei commotus Judæam terram ſiccitatis ſententiâ & pluviarũ ſterilitate addixit.* Expende particulam *ſententiâ*, quæ auctoritatem ſignificat, & verbũ *addixit*, potentiam arguit. De hujus auctoritatis & potentiæ exercitio ſic conſequenter loquitur, *niſi juxta oris mei verba*, ideſt, niſi tunc & quando prædixero futurum rorem & imbrẽ. Vel ſi mavis cum Lyrano. *Niſi ordinavero, & determinavero.* Vel. *Quando erunt completa verba oris mei prædicentia, quod tanto tempore non erit pluvia.*

Quod hoc Elianum vaticinium fuerit infallibile audiamus Eucherium Lugdunenſem lib. 4. in libros Regum. II. *Eucher.*
Magna vis propheticæ dignitatis humanus ſermo eſt, divinus effectus. In terris homo loquitur, & imperio ejus cæleſtes obediunt poteſtates. Commovit omnem creaturam unus ſermo Prophetæ, & miro modo humi ſonans aera cælumq; concuſſit. Turbatur humani miniſterii ordo, & à ſæculis inſtituta elementorum harmonia contabuit. Cum ſicco humidum, calido frigidum negaretur. Pondera illa verba, *Humanus ſermo, divinus effectus, homo loquitur, & ejus imperio cæleſtes obediunt poteſtates.* Non dicit humanus effectus, ſed divinus: quia non à potentiâ naturali & fallibili, ſed ſupernaturali, divinâ & infallibili procedit

cedit. Non ait terrenas poteſtates,ſed cœleſtes obtemperare. Sic ſi Romanus Pontifex ex Cathedrâ edat decreta ad firmandam fidem & mores componendos inſtar Eliæ, cùm ſit divinæ potentiæ miniſter, infallibiliter decernet. & ei obtemperandum erit. *Dummodo* (inquit Eucherius ſupra) *vel in ſalute hominum , vel in honore proficiat conditoris.* Refert Surius tomo 6. ad diem 16 Novembris Sanctū Edmundum Epiſcopum Cantuarienſem ad propagandam Dei gloriam & ſalutem animarum ſigno Crucis pluviam avertiſſe, ſæpè etiam aliàs pluviam & tempeſtatem diſſipaſſe ab eo loco ubi Concionem habebat.Fertur quoq; in vitâ S.Bernardi , quod dum dictaret epiſtolam ad Robertum Nepotem ſuum , qui de Ordine Ciſtercienſi migraverat ad Cluniacum , & Wilelmus poſtea Monaſterii primus Abbas in membranâ illam ſcriberet ſedens ſubdio (egreſſi enim erant è Monaſterio) ſubitò inopinatus imber erupit, ſcribæque chartam reponere coegit. At mellifluus Doctor. *Opus Dei* (inquit) *eſt ſcribere non timeas.* Scripſit ergò epiſtolam in medio imbre chartam virtute charitatis operiente. At major eſt virtus zeli Eliani, & ſermonis poteſtas? non enim ad horam, ad diem, ſed ad tres annos & ſex menſes cœlū cohibuit nè plueret. Tanta fuit infallibilitas ejus ſermonis. Vnde meritò vocatur à Sancto Chryſoſtomo & aliis clavis. Deus enim habet in gazis & theſauris ſuis pluvias reconditas , Deuteronomii cap. 28. verſ. 12. quas ipſe ſolus reſerare poteſt, quâ clavi vtitur Elias ad illos theſauros claudendos & reſerandos. Quomodò? ſermone. *Vivit Dominus,&c. Si erit.* Lib.3.Regum c.17 v.1.

l.3.Reg. 17.v.1.

quando populus non Domino , ſed Idolis offert victimas , illa clave claudit, quando relictis Idolis & vitiis verum Deum colit, virtutem amplectitur illâ vtitur ad aperiendum juxta illam divinam promiſſionem Levitici cap. 26. verſ. 3. *Si in præceptis meis ambulaveritis ; & mandata mea cuſtodieritis , & feceritis ea , dabit vobis pluviam temporibus ſuis.* E contra ſi Diis alienis inſerviat, eos colat, Deus

Levit c. 26.v.13

vindex ſcelerum annonam ſubtrahet, & rorem ac imbrem denegabit, Deuteronomii cap. 11. verſ. 16. & 17. *Cavete nè forte decipiatur cor veſtrum , & recedatis à Domino,ſerviatisque diis alienis, & adoretis eos. Iratusq; Dominus claudat cælum, & pluvia non deſcendant, nec terra det germen ſuum.* Quaſi diceret,quamvis inter cœteras orbis regiones Palæſtina ſit valdè fertilis, lacteque ac melle abundet , ut retulerunt exploratores Numeror. cap.13. verſ. 26. præcipua tamen fertilitatis cauſa erat cultus Dei , ac populi religio , ut patet Iſaiæ cap. 1. verſ. 19. *Si volueritis & audieritis, bona terræ commedetis.* Vbi verò terra variis ſe criminibus contaminavit , & populus ſe convertit ad idola,eam benedictionem ſubtraxit Deus, ut videre eſt Levitici cap. 26. & Deuteronomii cap. 28. citatis , & ferè per totum caput 1. Aggæi, & 9. ac 10, *Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unusquiſque in domum ſuam propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, nè darent rorem, & terra prohibita eſt nè daret germen ſuum , & vocavi ſiccitatem ſuper terram, &c.* Septuaginta vertunt. *Propter hoc cælum abſtinebit à rore, & terra ſubtrahet germina ſua.* Chaldæus. *Ob ſcelera veſtra ceſſaverunt cæli ab emittenda pluviâ,& terra ceſſavit ad dandos fructus.* Ieremiæ cap. 2. verſ. 2. & 3. *Polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis, quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum , & ſerotinus imber non fuit.* Quaſi diceret (inquiūt Theodoretus, Iſidorus, Hugo,Divus Thomas, Lyranus, Sanchez,) quia tu idola tua populo exhibuiſti, ut eum ad idololatriam induceres , attentis iſtis ſceleribus Deus clauſit cælum nè plueret, maximè ad vocem propheticam Eliæ.

Deut. c. 11.v.16. & 17.

Iſaiæ c. 1.v.19

Agg.c.1

Ierem 3. v.2.et 3.

III.

De hujus oraculi infallibilitate ſanctus Baſilius Seleucius orat. 11. hæc pronunciat. *Videns Iudæorum populum propheta bonis , tam è cælo quàm è ſolo partis immodicè luxuriantem , & alimenti auctorem ignorantem , & Dei erga ſe charitatem in impietatis materiam convertentem, cultumque Deo debitum in dæmonia transferentem, iræ pietatis auxiliatrice aſſumptâ vocem emiſit,*

Baſilius Seleuc.

quâ

quâ cælo legem ſiccitatis impoſuit. Quibus verbis oſtendit divinam potentiã vſam fuiſſe voce Eliæ ad plectenda hominum flagitia. Ratione cujus mirabundus conſequenter exclamat. *O ira pietatis plena! quæ cælum firmas! ô Domini in homines charitas! ſervo permittis res conditas gubernet.*

IV. S. Chryſoſtomus tomo 1. homiliâ 2, de Eliâ, vaticinii Eliani infallibilitatem eleganter exprimit. *Cum Elias Propheta ſanctiſſimus populum prævaricatum aſpiceret, cumq; Baal & lucos deſpecto Domino coli à ſacrilegis perviderет cumque Creatore deſpecto figmentis ſeſe, nemoribusque omnis populus addixiſſet, zelo Dei commotus Iudæam terram ſiccitatis ſententiâ, & pluviarum ſterilitate addixit. Tunc ſubitò anhelat terra, ſiccatur cælum, ſitiunt amnes, fontes areſcunt, omnis humor ima petit, ſupera deſerit, aer fervet, ſerenitas torquet, tranquillitas pœna eſt, æſtuant noctes, dies areſcunt, ſata torrentur, arbuſta agrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi jejunant, ſqualles terra, herbas quas produxit, interimit, iram Dei univerſa creatura teſtatur.* Pondera has voces *tunc ſubitò.* Tanta fuit efficacia, tanta infallibilitas oraculi Eliani, ut illo prolata terra rore & imbre cœleſti caruerit, & ad extremam ſiccitatem fuerit redacta. Non minus ingenioſè tomo 6. homilia in SS. Petrum & Eliam. *Age* (inquit) *in medium proferamus Prophetam illum Eliã, terreſtrem Angelum & cæleſtem hominem, qui humi quidem ambulabat, & ea quæ in cælis ſunt gubernabat. Erat triũ cubitorum ſtaturæ homo, & per ſublimem aeris regionem perambulabat, & uſque ad ipſa cæli faſtigia protendebat. Ille* (inquam) *aquarum cuſtos, cujus lingua aquarum fuit theſaurus, & clavis cælorum, ille idiota & philoſophus, pauper & dives, pauper quod nihil poſſideret, dives quod cæleſtes nubes linguâ ſuâ detineret.* Infra. *Videbat multa abſurda fieri, videbat ſcortationem multã cum nequitiâ rempublicam gerere. Atra ſiquidem nox orbem terrarum oppreſſerat, denſiſſima quædam nebula cuncta obtegerat, itaque omnes in pœnis proficiebãt, erat orbis terrarum naufragium, non aquarum ſed intemperantiæ: propulſatâ enim temperantiâ incontinentia ipſa dominabatur, virtus expellebatur, & vitia tanquam res aliqua legitima colebantur, &c.* Paulò poſt. *In tam multis tenebris ſolus Elias virtutis lucernam tenens, & tanquam in quodam montis vertice in ſapientiæ faſtigio ſedens. Virtutis quidem facem præferebat, ſed ſplendorem præferens, nihil tamen eos juvabat, eo quod illorum mens tenebris oppreſſa erat & idololatriæ ſceleribus detinebatur. Excandeſcebat igitur Elias animo diſſecabatur, lamentabatur & multis verbis illos ab erroribus revocabat. Sed nemo tamen eum loquentem audiebat, cohortabatur, ſed nemo illi obtemperabat. Zelo igitur commotus illos erudire voluit, ut fame ipſa tabefacti preces tandem ad Creatorem transferrent, ac fames pietatis materia illis fieret. Nihil* (inquit) *aliud homines illos erudire poterit niſi fames, ut vel ſic anguſtiis undique coarctati ad omnium Creatorem Deum revertantur. Quid igitur Elias. Vivit Dominus ſi erit pluvia niſi per os meum. Prolata fuit hæc vox à Propheta, & ſtatim aer mutatus eſt, cælum æreum factum fuit, non naturam mutans, ſed facultatem refrænans, ſtatim elementa in aliam quandam figuram converſa ſunt, &c. Statim videre licebat herbas ipſas arefactas, item arbores ac plantas tam fructum ferentes, quàm quæ fructum non ferunt, tam quæ in campis, quàm quæ apud mare conſita erant, omnia ſimul arefacta, omnemque ætatem animâ præditam jam jam deſtruendam; puerorum lamentationem, matrum ejulatum & deſperationem.* Cur ter repetit *ſtatim*? ut ſignificet quàm infallibile fuerit Eliæ vaticinium.

V. Cur S. Propheta adjungit ſuo vaticinio juramentum, *Vivit Dominus*, lib. 3. Regum cap. 17. verſ. 1. ut illud infallibilitatem magis probet. Quamvis enim non augeat obligationem: tamen ei intra ſuos limites manens, addit religionis vinculum (inquiunt Oldradus conſil 238. *Cum mulier*, numer. 2: Verſ. *Vnde cum*, & conſil. 178. *Licet quantum*, Roman. conſil. 269. *Non eſt dubium quaſi*, Alexand. conſil. 37. *Viſo*, col. 3. lib.) licet non augeat extenſivè, auget tamen intenſivè. Oldradus conſil. 254, in fine, *non obſtat juramentum*

Chryſoſ.

l. 3. Reg. 17. v. 1.

juramentum. Seu licet non augeat, vel extendat & amplificet, tamen firmat, ſeu eſt inſtar confirmationis. Lapus alleg. 130. num. 7. verſ. *Nec poteſt*, Ægidius Bellarmer conſil. 24. num. 10. 14. & ſeq. Tuſchus tomo 4. concluſ. 507. num. 1, 2, & 3. id innuiſſe
Baſilius Seleuc. videtur. S. Baſilius Seleucius. *Vivit Dominus, &c. Religionis magiſtrum me populo emiſiſti, doctorem impiæ multitudinis me conſtituiſti, da mihi & puniendi poteſtatem. Novi ego quis impiis condignus ſit puniſsionis modus niſi per verbum oris mei* Deus audito hoc Eliæ juramento non audet ſolvere & aperire cælos, non audet laxare habenas in pluviam. *Compulſus Eliæ poteſtatem facit Deus, miſerans quidem eos qui dignè puniuntur, reveritus tamen prophetæ Zelum.* Scilicet jurantis, ac oraculum ſuum magis infallibile reddentis. Clarius illud vinculum ac infallibilitatē deducit S. Chryſoſtomus tomo 1.
Chryſoſ. homil. 1. de Eliâ. *Igitur Elias zelo Dei inſignis ut vidit Iudæorum gentem contemptâ Dei miſericordia, perpetuò in deliciis vivere, & idolorum cultui deditū, & à Deo quidem impietatem tolerari, ipſos autem longanimitate iſtâ ad majorem vitæ impœnitentiam abuti, volens eos puniium iri, cogitabat quidnam adverſus eos divinæ bonitati opponeret, quæ parvis lacrymis ſtatim movetur, ut iram ponat, decernit tandem ut ad conceptam contra eos pœnam Deum juramento aſtringat, quo ligatus ſententiam in eos non facile ſolveret* Quaſi diceret, quamvis vaticinium meum ſit infallibile, erit magis inſolubile ac firmius per juramentum. Vndè (inquit ſanctus Chryſoſtomus) *Cùm Deus ei reſponderet. Quid ergo ſi pœnitentes illi mihi blādientur, ſi lacrymas afferentes ſpectem, ſi à delictis reſipiſcentes videam, ſtatim ne debeo dare pluviam? Minimé (inquit) vivit Dominus niſi per os meum, illi idolis ſe addixerunt, ego per Deitatem tuam juro, oſtende mihi, quod juramentum hoc & contra te valeat, ut & per hoc idolorum infirmitas declaretur.* Tandem infra concludit. *Igitur propheticam ſententiam eſt reveritus Deus, & honorem juramento illi dedit.*

VI. Eodem cap. 17. lib. 3. Regum, cum Elias monitus à Deo in Sareptā Sidoniorum pergeret, ad portam Civitatis, offendit mulierem viduam tam pauperem, ut fruſta lignorum vicatim colligeret, ab eâ parum aquæ & buccellam panis petiit, quæ cum paupertatem Prophetæ pateſeciſſet, viciſſim Elias pollicitus eſt porrigenti non defuturam farinæ & olei annonam donec terræ frugibus uti liceret. *l. 3 Reg.*
Verſ. 13 *Noli timere, ſed vade, &c.* *cap. 17.*
Verſ. 14. *Hæc autem dicit Dominus Iſrael, Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur uſque in diem, in quo daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.* Ecce vaticinium. Quod fuerit *n. 14*
infallibile. Verſ. 16. *Hydria farinæ nō defecit, & lecythus olei non eſt imminutus juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Eliæ.* Cur non ait in ore vel in linguâ Eliæ? ut oſtendat promiſſionem Eliæ non fuiſſe inanē, ſed veram, efficacem & infallibilem. *verſ 16.*
Nam (inquit ſanctus Chryſoſtomus *Chryſoſ.*
tomo 6. homiliâ in ſanctos Petrum & Eliam) *Facta eſt viduæ dextra torcular, & ſiniſtra facta eſt area, & manipuli fructum in ipsâ neceſſitate reddentem ac propter Prophetæ dicta viduam illam nutrientes. Torcular & area facta eſt domus viduæ. Non imber, non pluvia, non ver, non autumnus, non æſtas non ventorum vis, non temporum tentationes, ſed verborum unum ex illius Prophetæ ſententiâ prolatum abundantem rerum copiam viduæ ſuppeditavit.* S. Baſilius
Seleucius ſupra. *Hydriam vertit in ali-* *Baſilius*
menti fontem, quantumque dies poſcebat, tantùm hydria ſuppeditabat, quo die meſſem volebat in hydriam metebat. Eucherius ait, non dexteram mulieris factam eſſe torcular, & ſiniſtram mutatam in aream, negat hydriam verſam fuiſſe in alimenti fontem: ſed *Eucher.*
verbum ac oraculum Prophetæ hæc omnia produxiſſe. *Facta eſt igitur manus viduæ perenne torcular, & mola jugiter fundens. Et quid dico mulieris manum, in verbo Prophetæ tota domus viduæ piorum cellarium facta eſt. Non ibi ros, non pluvia, non veris aura, non calidi ſoles, non nimbus neceſſarius, non aratrum, non agricola, non colonus, ſed omnia & in omnibus ſermo Prophetæ affatum viduæ miniſtrabat.*

VII. Cap. 21. lib. 3. Regum poſtquam
3. reg Naboth lapidatus eſt jubente Jezabe-
21. v 17 le, & annuente Achabo poſtridie e-
juſmodi facinoris. Verſ. 17. *Factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbytem.* Hominem ſpiritu ferventem, qui contra Achabum & Jezabelem, univerſamque ſobolem ferret ſententiã.
v. 21. Verſ. 21. *Ecce inducam ſuper te malum & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem & clauſum & ultimum in Iſrael.* Verſ. 22. *Et dabo domum tuam ſicut domum Ieroboam filii Nabath, & ſicut domum Baaſa filii Achia, quia egiſti ut me ad iracundiam provocares, & peccare feciſti Iſrael.* Quomodò ait, *peccare feciſti Iſrael?* Reſpondet Menochius
Menoch peccato ſcandali publici. *Quia graviſſimum & plurimorum malorum origo.*
verſ. 23 Verſ. 23. de Iezabele prænunciat. *Canes comedent Iezabel in agro Iezrael.* Quod hoc oraculum effectum ſuum infallibiliter ſortitum fuerit, patet ex lib. 4. Regum cap. 9. verſ. 23. Vbi Iehu juſſit eam præcipitem agi de feneſtra, & equorum ungulis conculcatam canes certatim dilacerarunt, ſobolem ejus etiam deletum fuiſſe patet verſu 8. ejuſdem cap. 21.

VIII. Lib. 4. Regum cap. 1. Rex Ocho-
l.4.Reg. zias lapſus per cancellos cœnaculi ſui
cap. 1. ſeu (ut Vatablus) lapſus in cœnaculum, cùm deambularet in tecto per feneſtram, quà immittebatur lumen in cœnaculum, quæ feneſtra erat lignis cancellatis intertextis, quæ labente rege contigit frangi vel aperiri. hoc caſu Ochozias conquaſſatus ac contrucidatus corpore, ægrotavit, adeò ut de recuperanda ſalute dubitaret: itaque mittit nuncios in Accaron civitatem Palæſtinæ ad conſulendum Idolum Beelzebub, quod certiora cæteris oracula fundere ferebatur, an deſperata necne eſſet ejus ſalus. Occurrit nunciis Elias, & arguit quod omiſſo Deo Iſraelis conſultum irent Beelzebub Deum Accaron, cui falsò & ſacrilegè divinitatem & ſcientiam
v. 4. futurorum tribuebant, quibus ait v. 4. *Quamobrē hæc dicit Dominus de lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris.* Idem repetit verſ. 16. loquens in faciem ipſi regi. Hoc oraculum fuiſſe infallibile teſtatur verſ. 17 v. 17.
Mortuus eſt ergò juxta ſermonem Domini, quem locutus eſt Elias.

Cap. 2. ejuſdem S. Propheta de ſuâ IX.
tranſlatione præmonitus dixit Eliſeo cap. 2.
verſ. 9. *Poſtula quod vis ut faciam tibi* verſ. 9.
antequam tollar à te. Verſ. 10. *Di-* v. 10.
xitque Eliſeus obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus tuus. Quem Elias pollicitus eſt ſub conditione. *Si videris me, quando tollar à te erit tibi quod petiſti.* Aſcendentem Eliam verſ. 12. *Eliſeus* v. 12.
videbat & clamabat, Pater mi, Pater mi, &c. Hanc promiſſionem effectu
ſuo non caruiſſe pâtet verſ. 15. *Viden-* v. 15.
tes filii Prophetarum, qui erant in Iericho è contra dixerunt, requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum.

Micheæ Prophetæ oracula nulli er- X.
rori fuiſſe obnoxia teſtatur cap. 22. l.R3.c.
lib. 3. Regum. Rex Achab bellum pa- 22.v.8.
raturus præmittit conſultationem ſuorum Vatum, qui cum unanimi ſuffragio pollicerentur facilem de Syro victoriam. Achab ad expeditionem ſecum invitat Regem Joſaphat, hic conſentit eâ conditione, ut de conſenſu Dominus conſulatur, cui ait reſpondet verſ. 8. *Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum: ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum Michæas filius Iemla.* Accedens Michæas exponit quæ ſibi Dominus in viſu oſtenderat, ſcilicet Dominum permiſiſſe dæmoni, ut eſſet ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Tum Sedecias, qui inter pſeudoprophetas eminebat indignatus ſe ſuoſque in tali, tantoque conſeſſu argui mendacii ulturus injuriam acceſſit ad Michæam & percuſſit maxillam ejus dicens: Mene ergò dimiſit ſpiritum Domini. In hac conſultatione duo vaticinia protulit Michæas. primum Achabũ in hoc præ-
lio periturum. Verſ. 17. *Vidi cunctam* v. 17.
Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oves non habentes paſtorem, & ait ipſi Dominus, Non habent iſti dominum, revertatur unuſquiſque in domum ſuam in pace. Menochius ibi. *Quibus verbis ſignificat exercitu fuſo rege etiam privandum populum, quod etiam ſignificat illud. Non habent iſti Dominum.* Particulâ revertatur. *Significatur rege Iſraelis mortuo*

Tyrinus *ad ſua pacificè re deſperatâ redituros univerſos.* Tyrinus clarius. *Indicat moriturum Achab Paſtorem populi Iſraelitici, & quidem in primo congreſſu & certamine, nihilque gravius paſſurum Iſraelem à Syris: ſed amiſſo rege ſuo cunctos pacificè ad propria regreſſuros.* Altero oraculo Michæas prædicat Sedeciæ, quod vulnerato rege ipſe fugitivus in intimum ſe cubiculum abſcondet, nè à domeſticis & amicis regis interficiatur, eo quod falſo vaticinio mortem regi intulerit verſ. 25. v. 25. *Viſurus es in die illâ quando ingredieris intra cubiculum, ut abſcondaris.* Septuaginta. *De cubiculo in cubiculum.* Menochius. *Prævideo & prænuncio tibi, quando ingredieris interius cubiculum, abditiſſimum cubiculum, ut te ſubſtrahas à Regis domeſticis quærentibus te ad necem, ut vaniloquentiæ tuæ pœnas luas.* Quorum vaticiniorum veritatem ut diverteret Achab, primò juſſit illum deduci in carcerem, ut poſt partam victoriam, Michæam convictũ mendacii merito ſupplicio afficeret, ordinatque eum pane tribulationis & aquâ anguſtiæ ſuſtentari. At Michæas Menoch. cunctum populum teſtem appellat, velle ſe æſtimari pſeudoprophetam, ſi Rex reverſus fuerit in pace. Secundò hoc ſtratagemate uſus eſt Achab dum inſtaret certamen mutavit habitum, nè Rex agnoſceretur, ſciebat enim Benadab Regem Syrorum præcepiſſe exercitui, ut ſolum Regem Iſraelitarum invaderet. Et tamen contigit ut gregarius aliquis miles telum in confertam multitudinem jaciens nihil minus cogitans quàm Achabũ, illud Deo dirigente confoderit.
v. 34. Verſ. 34. *Vir autem quidam tetendit arcum in incertam ſagittam dirigens, & caſu percuſſit regem Iſraelem inter pulmonem & ſtomachum.* Et verſ. 37. *Mortuus eſt Rex, & perlatus eſt Samariam, ſepelieruntque regem in Samariâ & laverunt currum ejus in piſcinâ Samariæ, & linxerunt canes ſanguinem ejus, & habenas laverunt juxta verbum Domini quod locutus fuerat.* Sicque non tantùm impletum oraculum Michææ, ſed etiam Eliæ, ſtatimque Domeſtici Achab irruerunt in pſeudoprophetã Sedeciam.

Quod ſi ad Eliſeum veniamus & ſingula ejus oracula examinemus, ea non chimærica, ſed vera & infallibilia fuiſſe deprehendemus. Lib. 4. Regum cap. 3. Cùm exercitus Regis Iſrael ſiti laboraret, & de victoriâ deſperaret, pro utraque Eliſeum prophetam rex Ioſaphat conſuluit, qui jubet pſaltem ad ſe adduci, ut aliquid ad Dei laudẽ ex pſalmis Davidicis caneret, verſ. 15. *Cumque caneret Pſaltes facta eſt ſuper eum manus Domini.* Salianus. *Spiritu prophetico afflatus eſt Eliſæus.* Sal. *Virtus ad prophetandum.* Menochius. *Spiritu prophetico afflatus eſt.* Cornelius, *Canente & perſonante Pſalte Deus Eliſei mentem illuſtravit, eique futura revelavit.* Dionyſius. *Omnipotentia Dei mentem ejus tetigit, & illuſtravit gratiâ revelationis propheticæ, gratia enim prophetiæ eſt donum actuale non propriè habituale; quia non adeſt cordibus prophetarum ad libitum: ſed juxta beneplacitum Dei, & ſecundum diſpoſitionem & aptitudinem hominum: quia ſe poſſunt ad illuminationem talem per devotionem & elevationem mentis aptare.* Spiritu prophetico afflatus Eliſeus duo prænunciat, primum aquarum copiam, ſecundum victoriam. Quoad primum, verſ. 16. *Facite alveum torrentis hujus foſſas & foſſas* verſ. 17. *Hæc enim dicit Dominus, non videbis ventum, neque pluviam, & alveus iſte replebitur aquis, & bibetis vos & familia veſtra, & jumenta veſtra* Tyrinus, *In ſinu iſto aridi torrentis fodite foveas plurimas & ſcrobes, quibus aqua miraculo mox ſubmittenda excipiantur & detineantur.* Secundo victoriam prædicit. *Parumque eſt hoc in conſpectu Domini, inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras.* Verſ. 19. *Et percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbẽ electam, & univerſum lignum fructiferũ ſuccedetis cunctoſq; fontes aquarum obturabitis & omnem agrum egregium operietis lapidibus.* Nec utramque hanc prophetiam fefellit eventus quoad aquas, quibus militum ac jumentorum ſitis extingueretur, verſic. 20. *Factum igitur mane quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & repleta eſt terra aquis.* Victoriam autem ita deſ-

XI. 4 Reg. 3. v. 15. Dionyſ. v. 16. v. 17. v. 18. v. 19.

verſ.21. cribit ſacer Textus verſ. 21. *Univerſi*
Moabitæ audientes quod aſcendiſſent
reges, ut pugnarent adverſus eos convo-
caverunt omnes, qui accincti erant bal-
tèo deſuper, & ſteterunt in terminis.
Verſ 22. *Primoque manè ſurgentes, &*
orto jam ſole ex adverſo aquarum vide-
runt Moabitæ è contra aquas rubras qua-
ſi ſanguinem. Verſ. 32. *Dixeruntque*
verſ.23. *ſanguis gladii eſt, pugnaverunt reges*
contra ſe, & cæſi ſunt mutuò. Nunc per-
ge ad prædam Moab. Verſ. 24. *Perrexe-*
runt in caſtra Iſrael, porrò conſurgens
Iſrael percuſſit Moab, at illi fugerunt
coram eis. Venerunt igitur qui vicerant,
& percuſſerunt Moab, & civitates de-
ſtruxerunt. & omnem agrum optimum
mittentes ſinguli lapides repleverunt,
&c. Quibus verbis oſtendit conatum
omnem Moabitarum irritum fuiſſe,
nec potuiſſe impedire executionem
oraculorum S. Prophetæ Eliſei.

XII. Cap. 4. Cùm Eliſeus de more tran-
l.4.Reg. ſiret per Sunam proficiſcẽs de Carme-
4.v.16. lo in Iericho, vel Bethel, vel Galga-
la Prophetarum collegia ſibi ſubjecta
inviſens, quædam mulier magnâ non
tam corporis mole, quàm opibus, ac
animi dotibus maritum induxit, ut
cœnaculum ſtrueret, quo virum Dei
hoſpitio exciperet. Quod hoſpitalita-
tis officium cum frequenter exerce-
ret, & prole careret, tum quia fortè
ſterilis erat, tum quia vir ejus ſenio
confectus erat, Propheta ei filium
pollicetur intra tempus, quod con-
ceptioni, geſtationique neceſſarium
erat. Verſ. 16. *In tempore iſto, in hâc*
eâdem horâ, ſi vita comes fuerit habebis
in utero filium. Hebræus. *Ad ſtatutum*
tempus iſtud, ſecundum tempus puerpe-
ra. Menochius. *Menſibus geſtationis*
puerpera evolutis. Pagninus. *Vivente te*
amplexaberis filium. Menochius. *Sig-*
nificans intra annum filium ei naſcitu-
rum, quem ipſa ſuis brachiis amplectere-
tur. Quo audito mulier reſpondit. *No-*
li quæſo Domine mi vir Dei, noli men-
Dionyſ. *tiri ancillæ tuæ.* Dionyſius. *Cui aliter*
loquitur fœmina iſta, non quod putaret
Eliſeum eſſe mendacem, aut fallere velle:
ſed ad inſinuandum id quod promiſit Eli-
ſeus eſſe impoſſibile per naturam, atque
implicitè rogans, ut verificaret & obti-
neret à Domino quod ſpopondit. Unde,
ut fertur, Hebræi legunt. Noli deficere
ancillæ tuæ. Verbum enim Hebraicum
deſignat utrumque, ſic quod credit ver-
bis propheta, quamvis ex admiratione
primâ facie ita locuta fuerit. Paternum
igitur ſenium ac materna ſterilitas im-
pedivit ne effectum ac infallibilitatẽ
oraculi? minimè. Nam verſ. 17. *Con-*
cepit mulier & peperit filium in tem- verſ.17
pore & in horâ eadem, quâ dixerat
Eliſeus.

Cap. 5. Naaman leproſo pro ſani- XIII.
tate recuperandâ præſcribit ſeptenã l.4.Reg.
in Iordane lotionem. verſ. 10. *Vade* 5.v.10.
& lavare ſepties in Iordane, & recipiet
ſanitatem caro tua atque mundaberis.
Verſ. 14. *Deſcendit & lavit in Ior-*
dano ſepties juxta ſermonem viri Dei, v. 14.
& reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri
parvuli & mundatus eſt. Dionyſius.
Perfectò curata eſt & pura effecta inſtar
infantilis corpuſculi, quod tantò eſt pu-
rius, quantò minus habet de extraneis
materiis ſibi adjunctum, &c. Quamvis
ejuſmodi curatio eſſet naturaliter im-
poſſibilis, tamen juxta Eliſei oracu-
lum illam Naaman recuperavit, præ-
viâ ſeptenâ lotione in Iordanis
flumine.

Eodem capite 5. Cùm Giez ſtimu- XIV.
lante avaritiâ callidè accepiſſet à
Naaman duo talenta argenti ſacciſq;
immiſiſſet, ac famulorum humeris
duplices veſtes impoſuiſſet, ac in do-
mum ſuam deferri curaſſet, ſtudioſè-
que abſcondiſſet, ſub veſperam redit
ad prophetam diſſimulans, verſ. 25.
Dixit Eliſeus, unde venis Giezi? qui
reſpondit, non ivit ſervus tuus quoquã.
Verſ. 26. *At ille ait. Nonne cor meum*
in præſenti erat, quando reverſus eſt ho-
mo de curru ſuo in occurſum tui? Meno-
chius. *Nonne ſpiritu prophetico aderam,*
& Deus omnia quæ à te geſta ſunt, præ-
ſentia mihi exhibuit. Hanc præſentiã
ſpiritualem ac propheticam declarat.
Nunc igitur accepiſti argentum, & ac-
cepiſtis veſtes, ut emas oliveta, & vi-
neas, & oves & boves, & ancillas. Quid
illi prænunciat Propheta? verſ. 27. *Sed*
& lepra Naaman adhærebit tibi & ſemi-
ni tuo uſque in ſempiternum. Hujus va-
ticinii infallibilitatem verba ſequen-
tia exprimunt. *Et egreſſus eſt ab eo le-*
proſus, quaſi nix. Menochius. *Leprâ*

quaſi

quaſi nive aſperſus. Tyrinus. *Quaſi ſi nive fuiſſet conſperſus, quæ erat lepra omnium teterrima ad dolorem acerbiſſima, & curatu difficillima ut medici aſſerunt* Cap. 6. varia edidit oracula, quorum executionem fortiſſimæ acies impedire nequiverunt.

XV, Cap. 7, cùm Samaria ob diuturnã
cap. 7. obſidionem ad extrema eſſet redacta,
v. 1. nec ulla ſpes auxilii affulgeret, ſed in
manus hoſtis deditione veniendum eſſet, ac ſubſcribendum iniquis conditionibus, quæ hoſtis victor longâ obſidione maceratis proponeret: tanta denique eſſet fames, tam extrema penuria, ut capita aſinorum in pretio traderentur, & ſtercora columbarum venalia etiam proponerentur, quæ diluta in aquâ ſumebantur in cibum, ut quoquo modo latranti ſtomacho illuderent, imò materna viſcera propriorum liberorum devoratione paſcerentur. Hoc audito S. Eliſeus pollicetur ſequenti die ſummam caritatem annonæ in extremam vilitatem permutandam. Verſ. 1. *Dixit Eliſeus. Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus in tempore hoc cras modius ſimilæ uno ſtatere erit, & duo modii hordei ſtatere uno in portâ Samariæ.* Hujus oraculi ſubitam executionem impoſſibilem exiſtimans verſ. 2. *Quis de ducibus, ſuper cujus manum Rex incumbebat homini Dei ait. Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit eſſe quod loqueris?* Tyrinus poſt Ioſephum, Dionyſium, Eſtium, Cornelium & alios. Si per cataractas depluat triticum ſicut olim in diluvio aqua, & in deſerto manna depluit, non poterit tamen eſſe tanta frumenti abundantia in Samariâ craſtino die quantum prædicis futurum. Hoc enim eſt impoſſibile ac incredibile. Cui Eliſeus alterum oraculum ſubjungit. *Videbis & indè non comedes.* Quaſi diceret (inquiunt Toſtatus &
Cornel. Cornelius.) *A turbâ populi opprimeris in portâ, idq; fiet juſto Dei judicio ob tuã incredulitatem, quâ huic meo ex Deo oraculo nõ credis, quia videris putare hoc factũ eſſe impoſſibile etiam Deo, cui omnia ſunt poſſibilia.* Vtramq; hanc prophetiã
v. 18. fuiſſe infallibilem patet ex verſic. 18. *Nam factum eſt ſecundùm ſermonem viri Dei, quem dixerat regi, duo modii ſtatere uno erant & modius ſimilæ ſtatere uno hoc eodem tempore in portâ Samariæ.* Ecce primum completum, verſ. 17. *Porrò rex ducem illum, in cujus manu incumbebat, conſtituit ad portam quem conculcavit turba in introitu portæ & mortuus eſt, juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando deſcenderat rex ad eum.* Et verſ. 20. *Evenit ergò ei ſicut prædictum fuerat, & conculcavit eum populus in portâ & mortuus eſt. Ita* (inquit Cornelius) *Eliſei oraculum per omnia verum certumque fuit.*

Cap. 8. Varia Eliſei oracula recen- XVI.
ſentur. Primò prædicit mulieri hoſ- cap. 8.
pitæ ſuæ famem ſeptennem, ſuadetque ut toto eo tempore peregrinetur, quam famem contigiſſe patet ex textu. Secundò prænunciat Benadab regem Syriæ moriturum, & impium Azaelem illi ſucceſſurum. Non omittenda hic explicatio hujus læthalis
vaticinii, verſ. 10. *Vade dic ei ſanaberis.* v. 10.
Porrò oſtendit mihi Dominus quia morte morietur. Cornelius poſt Cajetanum,
Serarium, Salianum, & alios. *Sanabe-* Cornel.
ris quantum eſt ex parte morbi. Quaſi diceret morbus tuus non eſt læthalis, ex morbo hoc non morieris, quod erat verũ. Nam non morbus, ſed vis Hazaelis occidit, & ſuffocavit. Seu ut Eſtius. *Sana-
beris verum erat de futuro ſecundùm* Eſtius.
cauſas, videlicet, quia infirmitas ipſa nõ erat ad mortem. Quod autem addit Propheta eum moriturum, verum eſt de futuro ſimpliciter ſeu abſolutè, quia licet morbus non eſſet læthalis: tamen accedente illâ ſuffocatione. Verſ. 15. *Per ſtragulum madidum ſimpliciter moriturus erat.*

Cap. 9. Eliſeus mittit unum ex diſ- XVII.
cipulis in Civitatem Ramoth ad Iehu c. 9. v. 6.
occupatam cum ducibus Ioram regis, conjectis oculis in Iehu, ſevocavit, ſeorſumque poſitum inunxit in regẽ, prædixitque univerſam familiam Achabi ab eo delendam. Verſ. 6. *Fudit oleum ſuper caput ejus, & ait. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Vnxi te regem ſuper populum Domini Iſrael.* Verſ. 7.
Et percuties domum Achab Domini tui verſ. 7.
& ulciſcar ſanguinem ſervorum prophetarum, & ſanguinem omnium ſervorum Domini de manu Iezabel. Verſic. 8.

verſ. 8. *Perdamque omnem domum Achab, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, clauſum & noviſſimum, &c.* Iehu inaugurationem regiam refert verſus 13. Cædem Iezabelis verſ. 33. Necem ſeptuaginta filiorum Achab cap. 10. verſ. 1. & 7. Et quinquaginta duorũ filiorum Ochoziç verſ. 14. Vno
v. 17. verbo verſ. 17. *Percuſſit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samariâ uſque ad viam juxta verbum Domini, quod locutus eſt per Eliam.*

XVIII Cap. 13. Eliſeus morti proximus
cap. 13. inviſitur à Ioas rege Iſrael, cujus vi-
v. 15. ciſſim lacrymas detergit hoc ſolatio. Verſ. 15. *Affer arcum & ſagittas. Cùmque attuliſſet arcum & ſagittas.* Eliſeus dixit verſ. 16. *Pone manum tuam ſuper*
v. 16. *arcum.* Siniſtram ſcilicet, ut ſolent qui jaculari volunt, dextrâ ad chordam & telum reductâ. *Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſeus manus ſuas manibus regis.* Vt is intelligeret (inquit Salianus) Deum, qui ore prophetæ liberationem Iſraelis de Syrorum tyrannide prædicebat, etiam applicatione manuum prophetæ, qui ejus gerebat vices, oſtendere ſe ejuſdẽ libertatis effectorem fore. Verſ. 17. Propheta jubet aperiri feneſtram ori-
v. 17. entalem. *Aperi feneſtram orientalem.* Vt ſcilicet emittas ſagittam victricẽ contra Syros, qui ſunt Iſraeli ad Orientem. *Cùmque aperuiſſet dixit Eliſeus, jace ſagittam & jecit: Et ait Eliſeus ſagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syrum.* Ideſt, tibi prænuntio ac polliceor victoriam de Syris. Vndè ſubdit: *Percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.* Ideſt penitùs delebis, niſi impedias. Et ait: *Tolle ſagittas, qui cùm tuliſſet, rurſum dixit ei percute jaculo terrã, & cum percuſſiſſet tribus vicibus & ſtetiſſet, iratus eſt vir Dei contra eum, & ait ſi percuſſiſſes quinquies aut ſexies, ſivè ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſummationem, nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Tria hæc certamina ac victorias contigiſſe ac oraculum Eliſei completum non eſt dubitandum. Prætermittuntur tamen à ſcripturâ, quia prophana ſunt, nec ad regnum Iſraelitarum ſpectant. Quod tamen infallibilitas Romanorum Pontificum ex Cathedrâ definientium accedat ad præfatorum vaticiniorum infallibilitatem attentius inſpiciamus.

§. 2.

Infallibililatem Sedis Apoſtolicæ teſtatur Scriptura.

Cum olim Judæi Chriſti judicia implorarent, eumque in Synagogâ & in templo vera oracula I.
pronunciantem contemnerent, reſ- Ioan. 5.
pondit Chriſtus Ioannis cap. 5. v. 30. verſ. 30.
Sicut audio judico, & judicium meum juſtum eſt. Sic quibuſdam politicis & malè erga ſedem Apoſtolicam affectis ab eâdem reſponderi poteſt. Non à me judico, ſed ex ſpeciali Spiritus ſancti aſſiſtentiâ & dictamine ex Cathedrâ loquor, undè verba mea ſunt oracula, & judicia juſta. Chriſtus in confirmationem præfatæ reſponſionis remittit Iudæos ad ſcrutinium Scripturarum. Verſ. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt qui te-* v. 39.
ſtimonium perhibent de me. Sic Pontifex prædictam ſuam infallibilitatem negantes remittit ad ſcripturas utriuſque teſtamenti.

Primus locus ſcripturæ eſt Deute- II.
ronomii cap. 17. verſ. 8. *Si difficile &* Deuter.
ambiguum apud te judicium eſſe, &c. 17. v. 8.
Aſcende ad locum, quem elegit Dominus venienſque ad ſacerdotem Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæres ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Ex quo textu infero, ſi in veteri lege, dum Eccleſia erat valdè exigua ſummus Sacerdos fuit à Deo conſtitutus quaſi judex & regula infallibilis in definiendis rebus fidei, ſeu veritatibus abſtruſis ad fidem pertinentibus, ſive explicandis ac elucidandis fidei articulis, quando occurrebat neceſſitas, multò magis in lege gratiæ, quando Eccleſia per totum orbem diffuſa maximè crevit, ſummus Eccleſiæ Sacerdos ſeu Romanus Pontifex, Chriſti Vicarius, in terris paſtor & caput omnium fidelium debet eſſe ſupremus judex & regula infallibilis in definiendis rebus fidei, & cõdendis præceptis ad mores ſpectantibus

tibus, conſequenter errare nequit docendo ex Cathedrâ, quando aliquid præſcribit ab universâ Eccleſiâ credendum & obſervandum.

III. *Mat.* 16 *v.* 18. Secundus locus eſt Matthæi cap. 16. verſ. 18. ubi Chriſtus Petrum ſic affatur *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Syriacus & Vatablus. *Et portæ inferorum non prævalebunt ei.* Sanctus Pacianus. *Et portæ inferorum non convaleſcent adverſus eam.* Hebræus apud Cornelium. *Et portæ inferi non poterunt ei reſiſtere.* Græcus. *Et portæ inferi non vincent eam.* Quibus verbis conſtituitur Petrus quaſi fundamentum Eccleſiæ perpetuò durandæ, pollicеturque immotum tueri ac cõſervare adverſus quoſlibet impetus. Ad hoc autem neceſſaria eſt poteſtas ac auctoritas infallibilis, quæ poteſtas conceditur, non dumtaxat Petro, ſed etiam ſucceſſoribus abſque limitatione, & cum hi idem regimen Eccleſiæ ſuſceperint, ſanè nõ eſt ratio quod illa auctoritas reſtringuatur ad eoſdem ut definientes in Concilio generali.

VI. *Luc.* 22. *v.* 23. Eadem auctoritas probatur ex verbis Lucæ cap. 22. verſ. 23. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quibus verbis ſpecialiter Chriſtus pollicetur indefectibilitatem fidei, cidemque ut capiti, ac ſupremo Eccleſiæ judici committitur munus confirmandi fratres in fide & moribus, ad quod neceſſaria eſt auctoritas quædã infallibilis in docendo. Quod autem id etiam competat ſucceſſoribus Petri abſque dependentiâ ab Eccleſiâ, patet, quia hoc privilegium fuit conceſſum Petro in favorem omnium ſucceſſorum. Privilegium autem ſemper præſumitur in favorem privilegiati juxta 16. regulam juris. *Decet conceſſum à principe beneficium eſſe manſurum.* Item privilegium Principis latè explicandum eſt ex l. ultim. ff *de condit. Principum*, & cap. *cum aliment.* de *verb. ſignificat.* Cùm etiam hoc privilegium non ſit perſonale, ſed reale, inter quæ hoc præcipuum diſcrimen eſt, quòd privilegium perſonale corruat extinctâ perſonâ cui conceſſum eſt: reale verò perſeveret extinctâ perſonâ. Suarez lib. 8. de legibus cap. 3. num. 3. Azorius tomo 1. juſtit. moral. lib. 5. cap. 22. quæſt. 6. Lezana tomo 4. quæſtion. regul. verb. privilegium, num. 4. Undè privilegium conceſſum alicui officio religionis, ut Generalatui, vel Provincialatui, vel (quod idem eſt) privilegiũ conceſſum alicui religioſo ratione officii, quod habet, non ceſſat in ipſo, ſed tranſit ad ſucceſſores. Ita Tamburinus de jure Abbatum tomo 1. diſp. 26. quæſt. 11. n. 2. Fagundez in 6. præceptum Decalogi lib. 6. c. 12. n. 35. Lezana tomo 3 qq. regul. verb. Commiſsio, & tomo 4. verb. Privilegia, regul. num. 4 præſertim quando privilegium eſt favorabile. Ratio eſt, quia eſt contra jus commune, vel prejudicat tertio, & odia reſtringenda ſunt, ita Suarez ſupra num. 18 & 19. Bonacina de legibus diſput. 1. quæſt. 3. puncto 1. num. 7. Diana part. 4. tract. 3. reſol. 51. Lezana ſup.

Quartus locus eſt Actorum cap. 1. verſ. 15. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti.* Verſ. 16. *Viri fratres oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt IESVM.* Petrus Præſes & primus congregatis fratribus juxta curam ſibi à Chriſto commiſſam Lucæ citato capite exponit quid agendum ſit, non expectatis ſingulorum Apoſtolorum & Diſcipulorum ſuffragiis ac calculis. Fateor quidem quod in electione Mathiæ in locum Iudæ poſtulata ſunt vota ſingulorum, verſ. 24. *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum.* Verſ. 25. *Accipere locum miniſterii hujus & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas ut abiret in locum ſuum.* Verſ. 26. *Et dederunt ſortes eis, &c.* At in definiendo negotium ad fidem pertinens, id præſtitit abſque prævio conſilio (cujus nullum apparet veſtigium) *Oportet, &c. accipere locum, &c.* V. *Actor.* 1. *v.* 15. *v.* 16. *v.* 24.

VI. *cap.* 15. *v.* 17. In iiſdem actibus cap. 15. verſ. 7. *Surgens Petrus dixit ad eos, viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes*

gentes verbum Evangelii & credere. Particulæ *Surgens*, & *dixit*, denotant Petrum eſſe principem Apoſtolorum ac Eccleſiæ primatem. Subjungit, *ab antiquis diebus*, quando ſcilicet Matthæi cap. 16. verſ. 18. Petrus audivit à Chriſto *Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c.* Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Confirma fratres tuos.* Ioannis cap. 21. *Paſce oves meas, &c.* Addit, *Deus in nobis elegit per os meum audire gentes; &c.* Numquid elegit duodecim Apoſtolos, ut per os eorum gentes doceantur? & ſignanter Apoſtolum Paulum, qui ideò paſſim vocatur gentiũ Doctor? Cur ergò ait, quod ſpecialiter per os ſuum gentes audient verbum Evangelii? Vt oſtendat ſibi ſuiſque ſucceſſoribus infallibilitatem cõpetere in dijudicandis iis, quæ ad fidem ſpectant.

Mat.16 Luc.22. Ioan.24

VII. Id ni fallor familiari comparatione innuere videtur Apoſtolus 1. Corinth, cap. 12, verſ. 12, & 13. *Sicut enim corpus unum & membra habet, multa: omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus; etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptiſati ſumus, ſivè Iudæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſivè liberi, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus.* Quis fovet iſtam unitatem corporis tam in fide quàm in moribus? caput, à quo diffunduntur ſpiritus vitales, non ut causâ principali, ſed vicariali, ac miniſteriali, ſed ut ab œconomo, & fideliſſimo gratiarum ac myſteriorum divinorum diſpenſatore, ac fidei orthodoxæ doctore irrefragabili, non tantùm in Concilio Generali, ſed etiam extra illud. *Reſpice* (inquit S. Cyrillus Hieroſolytanus Catecheſi 17.) *cujuſlibet nationis Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos, Monachos, Virgines & alios Laicos: & reſpice magnum hunc Præſulem, & gratiarum parochum ſeu exhibitorem, quomodò in univerſo mundo aliis caſtitatẽ, aliis virginitatem, aliis ſtudium paupertatis, aliis vim repellendi adverſarios ſpiritus tribuat.* Vbi tribuat & edat decreta fidei & morum, ſeu virtutum illarum amplectendarum? non tantùm in Concilio, ſed etiam extra illud.

1.Corint. c.12 v.12.& 13

Cyrillus Hieroſ.

VIII. Idem colligere eſt ex epiſtolâ ad Epheſios cap. 4. verſ. 3. *Vnum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ.* Quis fovet iſtam ſpem vocationis veſtræ? Romanus Pontifex. Hinc Apoſtolus monet nè omni ſpiritui credant, ſed omnem veram doctrinam, tam fidei, quàm morum ab ipſo capite expetant. Accipe ejus verba ad Coloſſenſes cap. 2. verſic. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Verſ. 19. *Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & connexiones ſubminiſtratum, & conſtitutum creſcit in augmentum Dei.* Quibus verbis docet, quod quemadmodum ſpiritus vitalis, qui neceſſarius eſt ad vitam, & ſenſum, & motum, emanat à capite in totum corpus per nervos, juncturas & articulos, ſicque ſenſum & motum omnibus membris communicat. Ita ſpiritus gratiæ à Chriſto, quaſi à capite in membra illi connexa. Et ſummus Pontifex ejus vicarius, & ſuæ familiæ theſaurarius ac œconomus univerſalis, fidelibus veræ fidei documenta ſubminiſtrat. Audi quid Dionyſius dicat de illâ œconomiâ ſpirituali Chriſti, quod de diſpenſatione Pontificiâ etiam intelligendum eſt. *Nemo vos ſeducat, ſuadere contendens per fictam humiliationem & apparentem religionem, quibus Angelis ſimilis videtur; tanquam verus nuntius Dei, ſicut & Angelus obſervationes legalium, quæ non intellexit ſecundùm ſpiritalem, & myſticam rationem, videlicet prout ſunt ſigna futuri, hoc eſt cupiens probare hac circumventione legalia eſſe ſervanda infructuosè laborans, tumidus & ſuperbus intellectu carnali, carnaliter intelligiſſe legalia & ſenſualitatem ac imaginationem, potius quam ſpiritualem rationem ſequentes, ſapiens in oculis propriis, Chriſto non inhærens, ex quo univerſa Eccleſia per nexus fidei & conjunctiones ſanctæ dilectionis exhibitam, vel ſibi invicem ſubſerviens in unum redactum, hoc ſpiritualiter copulatum per fidem, ſpem, & charitatem, & opera, atque obſequia pia, quibus & unum myſticum corpus efficiuntur fideles, quod corpus*

Coloſſ. 2. 21. v. 18

verſ. 19.

Dionyſ.

hoc modò compactum creſcit in magnitudinem ſpiritualem, videlicet incrementum virtutum per gratiam & efficientiam Dei. Quomodò fit ejuſmodi incrementum ſpirituale & virtutum? Per gratiam & efficientiam Dei, & miniſterialiter per diſpenſationē Romani Pontificis infallibiliter decernentis aliqua dogmata, ut melliflue innuit Bernard ſanctus Bernardus lib. 4. ad Eugeniū papam cap. 7. *De cætero oportet te eſſe formam juſtitiæ, legum moderatorem, canonum diſpenſatorem, ſal terræ, orbis lumen, ſacerdotem altiſſimi, Vicarium Chriſti, Chriſtum Domini, Deum Pharaonis* Illa particula *oportet* neceſsitatē ac infallibilitatem quandā denotat, ita ut quemadmodum eſt infallibilis veritatis aſſertor in Concilio, ita & extra, ſicut eſt aſſertor Catholicæ veritatis extra cœtum univerſalem, ita eſt forma juſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, &c. extra illum, &c. Eodem modo loquendi utitur ep. 19. ad Innocentiū II. *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei.* Non ait *oportet* ad Concilium, ſed *ad Apoſtolatum veſtrum.* Quæ pericula? quæ ſcandala? circa fidem & mores, ſed *ea præſertim quæ de fide contingunt. Namque arbitror ibi potiſſimum reſarcire damna fidei, ubi non poſſit fidei ſentire defectum. Hæc quippè hujus prærogativa ſedis Cui enim alteri aliquando dictum eſt. Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua* Tribuit ſucceſſoribus Petri indefectibilitatem fidei, maximè dum ex Cathedrâ aliquid decernit, *Hæc eſt prærogativa ſedis.*

§. 3.

Teſtantur Pontificum Decreta.

I. Noſter Franciſcus Bonæ Spei diſput. ultim. ſuper definibitalite infallibili Immaculatæ Conceptionis, & Nicolaus du Bois Theologus, Iuriſconſultus ſacrarum litterarum in Vniverſitate Lovanienſi Regius & Primarius Profeſſor in cap. 1. Actor. Apoſtor. ad verſ. 15. quæſt. 14 producunt Pontifices qui omnibus ſæculis à S. Petro, uſque ad modernum graviſſimas fidei & morū quæſtiones deciderunt abſque reclamatione. Primo & ſecundo ſæculo Anacletum epiſt. 1 cap. 4. Evariſtū ep. 1. Alexandrum I. epiſt. 1. cap. 4. 5. & 6. Hyginium epiſt. 1. Soterum I. epiſt. 1. Eleutherū ad provincias Galliæ. Tertio Calixtū I. ep 1. cap 6, Vrbanum I. epiſt. 1. cap. 7. Sixtū II. ep. 1. adverſus Sabellium, Fœlicē I. ep. 3. Eutychianū epiſt. 1. Caium epiſt. ad Fœlicem c. 4. Quarto Euſebium, Melchiadem ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Julium I. can. *Cum omne*, de conſecr. diſt. 2. Damaſum epiſt. 1. Siricium epiſt. 2. adverſus Iovinianum. In quinto Innocentium I. epiſt. 2. cap. 6. epiſt. 24. 25. & 26. Cœleſtinum epiſt. 6. ad Neſtoriū, Leonem I. epiſt. 10 ad Flavianum, Gelaſium in Concilio Romano item epiſt. ad Iulianum, epiſt. 79. 93. Fœlicem III. epiſt. 3. Anaſtaſium II. epiſt. ad Auguſtum cap. 7. Quinto & ſexto Fælicem IV. ad Patres Arauſicanos, Bonifacium II. epiſt. 2. Ioannem II. epiſt. 3. & 5. Vigilium in conſtitutione contra Theodorum, Pelagium I. epiſt. 16. Pelagium II. epiſt. 5. Gregorium I. lib. 9, epiſt 39. lib. 12. epiſt 31. Septimo ſæculo Joannem IV. epiſt. 2. 3, & 4. & epiſt. ad Heraclium & Liberium. Octavo ſæculo Gregorium II. epiſt. 11. & 12. Gregorium III. epiſt. 7. Zachariam epiſt. 6. 10. & alibi. Nono Leonem IV. ad Epiſcopos Britanniæ cap. 4. & epiſt. 51. 58. & alibi. Decimo ſæculo Joannē VIII. epiſt. 226. Vndecimo ſæculo Leonem IX. epiſt. 1. & 9. Nicolaum II. in Synodo Romanâ adverſus Berengarium, Alexandrum II. epiſt. 11. Gregorium VII. in Synodo Romanâ, Duodecimo ſæculo Innocentium II. epiſt. 10. Alexandrum III. epiſt. 2. Decimo tertio ſæculo Innocentium I. lib. 1. reg. 13. epiſt. 127. Gregorium IX. epiſt. 9. & alibi, Alexandrum IV. conſtitut. 8. Bullarii, Nicolaum IV. in conſtit. *Exiit.* Decimo quarto Clementem V. conſtit. 1. Bullarii, Ioannem XX. alii XXII. epiſt. 4. Benedictum XI. Clementem VI. epiſt. ad omnes Archiepiſcopos. Decimo quinto Pium II. in bulla retractationum. Eugenium IV. conſtit. 28. Xiſtum IV. conſt. 17. Bullarii adverſus Petrū de Oſmâ. Decimo

ſexto ſæculo Leonem X. conſtit. 40. in Bullario, Adrianum 6. epiſt. ad Fredericum ducem Saxoniæ, Pium V. Gregorium XIII. Hoc præſenti ſæculo decimoſeptimo Clementē VIII. Vrbanum VIII. Innocentium VIII. Alexandrū VII. Quorū decreta edita fuerunt abſque prævio Concilio, vel Synodo particulari. Unum dumtaxat ex illis in medium afferamus S. Leonem ſerm. 3. de ſuâ aſſumptione ad Pontificatum. *In Petro* (inquit) *omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.* Ideſt ſi quæ ſit firmitas & infallibilitas in cœtu Apoſtolico, in Conciliis communicatur à Petro & ejus ſucceſſoribus. His adde quæ diximus tomo hoc tract. 1. cap. 3.

§. 4.

Teſtantur Concilia.

I Quanti faienda ſint Pontificum decreta extra Concilium edita patet ex ipſis Conciliis. S. Hieronymus epiſt. 11. inter epiſt. S. Auguſtini, ait quod in primo Concilio Hieroſolymitano S. Petrus non tantùm præfuit, ſed etiā cunctis ſilentibus & audientibus primus ſententiam tulit, cui ſanctus Jacobus Epiſcopus Hieroſolymitanus & reliqui Patres ſe ſubmiſerunt abſque ullâ diſceptione vel reclamatione. Audi Actor. cap. 15. verſ. 12. *Tacuit omnis multitudo.* Cornelius. *Hoc ſuo ſilentio reverens Petrum, ejuſque dicta approbans, ipſius ſententiæ & definitioni acquievit, eamque confirmarunt Paulus & Barnabas narrantes quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in gentibus per eos.* Actor. cap. 15. verſ. 13. *Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus dicens, Viri fratres audite me,* verſ. 14. *Simon narravit, &c.* Cornelius. *Orſus eſt poſt Petrum primus ſententiam dicere, &c.* Hoc Concilium celebratum eſt anno 14. à Converſione S. Pauli, anno Chriſti 51. Petri Pontificis Romani anno 7. in quo agitata fuit cauſa Chriſtianiſmi contra Judaiſmum.

Act 15. v. 12. *verſ. 13.* *v. 14.*

In quarto Concilio Generali Epheſino anno 430. in quo acta eſt cauſa unius perſonæ in Chriſto contra Neſtorium, lectâ epiſtolâ decretali Cœleſtini papæ, Patres publicâ acclamatione vocarunt Romanum Pontificē cuſtodem ac conſervatorem veræ fidei. In quarto ſeu Chalcedonenſi anno 451. ſub Martiano Imperatore, in quo acta eſt cauſa duarum naturarum in Chriſto contra Eutychetem lecta eſt epiſtola Leonis I. Omnes Epiſcopi illic congregati dixerunt Petrum locutum eſſe per os Leonis, damnaruntque Dioſcorum Patriarcham, & à Concilio excluſerunt, eo quod abſque auctoritate Romani Pontificis Concilium coegiſſet ad fidei controverſias decidendas.

II. Concilium ſextum OEcumenicum celebratum Conſtantinopoli anno 680. contra Monothelitas auditā mēte Agathonis Romani Pontificis, quid credendum eſſet, ut patet Action. 1. & 8. illius Concilii, reſponderunt Patres ita eſſe. *Hæc eſt* (ſcribebat autem Agatho) *Chriſtianæ religionis vera atque immaculata confeſſio, quam non humana adinvenit verſutia, ſed Spiritus ſanctus per Apoſtolorum principem docuit, &c. Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis, & in adverſis veraciter tenuit, & defendit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erravit, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, &c. Secundùm ipſius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam ſuorum Diſcipulorum principi in ſacris Evangeliis fatus. Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus. Conſiderate itaque quoniam Dominus & Salvator omnium, qui fidem Petri non defuturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolici Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe cunctis eſt cognitum.*

III. Concilium hoc admittit & fatetur Pontificem Romanum nunquam erraſſe, nec errare poſſe. Econtra Parlamentum Pariſienſe arreſto publicato ait hanc infallibilitatem eſſe chimæram, quidam Doctores Pariſienſes ſub nomine Facultatis declarant non eſſe

doctrinam

doctrinam nec dogma facultatis, quod ſummus Pontifex nullo accedente Eccleſiæ conſenſu ſit infallibilis. Imò contra Jacobum Vernant libro de auctoritate ſanctiſſimi Patris noſtri Romani Pontificis impreſſo Metis anno 1658. ſcribentem. *Si noſtre ſaint Pere le Pape n'a pas receu de Dieu une puiſſance infaillible pour juger definitivement les difficultez, qui ſe preſentent ſur les ſaintes eſcritures, il faut changer noſtre profeſſion de Foy, & ne dire plus, que nous croyons en la ſainte Egliſe Catholique, Apoſtolique & Romaine.* Hanc declarationem ſub nomine cenſuræ profert. *Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & in fide pericoloſa.* Cui credendũ, an Conciliis illis OEcumenicis? an verò arreſto Parlamenti, & cætui aliquorum Doctorum Pariſienſium, à quo ut ipſummet Parlamentum aſſerit, extruſi ſunt Religioſi & nonnulli ſæculares Doctores, quos Parlamentum vocat *Cabale puiſſante des Moines, & de quelques ſeculiers liez aue ceux par intereſts & par faction.* Cui aſſentiri debent veri Catholici, & Eccleſiæ alumni, etiã Galli? potius Conciliorum Generalium ſententiæ, quàm arreſtis & cenſuris Pariſienſibus. Melius olim ſapuerunt Patres Concilii Provincialis Arauſicani ſecundi celebrati in Galliã anno 463. (cui teſte Baronio ad annum 463. num. 3. Ciaconio Hilario) præfuit S. Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, ducentis circiter annis priuſquam Vniverſitas Pariſienſis à Carolo Magno fundaretur) in præfatione Canonum ejuſdem Concilii præfati Patres pronuntiant. *Pervenit ad nos eſſe aliquos, qui de gratiâ & libero arbitrio minus cautè & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam ſentire velint. Vndè & nobis ſecundùm auctoritatem & admonitionem Sedis Apoſtolicæ juſtum & rationabile viſum eſt; ut pauca capitula ab Apoſtolicâ Sede nobis miſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſâ collecta ſunt ad docendum eos, qui aliter quàm oportet ſenſuerunt ab omnibus obſervanda proferre.* Expende illa verba. *Auctoritatem & admonitionem Sedis Apoſtolicæ juſtum & rationabile.* Quibus verbis Conciliũ innuit illam auctoritatem eſſe infallibilem, quandoquidem dicat juſtum & rationabile videri ab omnibus obſervanda pauca capitula quæ à ſede Apoſtolicâ illi miſſa erant, & ab antiquis Patribus collecta ſunt. *Obſerva* (inquit Baronius tom. 6. ad annum Chriſti 463. n. 12.) *Baron.* *Lector, quoniam potiori modo ſanctiſſimi, atque doctiſſimi viri ſibi dimicandũ contra adverſarios utilius, atque potentius in hoc ſacro theatro delegerint, non alio quidem, quàm more majorum, quo & prædeceſſores adverſus eoſdem hæreticos certaſſe ſcirent, nempe agendo auctoritate (ut profitentur) Apoſtolicæ ſedis, cui obniti, vel mirum admodum nefas ducerent, cui non aſſentiri id ipſum eſſe ſcirent hæreticum. Aſſenſum verò illi præbere idem eſſe Catholicum cõprobari.* Melius ſapuit Concilium alterũ Provinciale Senonenſe celebratum anno 1528. teſte Genebrardo in Clemente VII. & Onuphrio, quod infallibilitatem Romanæ ſedis extra Concilium *Concilii Senon.* agnoſcit, dum ait. *Intelleximus Lutheri libellos pernicioſos jam pridẽ cum ſuo auctore à ſanctiſsimis Pontificibus, Leone Papâ & Adriano, necnon Clemente Papâ moderno damnatos.*

IV. Melius ſapuit Congregatio Cleri Gallicani facta Pariſiis 15. Iulii anno 1653. ubi epiſtolâ communi Innocentium X. ita aſſatur. *Cleri Gall.* *Prolatum à Sanctitate veſtrâ poſtulantibus quàm pluribus Galliarum Epiſcopis decretum, quo in negotio illud obſervatione dignum accidit. Et quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſtitutionem hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X. auctoritate ſuâ praſcripſerit. Enimverò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta, quæ in decretali epiſtolâ Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein. Zozimi altera ad univerſos orbis Epiſcopos epiſtola ſubſecuta eſt Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro factâ, ſed etiam ex actis priorum Pontificũ & ex anathematiſmi adverſus*

 Apollinarium

Apollinarium & Macedonium nedum, ab ullâ Synodo OEcumenica damnatos, à Damaſo paulò antea jactis judicia pro ſanciendâ regulâ fidei à ſummis Pontificibus latâ ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſivè omittant, pro ut illis collibuerit) divinâ aquè ac ſummâ per universam Eccleſiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequio præſtare teneantur, eâ nos quoque ſententiâ ac fide imbuti Romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in ſummo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debitâ obſervantiâ colentes conſtitutionem divini Numinis inſtinctu à beatitudine veſtrâ conditam nobiſque traditam ab illuſtriſſimo Athenarum Archiepiſcopo Nuncio Apoſtolico promulgandam curabimus in Eccleſiis ac Diœceſibus veſtris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus. Comparat Innocentium X. Innocentio I, aitque quod ſicut ad relationem Epiſcoporum Africanæ Eccleſiæ Innocentius I. extra Concilium Pelagianam hæreſim auctoritate Apoſtolicâ damnavit, Innocentius X. extra Concilium poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis hæreſim oppoſitam ſcilicet Ianſenianam auctoritate ſuâ proſcripſit. Quibus & Epiſcopi Africani & Gallicani paruerunt, memores quod vètuſtæ ætatis, ideſt ſemper Eccleſia Catholica, non Concilii, ſed ſolâ Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta fuit, ideò Epiſcopi Africani captivantes intellectum in obſequium fidei Pelagianæ hæreſis damnationem abſque cunctatione, morâ, & tergiverſatione ſubſcripſerunt. Perſpectum enim habebant Romanũ Pontificem eſſe infallibilem, non ſolùm quia Chriſtus pollicitus eſt illam infallibilitatem Petro, ſed quia etiam priores Pontifices extra Concilium uſi ſunt anathematiſmo in Apollinarium & Macedonium abſque ullâ Synodo OEcumenicâ, jactâ ideſt prævià nõ Facultatis, vel Parlamenti Pariſienſis, ſed Epiſcoporum conſultatione, qui tamen Epiſcopi non reclamarunt, licet jus ad Concilium & ſuffragium deciſivum in Concilio habeant. Quare ita deciſivè & infallibiliter abſque Epiſcoporum reclamatione Innocentius I. & X. definiverunt? Quia, *Divina aquè ac ſummâ per univerſam Eccleſiam auctoritate nititur:* nõ hoc aſſeritur de Cõcilio. Subdit. *Cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoque mentis obſequio præſtare tenentur.* Vndè Clerus Gallicanus nõ petit Ianſenianas propoſitiones auctoritate Concilii condemnari, ſed Pontificis, & ut oſtendat fore infallibilem in ejuſmodi deciſione addit, *Divini Numinis inſtinctu*, pollicenturque ſe ejus deciſionẽ promulgaturos per omnes Diœceſes, Eccleſias & populos, imò contra violatores ac contumaces abſque ullo conditionis vel ſtatus diſcrimine proceſſuros. *Neque verò pœna deerunt adverſus temerarios illius violatores, quæ à jure hæreticis infliguntur juxta conſtitutionis tenorem & Breve ſanctitatis veſtræ nobis directum contumaces omnes nullo conditionum vel ſtatuum diſcrimine facto perſtringemus, præſertim cum in Galliis ad Epiſcopos in ſolidum iſtac cura pertineat, ubi nullos hæreticæ pravitatis inquiſitores conſtitui patitur, mos antiquus ex jure communi profectus. Sanè ſpondere poſſumus Beatitudini veſtræ nihil fore quod decreto Apoſtolico, noſtræq; in eo exequendo ſollicitudini moram afferre poſſit, præcipuè cum piiſſimus ac Chriſtianiſſimus Rex noſter, cui Breve Apoſtolicum, unà cum exemplo conſtitutionis Illuſtriſſimus Nuncius tradidit, interpellato quoque regiæ Majeſtatis præſidio ad illius decreti executionem edicto ſuo ad nos dato pro eâ quam debet Eccleſiæ conſtitutis tuitione, &c.* Quod ſi ex Cathedrâ ſedes Apoſtolica aliquod decretũ pronuncians falli poſſet, ſanè ejuſmodi violatores temerarii ac contumaces non eſſent cenſendi, qui illi contradicerent vel facto, vel ſcripto, vel dicto. Ex quibus patet, quàm perperàm ac injuſtè fallibilitatem ſedi Apoſtolicæ extra Cõcilium attribuant Parlamentarii & Doctores Pariſienſes.

§. 5.

Teſtantur Patres.

I. SI qui Romanorum Pontificum infallibilitatem impugnare deberent, maximè forent Epiſcopi, qui (ut dixi) jus ad Concilium habent, ac ſuffragium deciſivum in eo ferunt, & tamen primarii totius Doctores & Epiſcopi illam conſtanter aſtruunt, profitentur. Inter eos floruit quinto ſæculo Theodoretus Epiſcopus in Syriâ. *Theodor.* Hic in epiſtolâ ad Renatum Præsbyterum Romanum. *Tenet (inquit) ſancta iſta ſedes gubernacula regendarũ cuncti orbis Eccleſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permanſit*; Ideſt nullum unquam errorem ſeu hæreſim in ſede produxit. In Italiâ S. Petrus Chryſologus Epiſcopus Ravennatum *Petrus Chryſol.* ſermone 179. *Edicto Cæſaris & pagani Dominus obtemperaturus occurrit: & decreto Beati Petri principis Chriſtiani ſervus adhuc aliquis irreverenter obſiſtit.* Non dicit decreto in Concilio edito & promulgato, ſed abſolutè, quaſi diceret Chriſtus obtemperavit edicto Cæſaris non condito in Concilio ſuo Cæſareo, ſed privato, ſeu proprio motu, & ii qui profitentur ſe eſſe ſervos Chriſti & Eccleſiæ alumnos obſiſtunt ſancti Petri & ſucceſſorum decreto infallibili, illudque chymericum irreverenter vocant, prætactamque infallibilitatem aſtruentes, ſcandaloſos ac in fide periclitantes docent. Quare idem aureus Doctor epiſtolâ ad Eutychetem relatâ in primo tomo Conciliorum ante Concilium Chalcedonenſe. *Hortamur te (inquit) Frater honorabilis, ut his quæ à beatiſſimo Papâ Romanæ civitatis ſcripta ſunt obedienter attendas; quia Beatus Petrus qui in propriâ ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Pondera illa verba. *Quæ à beatiſſimo Petro papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas.* Non ait quæ in Concilio univerſali definita ſunt: ſed quæ ſcripta ſunt, non à Doctore particulari: ſed à pontifice extra Concilium decernente. Quare illius parendum ſcriptis ſeu decretis? quia eſt verus & infallibilis. Brevius Sanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis in cap. 3. epiſt. 1. ad Timotheum. *S. Amb.* *Eccleſia eſt domus Dei, cujus hodie rector eſt Damaſus.* Quaſi diceret quemadmodum Deus eſt prima veritas infallibilis; ita in domo ſuâ quæ eſt Eccleſia, non permittit ullum errorem ac præcipuè in rectore illius, alioqui ſi eſſet fallibilis brevi non domus Dei, ſed domus ſatanæ efficeretur juxta illud Sapientis Siracidis Eccleſiaſtici cap. 10. verſ. 2. *Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in eâ.* Et Claudianus,

Regis ad exemplum totius componitur orbis.

Quanti faciat infallibilitatem Romanæ Eccleſiæ expreſsè declarat lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Cujus (inquit) typum in omnibus ſequimur & formam.* Et infra. *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam.* Quod verò per Eccleſiam Romanam non intelligat Concilium, ſed Sedem Romanam patet ex libro 1. epiſt. 9. quam refert Baronius tomo 6. ad annum Chriſti 589, ubi monet Theophilum Patriarcham Alexandrinum delegatum à Concilio Capuano ad pacificandum ſchiſma Eccleſiæ Antiochenæ, & hortatur nè quidquam determinet abſque auctoritate Sedis Romanæ, promittens ei proſperum hujus legationis ſucceſſum, ejuſque judicium ab omnibus recipiendum modò fuerit approbatũ à Sede Apoſtolicâ.

Sanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Angliâ lib. de Incarnatione cap. 1. epiſtolam dedicatoriam ſic auſpicatur. II. *Anſelm.* *Domino & Patri univerſæ Eccleſiæ in terrâ peregrinantis ſummo Pontifici Vrbano. Divina Providentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſiâ, ut ejus auctoritate corrigatur, nec ulli alii tutius. Si quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, ut ejus prudentiâ examinetur.* Expende illud *rectius*, ſcilicet quam Concilium. Item. *Si quid contra Catholicam fidem*

oritur in Eccleſia, cujus auctoritate corrigatur. Non dicit Concilii, ſed ejus ſcilicet Vrbani. Idem epiſt. ad Wilelmum Abbatem Hirſaugienſem apud Trithemium in Chronico. *De Prasbyteris* (inquit) *qui ſe apertè reprobos libidinis commercio Deo execrabiles exhibent omninò tenendum eſt, quod Apoſtolica providentia Eccleſiaſtico juſtoque rigore conſtituit, nempè nullatenus convenit, ut ibi reverenter aſtetur, ubi pertinaciter apertâ & impudenti libidine fœtentes Dei & ſanctorum prohibitionem contemnendo ſacris altaribus deſerviunt, &c.* Ibi Apoſtolicæ providentiæ artribuit ejuſmodi diſcolorum correctionem.

III. *Victor Carth.* Quod ſi in Africam pedem inferamus ibi inveniemus infallibilitatis Apoſtolicæ propugnatores. Victor Epiſcopus Carthaginenſis epiſtol. ad Papam Theodorum inſertâ Concilio Lateranenſi. *Veſtrum eſt canonicâ diſcretione ſollicitè contrariis Catholicæ fidei dogmatibus obviare, nec permittere noviter dici quod Patrum venerabilium auctoritas omnimò non cenſuit.* Dicit *Veſtrum eſt*, ſcilicet extra Concilium, &c. Clarius S. Cyprianus lib. 1. epiſtol. 3. *Cyprian.* *Non aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm indè quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* Ibidem. *Navigare audent ad Petri Cathedram, & Eccleſiam principalem, &c. Nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia habere non poteſt acceſſum.* Vocat ſedem Apoſtolicam *Petri Cathedram*, Quæ caret infidelitate, ſeu errore in fide. Idem lib. 4. epiſt. 2. ait eam fuiſſe Cornelii papæ infallibilitatem ac cõſtantiam, ut nec minis, nec blanditiis, nec terroribus, nec tormẽtis potuerit à vera fide dimoveri. *Quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus, quantum animi robur! qualis firmitas fidei! ſediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali Cathedra eo tempore cum tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cum multò patientius & tolerabilius audiret levari adverſum ſe æmulum principem, quam conſtitui Romæ Dei ſacerdotem.*

IV. Sed præcipuè examinanda eſt doctrina Sancti Auguſtini, cùm enim nihil ignorarit eorum quæ ad Eccleſiaſticam Monarchiam ſpectant, indubiè de hoc argumento ſuam mentem aperit ſerm. 2. de verbis Apoſtoli differens de hæreſi Pelagianâ damnatâ ab Innocentio papâ ſub finem concionis hæc verba habuit. *Auguſt.* *Iam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, indè etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, utinam finiatur & error.* Particulæ *cauſa finita eſt*, denotant illam controverſiam determinatam fuiſſe à Romano Pontifice ſedente in Cathedrâ. Cùm verò Pelagiani quidam ſuis aſſeclis perſuaderent quoſdam Epiſcopos importunè & artificiosè fuiſſe ſeductos ab Auguſtino, ut nomine Eccleſiæ Africanæ ſcriberetur Innocentio papæ, ac contenderent negotium tanti momenti agitari & definiri debere non à Pontifice Romano, ſed à Concilio. Illis ſanctus Auguſtinus lib. 6. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. ultim. ait *Quaſi nulla hæreſis aliquando niſi à congregatione Synodi damnata ſit cùm potius rariſſimè inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit.* Additque. *Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantùm ſe extollit adverſus Deum, ut nõ in illo velit, ſed potius in libero arbitrio gloriari. Hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis atque Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Deo iis reſiſtente pervertere nequeunt; ſaltè commovere conantur. Cum potius vigilantia & diligentia paſtorali poſt factum illis competens ſufficiensque judicium, ubicumque illi lupi apparuerint, conterendi ſunt, ſivè ut ſanentur atque mutentur, ſivè ut ab illorum ſalute atque integritate vitentur.* Quibus verbis innuit quod ſi iſti lupi ſeu hæretici adhuc plebem pervertere nitantur, debeant vigilantiâ & diligentiâ paſtorali Papæ judicari, & judicati, conteri, ideſt excommunicari, ſivè ut ipſi ſalventur, ſivè ut ab aliis vitentur. Idem ſcribens Innocentio papæ epiſtol. 9. *Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortaſſe correcturus eſt (quod utinam ita ſit) ſed tam multis loquaciter contendentibus, et infirmas atque ineruditas animas*

animas, velut convictas trahentibus, firmas autem & in fide ſtabiles ipſâ contentione fatigantibus, quibus uſquequaque, quæ jam plena ſunt omnia; aut ergò à tuâ veneratione acciendus eſt Romam & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, quâ fatentur, ad non peccandum, juſtèque vivendum homines adjuvari, aut hoc ipſum cum eo per litteras agendum. Cur ait *à tuâ veneratione acciendus eſt Romam, &c?* Niſi quia Sedes Romana à fide deficere nequit, ſed à fide deflectentes in viam ſalutis ab eâ reducuntur. Id clarius explicat epiſt. 92. ſeu ſynodali, quam nomine ſexaginta Epiſcoporum congregatorum in Concilio Milevitano ſcribit Innocentio I. rogans eum, ut hæreſim Pelagianam exterminare dignetur. *Quia te Dominus gratiæ ſuæ munere in ſede Apoſtolicâ collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quæ ea tu poſſis, vel faſtidiosè, vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem negligentiam quæſumus adhibere digneris: Novâ quippè hæreſi, & nimium perniciosâ tentat ſurgere inimicorum gratiæ Chriſti, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis diſputationibus conantur auferre.* Ecce quomodò ſanctus Auguſtinus nomine Patrum Concilii fatetur Romanum Pontificem in Cathedrâ Apoſtolicâ ſedere, & ſe culpabilem fore, ſi moroſus fuerit, ac neglexerit illum infamare de iis erroribus quibus Pelagius Eccleſiam labefactare conatur, ut iis Pontifex pro paſtorali ſuâ curâ oportunum remedium afferat. Tandem epiſt. 193. monet Optatum Epiſcopum, ut non permittat ſe ſeduci novitatibus illius temporis, undè pro antidoto ac præſervativo ei tranſmittit decreta Innocentii & Zozimi Pontificum cōtra iſtos errores, premitque verba epiſtolæ decretalis Zozimi. *In his verbis Apoſtolicæ ſedis tam antiqua atque laudata certa & clara eſt fides, ut nefas ſit de illâ fide dubitare.* Non dicit in his verbis Concilii, ſed *Sedis Apoſtolicæ*, quæ dum aliqua è Cathedrâ credendum proponit, de eo certa & clara eſt fides, ita ut crimen ſit de eo dubitare, vel in alteram & oppoſitam partem claudicare.

V. S. Hieronymus Dalmata, conditione quidem Præsbyter, ſed ſcientiâ Doctor eruditiſſimus, & meritò Epiſcopus, quandoquidem eum ſummi Pontifices conſulerint, epiſt. 57. ad Damaſum de ejus infallibilitate hoc teſtimonium profert. *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe & populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquā non habent, difficile ubi fons ſignatus et hortus ille concluſus ſit poſſit intelligi: ideò mihi Cathedram Petri & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendum. Indè animæ meæ poſtulans cibum, undè olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi.* Cur potius ad Romanum Pontificem recurris, quàm ad Præſulem Antiochenum, cùm in ejus Diœceſi, & ſolitudinibus vitam agas, teſte Baronio ad annum Chriſti 371. num. 173, quia eſt Petri ſedes ex quâ ſolâ Divini Numinis oracula panduntur. *Ego* (inquit) *nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri cōmunione conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio, quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt, ſi quis in arcâ Noé non fuerit, peribit regnante diluvio, &c.* Infra. *Non novi Vitalem, Melitum reſpuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, diſpergit; hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Cur potius ait diſpergi eos, qui cum Damaſo non colligunt, cur eos vocat Antichriſtianos, & non Chriſtianos, qui non adhærent Damaſo? niſi quia infallibilis eſt in ſuis decretis. Undè concludit. *Diſcernite ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis.* Ideſt ſicut in tuis decretis errare non poteſt, ſic illis obtemperans & fidem adhibens errare non potero. *Obteſtor beatitudinem tuam per Crucifixum mundi ſalutem, per homonſion Trinitatem, ut mihi epiſtolis tuis, ſivè tacendarum, ſivè dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas, &c.* Quid ad hæc

Hieron.

Doctores

Doctores Pariſienſes reſpondebunt? temerarium ac ſcandaloſum, & in fide periclitantem Hieronymum judicabunt, qui tam conſtanter ſedis Apoſtolicæ infallibilitatem non chimæricam, ſed veram aſtruit? Nè quis fortè objiciat S. Hieronymum potius oratorio vel adulatorio more ſcribere, quàm vero, audiamus quid idē ſcribat lib. 3. contra Ruſſinum. *Innocentem te vocas, qui accuſatus reſpondere nō audes, & tantum Romanæ urbis judicium refugis, ut magis obſidionem Barbaricam, quàm pacatæ urbis velis ſententiam ſuſtinere.* Vocat Romanæ urbis ſeu ſedis Apoſtolicæ non opinionem habentem objectum probabile: ſed judicium, ſententiam, à quâ non datur *Appellatio*, quæ controverti non poteſt, nec debet.

VI. Eccleſię Luſitanię eandē ſedis Apoſtolicę ſententiā tam infallibilem crediderunt ut ad eam ſolum recurrendū eſſe exiſtimarunt. Cùm in Provinciâ Galliciæ ſub Ioanne III. Pontifice nonnulli Epiſcopi congregati eſſent ad detegendos errores Priſcinaniſtarum, qui in Hiſpanias irrepſerant, ac ad reformandos quoſdam abuſus cōtra diſciplinā Eccleſiaſticam in civitate Bracharenſi, præfuit Cōcilio Lucretius ejuſdem civitatis Archiepiſcopus ſedis Apoſtolicæ Legatus, quod his verbis auſpicatus eſt tomo 5. Conciliorum in Concilio Bracharenſi. *Eo tempore, quo in his regionibus Priſcilianiſtæ ſectæ venena ſerpebant, beatiſſimus Papa urbis Romanæ Leo, qui quadrageſimus ferè Apoſtoli Petri ſucceſſor per Turibium Notarium Sedis ſuæ ad Synodum Galliciæ contra impiam Priſciliani ſectam ſcripta ſua direxit.* Canone 22. ejuſdem Synodi, ſi quam reformationem firmam condant, fatentur ſe illum auctoritate Sedis Apoſtolicæ præſtare. *Placuit ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quomodò Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſâ Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcepit.* Et canone 37. *Item placuit ut nullus eum baptiſandi ordinem prætermittat, quem & ante tenuit Metropolitana Bracharenſis Eccleſia, & pro amputandâ aliquorum dubietate prædictus Profuturus Epiſcopus ſcripſum & ſibi directum à ſede beatiſſimi Petri Apoſtoli ſuſcepit.* Illâ particulâ *dubietate* innuit totam firmitatem ac infallibilitatem canonis iſtius procedere à ſede Apoſtolicâ B. Petri. Cùm verò aliqui ſacros Canones vellent innovare, Epiſcopi Provinciæ Tarraconenſis ſcripſerunt ſancto Simplicio Papæ teſte Baronio tomo 6. ad annum 465. num. 22. *Nos Deum in nobis primitus adorantes, cui ſine quærelâ ſervitis ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatum, indè reſponſa quærentes, undè nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione percipitur.* Dicit *nihil errore*, ut oſtendant ſe credere Sedis Apoſtolicæ infallibilitatem.

Quod Eccleſiæ Orientalis Præſules eandem infallibilitatem aſſeruerint patet ex epiſtolâ quam Epiſcopi Cypri unitim ſcripſerunt Theodoro papæ per Sergium illius regionis Metropolitanum, teſte Baronio tomo 8. ad annum 643. *Sanctiſſimo & Beatiſſimo à Deo Honorabili Domino meo Patri Patrum Archiepiſcopo, & univerſali papæ Theodoro, Sergius humilis ſalutem in Domino. Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque formam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſtituit (ô ſacer vertex) Chriſtus Deus noſter. Tu enim es ſicut divinum veraciter pronunciat verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ cōfirmatæ ſunt tibi, & claves cœlorum commiſit, atque ligare & ſolvere poteſtativè quæ in terrâ & in cœlis ſunt promulgavit. Tu prophanarum hæreſeon depoſitor exſtitis, & Princeps, & Doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei. Igitur non deſpicias Patrum tuorum Pater fidem æſtuantem, & ab antiquis hæreticis ventis violentatam, necnon periclitantem, reſolve nebulam inſipientium lumine tuæ divinæ ſcientiæ. O ſanctiſſime abſcinde blaſphemias, & jactantiam vaniloquiorum noviter emergentium hæreticorum Doctorum.* Nihil clarius dici poteſt ad commendandam infallibilitatem ſedis Romanæ extra Concilium. VII. *Epiſcopi Cypri*

Epiſcopi provinciæ Epiri eandem infallibilitatem Apoſtolicam extra Concilium profeſſores fuiſſe patet ex eorum epiſtolâ ad Hormiſdam Pontif. VIII.

Romanum

Romanum. *Synodus veteris Epiri Matthaus, &c, Domino noſtro per cuncta ſanctiſſimo, & beatiſſimo Patri Patrum cõminiſtro, & principi Epiſcoporum Hormiſda Papa.* Et in fine. *Venerabilem verè Diaconum Ruffinum, ad vos directũ libenter reſpicite, & ad nos ſub velocitate remittite reportantem doctrinas veſtras Apoſtolicas.* Ita Baronius §. 15. tomo 6. Non dicit opiniones veſtras ſed *doctrinas.* Apud eundem Baroniũ ibidem. Archiepiſcopus Nicopolitanus in ſuâ profeſſione fidei tranſmiſsâ ad eundem Pontificem inter alia aſſerit, ſe inter tot hæreticorum contradictiones decreviſſe firmiter inhærere doctrinæ Romani Pontificis.

IX. Dum Eccleſia Orientalis tempore Anaſtaſii Imperatoris variis erroribus contaminaretur, ut Epiſcopi Dardaniæ ejuſmodi peſtem à ſuis Diœceſibus averterent, communem hanc epiſtolam Gelaſio papæ ſcripſerunt, quam refert Baronius tomo 6. ad annum 492. *Domino ſancto, Apoſtolico, & beatiſſimo Patri Patrum Gelaſio papæ urbis Romæ humiles Epiſcopi Dardaniæ ſaluberrima Apoſtolatus veſtri præcepta Triphone viro Religioſo, filio noſtro deferente, quâ oportet devotione ſuſcepimus, & maximo Deo omnipotenti, & beatitudini veſtræ referimus gratias, quod nos paſtorali admonitione & Evangelicâ doctrinâ viſitare dignatus es.* Nota particulas illas. *Evangelicâ doctrinâ.* Quibus comparat decreta pontificia Evangelio. Quia quemadmodum Evangelium ex dictamine Spiritus ſancti exaratum eſt, ſic doctrina, quã docet Sedes Apoſtolica ab inſtinctu Spiritus ſancti procedit. Subdit. *Domine ſancte, Apoſtolice, & beatiſſime Pater patrum: deſiderii enim & voti noſtri eſt juſſionibus veſtris in omnibus obedire, & quemadmodum è Patribus noſtris accepimus ſedis Apoſtolicæ, quæ vita & meritis veſtris dilata eſt præcepta intemeratè ſervare, atque religionem orthodoxam, cujus eſtis prædicatores, fideli & inculpatâ devotione cuſtodire, &c. Et ſi, qui pravâ intentione (quod neque arbitramur, neque optamus) à Sede Apoſtolica ſe crediderunt ſegregandos, ab eorum nos alienos eſſe conſortio profitemur, quoniam (ut dictum eſt) Patrum in omnibus cuſtodientes præcepta & inviolabilia ſacroſanctarum Canonum inſtituta ſectantes, Apoſtolicæ & ſingulari illi ſedi veſtræ communi fide & devotione parere contendimus.* Gelaſius papa ſpectatâ horum Epiſcoporum tam humili ſubmiſſione, pro paternâ ſuâ ſollicitudine & affectu in hæc verba reſcribit, teſte eodẽ Baronio ad annum Chriſti 495. *Nec prætterimus quod Apoſtolica ſedes (ut dictum eſt) more majorum etiam ſine ullâ Synodo præcedente, & abſolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi nullâ exiſtente Synodo, quos oportuit habere facultatem.* Quibus verbis ſignificat Sedem Apoſtolicam eſſe magis infallibilem quàm Concilium, quandoquidem poſſit corrigere, emendare, damnare quæ à Concilio ordinata & decreta ſunt.

Quamvis Eccleſiæ Græcæ varias prærogativas Deus contulerit, tamen ipſamet fatetur infallibilitatem nunquam defuiſſe, nec defuturam Eccleſiæ & Sedi Romanæ. S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vitâ ſuâ ante medium, *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper retinet ſicut decet urbem, quæ toti orbi præſidet, ſemper de Deo integram fidem habere.* Quamvis Patriarchæ Cõſtantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus ſpecialem primatiam præ reliquis Archiepiſcopis ſibi arrogent, nihilominus Sedi Romanæ infallibilitatem profeſſi ſunt. Nam Baronius tomo 7. ad annum 553. narrat quod Vigilius papa, ut Eccleſiæ Orientali turbatæ ſuccurreret profectus Conſtantinopolim ubi Mennas Patriarcha cum Theodoro Epiſcopo Cæſarienſi & aliis Prælatis poſtquam declararunt ſe recipere quatuor prima Concilia Generalia. *Univerſa* (inquiunt) *quæ ab iiſdem Synodis communi conſenſu cum Vicariis ſedis Apoſtolicæ judicata aut definita, vel conſtituta, ſive diſpoſita, certa inveniuntur irretractabiliter, atque impermutabiliter conſervamus; ſed & beatæ recordationis papæ Leonis epiſtolas, & ſedis Apoſtolicæ conſtituta, quæ tam de fide quàm de firmitate ſupradictarum quatuor Synodorũ proceſſerunt, nos in omnibus ſecuturos, ſervaturosq;* X.

vaturosque promiſimus; anathematiſantes omnem hominem ad ordinem & dignitates Eccleſiaſticas pertinentem, quæcumque contra ea, quæ ſuperius promiſimus ſub qualibet occaſione vel altercatione venire tentaverit. Quibus verbis innuunt, quod ſi quæ firmitas & fides ineſt quatuor primis Conciliis, procedit ab approbatione & confirmatione Romani Pontificis. Eutychius ſucceſſor Mennæ cum Patriarchis Antiocheno & Alexandrino, aliiſque Præſulibus ſimilem proteſtationem ediderunt his verbis (inquit Baronius ſupra.) *Suſcipimus & amplectimur epiſtolas Præſulum Romanæ ſedis Apoſtolicæ, tam aliorum, quàm Leonis ſanctæ memoriæ de rectâ fide ſcriptas.* Cur profitentur ſe ſuſcipere & amplecti epiſtolas Romanorum pontificū? quia credunt illis ineſſe infallibilitatem. Fusè ſanctus Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus homilia 3. in Matthæum de fide Petri & ſucceſſorum, hæc pronunciat. *Non dixit non negabis, ſed ut non deficiat fides tua: curâ enim ipſius & favore factū eſt, ut omninò Petri fides non evaneſceret.* Ideò ut Petrus & ſucceſſores ejus nunquam errarent in fide. Et noſter S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus apud D. Thomæ catenam in cap. 16. Matthæi. *Secundùm hanc promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione & hæreticâ circumventione manet immaculata, &c.* Quaſi diceret, Hieroſolymitana ſedes non eſt immaculata & infallibilis, quandoquidē in eà ſederint Eutychius, Irenæus, & Hilarius Ariani. Nec Conſtantinopolitana, cùm in eâ ſederint Macedonius, Neſtorius, Sergius hæreſiarchæ. Nec Alexandrina cùm in eâ ſederint Georgius & Lucius Ariani, Dioſcorus, Eutychius, Cyrus Monothelitarum pravis dogmatibus irretiti. Nec Antiochena cùm in eà ſederint Paulus Samoſatenus Hæreſiarcha, Petrus Gnaphus Eutychianus, Macharius Monothelita, & alii. Cum ut *Secundum hanc promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri, &c.* Hæc verba de Romanâ ſede intelligenda eſſe tradit Ruffinus in expoſitione Symboli. *In Eccleſia urbis Romæ neque hæreſis ulla ſumpſit exordium & mos ibi ſervatur antiquus.* De ejuſdem ſedis infallibilitate Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus à perfido Photio deturbatus apud Baronium tomo 10. ad annum Chriſti 867. hoc verborum tenore Nicolao I, ſcribit de ſtatu Eccleſiæ Orientalis: *Horum vulnerum atque livorum, qui in membris hominum conſiſtunt multos medicos protulit ars. Hanc quidem paſſionem alio accipiente, & alteram altero, & per experientiam amputante: eorùm verò quæ in membris ſunt Chriſti Dei & Salvatoris omnium noſtrûm, capitis & ſponſi Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ unum & ſingularem præcellentem atque Catholiciſſimum medicum ipſe princeps & fortiſſimus ſermo; & ordinator & curator, & ſolus ex toto Magiſter Dominus omnium produxit, videlicet tuam fraternitatem & paternam almitatem, propter quæ dicit Petro magno & ſummo Apoſtolorum. Tu es Petrus &c. Tales enim beatas voces, non ſecundùm quandam utique ſortem Apoſtolorum Principi ſolùm circumſcripſit & deſtinavit, ſed per eum ad omnes, qui poſt illum ſecundùm ipſum efficiendi erant ſummi Paſtores, & diviniſſimi ſacrique Pontifices tranſmiſit. Et ideò ab olim & priſco tempore in exortis hæreſibus & prævaricatoribus, eradicatores & interemptores majorum zizaniorum & tabefactorum penitus inſanabiliter ægrotantium membrorum multoties facti ſunt, eorum qui ſanctitatem & ſummam paternitatem tuam illic præceſſerunt ſucceſſores.* Ait pontifices Romanos factos eſſe extirpatores & interemptores malorum zizaniorum & tabefactorum penitus inſanabiliter ægrotantium membrorum in exortis hæreſibus non tantùm in conſeſſibus & conciliis, ſed etiam extra.

Producam hic unicum ex Germaniâ S. Bonifaciū illius Apoſtolum, qui XI.
ſuper variis quæſtionibus recurrit ad ſedem Apoſtolicam, ut patet ex Gregorio III. epiſtol. 7. Zachariâ pontifice epiſt. 9, 10. & 12. Illi ſubſcribens Rupertus Abbas lib. 2. cap. 3 *Roma eò quod Beati Principis Apoſtolorum facta ſit cunctis Eccleſiis caput altius extulit, latiuſque dominatur per omnes gentes ſacra Pontificum ejus lingua, quam dominata*

minata fuerit Caſarum, ſive Auguſtorum ejus purpura. Ait linguam Romanorum Pontificum latius dominari, potentius imperare, efficacius regere, quàm olim Cęſarū purpura & gladius imperarit. Cùm enim etiam extra Concilium aliquid credendum & obſervandum imperat, id infallibiliter præſtare exiſtimandum eſt, & ideò abſque diſcuſſione & contradictione ſuſcipiendum eſt.

XII. Hiſpani circa annum 237. pontificiam reſolutionem poſtularunt, an eſſet licita Epiſcoporum de unâ ſede ad alteram tranſmutatio. Quibus reſpondit Anicetus epiſt. ad Epiſcopos Provinciæ Bœticæ. Item an Chriſtus ſalvâ utriuſque naturæ proprietate verus Deus & verus homo eſſet, ita (inquit Eutychianus) ep. 1. Ex Anglis Hubertus Epiſcopus Cantuarienſis inſtat apud Cœleſtinū III. ut judicium ferat ſuper vota peregrinationis plurium Anglorum ad Terram ſanctam, & quibus caſibus poſſent excuſari. Cui reſpondet Cœleſtinus epiſtolâ datâ anno 1196. Joannes VIII. creatus pontifex conſulitur ab Ederedo Archiepiſcopo Angliæ anno 872. Gregorius I. ſolvit epiſt. 11. quæſtionem an Neophyti, qui ante ſuſceptionem fidei erant conjuncti in gradu prohibito, illa ſuſcepta ſint ſeparandi, & quot neceſſarii ſint jure communi Epiſcopi ad alterius conſecrationem. Item an & quando nonobſtante copula carnali liceat eodem die ad ſacram Synaxim accedere. Cujus definitioni S. Auguſtinus Anglorum Epiſcopus ſe ſubmiſit. Bulgari pluſquā centum articulos reſolvendos propoſuēre Nicolao I. qui reſpondit ad ejuſmodi conſulta. Epiſcopi Britanniæ poſtulant à Leone IV. ut patet ex epiſtola 1. & 2. an divinationes ſunt licitæ. Epiſcopi Burgundiæ, & Gallo-Belgii tranſmiſerunt Abailardi ſcripta ad Innocentium ut judicem ultimum. Vide Sanctum Bernardum epiſt. 190.

XIII. Audiamus quid ipſi Jacobitæ de Romanæ ſedis infallibilitate cenſeant Ignatius eorum Patriarcha apud Odericum Raynaldum ad annum 1247. num. 40. in ſua profeſſione ad Romanum pontificem. Hæc inter alia ſcribit. *Concordamus cum beato Petro, & confitemur eum eſſe fundamentum Eccleſiæ, ſicut nominavit eum Chriſtus petram, dicens, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et ideò Eccleſia, in qua eſt corpus ejus repoſitum, eſt mater omnium Eccleſiarum in univerſo mundo, & dicimus & prædicamus, quod ipſa eſt lampas lucens, ex quâ omnes aliæ lampades ſuccenduntur.* Ingenuè fatetur Romanum pontificem eſſe lampadem, quæ lumine veræ doctrinæ alias lampades ſcilicet Eccleſias & ſedes illuminat, diſſipat omnes errorū nebulas, ita ut de eodem idem dici poſſit, quod ſapiens Siracides de ſancto parente Eliâ ait. *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 1. Ecce quomodò nationum omnium Patres & Præſules unanimiter admittant Romanæ ſedis infallibilitatem, quam tamen negat Parlamentum Pariſienſe cum aliquibus Doctoribus: quia (inquit) eſt contra libertatem Eccleſiæ Gallicanæ & antiquam doctrinam. Videamus doctrinam Patrum antiquorum Eccleſiæ Gallicanæ.

Oderic.

Eccli. c. 48. v. 1.

S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis qui floruit ſæculo ſecundo lib. 12, cap. 13. ita de ſede Apoſtolicâ Romanâ loquitur. *Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, quia ſunt undique fideles, in quâ ſemper ab his qui ſunt undique conſervata eſt ea, quæ ab Apoſtolis traditur.* Non dicit ad Concilium neceſſe eſt omnem cōvenire Eccleſiam & omnes fideles, ſed ad hanc Eccleſiam Romanam. docetque hunc morem conſervatum fuiſſe ut potè traditum ab Apoſtolis, qui ſemper recurrerunt ad Petrum in ſuis decretis infallibilem. Eodem ſæculo controverſiam de uſu eſcarum à Mōtano prohibitarum detulerunt ad Eleutherium, ut patet ex epiſt. Eleutherii ad Epiſcopos Galliæ. XIV.

Irenæus.

Sœculo tertio Epiſcopi Galliarum nonobſtantibus temporum ac locorum difficultatibus & injuriis, non ad aliquem principem Laicum vel Eccleſiaſticum recurrerunt, vel conſu- XV.

luerunt in rebus dubiis cōcernentibus ſtatum religionis orthodoxæ, ſed ſanctum Calixtum papam & Martyrem: quibus hic reſpondit hac decretali. *Dilectiſſimis fratribus per Gallias conſtitutis univerſis Epiſcopis Calixtus plurimo: um relatu comperimus dilectionem*
Calixtus *veſtram fervore Spiritus ſancti, ita Eccleſiæ gubernacula firmiter contra impetus tenere, ut naufragia, aut naufragiorum detrimenta Deo auctore non ſentiat. Talibus igitur gloriantes, rogamus nè in illis partibus contra ſtatuta Apoſtolica quidquam fieri ſinatis: ſed noſtrâ fulti auctoritate nociva compeſcite, illicita prohibete.* Cur non dicit contra Statuta vel Canones Conciliorum: ſed ſolùm ſtatuta Apoſtolica? Vt innuat hac abſque Conciliis firma & infallibilia eſſe, ut patet ex his verbis ſequentibus noſtrâ fulti auctoritate, unde concludit. *Conſultis veſtris breviter reſpondimus; quia oppreſſos nimis & præoccupatos aliis judiciis litteræ nos invenerunt.* Reſpondet ex cathedrà, ut innuit particula *judiciis*. Iudicia & abſoluta, & non pronunciántur niſi ex Cathedra. Idem præſtitit eodem ſæ-
Lucius. culo Lucius papa Martyr, ut teſtatur epiſtola decretalis ad Epiſcopos Galliæ. *Dilectiſſimis* (inquit) *fratribus Epiſcopis in Domino ſalutem, litteræ dilectionis veſtræ, quas ad beati Apoſtoli ſedem pro veſtri cauſâ negotii miſiſtis libenter ſuſcepimus. Sed de veſtris afflictionibus non modicè contriſtati ſumus. Significaſtis enim vos tam à quibuſdam non rectam fidem tenentibus, ſed erroribus implicitis, quam & ab aliis eos imitantibus perſequi & infamari, atque veſtras Eccleſias ſuis dotibus, & fidelium obſervationibus ſpoliari, veſtroſq; miniſtros minis vexari, & ideò multos à vobis & à rectâ fide diſcedere.* Propter hoc omnibus articulis ſibi propoſitis reſpondit, præſcripſitque quid faciendū ſit, ſuam infallibilitatem his verbis declarās. *Quoniam & Salvator omnium cujus fides eſt, qui pro nobis mori non dubitavit, & proprio ſuo nos redemit ſanguine, fidem Beati Petri non defuturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum.*

Quarto ſæculo S. Euſebius I. papa XVI.
S. Marcelli ſucceſſor ſimilem decre- *Euſebius*
talem epiſtolam 1. Epiſcopis Galliæ ſcribit, ſub cujus finem his egregiis verbis ſuam infallibilitatē cōmendat *Scitote chariſſimi pro eâ pietate, quæ vobis Dei famulis impendenda eſt omnes ſuggeſtiones veſtras fidei Catholicæ profuturas me dignanter ſuſcepiſſe: ut ipſarum operâ pax Chriſtiana reparari & error impius poſſit aboleri. Etſi amplius de talibus, aut de his ſimilibus aliquid fuerit deliberandum celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractatâ qualitate horum, noſtra quid obſervari debeat, ſollicitudo conſtituat.* Ait non à Concilio ſed à tuâ ſollicitudine, quid obſervari debeat, conſtitui contra quod Epiſcopi Galliæ non reclamant. Melchiades ad Epiſcopos Galliæ c. 2. reſolvit difficultatem an Sacramentum in poſitionis manuum ſit majus baptiſmo.

Quinto ſæculo S. Leo papa (ut pa- XVII.
tet ex manuſcriptis Eccleſiæ Arela- *S. Leo.*
tenſis & Baronio ad annum 450.) eandem infallibilitatem Apoſtolicam aſſerit epiſt. 120. Ravennio Archiepiſcopo Arelatenſi ſcribens. *Dilectiſſimo fratri Ravennio Leo papa. &c. Fidei, quæ tunc quorundam errore vexata eſt ratio poſtulabat. Volumus enim eos intereſſe tractatui, & univerſa cognoſcere, quæ per te cupimus ad omnium fratrum & conſacerdotum noſtrorum notitiam pervenire. Chariſſima hæc dilectioni tuæ ſpecialiter delegantes, ut ſollicitudine vigilantiæ tuæ epiſtola noſtra, quam ad Orientem pro fidei defenſione direximus univerſis fratribus innoteſcat.* Non ait Ravennius, cur pro fidei defenſione non cupis Concilium? quia ſufficit epiſtola decretalis, ad quam reſpondent quadraginta quatuor Epiſcopi Galliæ, epiſtolâ inſertâ poſt epiſt. 51. S. Leonis. *Domino verè ſancto, meritò in Chriſto beatiſſimo & Apoſtolico, honore digno, venerando Leoni Papæ Ravennius, &c. Perlata eſt ad nos epiſtola beatitudinis veſtræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei aſſertione miſiſtis. Optaſſemus, & ſtatim Apoſtolatui veſtro pro tam immenſo munere gratiarum actionem referre, niſi nobis difficultatem quam in unum non potuimus convenire, vel ſpatia quibus à nobis diſparati ſumus*

longa

longa terrarum, & aurarum, quæ in regionibus præter conſuetudinem fuit intemperior attuliſſet. Infra. *Multi quoque in eâ gaudentes pariter & exultantes recognoverunt fidei ſuæ ſenſum, & ita ſe ſemper ex traditione Patrum tenuiſſe, ut veſter Apoſtolatus expoſuit jure lætantur. Nonnulli ſollicitiores facti beatitudinis veſtræ admonitione perceptâ modis omnibus ſe congratulantur inſtructos, datamque ſibi occaſionem gaudendi, quâ liberè aut fiducialiter ſuffragante etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate eloquantur, & aſſerat unuſquiſque quod credit.* Non dicunt ſuffragante Concilii auctoritate, ſed *Sedis Apoſtolicæ auctoritate.* Paulò poſt. *Doctrina poſt Deum veſtra debet quiſque fidelis, ut conſtanter teneat, quod credebat, debet etiam infidelis, ut à perfidiâ ſuâ agnitâ veritate diſcedat, & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur, & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Jeſus Chriſtus de Sacramento Incarnationis ſuæ docet, quam id teneat quod Diabolus humanæ ſalutis & veritatis inimicus inſtillat.* Cur aiunt Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus? Vt doceant non Conciliorum, ſed Apoſtolicæ ſedis inſtitutionem ſufficere ad detergendas ſordes ac diſſipandas errorum tenebras. Addunt. *Per os veſtrum Dominus Ieſus-Chriſtus de ſacramento Incarnationis ſuæ docet.* Vt ſignificet decreta Pontificia eſſe infallibilia, quandoquidem Deus infallibilis per os pontificis & Dominus noſter Jeſus Chriſtus docere cenſetur. Cretius, Salonius, & Veranus 44. Epiſcopis præfatis ſubſcribentes, ita (inquit Baronius anno 449. & ut refertur epiſt. 98. S. Leonis papæ) ſuam ergà ſedem Apoſtolicā ſubmiſſionem patefaciunt. *Si dignanter admittis deprecamur, ut opus & præſentibus & futuris ſæculis profuturum, quod nos aſſervandi ſtudio foliis mandare curavimus, Sanctitas veſtra percurrere, &c. dignetur, &c. multi ex laicis filii veſtri, qui epiſtolam illam magnoperè pro veritatis manifeſtatione deſiderant remiſſam ad nos & ſanctâ manu veſtrâ emendatam tranſcribere, legere & tenere mercantur.* Vocat manum Apoſtolicam ſanctā ideſt infallibilem. Vndè Meritò Baronius ſupra egregiam hanc annotationem facit. *Conſideraſtinè in his Lector candorem fidei Eccleſiæ Gallicanæ, cùm licet doctiſſimi eſſent Epiſcopi, eandem encyclicam epiſtolam exſcribentes timuerant, nè vel in apice uno à fide ſcripta à Romano Pontif. diſcreparent, tantus enim apud eos vigebat apud ſupremū Antiſtitem cultus & obſervantia, ut ab ipſius decretis vel tenui lineâ declinare ducerent eſſe ſacrilegium atque impium, & à veritate omninò deficere.* Baron. Idem animadvertit tomo 5. ad annum 406. num. 47. de S. Exuperio Archiepiſcopo Tholoſano & ſancto Victricio Archiepiſcopo Rothomagenſi. *Primùm (inquit) putarunt ſedem Apoſtolicam conſulendam eà nimirùm ex cauſâ, quod ſcirent abſque aliquâ dubitatione eſſe in Eccleſiâ Catholicâ ubique ſervandum quod ab Apoſtolicâ ſede noſceretur eſſe ſervatum & cuſtoditum, à cujus deſciſcere velle decretis, & communione ſejungi, idem planè eſſet quod in caſtris hæreticorum aut ſchiſmaticorum profiteri.* Eos qui ab ejus decretis ſejunguntur ait non eſſe abſimiles hæreticis & ſchiſmaticis: quam particulam infra aſſumit ad probandam ſedis Apoſtolicæ infallibilitatem. *Sic igitur idem ſanctiſſimi atque doctiſſimi Galliarum Epiſcopi licet optimè noſſent (ut Innocentius ipſe in redditis ad eos epiſtolis teſtatur) ea quæ Romanorum Pontificem rogarent, tamen quod certò ſcirent ipſam Apoſtolicam ſedem eſſe turrim David in quâ ſunt mille clypei, & omnis armatura fortium, ab ipſo præcipuè Eccleſiæ vertice ſibi arma comparanda duxerunt, quorum vel uno ictu conficerent reptantem ventre beſtiam ſuper terram, quod nefas eſſe omnes intelligerent Apoſtolicæ ſedis decretis obniti, ſeque eo modo ſartam tectam obſervarent in Galliâ à majoribus acceptam fidem, & Eccleſiaſticam diſciplinam, quam ex veteribus traditionibus proditam Romani pontificii recentia decreta.* Eodem ſæculo circa annum 450. (ut colligere eſt ex epiſt. 92. ad Ruffinum Archiepiſcopum Narbonenſem,) hic Præſul miſit ad ſanctum Leonem ſuum Archidiaconum cum memoriali informativo plurimarum difficultatum, quorum

reſponſa & reſolutiones Apoſtolicas non tantùm ipſe, ſed & univerſalis Eccleſia venerari cœperunt, ut eas jure canonico inſerendas cenſuerint, ut deinceps vim legis haberent. Exuperius Epiſcopus quærit ab Innocentio I. quinam libri eſſent Canonici, cui reſpondet epiſt. 3. Cæſarius Arelatenſis petit à Bonifacio an fides ex miſericordiæ divinæ largitate conferatur, an autem naturæ eſſet, & proveniret ex libero arbitrio. Quod reſolvit Pontifex.

XVIII Circa initium ſexti ſęculi Alcimus Archiepiſcopus Viennenſis inſigni doctrinâ præditus, dubitans an Græci eſſent Eccleſiæ Catholicæ alumni miſit ad Hormiſdam Pontif. Alexium Præsbyterum & Venantium Diaconum, cui Pontifex reſpondit epiſtolâ decretali.

XIX. Octavo ſœculo quærit Eccleſia Gallicana à ſancto Stephano II. an per adulterium diſſolvatur matrimonii vinculum? an valeat baptiſmus collatus aquæ infuſione? an deficiente poſſit baptiſmus in vino? quas quæſtiones reſolvit Stephanus.

XX. Nono ſœculo circa annum 860. poſtquam Nicolaus I. papa laudavit Vicenlonem Archiepiſcopum Senónenſem, & alios Præſules Eccleſiæ Gallicanæ tomo 5. Concil. Gall. ſubdit. *Vos autem fratres chariſsimi, qui ſancto utique Spiritu revelante auctoritatem ſedis Apoſtolicæ ſenſu capere & ad ſplendorem luminis ejus jam incedere laudabiliter inchoaſtis, cum illâ ambulare ſemper ſtudete, ab illâ deviare nefas judicate, ab ejus diſcrepare ſenſu, nè ad modicum quidem momentum conſentiatis. Quos illa recipit, & vos quoque recipite, & quos illa reſpuit, abigere ipſi, ſicut ipſa memento te.* Idem Pontifex reſpondens litteris Rudolphi Archiepiſcopi Bituricenſis, pollicetur eum nunquam erraturum, ſi decreta & doctrinam ſedis Apoſtolicæ inviolabiliter ſequatur. *Si enim* (inquit) *& ſanctæ converſationis pedem quò tendere debes perſpicacius percipere poteris, & ſupervenientia pravorum jacula prævidere & declinare liberius revelante Domino prævidebis, ſi in Apoſtolicæ ſedis Petri more majorum præſidium tuum locaveris, ejuſque fides, doctrinæ, vel decretis rectius inhærere cōtenderis.* His vocabulis *more majorum*, innuit eſſe avitam doctrinam Eccleſiæ Gallicanæ, & Doctorum qui ex eâ, & in eâ floruerunt. Vt inter alios patet ex ſancto Proſpero ſancti Auguſtini diſcipulo, in carmine de ingratis.

Sedes Romæ Petri, quæ paſtoralis honoris Proſper.
Facta caput mundi quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet, &c.

Orbis autem non tamdiu teneretur à ſede Romanâ, ſi hæc erroribus foret obnoxia. Eodem ſœculo Nicolaus I. epiſtol. 89. ſolvit dubium Adonis Viennenſis an liceat ſponſam prius ab altero corruptam dimittere poſt copulam matrimonialem?

XXI. Hincm. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis ſcribens Adriano II. *Hanc meæ ſubjectionis* (inquit) *humillimam ſubjectionem eâ benignitate ſuſcipe, quâ primus Apoſtolorum non ſolùm minoris ſui redargutionem pro ſimulatione ſuſcepit: Verùm etiam & minorum ſuorum quæſtionem cur ad præputiatos intraverit lenire curavit.* Clarius ejus infallibilitatem exprimit epiſtol. 1. quam nomine Caroli Imperatoris ſcribit Joanni VIII. papæ. *Quatenus ab hujus ſanctæ ſedis auctoritate noſtra ſana (ut credimus) intelligentia confirmetur, à quâ fidei ac religionis ſumpſit initium, & quotidie (gratias Deo) ſumit augmentum. Et ſi quid malè in agro Dominico pullulat, decreti veſtri falce recidatur. Si enim quorumcumque negligentia vel præſumptione à præſtitutis regulis eſt diſceſſum veſtræ auctoritatis induſtriâ ſit reformatum.* In hac brevi ſententiâ, quâ ter mentionem facit auctoritatis infallibilis Romani pontificis. Primò ait quod *ab hujus ſanctæ ſedis auctoritate noſtra ſana (ut credimus) intelligentia confirmetur.* Secundò quod ab eâ *fidei & religionis ſumpſit exordium, & quotidie ſumit augmentũ.* Tertiò. *Si quod malè in agro Dominico pullulat decreti veſtri falce recidatur.* Quartò. *Si etiam quorumcumque negligentia vel præſumptione à præſtitutis regulis eſt diſcuſſum veſtræ auctoritatis induſtriâ ſit reformatum.* Nullam (inquam)

(inquam) mentionem Concilii, ſed ſolius auctoritatis Apoſtolicæ, à quâ ſolâ ut potè infallibili noſtra intelligentia, fides, religio confirmetur; juxta illam Chriſti ordinationem Lucæ cap. 22. *Confirma fratres tuos.* Et quemadmodum Eccleſia fidei ac religionis ſumpſit exordium non à Concilio, ſed à Sede Apoſtolicâ: ſic ab eâ quotidie ſumit augmentum. Si quis error, & hæreſis in Eccleſia oriatur, non Canonibus Conciliorum, ſed decretorum veſtrorũ infallibilitate recidatur; ita ut ſi quis contrarium affirmet vel credat, hæreticus vel ſchiſmaticus cenſeatur. Si quid à præceptis divinis & Eccleſiaſticis, ab articulorum fidei verâ intelligentiâ diſceſſum eſt, induſtriâ non Conciliorũ, ſed veſtræ auctoritatis ſit reformatum. Quæ reformatio fieri non poſſet, ſi ſedes Apoſtolica eſſet errori obnoxia, potius enim in errorem induceret, quàm reformaret, vel in viam ſalutis remitteret. Ivo Carnotenſis undecimo ſæculo ſcribens epiſt. 159. Vrbano II. *Quoniam judicia Romanæ* Ivo Car. *Eccleſiæ à nemine foris retractari poſſe didicimus, &c.* Sæculo duodecimo Epiſcopi Rhemenſis, Sueſsionenſis, Cathalaunenſis, Arelatenſis, Innocentio II. ita ſcripſerunt. *Proceſſimus in eo negotio*, ſcilicet Abailardi, *quouſq; auſi ſumus, Tuum eſt de cætero Beatiſſime Pater providere, nè in diebus nos aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Eccleſiæ maculetur.* Vide epiſt. 191. S. Bernardi. Quibus Innocentius reſpondet. *Deſtinata nobis à veſtrâ diſcretione capitula damnamus*; epiſt. 194. ejuſdem S. Bernardi.

§. 6.

Teſtantur Theologi.

I. SEnatus Pariſienſis in præfato ſuo arreſto ait quod Facultas Pariſienſis Theologiæ *A eu de la peine de ſe démeſler de ſes liens injuſtes, & à ſuivre les traces des Gerſons, & de ces autres perſonnages illuſtres, qui ont eſté dans tous les ſiecles les principaux defenſeurs de la verité.* Oſtendimus ſupra non ſequi, ſed aberrare non tantùm à veſtigiis ſummorum Pontificũ, Conciliorum, antiquorum Patrum, Epiſcoporum, Archiepiſcoporũ, qui Eccleſiam Gallicanam ſuis virtutibus illuſtrarunt, ac ſuâ doctrinâ Catholicas veritates propugnarunt, ſed etiam ab ipſis Chriſti oraculis. Nunc examinandum eſt an præfata Facultas & Parlamentum veſtigia ſequantur veterum ac modernorum Theologorum; imò ipſius Gerſonis (cujus auctoritatem & doctrinã tanti faciunt) Primò aliarum Nationum ac Vniverſitatum Theologos præferamus.

Joannes à Turrecrematâ libr. 6. ſummæ cap. 109. & ſequentibus Cardinalis Cajetanus in opuſ. de poteſtate papæ & Concilii cap. 9. & alibi. Cardinalis Hoſius lib. 2. contra Brentium agens de legitimis judicibus. Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 3. & ſeq. Cardinalis Baronius ſparſim in ſuis annalibus. Ioannes Driedo lib. 4. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 3 Ioannes Ekius libro 1. de primatu Petri cap. 18. Ioannes à Lovanio lib. de perpetuâ Cathedræ Petri protectione & firmitate cap. 11. Nicolaus Sanderus lib. 7. de viſibili monarchiâ Eccleſiæ. Melchior Canus lib. 6. cap. 7. de locis. Sylvius lib. 4. controverſ. quæſt. 2. Petrus à Soto in Apologiâ ſuâ part. 1. cap. 83. 84. & 85. Maldetus, Turrianu, Bannes, Valentia, Suarez, Amicus, Thomas Del Bene in 2. 2. Cornelius in cap. 2. epiſt. ad Galatas, & in cap. 2. epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes. Noſter Franciſcus Bonæ Spei tomo 1. tractat. de fide, diſput. 4, dubio 7. & in tractatu de viſione Eliæ diſput. ult. quam more ſuo fuſiſſimè & doctiſſimè deducit. II.

§. 7.

Mens Theologiæ Gallicanæ.

EAndem infallibilitatẽm ex profeſſo propugnant plurimi Theologi Galli, etiam qui in Pariſienſi Facultate lauream Doctoralem acceperunt. S. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 10

art. 10. ubi in corpore docet. *Ad illius auctoritatem pertinet editio Symboli ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem ſummi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, ut dicitur in decret. lib. de Baptiſmo, cap. Majores. Vndè & Chriſtus Lucæ cap. 22. Petro dixit, quem ſummum Pontificem conſtituit. Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Et hujus ratio eſt, quia una fides debet eſſe totius Eccleſiæ ſecundùm illud 1. Corinth. cap. 1. Idipſum dicamus omnes, & nō ſint in nobis ſchiſmata, quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio de fide exorta determinetur per eum qui toti Eccleſiæ præeſt. Vt ſic ejus ſententia à totâ Eccleſiâ firmiter teneatur. Et ideò ad ſolam auctoritatem ſummi Pontificis pertinet editio Symboli, ſicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, ut congregare Synodum generalem & alia ejuſmodi.* Vndè ad 2. docet in eo differre auctoritatem Cōcilii ab auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Thomas. *Quod prohibitio & ſententia Synodi ſe extendat ad privatas perſonas, quarum non eſt determinare de fide. Non enim per hujuſmodi ſententiam Synodi generalis ablata eſt poteſtas ſequenti Synodo novam editionem ſymboli facere, non quidem aliam fidem continentem, ſed tantùm magis expoſitam. Sic enim quælibet Synodus obſervavit, ut ſequens Synodus aliquid exponeret ſupra id, quod præcedens Synodus expoſuerat propter neceſſitatem alicujus hæreſis inſurgentis, Vnde pertinet ad ſummum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus ſententia confirmatur.* Ad 3. reſpondet S. Athanaſium componentem Symbolum auctoritatem Apoſtolicā non ſibi arrogaſſe. *Athanaſius non compoſuit manifeſtationem fidei per modum ſymboli, ſed magis per modum cujuſdam doctrinæ, ut ex ipſo modo loquendi apparet; ſed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate ſummi Pontificis eſt recepta, ut quaſi regula fidei habeatur.* Ex noſtris Thomas Waldenſis Anglus Doctor Pariſienſis tomo 1. lib. 2. doctrin. fidei art. 3, cap. 47. Ioannem Wicleff hæreſiarcham aſſerentē in tractatu ſuo de Chriſto & ejus adverſario AntiChriſto cap. ult. dicentē quod Papa nullam habeat poteſtatem ad determinandū veritates Catholicas, nec ad refellendum hæreticos, impugnat variis telis depromptis ex S. Auguſtino, Hieronymo, Caſſiodoro & Ruffino. Idem præſtat cap. 48. auctoritate eorundē, & aliorum Auctorum, R. P. Philippus à Sanctiſsimâ Trinitate natione Gallus in 22. tract. de fide diſp. 4. dub. 4. Iacobus de Vernant (quem Franciſcus Bonæ Spei credit eſſe Carmelitā) libro *De l'auctorité de noſtre Saint Pere le Pape contre les erreurs de ce temps.* Et aliò. *La Doctrine ancienne des Theologiens de la faculté de Paris.* Thomas Beauxamis libro 3, de Symbolo pag. mihi 260. Bacconius *in Magiſtr. ſenten.*

§. 7.

Teſtantur Theologi ſæculares Galli.

Quia verò Religioſum nomen ſuſpectum eſt Parlamento & quibuſdam Doctoribus Pariſienſibus, omiſſo aliorum Religioſorum catalogo audiamus Doctorum ſæcularium placita. Petrus de Alliaco olim Collegii Navarrici Archimagiſter, poſtea Epiſcopus Cameracenſis & Cardinalis part. 3. cap. 1. apud Nauclerum lib. 4, cap. 4. parte 2. lit. C. *Plenitudo* (inquit) *poteſtatis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ reſidet in Pontifice Romano Petro ſuccedente.* Petr. de Allaco. Non ait reſidere in Concilio, ſed in Romano Pontifice. Ioannes Gerſon ejus diſcipulus & Cancellarius Pariſienſis tract. de poteſtate Eccleſiaſticâ conſiderat. 10. Gerſon *Poteſtas Eccleſiaſtica in ſuâ plenitudine eſt formaliter & ſubjectivè in ſolo Romano Pontifice.* Et alibi. *Plenitudo legis Eccleſiaſticæ ſic propriè ſumpta non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi in uno ſummo Pontifice & ſubjectivè.* Et libr. de origine juris citato à Nauclero part. 2, lib. 1. cap. 6. litt. A idem aſſerit. *Eccleſia in uno Monarcha per univerſum fundata eſt à Chriſto.* Et

Et tractatu de infallibilitate Papæ conſider. 8. *Nullam etiam poteſtatem Chriſtus Monarchicam & quodammodò regalem niſi Eccleſiam.* Non dicunt pars, medietas, ſed *plenitudo.* Plenitudo autem omnem complectitur poteſtatem. Gerſoni coætaneus Anglus ejuſdem Facultatis Alumnus vulgò Mosbæus tomo 1. de Sacramentis doctrinâ 7. Ioannes Almain lib. de ſupremâ poteſtate Eccleſiaſt. cap. 4. propoſ. 4. *Uni ſcilicet Petro & ſucceſſoribus ejus data eſt omnis poteſtas condendi canones.* Item. *Veriſſimum eſt quod in ſpiritualibus Chriſtus inſtituit ſuperiorem, qui habet quemlibet coercere, & nullus eum.* Andræas Du Val profeſſor Theologiæ in ſcholis Sorbonicis, vir eximiâ doctrinâ & pietate præditus, tract. de infallibilitate Romani Pontificis part. 2, quæſt. 1. lit. D. verſ. poſterior pars. *Abſolutè* (inquit) *certum eſt ſummum pontificem neque in fide, neque in moribus ex Cathedrâ decernendis errare poſſe; ſtatimque à ſuâ electione canonicâ infallibilitatis privilegio à Chriſto donari.* Idem quæſt. 2. docet plures difficultates à Romano pontifice fuiſſe deciſas, *Non indictis continuò Conciliis.* Probatque eſſe antiquam Eccleſiæ praxim. *Quod enim* (inquit) *Concilium generale Pelagianos damnavit, ut ipſi pro hæreticis haberentur? Quod etiam Novatianos condemnavit? qui jam tempore Cypriani inter hæreticos cenſebantur, & Concilium Nicænum omnium OEcumenicorum primũ 125. annis præceſſerunt Appelliani, Valentiniani, & Marcioniſtæ tanquam hæretici in Eccleſia denigrati ſunt, & contra eorum hæreſes Irenæus & Tertullianus, & alii calamũ acuerunt. Quod quæſo Concilium generale celebratum fuit? ut ipſi pro hæreticis per totam Eccleſiam haberentur.* Idem parte 1. quæſt 3. de Romano pontifice litt. A. *Abſolutè tenendum eſt ac ſummo ſoli pontifici, non autem aggregationi ex ipſo & Optimatibus ſupremæ claves Eccleſiæ à Chriſto conceſſæ ſunt.* Et tomo 2. tractat. de comparat. ſummi pontificis & Concilii quæſt. 9. litt. C. *Supponendum eſt Eccleſiæ univerſali aut ſi mavis, communitati nullam à Chriſto poteſtatem eſſe traditam.* Et paulò poſt.

Du Val.

Reſpondeo (inquit) *Chriſtum nullam Eccleſiæ univerſali poteſtatẽ contuliſſe.* Parte 3. quæſt. 3. litt. C. ait Concilia generalia non habere immediatè à Chriſto ſuam juriſdictionem. *Supponendum eſt* (inquit) *quod primâ parte demonſtravimus Eccleſiæ univerſali: aut ſi mavis communitati nullam à Chriſto poteſtatem eſſe traditam.* Ibidem litt. B. *Certum eſt Chriſtum nullam Eccleſiæ univerſali poteſtatem contuliſſe.* Item. *Addo cùm poteſtas concilii quatenus cõcilii ſit juriſdictionis & non ordinis, nos verò primâ parte oſtenderimus quamlibet juriſdictionis poteſtatem à ſummo pontifice tanquam à capite, fonte, & radice dependere, &c.* Item. *Poteſtas Epiſcoporum juriſdictionis à Romano pontifice immediatè proficiſcitur immediatione ſuppoſiti.* Quibus verbis tacitè innuit jus deciſivum eſſe penes Romanum pontificem. Quod clarius inſinuat tomo 2. tractatu de Romano pontifice quæſt. 4. quæſt. poſtremâ, ubi quærit *Utrum à ſententiâ Pontificis* ad futurum Concilium liceat appellare. Reſpondet primâ concluſione. *Quia ſententia ſummi pontificis ad futurum Concilium provocant, non ſolùm rem illicitam faciunt; ſed etiam excommunicationem incurrunt.* Poſt varias rationes contrariæ opinionis inſtantiis occurrens. Ita incipit. *Nec valet quorundam nugatorum, & valdè imperitorum reſponſio.* Infra ait, neque ad præſens, neque ad futurum Concilium à ſententiâ ſedis Apoſtolicæ dari appellationem. Ratio prima eſt. *Quia in cauſâ appellationis appellans à poteſtate & juriſdictione ejus, à quo appellat eximitur.* Quod ſi immunis foret à juriſdictione pontificis non eſſet amplius de ovili Chriſti. *Et per conſequens nec Chriſtianus,* nec cum eo communicaret. Hanc appellationem à Papâ inordinatam eſſe probat hac ſimilitudine. *Ideò à Rege non licet appellare; quia ipſe eſt Monarcha, & monarchico modo, id eſt extremo judicio judicat, At Pontifex eſt ſupremus Eccleſiæ Monarcha, extremo igitur judicio quaſlibet cauſas ita terminabit, ut fas amplius non ſit ad aliud tribunal provocare.* Parte 4. quæſt. 10. litt. B. *In determinatione auctoritativâ, ſeu judiciali, id eſt eorum,*

quæ quiſque tenetur credere determinatione, Concilium non eſt ſupra Papam. Concilium (inquit) non tantùm Provinciale, vel Nationale: ſed etiam Generale, ut patet ex reſponſione ad titulum. *Vtrum decreta Pontificis ſunt majoris certitudinis quàm decreta cõcilii OEcumenici.* Ejus Opera approbarunt primarii hujus Academiæ Doctores. Mauclerc ejuſdem Collegii Sorbonici ſocius lib. 4 parte 2. cap. 4. litt. D. *Hæc illa* (inquit) *communis ſacræ ſcripturæ Profeſſorum, quæ docetur in ſcholis, aſſertio, diſcrepationum, cauſarumq; de fide curſum, motumque Romani Pontificis in Cathedrâ ſedentis Apoſtolicâ compoſitum judicio finiri.* Et paulò poſt. *Romano Pontifici ſupremum judicium determinandi ea, quæ ſunt fidei, debetur.* Infra. *Nunquam in Eccleſiâ Dei provocatio in cauſis fidei à Romano Pontifice ad aliud tribunal quantumcumque in Eccleſia ſublime, recepta eſt.* Idem. *Quod ſi in condemnatione hæreticorum ſententia generalis Concilii ſemper eſſet expectanda, nec Romani Pontificis judicio in eorum reprobatione, atque mulcta ſiſteretur, expectatio hæc non modò inanis & evanida, ſed ſæpiſſimè periculoſa, & Eccleſiæ Dei perniciosa foret.* Paulò poſt. *Hæretici, Schiſmatici, & impii quicumq; in illum decreti Pontificii murum inexpugnabilem rebelles contenderint, jure meritiſſimo cenſebuntur.* Eodem cap. 4. lib. 4. part. 2. *Iudicio Romani Pontificis in causâ fidei reluctantes, impii & à fide alieni indicantur.* Et lib. 3. cap. 16. num. 4. probat poteſtatem Apoſtolicam non poſſe limitari à Conciliis OEcumenicis. *Papæ auctoritas cum ſit immediatè à Deo nullis OEcumenicorũ Conciliorum legibus coarctatur.* Ratio eſt, quia ejuſmodi auctoritas ſumma eſt, ut clarè delarat cap. 1. *Qui factus Chriſti Vicarius viſibilis, ſumma in univerſum orbem Chriſtianum auctoritate potitur.* Et paucis interjectis. *Hic qui in Cathedra ſancti Petri cum ſupremâ majeſtate ſedet, totius Eccleſiæ Monarcha cum plenitudine poteſtatis jure divino factus eſt: ut neceſſaria ex ſacris ſcripturis conſequentiæ declarant, &c.* Vndè parte 2. lib. 3. cap. 10. litt. D. *Provocantes à Pontificii Monarchæ judicio ad futurum. Concilium excommunicantur.* Quod reperis parte 4. lib. 8. cap. 3. litt. D. *A ſede Apoſtolicâ nunquam niſi ad ipſam provocandum contra Schiſmaticos à Papâ ad futurum Concilium provocantes.* Et parte 2, libr. 4. cap. 4. litt. D. *Nunquam in Eccleſiâ Dei provocatio in cauſis fidei à Romano Pontifice ad aliud tribunal quantumcumque in Eccleſiâ ſublime Spiritu ſancto prohibente, recepta eſt.* Parte 2. lib. 4. cap. 4. litt, D. *Fideles omnes in ſinu Eccleſiæ Matris enutriti omnes illos pro hæreticis ſemper execrati ſunt, quos peſtis hæreticæ, errorisque fœtore contaminatos eſſe hujus ſanctiſſimæ Patris ſentẽtia judicavit.* Plura alibi. Quanti ejus mens æſtimanda ſit, patet ex approbatione inſignium Doctorum ejuſdem Facultatis, De la Sauſſay, moderni Epiſcopi Tullenſis, Iſamberti Profeſſoris Regii in ſcholis Sorbonicis, Frogerii Paſtoris ſancti Nicolai de Cardineto, Charton Pœnitentiarii, Houſier paſtoris ſancti Mederici, Bandel, Ægidii de Amore Prioris Prædicatorum, Billaud Regentis Primarii Prædicatorum

Maucl.

Bail ejuſdem Domus Sorbonicæ alumnus, Subpœnitentiarius Pariſienſ. II. eandẽ Pontificiam infallibilitatẽ profitetur paſſim, & juſtè præmittit querimoniam hanc tomo 1, ſummæ Conciliorum in apparatu ad ſummam Conciliorum titulo de triplici verbo Dei, *Hæc annotamus ad præveniendum eorum calumnias, qui ſi quid ab aliquo ſcribatur ac dicatur de ſummo Pontifice, quod à ſalivâ quam ſemel imbiberunt, diſſentiat, illicò adverſarios hierarchiæ exclamant, ac juriſdictionis Epiſcoporum aut parochorum, quaſi omnibus non conſtet ſine alterius depreſſione ſua dignitas, poteſtas, ac coram Deo meritum.* Quæſtione 49. poſtquam aſſeruit ſupremam auctoritatem definiendi reſidere in Romano pontifice, quæſtione 55. proponit *Vtrum neceſſe habeat Papa congregare Concilium univerſale, quoties cumque habet aliquid de fide determinare.* Et reſpondet negativè. *Non eſt neceſſarium quod ad hujuſmodi expoſitionem faciendam univerſale Concilium congregetur.* Idem quærit, quæ auctoritas Concilii generalis

Bail.

ſupra

ſupra Provincialia. Reſpondet. *Summi Pontificis eſt dirigere Concilium, ea proponere quæ in eo tractanda ſunt, judicanda ac definienda, eadem definita cõfirmare: cum robur & poteſtas Concilii ab eo dependeat, &c.* Quæſt. 56. quærit. *Vtrum Patres exiſtentes in Concilio univerſali poſſunt aliquid ſtatuere ſine auctoritate Papæ. Reſpondet* (inquit) *ſanctus Thomas negativè in tractatu contra impugnantes religionem, dicens quod Sancti Patres nihil ſtatuere potuiſſent, niſi auctoritate ſummi Pontificis interveniente.*

III, Coeffet. Nicolaus Coeffeteau inſignis Doctor Pariſienſis, ac Regis Chriſtianiſſimi Concionator, ex Ordine Prædicatorum ad Epiſcopatum Maſſilienſem aſſumptus impugnans errores Antonii de Dominis part. 2, diſcuſ. 2, lib. 4, infallibilitatem & poteſtatem Pontificis Romani ex eo probat quod Concilium Generale nequeat limitare, vel coarctare juriſdictionem ſedis Apoſtolicæ. *Percurrant* (inquit) *ac evolvant omnes Synodos OEcumenicas Schiſmatici, deprehendent nunquam eas eò audacia progreſſas, ut Pontifici Romano fines ullos præſcriberent.* Et concludit. *Nuſquam illis venit in mentem ejus limitationis, quam cogitat. Et verè ſomniat cum ſchiſmaticis Spalatrenſis.* Item. *Putat inſanus ſe ſapientiſſimos Epiſcopos dementaturum, ac ſeditioſis ſuis vocibus eos ad turbas contra Pontificem movendos concitaturum.* Infra. *Fruſtra igitur nititur nec aliud ſe fatigando, quam bonorum omnium odium quærit, quod ſumma eſſe dementiæ nullus non demens ignorat.*

IV, Raconis. Carolus Franciſcus Abra de Raconis Doctor Pariſienſis, Regiæ Majeſtatis Concionator, Epiſcopus Vabrenſis lib. de primatu S. Petri ſect. 1. cap. 5, artic. 2, §. 5. poſtquam dixit. *Que l'Egliſe Romaine eſt nommée Catholique & Generale, parce qu'au moyen de ſon chef, unique en ſa perſonne, mais univerſel en ſa puiſſance, elle influë l'union dans toutes les Egliſes particulieres qui ſeroient entierement ſeparées, & ſchiſmatiques, non ſeulement ſi elles n'embraſſoient la Foy de l'Egliſe Romaine, mais ſi elles ne demeuroient attachées inviolablement à ſon chef, qui eſt le ſucceſſeur de S. Pierre, à qui toute l'Egliſe a eſté commiſe.* [illegible] infero Papam eſſe infallibilem, ſi [illegible] poſſet falli & fallere, Eccleſiæ particulares non tenerentur illi adhærere, imò Eccleſia univerſalis non amplius ſubſiſteret, ut idem declarat §. 6. *Si le chef eſtoit renverſé (comme il ſeroit infailliblement, ſi nos nouveaux Docteurs reuſſiſſoient en leur deſſein) toute l'Egliſe tomberoit en ruine.* Idem gradum Baccalaureatus adeptus compoſuit librum, cui titulus eſt. *Reſponſe à la lettre des quatre Miniſtres de Charanton.* anno 1617. approbatum cum inſigni elogio à duobus Doctoribus Facultatis Pariſienſis Loppé & Lambert, ubi pag. 164. contra hæreticos aſſerentes Chriſtum his verbis Lucæ cap. 22. *Simon rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Non loqui Petro, ſed Eccleſiæ. Clarè probat non pro Eccleſiæ, ſed Petri infallibilitate oraſſe. Quam cõcluſionem Facultas Pariſienſis non damnavit, nec præfatum Bacchalaureum ad illam revocandã coegit, nec approbatores arguit. Addit. *Tout ce qu'il y a de clarté dans les Docteurs, d'auctorité dans les Prelats & Paſteurs, de fermeté dans les prieres de la maiſon de Dieu (qui eſt l'Egliſe,) tout cela depend & eſt attaché au Pontif Romain, que Ieſu Chriſt a eſtably en ſon Egliſe, comme le chef, le ſoleil, & la ſource pour faire mouvoir tout ce corps myſtique qui eſt l'Egliſe, &c.* Plura habet tractat. de primatu Petri cap. 5. ratione 2.

§. 8.

Teſtatur Ludovicus Abelly Epiſcopus Ruthenenſis.

Non omittendus hic Ludovicus Abelly etiã Doctor Theologus, Epiſcopus Ruthenenſis, I. qui ex profeſſo contexuit librum *De l'obeiſſance & ſoubmiſſion qui eſt deüe à noſtre Saint Pere le Pape, en ce qui regarde les choſes de la Foy.* Typis editum Pariſiis anno 1654, apud Georgium Joſſe viâ Jacobeâ ad inſigne Coronæ ſpineæ in cujus approbatione inter alia hæc habentur. *Il merite un témoignage d'autãt plus ſingulier, que ſon deſſein*

eſt d'établir la Foy en l'un de ſes points plus importans, & de juſtifier le procedé de celuy, que Dieu a donné à ſon Egliſe, pour premier Pere, Docteur, & Iuge, &c. Fait à Paris le 18. de Mars 1654 Charles Eveſque de Ceſarée Coadjuteur, De Soiſſons, Seguier Theologal de Paris. Hunc libellum dedicat S. Petro Apoſtolorum Principi, quem inter alia ita affatur. *Nous avons des preuves toutes recentes en la perſonne de celuy, qui remplit aujourd'huy la Chaire Apoſtolique, par la bouche duquel vous avez condamné une hereſie tres pernicieuſe, & par cette condamnation remedié à un mal tres contagieux, qui commençoit d'infecter pluſieurs de vos oüailles, & qui euſt pû produire des effects encore plus funeſtes, s'il n'y euſt eſté promptement pourveu par cette puiſſance Paſtorale que vous avez receu de IESVS-Chriſt & que vous avez laiſſé comme un heritage à voſtre ſucceſſeur, &c.* Idem ad Lectorem. *Le conſentement & la reconnoiſſance de tous les Chreſtiens, & enfin l'uſage & la pratique de l'Egliſe univerſelle en tous les ſiecles ſont des argumens ſi forts pour convaincre un eſprit fidel de l'obeiſſance & ſoubmiſſion, qu'il doit rendre au Paſteur ſouverain de l'Egliſe en ce qui regarde les choſes de la Foy, qu'apres la reponſe renduë par tous les oracles, il ne luy doit plus reſter aucun ſubjet de douter, ny aucun pretexte de diſſimuler en un point, qui eſt d'une telle importance pour ſon ſalut.* Hanc Apoſtolicam infallibilitatem fuſiſſimè probat cap. 14 auctoritate ſacræ ſcripturæ, Conciliorum, ſancti Auguſtini, ſanctorum Patrum, Apoſtolicâ praxi in refutandis etiam erroribus in Galliâ ſuſcitatis. Idem probat cap. 15. ſubmiſſione quam Epiſcopi omnium Eccleſiarum particularium exhibuerunt Sedi Apoſtolicæ in decretis fidei ab eâ emanatis. Primò Patriarcharum Conſtantinopolitani, Antiocheni, Alexandrini & aliorum Præſulum Orientalium. Secundò Epiſcoporum Dardaniæ & Epiri. Tertiò Epiſcoporum Cypri & Paleſtinæ. Quartò Epiſcoporum Ægypti, Mauritaniæ, & aliarum Provinciarum Africæ. Quintò Epiſcoporum Hiſpaniæ. Sexto Bulgariæ, Ruſſiæ, & aliarum regionum Septentrionalium. Septimò Epiſcoporum ex aliis regionibus orbis. Cap. 16. Profert Epiſcopos Galliæ etiã primo ſæculo, & quomodo Epiſcopi ordinariè conſuluerant ſedem Apoſtolicam in materiâ fidei & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & noviſſimè ubi prodiit doctrina Janſenii Epiſcopi Iprenſis hanc epiſtolam ad Innocentium X. direxerunt. „Beatiſſime
„Pater majores cauſas ad ſedem A-
„poſtolicam referre ſolemnis Eccle-
„ſiæ mos eſt, quem fides Petri nun-
„quam deficiens perpetuò retinet,
„pro jure ſuo poſtulat æquiſſimę huic
„legi obſequentes de graviſſimo cir-
„ca religionẽ negotio Sanctitati tuæ
„ſcribendum eſſe cenſuimus. Decen-
„nium eſt ex quo vehementiſſimis
„turbis Gallia magno noſtro mœro-
„re commovetur ob librum poſthu-
„mum & doctrinam Reverendiſſimi
„Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi.
„Tales quidem motus ſedari opor-
„tebat, tum Concilii Tridentini au-
„ctoritate, tum bullæ illius, quâ Vr-
„banus VIII. fœlicis memoriæ ad-
„verſus dogmata pronunciavit & de-
„creta Pii V. & Gregorii XIII in
„Baium edita confirmavit. Atque hu-
„jus quidem bullæ veritatem ac ro-
„bur novo diplomate vindicaſti, ſed
„quia nulli ſigillatim propoſitioni
„certa cenſuræ nota inuſta fuit, lo-
„cus etiamnum aliquis quorundam
„cavillis & effugio relictus eſt. Inter-
„cludendum autem penitus ſpera-
„mus, ſi (ut precamur) Sanctitas tua
„quid hac in re ſentiendum ſit, clarè,
„diſtinctèque definiat. Obteſtamur
„ergò, ut has præſertim propoſitio-
„nes, de quibus diſceptatio pericu-
„loſior, ac contentio ardentior eſt,
„Sanctitas tua expendat, ac perſpicuã
„& certam de unaquaque ſenten-
„tiam ferat. Non poſtulant congregari Concilium à quo perſpicua & certa de unoquoque ſententia proferatur, ſed ad ſolam ſedem Apoſtolicã recurrit. Vnde adductis quinque propoſitionibus Ianſenianis ſubjicit. „Ex-
„perta eſt nuper Beatitudo tua quan-
„tum Apoſtolicę ſedis in geminis Ec-
„cleſiæ capitis errore profligando,
„valuerit auctoritas, continuò ſeda-
„ta eſt

„ ta eſt tempeſtas, atque ad Chriſti „ vocem & imperium venti & mare „ obedierunt. Quamobrē, Beatiſsime „ Pater flagitamus, ut clara firmaq; de „ propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſententia, cui etiam Reverend. „ ipſe Janſenius morti proximus onus ſuum ſubjecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes „ componas, diſſidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas. Dum hæc ſpes mentibus noſtris affulget; Sanctitati tuæ „ proſperos annos, ſæculoque beatiſſimam æternitatem Rex ſæculorū „ immortalis adjiciat, optamus ac vovemus. Ait Innocentii ſententiam firmam ideſt infallibilem fore, & per eum caliginem omnem diſcutiendā, animos in fide fluctuantes componendos. Hunc Cleri Gallici juſtum ac Chriſtianum recurſum carpit advocatus Anonymus, in libello cui titulus eſt *Examen de la lettre circulaire*, ſed quam injuſtè & impiè, oſtendit noſter Franciſcus tractatu citato diſput. ult. dubio 1. num. 33. & ſeq.

II. *Facult. Parij.* Quod ipſa Facultas Pariſienſis hanc infallibilitatem Apoſtolicam docuerit, patet ex antiquo decreto. *Firmiter tenendum eſt hierarchiam Eccleſiaſticam, quam politiam Eccleſia nonnulli vocant, jure divino eſſe inſtitutam, cujus quidem hierarchiæ Eccleſiaſticæ jure divino Monarchica poteſtas eſt Papatis.* Hoc decretum fuſius refert Mauclerc part. 4. lib. 8. cap. 6. eodem anno 1644. contra propoſitiones Theophili Brachet. *Hæ propoſitiones in quantam infallibilitatem Eccleſiæ univerſali in nullo alio ſtatu, quam in Concilio generali Oecumenico congregatæ tribuunt, temerariæ ſunt & ipſi Eccleſiæ injurioſa & hæretica.*

§. 9.

Teſtantur Jura.

I. Ut non tantùm Theologis, ſed etiam Juriſtis hæc veritas innoteſcat cap. 1. de conſtitut. lib. 6. Tiraquellus de nobilit. cap. 20. num. 41. & cap 31. num. 537. Vaſcus conſil. 51. num. 6. Gonzalez ad regulam 8. cancell. §. 4 proœm. numer. 85. reſolvunt omnia jura in ſcrinio pectoris ſui habere recondita. Et l. 1. in fine C. de ſummâ Trinitate & de fide Catholicâ. Abbas quæſt. 1. col. 2. num. 3. Lotterius de re benef. lib. 1. quæſt. 11. n. 14. Cardinal. Tuſcus tomo 6. litt. P concluſ. 49. num. 87. judicium Papæ appellant cæleſte arbitrium. Apud eundem Abbatem jura cœleſtis & terreſtris imperii habet. Ex Guidone conſil. 134 num. 4. verbo *ſi papa*. Abbate quæſt. 1. facit idem conſiſtorium cum Deo. Si igitur Papa omnia jura in ſcrinio pectoris reconditа habet, judicium ejus eſt cœleſte arbitrium, & facit idem conſiſtorium cum Deo, quæ judicat, reſolvit & ſtatuit, omni errore carere debent.

§. 10.

Infallibilitatem Romanæ Sedis in decretis fidei rationes teſtantur.

Pontifex habet eam auctoritatem in decernendis rebus fidei, quam habuit Petrus primus pontifex à Chriſto creatus. Nam Petrus non habuit ut perſonâ privatâ infallibilem auctoritatem decernendi res fidei: ſed ut publicus & univerſalis paſtor & rector Eccleſiæ, cùm illam acceperit à Chriſto in bonum & utilitatem Eccleſiæ, adeoque ut in ſucceſſoribus continuandam. At Petrus non accepit infallibilem auctoritatem definiendi res fidei dependenter à Collegio Apoſtolorum ſeu Cōcilio generali, ut patet ex omnibus promiſſionibus, quas Chriſtus fecit Petro futuro paſtori Eccleſiæ Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves regni cælorū. &c.* Lucæ cap. 22. *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua, & tu cō verſus confirma fratres tuos.* Ioannis cap. ultim. *Paſce agnos meos, paſce oves meas.* Ibi nulla fit mentio Eccleſiæ. I. *Mat.16* *Luc.22.* *Ioan ult.*

Vnde ſanctus Cyrillus lib. de Trinit. dialog. 4. *Inconcuſſa & firmiſsima Petri fides citra caſus periculum firmata eſt, & mons inexpugnabilis.* Igitur nec pontifex eam auctoritatem habet dependentem à Concilio Generali. *Poteſtas* (inquit Gerſon tractat. de poteſtate Eccleſiæ conſider. 10. *Apoſtolica in ſuâ firmitudine, eſt formaliter & ſubjectivè in ſolo Romano Pontifice.* Item lib. de origine juris. *Plenitudo legis Eccleſiaſticæ propriè ſumpta nō poteſt eſſe de lege ordinariâ niſi in ſummo Pontifice formaliter & ſubjectivè.* Si eſt formaliter & ſubjectivè in Petro & ejus ſucceſſore pontifice Romano, igitur Petro per ſe ſeorſim ab Apoſtolorum Collegio, & pontifici ſeorſim & per ſe ineſt veritas infallibilis in iis, quæ toti Eccleſiæ credenda proponit. Certum enim eſt ejuſmodi promiſſiones factas fuiſſe Petro pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, eo modo quo intelligit Eccleſiam pro tunc temporis & deinceps Matthæi cap. 28. *Vbi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Item eo modo quo hæc verba Actor. cap. 20. *Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Id innuit Synodus ſexta action. 18. vocans Agathonem *Summum Papam, ſummi Apoſtolorum Principis ſucceſſorem, &c.* Concilium Lugdunenſe cap. *Vbi*, de elect. in 6. ſub Gregorio X. appellans *Vicarium IESV-Chriſti, ſucceſſorem Petri, rectorem univerſalis Eccleſiæ, gregis Domini directorem.* Concilium Florentinum in litteris unionis dicens *Definivimus ſanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanū ſucceſſorem B. Petri Apoſtolorum principis, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Directorem exiſtere.* Quæ ſucceſſio intelligenda eſt non tantùm de ſerie continuâ Pontificum, ſed etiam de eâdem auctoritate, juriſdictione & infallibilitate, ut patet ex his verbis. *Doctorem exiſtere, & ipſi beato Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro IESV-Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, &c.*

Cyrillus

Gerſon

Mat. 18

Act. 20.

Synod. 6

II.

Secunda Ratio, ſi Pontifex Romanus haberet ſuam infallibilitatem in definiendis rebus fidei dependenter à Concilio, maximè quia Spiritus ſanctus non aſſiſteret Pontifici definienti. At hoc perperam dicitur, quam ut Pōtifex in ſuis decretis procedat more humano, & præmiſsâ Doctorum conſultatione, Concilium non eſt neceſſarium, ſed ſufficit congregatio eorum qui ſint verſati in iis, quæ ſunt definienda.

III.

Tertia Ratio, tenentur fideles obtemperare Pontifici etiam extra Concilium definienti, ut patet ex nuperrimâ damnatione Ianſenianarū propoſitionum. Et fatentur adverſarii, quia tenetur Eccleſia obtemperare ſuo capiti legitimo, alioqui univerſum Eccleſiæ regimen corrueret, quod fundatur in debitâ ſubordinatione cunctorum fidelium erga unum caput ſupremum. At ſi Pontifex extra Concilium Generale eſſet fallibilis, dum proponeret aliquam fidei difficultatē ſi errare poſſit, poſſet tota Eccleſia errare à fide, quod implicat, ut patet ex Chriſti promiſſione. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, 2. Timoth. cap. 3. verſic. 15. *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis.* Quod ſi Eccleſia tota poſſet errare, ſequeretur veram fidem non fore neceſſariam ad ſalutem, contra illud Apoſtoli ad Hebræos cap. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Sequeretur ſecundò totam Eccleſiam poſſe damnari, cùm nemo niſi in verâ fide ſalvari queat.

Mat. 16

2. Tim. 3. v. 15

IV.

Quarta ratio, ſi Pontifex definiens extra Concilium poſſet errare, multa fidei dogmata de facto in dubium revocarentur: ſcilicet ea quæ in Conciliis Generalibus non ſunt definita, ſed dumtaxat in Nationalibus & Provincialibus, & à ſede Apoſtolica confirmata. Nam quod Chriſtus non ſit filius Dei adoptivus contra Fælicem & Elipandum definitum eſt in Concilio Francofortenſi. Pelagianiſmus fuit damnatus in Conciliis Arauſicano, Milevitano, Palæſtino. Quod Baptiſmus ab hæreticis collatus iuxta materiam & formam à Chriſto ordinatam non ſit reiterandus, Stephanus

papa

Papa declaravit extra Concilium generale. Nec refert quod poſtea Concilia Generalia Florentinum in inſtructione Armenorum, Tridentinũ ſeſſ. 7. can. 4. id definiverint, nam prius poſt definitionem Stephani Papæ fuit de fide.

V. Quinta, ſi pontifex non eſſet infallibilis in decidendis rebus fidei extra Concilium, deberet in iis definiendis ſequi majorem partem ſuffragiorum, nè temerè definire cenſeatur. Is enim temerè definit, qui relictâ pluralitate ſuffragiorum paucitatem ſequitur: at pontifex pluralitatem ſequi non tenetur. Poteſt enim fieri ut pauciores ſuffragantes tanto lumine ſcientiæ pollerent quàm ſi extra Concilium forent.

VI. Sexta, non eſt veriſimile datam fuiſſe à Chriſto auctoritatem definiendi res fidei ſuo Vicario cum eâ conditione, quæ moraliter nequit ad actum reduci, ſed potius credibile eſt collatam fuiſſe, ut eâ utatur quoties judicabit publicæ Eccleſiæ utilitati expedire. Sed moraliter ſæpè impoſſibile eſt ut papa congreget Concilium generale ad fidei veritatem definiendam: Nam tempore perſecutionis primates Eccleſiæ nequeunt ſimul convenire, ut à Concilio Apoſtolorum contigit uſque ad S. Sylveſtrum, ut alibi diximus, & videre eſt apud Bellarminum lib. 1. Concil. c. 5. Deindè neceſſarium eſt aliquando damnare hæreſim pullulantem, nè magis ſerpat, vel veritatem dubiam declarare, ut nuper contigit de Janſenianis propoſitionibus. Cùm igitur Chriſtus nunquam relinquat ſuam Eccleſiam deſtitutam mediis neceſſariis ad ſalutem, concludendum eſt extra Concilium eſſe in Eccleſiâ ſufficientem auctoritatem infallibilem damnandi hæreſes & elucidandi veritates fidei, cùm legitimus pontifex extra Concilium ſit verus Chriſti vicarius & Petri ſucceſſor, etiam non adhibito cœtu Cardinalium, vel Doctorum conſilio. Tunc enim (ut alibi dictum eſt) Spiritus ſanctus non permittet ut papa erret: vel ſi errare velit, eum è vivis eripiet. Convocatur igitur Concilium Generale celebratur partim ad controverſias facilius examinandas, partim ad faciliorem decretorum executionem, partim ad hæreticos inſtar Baalitarum libr. 3. Regum cap. 18. facilius comprimendos.

Notant aliqui apud Tannerum, hanc propoſitionem eſſe limitandam & tantum procedere in rebus dubiis fidei: non verò in iis quæ perſpicue continentur in ſcripturâ, vel prius ab Eccleſia definita ſunt. Dicunt enim quoad hæc non repugnare, ut Pontifex jam hæreticus factus velit hæreſim ſuam auctoritativè aliis obtrudere: quia tali caſu nullum imminet periculum Eccleſiæ, ut quæ iam certa ſit de rei veritate, neque tunc teneatur illum ut paſtorem audire, ſed ut lupum manifeſtum fugere. Hæc tamen limitatio non placet aliis quos ſequor. Eo quod infallibilitas fidei ſit illimitate promiſſa Petro & ejus ſucceſſoribus, nec aliter videatur ſatis conſultum Eccleſiæ ſecuritati & ſanctitati. Malderus ſupra. VII.

Opinionem fallibilitatis Pontificię eſſe dumtaxat improbabilem Suarez putat eſſe hæreticam. Huic arrident Bannez & Valentia exiſtimantes eam definitam à Leone X. in bullâ, in quâ errores Lutheri dãnantur à Sixto IV. in Concilio 52. Doctorum præſide Alphonſo Carillo Archiepiſcopo Toletano anno 1479. contra Petrum Oxonienſem, cujus ſeptimus error erat. *Eccleſia urbis Romanæ errare poteſt.* Sed horum probatio non placet Amico quia tantùm nititur pontificio teſtimonio extra Concilium Generale, quod eſt petere principium. Ita igitur probatur quando in aliquâ propoſitione expreſsè revelatâ Petrus etiam extra Concilium res fidei definiens habet auctoritatem infallibilẽ à Chriſto hæc continetur. Quilibet Petri ſucceſſor etiam extra Conciliũ generale definiens res fidei habet infallibilem auctoritatem: igitur etiam hæc, non ut deducta, ſed ut explicata ſpectat ad eandem fidem ad quam major expreſsè, revelata ſpectat. At major habetur expreſsè in vaticiniis, ubi cunctæ propoſitiones quas Chriſtus fecit Petro ut paſtori univerſali, VIII.

ſunt

ſunt ſingulari & individuæ perſonæ ipſius. Maior etiam evidenter colligitur ex fine ob quem Chriſtus dedit Petro talem auctoritatem, ſcilicet ut eam in Eccleſia perpetuaret, propter cujus utilitatem eam contulit Petro. Quare pontifex errare nequit in definiendis veritatibus fidei, nec in damnandis contrariis erroribus, nec in propoſitionibus qualificandis, ut quod una ſit hæretica, vel erronea vel temeraria, vel hæreſi proxima, vel illam ſapiens, vel malè ſonans, vel ſcandaloſa; vel offenſiva piarum aurium. Ratio eſt; quia ſpectat ad eandem auctoritatem veri definitio & falsi reprobatio. Deindè quemadmodum auctoritatis pōtificiæ eſt definire, ita ad eam ſpectat declarâre certos gradus veritatis ejuſdem, verbi causâ, quod propoſitio ſit de fide, tuta in conſcientia, conformis doctrinæ Theologorum, ſacris vaticiniis, ſanctis Patribus, pia, probabilis, favens moribus, ut definivit in Concilio Viennenſi Clemens V.

§. II.

Solvuntur argumenta contraria petita ex Scripturâ.

I. CApite quinto hujus tractatus, reſpondimus calumniis hæreticorum, quibus infallibilitatem Apoſtolicam deſtruere nituntur. Ex variis hiſtoriis nunc argumenta alia
Act. 15. v. 28. diluenda ſunt. Primum petitur ex Actorum cap. 15. verſ. 28. *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis.* Cornelius ibi. *Viſum eſt nobis inſpiratis & directis à Spiritu ſancto. Eſt hendiadys. Hinc liquet Spiritum ſanctum in Concilio adeſſe & præeſſe, illudq; dirigere, ut in decernendo non erret. Vndè dicere ſolent Patres in Concilio. Hæc ſancta Synodus Spiritui ſancto legitimè congregata.* Reſpondet noſter Franciſcus Epiſcopos in Concilio ſtatuentes habere aliquā in ſuis decretis infallibilitatem participatam & dependentem à confirmatione Sedis Apoſtolicæ, ſicut cauſæ ſecundæ habent aliquam phyſicam activitatem in ſuos effectus, ſed participatam & eſſentialiter dependentem à concurſu cauſæ primæ. At quemadmodum hęc activitas dependens vera eſt, & nōn fruſtranea, etiamſi prima cauſa id poſſit per ſe agere, quod agit ſecunda dependenter ab eâ. Sic Epiſcoporum infallibilitas dependens à ſede Apoſtolicâ vera eſt & non fruſtranea, quamvis pontifex poſſit per ſe ſtatuere quod ſtatuunt Epiſcopi in Concilio dependenter ab ejus confirmatione, pro ut cauſa prima poteſt per ſe agere; independenter à ſecundâ.

II. 2. Tim. 3. v. 15. Secundum: *Eccleſia Dei vivi.* 2. Timoth. cap 3. verſ. 15. vocatur. *Columna & firmamentum veritatis.* Reſpondeo ab Apoſtolo comprehendi Petrum & ejus ſucceſſores quaſi caput, principem & confirmatorem decretorum fidei, quæ in illa conduntur pro bono regimine Eccleſiæ. Vndè nullum unquam Conciliorum decretum, ut tale fuit receptum ab univerſâ Eccleſiâ, niſi prius fuerit confirmatum à ſummo pontifice, ut patet ex epiſtolâ contra Eutychem inſertâ Cōcilio Chalcedonenſi part. 1. c. 5.

III. Matt. 16. v. 18. Tertium, dum Chriſtus Matthæi cap. 16. verſ. 18. dixit Petro. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, &c.* Et Lucæ cap. 22. verſ. 32. *Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Non ſoli Petro, ſed etiam aliis Apoſtolis ac Epiſcopis dicta eſſe, patet ex Apocalypſis cap. 21. verſ. 14. *Fundamenta duodecim ſunt nomina Apoſtolorum.* Dum etiam Ioannis cap. 21. verſ. 15. Chriſtus ait Petro. *Paſce agnos meos.* Verſic. 17. *Paſce oves meas* Extenditur etiam ad reliquos Apoſtolos juxta illud Actorum cap. 20. verſ 28. *Spiritus ſanctus poſuit vos regere Eccleſiam Dei.* Ex quibus verbis ſequitur Petrum non fuiſſe per ſe ac ſeorſim ab Apoſtolorum Collegio: nec Petri legitimos ſucceſſores per ſe ac ſeorſim à Concilio Generali eſſe veritatis infallibilis in iis quæ proponuntur toti Eccleſiæ divinâ fide credenda. At tempore ſancti Petri ſolum Apoſtolorum Collegium, & nunc ſolum

Luc. 22. verſ. 32. Ioan ult. v. 15. Act. 20. verſ. 28.

Concilium

Concilium Generale ex omnibus Epiſcopis congregatum Eccleſiam Dei repræſentant, ut innuit Apoſtolus 1. 1. Tim. 3. v. 16. Timoth. cap. 3. verſ. 16, *Eccleſia Dei vivi eſt columna & firmamentum veritatis.* Igitur ſoli Eccleſiæ ſeu Concilio competit infallibilitas. Reſpondeo illam infallibilitatem promiſſam fuiſſe Petro non Apoſtolis: ſucceſſoribus Petri, non Concilio Epiſcoporum. S. Cyril. *Inconcuſſa* (inquit S. Cyrillus Alexandrinus lib. de Trinit. dialog. 4.) *& firmiſſima Petri fides citra caſus periculum firmata eſt, & mons inexpugnabilis.* Theoph. Quaſi diceret (inquit Theophilactus) *Quia Petre te habeo Principem diſcipulorum, confirma cæteros: hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſia petra es & fundamentum.* Titus Boſtren. Et Titus Boſtrenſis. *Eſto poſt hæc Petre eorum Doctor & firmamentum, qui mihi per fidem adjunguntur.* Ex quibus patet Chriſti verba ad ſolum Petrum dirigi & ejus ſucceſſores ſingulariter. Nec Textus Apocalypſis & Actorũ contrarium innuunt: ſed dumtaxat Epiſcopos eſſe poſitos à Spiritu ſancto, ut regant Eccleſiam Dei cum dependentiâ à Petri directione, ſeu comprehendendo Petrum & ejus ſucceſſorem legitimè (ut caput Eccleſiæ) principem & confirmatorē decretorum fidei, quæ pro bono & proſpero Eccleſiæ regimine condidèrint. Ratio etiam fundamenti alio modo competit Petro, quàm Apoſtolis, ut oſtendi tomo 2. cap. 6. num. 24. Apoſtoli enim dicuntur fundamenta ratione ſcientiæ & prædicationis, Petrus fundamentum dicitur ratione regiminis. Vel dicuntur duodecim fundamenta comprehendendo Petrum ut patet Actorum cap. 2. Act. 2. v. 16. verſ. 14. *Stans Petrus cum duodecim.* Quod ibi primatum poſſideat conſequentia inſinuant. *Levavit vocem ſuã & locutus eſt eis.* Cap. 5. verſ. 2. Cùm c. 5. v. 2 Ananias & Saphira afferrent partem quandam bonorum ſuorum ad pedes Apoſtolorum. *Dixit Petrus, Anania cur tentavit, &c.* verſ. 28. *Reſpondens Petrus, & Apoſtoli dixerunt, &c.* Matverſ. 28. thæi cap. 12. verſ. 2. Mat. 12 verſ. 2. *Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andræas frater ejus, Iacobus, &c.* Cajetanus ingenioſè animadvertit Matthæum & Lucam in referendâ ſerie Apoſtolorum primũ locum aſſignaſſe Petro, in aliis verò referendis diſcrepare. Matthæus ſeipſum ſcribit octavo loco, Lucas ſeptimo. Ita de nonnullis aliis. Cur hoc? ut ſignificent Evangeliſtæ omnes Apoſtolos fuiſſe æquales dignitate & munere præter Petrum. *Solus Petrus* (inquit Cajetanus in cap. 10. Matth.) Caiet. *ordine dignitatis inſignitur & deſcribitur primus, ad inſinuandum valdè ſpectare ad Chriſtianam notitiam ſcire primatum Petri, nulliusque momenti eſſe noſcere ordinem Apoſtolorum. Ac ſi apertè dixiſſet, ſcitote Petrum primum, quidquid ſit de aliis propter quod nullum ſcribit ſecundum aut tertium.* Illi Hieron. arridens S. Hieronymus lib. contra Jovinianum circa medium. *E duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio ſeu potius primus eligitur.* Noſter ſanctus Cyrillus S. Cyril. Alexan. Alexandrinus lib. 4. in Ioannem. *Per unum illum qui cæteros inter eminebat, loquuntur omnes.* Sanctus Cyprianus lib. de unitate Eccleſię. *Primatus Petro datur ut una Eccleſia & cathedra monſtretur.* S. Leo epiſt. 84. cap. 14. S. Leo. *Cùm omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præmineret.* Eandē Petri præeminentiam innuere videtur Sacer Textus dum frequenter introducit Petrum nomine omnium Apoſtolorum, quaſi eorum ante ſignanum, ac in fide ſolidiorem. Matthæi cap. 16. verſ. 15. Mat 16 v. 15. *Dicit illis Ieſus, Vos autem, quem me eſſe dicitis. Reſpondens Petrus dixit. Tu es Chriſtus Dei vivi.* Marci cap. 8. verſ. 29. *Reſpondens Petrus, ait ei, Tu es Chriſtus, &c.* Lucæ cap. 9. verſ. 20. *Reſpondens Simon Petrus, dixit Chriſtum Dei.* Sanctus Leo ſermon. 2. S. Leo. *Ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolicâ dignitate.* Sanctus Paſchaſius Paſchaſ. lib. 8. *Petrus prior pro omnibus reſpondet. Prioratus officii eſt, & ardor fidei munus.* Et ſanctus Chryſoſtomus homil. 55. in Matthæum. Chryſoſt. *Quid igitur Petrus? omnium Apoſtolorum os, vertex conſortii totius. Cum omnes interrogati eſſent ipſe ſolus reſpondet.* Sanctus Auguſt. Auguſtinus ſerm. 13, de verbis Domini. *Ipſe Petrus in Apoſtolorũ ordine primus,*

in Chriſti amore promptiſsimus ſæpè unus reſpondet pro omnibus. Paulus Emiſſenus homilia de Chriſti Nativitate. *Nonne Petrus Apoſtolorũ coryphæus, eorundemque os reſpondet, Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4 in Ioannem cap. 18. *Per unum qui præerat, omnes reſpondent.* Et lib. 12. cap. 64. *Cùm Salvator à Diſcipulis quæreret; Vos autem quem me eſſe dicitis, Petrus, ut Princeps, caputque cæterorum primus exclamavit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. 11. *Omnibus Apoſtolis reticentibus (ſupra vires enim erat hæc doctrina) Petrus Princeps Apoſtolorũ, & ſupremus Eccleſiæ præco dicit ad ipſum, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Quæ verba denotant Petrũ non tantùm eſſe caput Eccleſiæ & principem Collegii Apoſtolici, ſed etiam fidei doctrinâ ſuperiorem. Quibus ſubſcribens noſter eruditiſſimus Sylveira tomo 4. in Evangelia lib. 6. cap. 5. quæſt. 10. num. 89. poſt Abulenſem quæſt. 56.
Sylveir. *Petrus erat futurus Paſtor & Præſul totius orbis, ut igitur innueretur, quod populus deberet tenere fidem qualem ejus paſtor profitetur. Ideò Petrus qui futurus erat univerſalis Paſtor ſolus reſpondet. Deindè voluit Chriſtus, ut fidei confeſſio eſſet per ſolam Petrum, ut denotaret quod talis fides tenenda eſt, qualem prædicat Romana Eccleſia, &c. cui Petrus præfuit, cujuſq; ſucceſſor eſt Romanus Pontifex.* Eandẽ futuram præeminentiam innuit dum
Mat. 19 Matthæi cap. 19. verſ. 17, dixit Chri-
v. 17. ſto. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, &c.* Lucæ cap. 12. verſ. 41.
Luc. 12. *Domine ad nos dicis hanc parabolam, an*
v. 41. *ad omnes?* Ioannis cap. 6, verſ. 68. *Dixit*
Ioan. 16. *ergò JESUS ad duodecim, numquid*
verſ. 68. *& vos vultis abere? reſpondit ei Simon Petrus Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes?* Sanctus Cyprianus lib. 1. epiſt. 3, ad Cornelium longè ante medium. *Petrus tamen ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia, unus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens ait, Domine ad quẽ ibimus.* Similibus exemplis oſtendit Chriſtus ſe ſuos Apoſtolos & principatu & infallibilitate ſuperare, ut etiã Matthæi cap. 9. verſ. 11. Lucæ cap. 6, verſ. 2. Deinde licet Apoſtoli habuerint infallibilitatem ſivè ſeorſim ſivè conjunctim, non ſequitur Epiſcopos, qui non undecim, ſed in maximo numero ſunt eâdem infallibilitate pollere quàm Apoſtoli habuerunt. Nec Epiſcopi eâdem juriſdictione gaudent, quâ Apoſtoli. Hi enim illam à Chriſto, illi à ſummo pontifice. Hi in univerſum orbem, illi determinatè pro ſuâ Diœceſi, & ita ſubjectam & reſtrictã, ut nequeant leges ferre niſi ſub hâc vel illâ formâ. Nec conſequenter per ſe diviſim vel conjunctim eandem poteſtatem habent condendi, eadem fidei & morum documenta.

§. 12.

Diluitur argumentum petitum ex Concilio Tridentino.

NEque præfatis obſtat ſacra Synodus Tridentina ſeſſione 24. I.
c. 1. ubi ait. *Proindè ſacroſancta Synodus declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorũ locum ſucceſſerunt ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei.* Reſpondet noſter Franciſcus cõcilium intelligi proportionaliter ad juriſdictionẽ, quam tempore Apoſtolorum Timotheus, Titus & alii Epiſcopi acceperant ab Apoſtolis, & nunc à Sede Apoſtolicã, quæ legitimè ſuccedit Petro in juriſdictione univerſali.

§. 13.

Reſpondetur Patribus.

QUædam objectiones petunt, I.
primò ex S. Cypriano lib. de
unitat. Eccl. ubi ait. *Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem parem poteſtatem tribuat, & dicat ſicut miſit me Pater & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittuntur illi, ſi cui retinueritis, tenebuntur. Tamen, ut unitatem manifeſtaret unitatis ejuſdem* *Cyprian.*

originem

originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari cõſortio & honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur, & paſtres ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur qui ab Apoſtolis unanimi conſenſione paſcatur Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſonâ Domini deſignat & dicit: Vna eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſua, electa genitrici ſua. Ex quibus verbis cõcludunt Epiſcopos in Concilio generali unitos, eſſe infallibiles. Recurrit hæc reſponſio alibi relata, paritatem inter Petrum & alios Apoſtolos ſtatui in ſolo honore & poteſtate Apoſtolatus, ſivè miſſionis, & Spiritus ſancti à Chriſto infuſi. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos; accipite Spiritum ſanctum, &c.* Ioannis cap. 20, verſ. 21. & 22. non verò in dignitate principatus & capitis Eccleſiæ, quæ dignitas ſoli Petro collata eſt Matthæi cap. 16, Ioannis cap. 21. Lucæ cap. 22. & apud S. Cyprianum verbis ſequentibus locum ſequentem. *Qui Cathedram Petri*, non ait, *qui Cathedram Apoſtolorum*, nec *Cathedras Apoſtolorum.* Nec epiſt. 3. pro diſpoſitione Marciani Arelatenſis Epiſcopi fautoris Novatianorum, petit Concilium congregari: ſed rogat ut ipſum privet Epiſcopatu.

Ioan.20 v.21.& 22

II. Inſtabis Sanctum Cyprianum acriter reſtitiſſe Stephano Papæ definienti hæreticos non eſſe rebaptiſandos. Reſpondent aliqui excuſari à D. Auguſtino lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. eo quod oppoſitum non eſſet definitum ab Eccleſiâ per plenarium Concilium. Reſpondent alii S. Cyprianum non ideò cenſendum hæreticum. Primò quia etiam nunc non cenſentur manifeſtè hæretici, qui aſſerunt Pontificem poſſe errare. Deindè quia Stephanus Papa non definivit tanquam de fide hæreticos non rebaptiſandos, quamvis juſſerit non rebaptiſari, quod ex eo patet; quia non excommunicavit Cyprianum & alios contrarium ſentientes. Sicut etiam è contra Cyprianus in Concilio 80. Epiſcoporum definiens hæreticos rebaptiſandos, noluit hoc haberi tanquam de fide. Vndè diſertè proteſtatus eſt nolle ſe ſuperare ab iis qui cõtrarium ſentiebant. Alii dicunt Stephanum voluiſſe ſervari antiquam conſuetudinem, cui non acquieſcebat ſanctus Cyprianus exiſtimans illã repugnare divinæ inſtitutioni, quamdiu oppoſitum non erat apertè definitum, prout poſt ejus mortem definitum eſt in Concilio Nicæno. Nec verum eſt propterea Pontificem poſſe errare. Quod ſi poſſit errare ut privata perſona in credendo: non tamen ſequitur poſſe errare in definiendo.

Secundum argumentum deſumitur ex ſancto Auguſtino ſerm. 108. ex diverſis, dicens. *Meritò etiam poſt reſurrectionem Domini ipſi Petro oves ſuas commendavit paſcendas. Non enim inter diſcipulos ſolus meruit paſcere dominicas oves, ſed quando Chriſtus ad unum loquitur unitas commendatur.* Reſpondeo hunc locum nobis favere. Nam per particulam *unitas* intelligitur originis & capitis, ut patet ex ſequentibus. *Et Petro primitus, quia in Apoſtolis Petrus eſt primus*, ſcilicet prioritate capitis & juriſdictionis. lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum ſuam de infallibilitate Papæ mentem aperit, dum ait, *Quaſi verò nulla hæreſis aliquando in Synodi congregatione damnata ſit; cùm potius rariſſimæ inveniantur propter quas damnandas talis neceſſitas extiterit.* Vrgent ejuſdem Sancti Auguſtini libr. 2. de baptiſmo cap. 4. verba. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus dicere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati.* Reſpondeo. *Per univerſæ Eccleſiæ concordiſſimam auctoritatem* intelligi plenarium Concilium confirmatum auctoritate Apoſtolicâ, in quâ fundat ſuum decretum, ut patet à fortiori, eo quod hæreſes damnatas à Papâ extra Concilium approbet. III.

Tertium argumentum colligitur ex ſancto Athanaſio orat. 4. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. fidelis ſermo, & non vacillans promiſſio; & Eccleſiæ injuncta res eſt.* Reſpondeo in vocabulo *Eccleſiæ* comprehendi legitimum Petri ſucceſſorem, ut patet, imò Eccleſia virtualiter includitur IV.

in ipſo Pontifice ut capite.

V. Quartum argumentum ſubminiſtrat epiſtola Synodica Sardicenſis. *Vt ſancta Synodus in Sardorum Civitatem conveniret, quò omnis controverſia praeideretur.* Reſpondeo ibi non excludi Romanae Sedis auctoritatem tam quod convocationem, quàm definitionem ejuſdem Concilii.

VI. Quintum fundatur in verbis Zozimi papae ſcribentis Galliarum Epiſcopis. *Contra ſtatuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem ſedis poſſit auctoritate: apud nos enim inevulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum auxère reverentiam.* Reſpondeo loqui de ſtatutis Patrum à ſuis praedeceſſoribus confirmatis. Sic explicandae ſunt litterae ad Epiſcopos Africanos, & alia loca citata ab adverſariis. Quod ſi Conciliorum definitio dicatur aliquando neceſſaria, id dicitur non ob defectum certitudinis fidei decretorum papae extra Concilium definientis, ſed ob rationes à nobis ſupra allatas, & poteſtatem deciſivam in Epiſcopis conciliariter congregatis & participatam & dependentem à Sede Apoſtolicâ.

VII. Pro ſexto argumento, Arreſtum Parlamenti Pariſienſis & Decretum Sorbonicum nominatim citant Ioannem Gerſon Cancellarium Pariſienſem tractatu an liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare. Vbi concludit affirmativè dicens propoſitione 2. *In cauſis fidei non habetur in terrâ judex infallibilis, &c.* Propoſitione 3. *In cauſis fidei nullus particularis homo per ſuam determinationem poteſt in propoſitione non haereticâ facere haereticam, ſicut nec de Catholicâ facere Catholicam. Nec Papa, nec Epiſcopus propriè loquendo poſſunt propoſitionem aliquam haereticare, &c.* Propſitione 4. *In cauſis fidei nulla determinatio judicialis Epiſcopi, imò nec papae ſolius praeciſe ut eſt Epiſcopi vel Papae ligat fideles ad credendum, quod ita ſit de veritate fidei, &c.* Reſpondeo primò propoſitione 3. loqui de Pontifice ut perſonâ privatâ, non ut monarchicâ, quae hoc modo eſt infallibilis. Reſpondeo ſecundò Gerſonem id non affirmare determinatè ut patet in fine tractatus, quem ita concludit. *Finis tractatuli ad inquiſitionem veritatis magis, quàm ad determinationem editus.* Quod ſi illum aliter intelligendum eſſe quidam acriter ſuſtineant. Reſpondeo cum Duvallio. *Privilegium infallibilitatis Pontifici denegarunt: ſed illud ei conceſſerunt alii, quorum quidam multò ſunt illis celebriores, ut S. Thomas, itemque Divus Bonaventura ſingulare ſcholae Pariſienſis decus, Henricus Gandavenſis, Herveus Armoricus, &c.* Ita de Romano Pontifice part. 2. q uaeſt. 4. Quaſi diceret, prae nominati ſuperant numero, merito, doctrinâ Gerſonem, & alios aſſerentes infallibilitatem in rebus fidei non eſſe communicatam ſucceſſoribus Petri. Ita reſpondendũ eſt ad Petrum Aliacenſem part. 3. cap. 1. Jacobum Almainum lib. de ſupremâ poteſtate Eccleſiae cap. 4. prop 4. Vndè optimè animadvertit Mauclerc part. 2, lib. 3. cap. 16. quod *Concilium Baſilienſe licet ab Eugenio IV. congregatum, tamen poſtea in graviſſimos impegit errores: ut cùm haereticum eſſe definivit negare Concilium eſſe ſupra Papam. Nunc quis tam inſanus & mentis inops, qui hujus aſſertionis ac definitionis Baſilienſis oppugnatores haereticâ peſte contaminatos eſſe auderet, velletque defendere.* Idem docet Duvallius part. 4. quaeſt. 7. addens verſ. *Caeterùm non tantùm*, opinionem contrariam non eſſe temerariam vel erroneam.

Gerſon.

CAPUT XVII.

Infallibilitas Sedis Apoſtolicae in decretis Morum demonſtratur.

IN decretis morum ſpectantibus ad univerſam Eccleſiam, & neceſſariis ad ſalutem, Pontifex eſt infallibilis. Hanc infallibilitatem delineavit Sanctus Propheta Eliſeus, dum lib. 4. Regum cap. 5. hoc decretum edidit contra Giezi avaritiam, Simoniam & mendacium. Verſ. 26. *Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes* I.

l. 4. Reg. 5. v. 26.

veſtes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas.
verſ. 27. Verſ. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo uſque in ſempiternum, & egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.* Menochius *Quaſi nive aſperſus & albicans.* Tirinus. *Quaſi nive fuiſſet conſperſus. Quæ erat lepra omniũ teterrima; ad dolorem acerbiſſima, & curatu difficillima, ut medici aſſerunt.* Hanc pœnam immediatè ſecutam inflixit Eliſeus ut à ſimilibus criminibus ac pravis modis agendi poſteros Giezi in lege ſcripti, & in lege novâ fideles avocaret. Pontificiam auctoritatem infallibilem in rebus morum docent Bellarminus lib. de Romano Pontifice cap. 5; Malderus ſup. dub. 6. Canus libr. 5. de rebus Theologicis cap. 5. quæſt. poſt com. 1. Sylvius lib. 4. de contrar. quæſt. 2. art. 13. Turrianus diſput. 16, dub. 2, Valentia de objecto fidei diſput. 1. quæſt. 1. puncto 7 §. 40. Bannez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Amicus de fide diſput. 7. ſect. 2. Noſter Franciſcus ſup. dubio 2. Probant primò ex illo Ioannis cap.
Joan. 16. v. 13. 16. verſ. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Syriacus. *Deducet vos in omnem veritatem.* Euthymius. *Ducet vos in omnem veritatem.* Sanctus Leo. *Diriget vos in omnem veritatem.* Marius Victor. *Præibit vos in veritate omni.* Ideſt (inquiunt noſter Sanctus Cyrillus Alexandrinus, S. Auguſtinus, Euthymius, Theophilactus, Beda, Maldonatus, noſter Sylveira,) docebit omnem veritatem de quâ nunc loquor neceſſariam ad ſalutem in hac vitâ per obſervantiam mandatorum comparandã, & ad Eccleſiæ inſtructionem ac utilitatem. Quomodò Spiritus ſanctus docet fideles in hac vitâ? Per Pontificem, qui eſt Vicarius Chriſti, cui ex divinâ lege tenentur parerere, in iis quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria: ut definit Martinus V. in Concilio Generali Conſtantienſi, in bullâ quæ incipit. *Inter cunctas.* Poſt ſeſſionem ultimam poſtquam damnavit errores Joannis Wicleff & Ioan-
Mart. 5 nis Hus præcipit interrogari omnes de hæreſi ſuſpectos. *Vtrum credant, quod illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit & approbat in favorem fidei & ſalutem animarum, quod eſt ab univerſis Chriſti fidelibus approbandum, & tenendum, & quod condemnavit & condemnat eſſe fidei & bonis moribus contrarium, hoc ab iiſdem eſſe tenendum pro condemnato, & credendum & aſſerendum, &c.*

Ratio prima eſt, ſi Pontifex in legibus ferendis de rebus neceſſariis ad ſalutem poſſet errare, poſſet Eccleſia tota in rebus ſpectantibus ad ſalutem errare. At in negotio ſalutis tota Eccleſia nequit errare juxta illud Chriſti Matthæi cap. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et ſi poſſet errare falſitate doctrinæ, vel malitiâ & iniquitate morum, poſſent contra eam prævalere portæ inferorum; quandoquidem ex Chriſti præcepto tota Eccleſia teneatur parere pontifici præcipienti vel prohibenti neceſſaria ad ſalutem. Poſſet igitur Eccleſia errare, ſi pontifex eſſet fallibilis. Ratio ſecunda, quilibet Princeps ſapiens communicat ſuo Vicario eam omnem poteſtatem quæ neceſſaria eſt ad comparandum finem propter quem illum conſtituit. At pontifex ut Chriſti Vicarius nequit aſſequi finem propter quem eſt conſtitutus, ſi careat infallibili auctoritate. Finis enim propter quem inſtituitur Vicarius eſt directio animarum ad ſalutẽ æternam, quod ſi poſſet errare præcipiens res ad ſalutem neceſſarias, non eſſet ad ſalutem dirigere animas ſibi commiſſas. Ratio tertia, ſi poſſet errare Pontifex præcipiens res ad mores, poſſet etiam errare in rebus ad fidem ſpectantibus. Nam eadem ſcriptura docet virtutes amplectendas, & vitia fugienda, non enim poſſet vitium præcipere, niſi ſub ratione honeſti & boni, & virtutem prohibere niſi ſub ratione mali & turpis. II.

III. Objicies non erraret Eccleſia ex eo quod Pontifex erraret in præcipiendo, aut prohibendo aliquid contra jus naturale: quia tunc Eccleſia non teneretur parere Papæ, cùm non teneamur obedire ſuperiori præcipienti expreſsè malum, ſeu aliquid contra jus naturale. Reſpondeo negando

ſequi. Nec enim qnod præcipitur vel prohibetur eſt ſemper manifeſtè contra jus naturæ, in quo caſu Eccleſia teneretur ſequi præceptum ſui paſtoris. Nam in dubiis debemus ſequi ſententiā ſuperioris. Deinde idem dici poſſet de auctoritate Pontificis in definiendis rebus fidei. Nam quis poſſet dicere ex eo quod papa erravit in doctrinâ manifeſtâ fidei non ideò erraret Eccleſia, quia non teneretur in tali caſu ſequi ſententiam papæ, quæ foret ſcripturæ manifeſtè oppoſita. Deindè ſi Eccleſia non eſſet certa de infallibilitate ſui paſtoris, multa ſequerentur abſurda: Nam deberet ſæpè examinare definitiones pontificias an eſſent conformes ſcripturæ & Apoſtolicis traditionibns, quod eſt cōtra Chriſti præceptum Matthæi cap. 23. *Omnia quæcumque dixerint vobis ſervate & facite.* Et contra debitam ſubordinationem & reverentiam ſubditorum erga ſuum ſuperiorem. Debet igitur Eccleſia eſſe certa de infallibili auctoritate ſui capitis, quam certitudinem nequit habere, niſi divinâ fide reddatur certa, quod non poſſit errare præſcribendo res ad ſalutem neceſſarias, alioqui ſemper maneret dubia & perplexa, an ſequendo regulam ſui capitis in rebus ad ſalutem ſpectantibus foret ſecura. Dices ſuppoſito tunc errore capitis præcipientis vel prohibentis illicita, tamen membra non errarent, ſed obediendo excuſarentur ab errore, & potius mererentur coram Deo ſicut ſi exequerentur vera præcepta. Reſpondeo idem poſſe dici de rebus ſpectantibus ad fidem. Licet enim Papa præſcriberet fide divinâ credendum quod non eſſet verum & revelatum à Deo, membra credendo illud fide divinâ putatâ non errarent ſaltem practicè, quod tamen nemo Catholicorum admittit in rebus ad fidem ſpectantibus. Ratio eſt quia cum Pontifex ſit in Eccleſia à Chriſto conſtitutus, ut vices ſuas obeat in regimine hominum ad æternam ſalutem, debet divina providentia dare Pontifici ut ſuo Vicario ad ejuſmodi munus obeundum omnem facultatem neceſſariam, cujuſmodi eſt infallibilitas in definiendis rebus fidei, & ferendis legibus ad ſalutem neceſſariis. Quod ſi Chriſtus permitteret ſuo Vicario errare præcipiendo ad ſalutem neceſſaria, Chriſtus tacitè argueretur inſufficientis providentiæ erga ſuam Eccleſiam, ſicut Archiepiſcopus argueretur inſufficientis providentiæ, vel alius Eccleſiaſticus aut ſæcularis princeps non conferens ſuo Vicario poteſtatem neceſſariam muneri ſuo ritè perſolvendo. Denique Chriſtus non vult homines ſalvari per media iniqua & falſa, quæ inculpabiliter putantur honeſta & vera, ſed per media quæ naturâ ſuâ ſunt vera & honeſta. Hanc ergò poteſtatem definiendi & præcipiendi ſine errore Chriſtus dedit ſuo Vicario. Nam voluntas dandi media debet cōmenſurari voluntate dandi finem, & ut Chriſtus velit ſalutem hominum debuit dare media vera & honeſta eos dirigendi ad illum, cujuſmodi ſunt, non tantùm quæ à Chriſto & Apoſtolis tradita ſunt, ſed etiam quæ ab Eccleſiâ ſtatuuntur.

Vndè ſi Pontifex definiat vel declaret contractum, verbi causâ, montis pietatis eſſe juſtum & licitum, errare nequit. Ita Molina tractat. 2. de contractibus diſput. 325. Malderus, Bannez, Turrianus, Valentia, Suarez, Amicus ſupra contra Sotum. Ratio prima eſt, quia de facto Leo X. id authenticè declaravit, imò Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Julius II. juſtum eſſe & licitum declararunt, ut patet ex bullâ Leonis lectâ & publicatâ, & approbatâ in publico Concilio Lateranenſi ab omnibus, excepto Archiepiſcopo Tranenſi contradicente, ut patet ex ſeſſione ejuſdem Concilii, quia ſpectat ad auctoritatem pontificis, ut paſtoris habere poteſtatem infallibilem ſalubriter paſcendi oves Chriſti, quæ poteſtas eſſet validè diminuta ſi ſe non extenderet ad tales leges declarandas. Nec obſtat quod earum declaratio non penderet ex ſcripturâ, vel ex naturâ talium legium, vel ex philoſophia morali. Dico enim eas à Pōtifice non definiri ut ſunt veritates philoſophicæ, ſed ut ſunt præcepta morum neceſſaria ad ſalutem, pro IV.

quibus

quibus definiendis habere debet Spiritus ſancti aſſiſtentiam infallibilem, ut definiat & declaret, quod ſaluti hominum eſt conveniens. Sic Clemens V. in Concilio Viennenſi declaravit animam eſſe corporis formā, non ut hæc veritas proximè pendet philoſophiâ, ſed ut dirigatur ad doctrinam fidei.

V. Quod ſi Pontifex reſolvat civiles quæſtiones facti, quæ penitus pendent ab informationibus humanis, ut innocentem damnare, & reum abſolvere, poteſt aliquando errare. Ita noſter Franciſcus ſupra. Poteſt etiam errare in multiplicatione legum, quæ mores non tangunt, ita Cardinalis à Turrecrematâ lib. 2. de Eccleſiâ cap. 93. Cardinalis Bellarminus lib. 4. de pontif. cap. 2. noſter Franciſcus ſup. Ratio eſt quia tunc promiſsâ aſſiſtentiâ Spiritus ſancti, cum in iis non procedat ut pontifex & caput Eccleſiæ, ſeu ut judex à Chriſto conſtitutus ad controverſias fidei & morum dirimendas.

VI. Quod ſi quæſtiones facti ad fidem vel mores ſalutares ſpectantes ſiſtant in ipſis factis merè humanis ſpectantibus ad examen, inſtructionem diſpoſitionem prævìam decreto fidei de facto principali fidem & mores ſalutares concernente, debent reduci ad civiles quæſtiones facti in quibus papa poteſt errare. Quia ut ſic præcisè non habent connexionem neceſſariā cum quæſtione facti principalis concernentis fidem vel mores ſalutares, ſed, ut patet, ab iis abſtrahunt. Quod ſi quæſtiones facti pertinentis ad fidem vel mores ſalutares ſiſtant præcisè in ipſo facto principali fidem & mores ſalutares cōcernente, jam illis prævìè in dicto examine, diſpoſitione & inſtructione prǣſuppoſitis reduci debēt ad quæſtiones facti in quibus Papa errare nequit. Ratio eſt, quia ut ſic præcisè non habent connexionem cum quæſtionibus facti in quibus errare poteſt, ſed ab hoc abſtrahūt. Quod ſi, quæſtiones facti ad fidē vel mores ſalutares ſpectantis ſiſtant in utroque conjunctim, in uno directè & in altero indirectè, ſic nempè, ut ex hoc ex Cathedrâ directè, præcisè definito, alterius veritas indirectè ex Cathedrâ definitâ inferatur per conſequentiam legitimam; Tunc non ſolùm quæſtio facti principalis fidem aut mores ſalutares concernentis poſt directam hujus ex Cathedrâ definitionem eſt fidei infallibilis, ſed & quæſtiones facti, quarum veritas ex illâ præcisè, directè definita ex Cathedrâ per conſequentiam legitimam infertur. Vndè ſi Papa definiat ex Cathedrâ hanc Hoſtiam quæ à Joanne adoranda proponitur reverà Corpus Chriſti realiter continere. Vel Clemens IX. ſe eſſe legitimum Petri ſucceſſorem, & ita de aliis; Non debet intelligi id definire ob quæſtionem aliquam facti primo modo acceptam: verbi cauſâ, quod Pontifex eſſet legitimè baptiſatus, quod Cardinales electores habuerint legitimam intentionē eligendi verum Petri ſucceſſorem; Vel quod illa hoſtia eſſet verè & ritè conſecrata, quia in hoc poteſt errare. At omnis definitio ex Cathedrâ eſt certiſſimè infallibilis, uti legitima Cathedra Petri, ſed facta ex motivo Spiritus ſancti inſtinctus infallibilis ſemper prævii, ſic ut ex quæſtione facti principalis jam directi præcisè ex Cathedrâ definita inferatur veritas quæſtionum facti, quæ neceſſariam connexionem habeat per legitimam conſequentiam. Quænam autem per legitimam conſequentiam habeant cum illa neceſſariam connexionem eſt ſemper nobis in fide abſolutè infallibile, quamdiu Papa non definierit directè ex Cathedrâ, licet de illo poſſimus habere moralem, & logicè invincibilem certitudinem hypotheticam.

VII. Quoad quæſtiones facti cuiuſcumque, ſpectati ut concernit fidem vel mores ſalutares, & deducti ex verbo Dei ſcripto, vel non ſcripto, ſive tradito, ſummus Pontifex eſt veritatis infallibilis, dum illas quæſtiones definit ex Cathedrâ, ſive per Bullas fidei, ac toti Eccleſiæ ſuam definitionē divinâ fide credendam proponit. Probatur primò, quia (ut fatentur omnes Catholici) eſt infallibilis veritatis ſaltem cum Concilio generali in quæſtionibus juris concernentis fidem vel

vel mores ſalutares. At hæc infallibilitas pendet ab ejus infallibilitate ſaltem cum Concilio Generali in quæſtionibus facti cujuſcumque ſpectati, ut concernit fidem vel mores ſalutares, dum eas ex Cathedrâ, &c. definit. Patet minor, quia hæc quæſtio juris, an Papa cum Cōcilio generali ſit veritatis infallibilis, ſeu habeat aſſiſtentiā infallibilem Spiritus ſancti: pendet ab hac quæſtione facti an ſcriptura novi teſtamenti quam veneramūr ut verbū Dei, ſit infallibiliter verbum Dei, non verò hominum: ſive an traditio quod ſit verè verbum Dei, incœperit à Deo, vel ab homine ſolo. Sed hæc quæſtiò facti nequit infallibiliter reſolvi, niſi ſupponatur ſummus Pontifex eſſe veritatis infallibilis ſaltem cum Concilio Generali. Primò quia ita certa eſt, ut ſoli hæretici negent. Secundò quia nequit alius aſſignari privatus cujuſque ſpiritus, qui varietati, & fallibilitati eſt obnoxius. Signa autem veræ Eccleſiæ ad probandum Papam eſt, quod ſit veritatis infallibilis ſaltem cum Concilio. Primò quia ex Deuteronomii cap. 17. ipſi ex officio incumbit veritates fidei aperire, ſaltem cum Concilio Generali. Secundò, quia ſi cum Concilio Generali non foret infallibilis veritatis in ſimilibus deciſionibus, nulla ſubeſſet infallibilitas in materiâ fidei Catholicæ, ut hæretici libertini ſuſtinent. Quam tamen infallibilitatem S. Auguſtinus lib. 1. contra epiſtolas fundamenti cap. 5. affirmat, *Ego (inquit)*
Auguſt. *Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Et lib. 1. contra Creſconium cap. 31. & 33. & S. Ambroſius in pſalm. 43. &
Luc.22. ipſe Chriſtus Lucæ cap. 22. *Rogavi pro te Petre, &c.* quæ pro eo & ſucceſſoribus dixit, ut alibi oſtendimus.

VIII. Quod ſi Papa cum Concilio Generalis ſit veritatis infallibilis in decidendis quæſtionibus facti ſpectati ut concernit fidem vel mores ſalutares, erit etiam extra Concilium veritatis infallibilis in quæſtionibus facti concernentis fidem vel mores ad ſalutem congruos, ut ſupponunt S. Auguſtinus libr. 2. contra litteras Petiliani cap. 51. S. Hieronymus contra Luciferianos, S. Cyprianus epiſt. 69. Imperator C. de ſumma Trinitate l. 1. *Cum populus, &c.* & l. 9. *Non enim.* Valentinianus ad Theodoſium relatus in præambulo ad Conciliūm Chalcedonenſe 2, *Debemus dignitatem propriæ venerationis Beato Petro Apoſtolo* *Valentinianus* *in noſtris temporibus conſervare, quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & ſacerdotibus judicare.* Qui omnes nullam faciunt mentionem infallibilitatis Pontificiæ in Concilio Generali vel particulari. Et meritò, quia ex octavâ Synodo Generali art. 7. Concilio Romano ſub Symmacho papâ, Synodo ſextâ approbante epiſtolam Agathonis Papæ, Bonifacio cap. *Si Papa*, diſtin. 40. Innocentio cap. *Majores*, de Baptiſmo, & aliis auctoritatibus & rationibus ſupra relatis Concilium non eſt ſupra Papam. Item ex Lucio I. epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniarum & Galliarum, Fœlice I. epiſt. ad Benignum. Agathone epiſtol. ad Conſtantinum. Marco epiſt. ad Athanaſium. Leone I. ſerm. 2. de Nat. SS. Petri & Pauli, & ſermone 3. de aſſumpt. ad pontificatum. Leone IX. epiſt. ad Petrum Antiochenum. Paſchali II. in Concilio Romano, & aliis, Romanus Pontifex docens ex Cathedrâ nequit errare, & confirmatur experientiâ, qua extra Concilium Generale Pontifices errores damnarunt, & nuperrimè Innocentius X. in conſtitutione, quæ incipit *Cum occaſione impreſſionis libelli, cui titulus eſt Auguſtinus Cornelii Ianſenii, &c.* data 3. Maii. Et Alexandri VII. quæ incipit, *Regiminis Apoſtolici*, ſpecialiter emanata pro regno Galliæ anno 1664. Decimo quinto Calendas Martii.

IX. Contra cenſuram Facultatis Pariſienſis aſſerentis Concilium eſſe ſupra Papā, & alia ab aliis oppoſitā, Quæro an illorū mens prævaleat auctoritati tot Conciliorum, Pontificum, Patrū, Theologorum, &c. An Chriſtus dixit alicui doctori, vel univerſę Academię Pariſienſi, potius quàm Petro & ſucceſſoribus Matthæi c. 13. *Tu es Petrus, &c.* Lucæ 22. *Confirma fratres tuos, &c.*

Ioannis

Joannis cap. 21, *Paſce oves meas, &c.* An Auguſtinus dixit *Evangelio non crederem, niſi Univerſitatis Pariſienſis* (quæ nondum eſt, ſed poſt mille ducentos annos congregabitur) *commoveret auctoritas.*

X. Dices cum Anonymo Secretario & Advocato, patrono Congregationi nuperrimę Facultatis Pariſienſis art. 6. *S. Auguſtin pour l'affaire des Donatiſtes declare expreſſement dans ſa lettre 126. que les Donatiſtes ont eſté condamnez par le Pape Melchiade, s'ils euſſent eu ſujet de ſe plaindre de ce jugement, comme y ayant eſté injuſtement condamnez il leur reſtoit le Concile General de toute l'Egliſe, où leur cauſe pouvoit eſtre examinée de nouveau avec ceux qui l'avoient jugée & leur ſentence reformée, ſi on les euſt pû convaincre d'avoir mal jugé.* S. Auguſtinus ſcribit quod Donatiſtæ inſtiterunt, ut ſua cauſa ab Epiſcopis Ultramarinis examinaretur, pollicentes ſe eorum reſolutioni ſubmiſſuros. Ex quibus infert infallibilitatem ſaltem majorem eſſe in Concilio, quàm in Romano Pontifice. *Auguſt.* Reſpondeo S. Auguſtinum præfato Advocato minimè favere, ut patet ex ejus verbis. *Elegerunt* (inquit) *ſicut dicitur, ad duas fraudes agere cauſam cum Cæciliano apud Eccleſias tranſmarinas, parati ad utrumque, ut ſi eum potuiſſent quacumque verſutia falſa criminationis evincere, ſatiarent pleniſſimè curioſitatem ſuam, ſi autem non poſſent, in eadem quidem perverſitate durarent, ſed jam tamen haberent, quod dicerent malos judices ſe eſſe perpeſſos, quæ vox eſt omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifeſtiſſimâ veritate ſuperati, quaſi non eis ad hoc dici poſſet, & juſtiſſimè dici: Ecce putemus illos Epiſcopos qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut ſi malè judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Quod utrum fecerint, probent: nos enim non factum eſſe facile probamus ex eo quod totus orbis non eis communicat. Aut ſi factum eſt, etiam ibi ſunt victi, quod ipſa eorum ſeparatio manifeſtat.* Quibus verbis ſanctus Auguſtinus innuit illis (qui manifeſtiſſimâ veritate ſunt convicti, in ſuâque perverſitate perſeverant) adhuc reſtare Concilium univerſale ſupra particulare, necdum à ſede Apoſtolicâ confirmatum, ut patet ex illis verbis. *Ubi etiam cum ipſis judicibus, &c.* Quibus non intendit poſſe à Concilio Generali ſolvi quod Romæ à Sede Apoſtolicâ definitum eſt. Ut innuit conſequenter *Non enim non factum eſſe facile probamus, &c.* Unde ſubdit, *Nemo dolet de cælo conſtitutionem Dei. Nemo dolet de terra Eccleſiam Dei.* Quaſi diceret alioqui delenda cæleſtis conſtitutio, delenda de terra Eccleſia Dei militans, quam ruinam hæretici, & politicus Advocatus fruſtra aggrediuntur: ſupra protulimus rationes, cur decreta Pontificia Canonibus cõciliorum inſerantur.

Advocatus Anonymus urget auctoritatem ipſam ſancti Leonis, ex quâ infert definitionem pontificiam, & condemnationem Eutychetis fuiſſe iterùm judicatam à Concilio, ut patet ex epiſtolâ ejuſdẽ 33. ad Theodoſium Imperatorem, ex quo infert ſedem Apoſtolicam eſſe fallibilem, ſed cõtrarium colligere eſt ex epiſt. 1. 8. 9. & maximè 30, ubi hæc profert. *Cujus fides omnes quidem hæreſes deſtruit, ſed maximè impietatem præſentis erroris expugnat.* Idem epiſt. 9. inſinuat Theodoſio ideò Concilium celebrari, ut ſcandala citius tollantur, & pax Eccleſiæ reſtituatur. Deindè ut omnis error aboleatur non vi majoris infallibilitatis, ſed vi executionis faciendæ per Epiſcopos & principes ſæculares. Vide has & alias rationes à nobis adductas. Deindè S. Leo urget celebrationem Concilii Generalis nõ quaſi hæreſes ſubtiliſſimæ & occultiſsimæ debeant ab eo ut infallibilitatẽ ſingularem habẽre judicari: ſed ut in eo emendaretur quæ circũferebantur corrupta & depravata in aliis Conciliis, verbi causâ, Epheſino ut patet ex epiſt. 23. ad Theodoſium, epiſt. 24. ad Pulcheriam Auguſtam, epiſt. 22. ad Clerum & plebem Conſtantinopolitanam, epiſt. 26 epiſt. 33. apud alios 31. epiſt. 35. apud alios 33. Omitto hic quæ Advocatus Anony-

XI. *S. Leo*

mus producit de mente S. Cypriani, S. Auguſtini & Firmiliani. Supra enim explicavimus quid S. Cyprianus & Auguſtinus intenderint, quoad Firmilianum Baronius arbitratur fuiſſe unum ex iis, qui ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparaverat, ſed poſtea reconciliatus eſt, & in unitate ſtetit cum S. Cypriano. Vndè nullo modo favet Anonymo, cùm non conſtet illum fuiſſe à Stephano papâ ex Cathedrâ declaratum hæreticum, & nonobſtante illo decreto fuiſſe à totâ Eccleſiâ agnitum pro Catholico. Et nè actum agere videar conſulendus eſt noſter Franciſcus Bonæ Spei à nobis citatus dubio 2. ubi num. 99. & ſeq. oſtendit Anonymum vertere & perperam falſificare reſolutionem Facultatis Pariſienſis. Num 116. explicat Baronium ad annum 631. num. 39. in favorem noſtræ opinionis, potius quàm adverſariæ. Num. 121. ſcribit quomodò Bellarminus lib. 4, de Pontifice cap. 2. ſit intelligendus, num. 118. probat contra Magiſtrum Lupum Concilium Chalcedonenſe, & quævis alia nihil contra infallibilitatem Sedis Apoſtolicæ definiviſſe, & ſi quis in iis error fuerit commiſſus, S. Leo vel alii eum nunquam approbarent, quidquid nonnulli allegent de Honorio vel de aliis.

XII. Cæterùm quemadmodum noſtra Religio maximas gratias referre debet regi Catholico, quia ſæculo præterito plurimùm ac conſtanter laboravit, ut noſtræ religionis reformatio ſeu antiquum inſtitutum à ſanctiſſimâ Thereſiâ conceptum non procalcaretur; ſed in lucē prodiret ad augendam Dei gloriam, Eccleſiæ decorē & animarum ſalutem: ſic univerſalis Eccleſia, ac præcipuè Latina multùm gratulari debet Regi Chriſtianiſſimo quod hoc ſœculo infallibilitatē ſedis Apoſtolicæ propugnavit, dum Janſenianiſmum hoc ſœculo natum, ac ab Innocentio X. & Alexandro VII. Romanis Pontificibus extra cōcilium damnatum extinguere contendit, ſeu (ut utar verbis Alexandri VII. in bulla, quæ incipit *Regiminis Apoſtolici.*) *Singulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo ac conſtantiſſimo animo porrexit. Ac eodem Religionis zelo ductus per ſuum in urbe Oratorem ſummo Pontifici ſignificari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus cōtagionis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quam ſi omnes certā formulā ſubſcriberent Apoſtolicâ auctoritate firmatam, in quâ 5. propoſitiones ex Cornelii Ianſenii libro, cui titulus eſt, Auguſtinus excerptas, ſincerè damnarent, ac proindè illam ab Alexandro VII. quantò citius expediri ad quælibet effugia præcludenda, omneſq; removendos obtentus flagitaverit. Sanctiſſimus Dominus tam piis ejus votis benignè annuendum eſſe ducentes, formulam infra ſcriptam ab omnibus Eccleſiaſticis, etiam venerabilibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, necnon aliis quibuſcumque Eccleſiaſtici ordinis, tam regularibus, quàm ſæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus & Licentiatis, aliiſq; Collegiorum rectoribus, atque Magiſtris ſubſcribi diſtrictè mandavit, &c.* Porrò formula ſubſcribenda hæc eſt. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. editæ 31. Maii 1653. & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ 16. Decembris 1656. ſummorum Pontificum me ſubjici & quinque propoſitiones ex Cornelii Ianſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo reijcio ac damno, & ita juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Quam conſtitutionem Apoſtolicam Rex Chriſtianiſſimus in throno Iuſtitiæ ſedens in Parlamento publicari & regiſtrari curavit, & ejus executionem juſſis urgeri, inobedientes quoſcumque per cenſuras & pœnas, aliaque juris & facti remedia, appellatione poſt poſitâ, damnatos compellens brachii ſui ſæcularis ac Regii.

Ex quibus patet infallibilitatem ſedis Apoſtolicæ non eſſe chymeram infallibilitatis, non eſſe falſam prærogativam poteſtatis Apoſtolicæ, nec temerariam, orthodoxis moribus contumelioſam, & illius propugnatores non eſſe monſtra; emiſſarios curiæ Romanæ, Monachorum caballam: ſed ſanctæ Eccleſiæ veram, XIII.

ac legitimã ſobolem, veræ fidei atque doctrinæ Chriſtianæ ſanæ ubique & ſemper receptæ propugnatricem. Denique Apoſtolicæ infallibilitatis defenſores eſſe Chriſti & ſancti Petri Apoſtolorum principis, totiusque Eccleſiæ paſtoris miſſionarios omni exceptione majores, ſivè fidem, ſivè ſcientiam, ſivè probitatem eorum ſpectes.

§. 1.

Sedes Apoſtolica poteſt definire quis ſenſus ſit ab auctore intentus, non tantùm in quæſtione juris, ſed etiam facti.

I. Occaſione propoſitionum damnatarum per ſanctiſſimos Põtifices Innocentium X. & Alexandrum VII. ac modernum Clementem IX. quidam doctrinæ & famæ Ianſenii Iprenſis Epiſcopi pluſquã par eſt defenſores, contendunt ſenſum ab auctore intentum non poſſe à ſede Apoſtolicâ cognoſci, nec damnari. Senſus alicujus libri, vel propopoſitionis ab auctore intentus ille dicitur, quem de facto auctor in mentè habuit, vel quem habere debuit. Senſus, quem habuit dicitur quæſtio facti. Senſus quem habere debuit, vocatur quæſtiò juris. Vt duo hi termini melius percipiantur: Præmitto primò, quod dum quæritur an aliquid ſit juris vel facti, factum accipitur latius pro dicto, ſcripto, vel concupito, vel internâ mentis operatione. Non tamen ita latè, ut omnia facta comprehendat: ſed ſupponit legem conditam. Vndè Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. priuſquam aliquod decretum fidei vel morum conſtitueret contra hæreſes vel abuſus, determinavit primò quænam forent partes legis divinæ. *Sacrorum* (inquit) *librorum judicem huic decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſubire poſſit, quinam ſint, &c.* Poſtquam eos recenſuit, ſubdit. *Si quis autem libros ipſos integros, prout in Eccleſia Catholicâ* *legi conſueverant non ſuſceperit, anathema ſit, omnes itaque intelligant, quo ordine ipſa Synodus poſt jactum fidei fundamentum, ſit progreſſura.* Sicut ergò Theologus debet ſcire & docere an epiſtola Judæ, verbi causâ, ſit juris divini: ſic Juriſconſultus ſcire debet an extet lex prohibens vel præcipiens, &c.

Concilii Trident.

Præmitto ſecundò, aliquid dici juris vel facti abſolutè vel reſpectivè, nam conſuetudines locales & ſtatuta ſunt vera ſpecies juris reſpectu loci vel communitatis. Item conſuetudines locorum particularium & ſtatuta eſſe facti, & conſiſtere in facto, poſſeque probabiliter neſciri à Pontifice Romano, nec illis derogari per conſtitutionem Apoſtolicam recenter conditam, niſi expreſsè de hoc caveat. Conſuetudines autem & ſtatuta dicuntur eſſe facti reſpectu Eccleſiæ: quia ſæpè ſunt de adminiſtratione rerum pertinentium ad perſonas illorum locorum, an illa hoc vel eo modo ſe habeant. Quæſtio ergò juris eſt an lex ſit condita, à quo, quando, quam vim, valorem habeat, & conſequenter an actus ſit validus vel nullus, quid intenderit qui talia vel talia verba protulit. Nam ex cap. 7. & 26. *de ſponſalibus*, l. 7. ff. *de ſupellectile*, & alibi, id pertinet ad quæſtionem juris. Erit autem quæſtio facti, ſi de facto aliquo quæratur abſque reſpectu ad legem, ejus efficaciam, obligationem, permiſsionem, revelationem, & alia indè reſultantia. Quia verò aliqui dubitant an quæſtio de ſenſu intento ab aliquo per verba vel ſcripturam, verbi causâ, an quinque propoſitiones nuper damnatę ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente IX. ſit juris vel facti, & an ejus deciſio excedat Eccleſiæ aut ſedis Apoſtolicæ indubitatam & definitivam notionem, quod bullis præfatorum Pontificum dicitur; intelligi etiam debet de ſcripturâ ſacrâ, Conciliis generalibus & particularibus, Patribus, Theologiâ, Jure Canonico & Civili, Multi enim ſunt ſenſus intenti à Spiritu ſancto, ſeu Prophetis, à Chriſto, Apoſtolis, Conciliis, Patribus, Theologis, item à Iure Canonico & Civili, II.

verbi cauſâ, qui negaret peccatum originale nocuiſſe toti propagini Adæ contradiceret ſenſui intento ab Apoſtolo, Roman. cap. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundũ.* Vide plura in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. cap. 11. cap 15. & 14. ſeſſ. de Baptiſmo can. 2. ſeſſ. 13. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 1. ſpecialiter circa hæc verba. *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Item ſeſſ. 21. cap. 2. ſeſſ. 22, cap. 1. & can. 2. ſeſſ 24. cap. unic. & can. 7. Senſum illorum verborum Geneſis cap. 1. verſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Explicuit Concilium Nicænum ut patet ex lib. 2. de geſtis poſt ſublatum licinium cap. 15. 16. & 17. Item retulit ſenſum illorum verborum Proverb. cap. 8. verſ. 21. *Dominus poſſedit me initium viarum ſuarum, &c.* Cap. 18. & ſeq. His poſitis, dico quod Sedes Apoſtolica cum Concilio poteſt judicare infallibiliter de ſenſu à Spiritu ſancto intento. Id patet Actorum cap. 1. verſ. 16. *In diebus illis exurgens Pe-*
Act. 1. v. 15. *trus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum ſimul centum vi-*
v. 16. *ginti)* verſ. 16. *Viri fratres oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David de Iuda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt IESVM.* Verſ. 17. *Qui connumeratus in nobis; & ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus.* Verſ. 18. *Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Verſ. 19. *Et notum factum eſt omnibus habitantibus Ieruſalem, ita ut appellaretur ager ille Haceldema, hoc eſt ager ſanguinis.* Verſic. 20. *Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum, fiat commemoratio ejus deſerta, & non ſit qui habitet in eâ, & Epiſcopatum ejus accipiat alter.* Verſ. 21. *Oportet ergò ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus IESVS.* Verſ. 22. *Incipiens à baptiſmate Ioannis uſque in diem, quâ aſſumptus eſt à nobis teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iis.* Illis verbis declarat Spiritum ſanctum eſſe authorem ſcripturæ, ſeu pſalmi quem citat; Davidem eſſe inſtrumentum. Sic cap. 2. verſ. 16. citat Ioelem, cap. 28. verſ. 2. Iſaiam. S. Iudas in epiſtolâ citat Enoch. Ipſe Siracides Eccleſiaſtici cap. 44. citat Patriarchas & viros ſapientes in genere, deinde ſingulariter Enoch, Abraham, Iſaac & Iacob. Cap. 45. Moyſem, Aaraonem, Phinees. Cap. 46. Ioſue, Caleb, Iudices, Samuelem. Cap. 47. Nathan, Davidem, Salomonem, Roboam. Cap 48. Parentem noſtrum Eliam, Eliſeum, Ezechiam. Cap. 49. Ioſiam, Ieremiã, Ezechielem, & duodecim prophetas minores, Zorobabel; Ieſum filium Ioſedec, Nehemiam, Regrediturque ad veteres Patres Enoch, Ioſeph, Seth, Sem, & Adam. Cap. 50. Simonem Oniæ filium ſacerdotem magnum. Sapiens. cap. 10. ſapientiæ producit Adam, Noe, Abraham, Loth, Iacob; Ioſeph, Moyſem quo filii Iſrael de Ægypto educti ſunt per mare rubrum, & Ægyptii demerſi. Apoſtolus ad Hebræos cap. 11. citat Abel, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſem, Raab, Gedeonem, Barac, Samſonem, Iephte, Davidem, Samuelem, & Prophetas maximè ſecundùm Interpretes Eliam & Eliſeum, ubi loquitur de eorum fide, licet nulla huius ſpecifica formalis mentio fiat.

Dum igitur S. Petrus Actor. cap. 1. III.
ait. *Oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus de Iuda, &c.* Licet in illo pſalmo nulla illorum fiat mentio ſpecifica, nec referat formalia verba, tamẽ refert ſenſum ibi cõtentũ, & dum ſubdit. *Oportet ergò ex his viris, &c. Teſtem reſurrectionis ejus.* Iudicat de ſenſu quem intendit Spiritus ſanctus abſque prævio Concilio, vel judicio aliorum. Vndè ſi quæſtio de ſenſu intento à Spiritu ſancto, vel ab ab authore libri ſit queſtio facti etiam de hac potuit Petrus judicare infallibiliter non excedens ſuam poteſtatẽ. Quamvis enim in illis quæſtio facti includatur, tamen auditorum fides non vacillavit, ſicut nec dum Siracides, Sapiens, Apoſtolus: immò necdum Matthæus dixit c. 2. verſ. 23. *Ve-*
niens habitavit in civitate quæ vocatur Matt. 2.
Nazareth, ut impleretur quod di- v. 23.
ctum eſt per prophetas, quoniã Nazaræus vocabitur

vocabitur. Quamvis enim illud vaticinium expreſsè & formaliter non reperiatur; tamen (inquiunt S. Hieronymus, S. Paſchaſius, S. Thomas, Albertus Magnus, noſter Sylveira, Cajetanus, & alii,) Evangeliſta potius attendit ad intentionem & ſenſum, quàm ad verba.

IV. Apoſtolus ipſe ad Epheſios cap. 3. fatetur poſſe judicari de ſenſu à ſe in-
Ephes. 3 vers. 3. tento, verſ. 3. *Quoniam ſecundùm revelationem notum mihi eſt ſacramentũ, ſicut ſupra ſcripſi in brevi prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti.* Etiam Apoſtolus
2. p. Pe: Petrus epiſt. 2. cap. 3 verſ. 16. fate-
c. 3. v. 16 tur in epiſtolis Pauli quædam eſſe difficilia quæ ab indoctis nequeunt intelligi. *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant ad ſuam ipſorum perditionem.* Supponit igitur poſſe intelligi à doctis & conſtantibus, & maximè à ſe ipſo, ut eſt caput Eccleſiæ.

V. Pontifex etiam extra Concilium Generale poteſt judicare de ſenſu ab aliis intento. Id figuraliter docet hiſtoria noſtra, cùm libr. 4. Regum cap. 5. Naaman Syrus recuperatâ ſa-
l. 4. Reg. nitate in ſignum gratitudinis mune-
5 v 25. ra obtuliſſet Eliſeo prophetæ, eaque propheta conſtanter negaſſet ſe accepturum, Giezi ſtimulante avaritiâ proſecutus eſt Naaman abeuntem cõquerens quod magiſter ſuus pauper opes Syri recuſaſſet. Quare cucurrit poſt eum ut ſibi privatim aliquid ab eo acciperet. Excogitavit igitur novam cauſam, quæ contigiſſet ex quo Naaman digreſſus erat, ut voluntatis propheticæ mutatio probabilis appareret. Callidè etiam finxit ſe cogi ad accipienda duo talenta argenti, quaſi prophetæ mandatum de unico talento non auderet prætarire. Acceptam pecuniam duobus ſaccis immiſſam totidem famulorum humeris impoſuit, curavitque in domum ſuam deferri, eaq; ſtudioſè abſcõdit, ne qua rumoris aura prophetę aures afflaret. Igitur ſub veſperam redit ad Prophetam, cui dixit Eliſeus. *Vnde venis? Qui reſpondit, non ivit ſervus tuus quoquã.*
v. 36. Verſ. 26. *At ille ait, nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tibi. Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes; ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ancillas.* Verſ. 27. *Sed* v. 27.
& lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo uſque ad ſempiternũ: Quomodò propheta ait Giezi poſtulaſſe à Naaman pecuniam, ut ſibi oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ancillas compararet, cùm Giezi nullam harum rerum comparandarum mentionem fecerit? tantùm enim dixit verſic. 20. *Vivit Dominus quia curram poſt* vers. 20.
eum, & accipiam ab eo, quæ attulit. Et dum Naaman afflatur verſ. 22. *Do-* vers. 22.
minus meus miſit me ad te dicens modò venerunt ad me duo adoleſcentes de mõte Ephraim & filiis prophetarum, da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices. Quamvis Giezi ſuam intentionem formalibus verbis non expreſſerit, tamen de eo propheta infallibiliter judicavit, ad quod propheticum dictum Giezi non replicavit. Nicolaus du Bois Profeſſor Lovanienſis in cap. 1. Actorum ad verſ. 16. quæſt. 15. Noſter Franciſcus Bonæ Spei in eâdem Academiâ etiam Lector Theologus concludunt etiam ſanctum Petrum ut caput Eccleſiæ, ejuſque ſucceſſores poſſe judicare de ſenſu ab authore libri intento, etiamſi ſit quæſtio facti abſque periculo vacillandi in fide.

Hujus veritatis varia argumenta VI.
nobis ſubminiſtrant epiſtolæ Apoſtolicæ & Canones. Agatho papa epiſt. 1. ad Imperatores Heraclium & Tiberium, quæ incipit *Conſideranti mihi*, confirmat authoritate ſancti Chryſoſtomi, ſancti Cyrilli, ſancti Gregorii, Agatho.
& aliorum fidem de Chriſti naturis, proprietatibus, & operationibus, aitque. *Portitoribus teſtimonia ſanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Eccleſia ſuſcepit tradidimus ut facultatẽ ſuggerendi conſecuti ex his dumtaxat ſatisfacere ſtudeant, quid hæc ſpiritualis Mater eorum, ac à Deo propagati imperii Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat & prædicet.* Particulæ *Teſtimonia aliquorum ſanctorum Patrum* denotant de mente & ſenſu ab illis intento ab Agathone fuiſſe judicatum. Vnde infra ſubdit. *Licentiam eis dedimus apud tranquilliſ-*

ſimum veſtrum imperium, dum ejus juſſeris clementia, ſimpliciter ſatisfaciendi in quantum eis injunctum eſt, ut nihi profectò audeant minuere, augere vel mutare. Ecce quomodò prohibet portitoribus ſuis nè ullo modo deflecterent à ſenſu ſanctorum Patrum per ſe explicato. Gelaſius Papa in Canone

G laſius *Sancta Romana Eccleſia.* diſtinct. 15. ait. *Quoniam Ruffinum Hieronymus de libertate arbitrii notavit, illa ſentimus quæ Hieronymum ſentire cognoſcimus.* Pondera illa verba *ſentire cognoſcimus*, ſignificant Pontificem noviſſe & judicaſſe ſenſum reprobum Ruffini, & Catholicum Hieronymi. Cœleſtinus Papa tempore S. Cyrilli Alexandrini

Cæleſt. epiſt. 6. ad Neſtorium ſcribit. *Legimus epiſtolarum tuarum tenorem, in quibus tuliſti de te ſententiam volens de verbo aliter quam habet fides diſputare.* Quibus verbis oſtendit ſe de opinione & ſenſu intento per Neſtorium judicare. Innocentius I. damnavit librum Pelagii, Fœlix III. epiſt. 3. declaravit Petrum Fullonem ſequi dogmata Arii, Manichæorum, &c. quas declarationes edere non potuiſſent, niſi de ſenſu intento à Pelagio & Fullone judicaſſent. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt ſeptuaginta ſex

Pius 5. propoſitiones etiam in ſenſu ab au-

Greg. 13 ctoribus intento. *Quas* (inquiunt) *quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, temerarias, &c. damnamus & abolemus.* Quid clarius dici poteſt? Accedit ratio, ſi ſedes Apoſtolica non poſſet judicare de ſenſu ab authoribus intento perperam diceret aliquem incidiſſe in errorem Origenis, Græcorum, Euripidis, Piſandri, Menandri, Manichæorum, Arii, &c.

VIII. Quod autem omnes debeant captivare intellectum ſuum ac ſubſcribere ejuſmodi deciſioni Apoſtolicæ, teſtatur S. Leo ad Flavianum de damna-

S. Leo. tione Eutychetis per ipſum factâ. *Compreſſâ* (inquit) *vel remotâ inquietudine, ac pravitate paucorum facile firmabitur probanda concordia, ſi in eam fidem, quam Evangelicis & Apoſtolicis prædicationibus declaratam per antiquos Patres noſtros accepimus, & tenemus, omnia corda concurrant, nullâ penitus diſputatione cujuſquam retractationis admiſſâ, nè per vanam fallacemq; verſutiam aut infirma videantur, aut dubia, quæ in ipſo lapide Chriſto fundata ſunt, & ſine fine manſura.* His verbis *compreſſâ & remotâ inquietudine ac pravitate paucorum*, ſignificat deciſionem Pontificiam non debere ab ullo in dubium, vel controverſiam reduci. Quod etiam nequeat à Conciliis examinari vel ſubverti, innuit S. Lucius I. epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Lucius I

Hiſpaniæ. *Hæc ſancta & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiâ à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravanda ſuccubuit, ſed in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum principibus, illibatâ fide tenus manet, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum principi in ſuis fatus eſt Evangeliis. Petre* (*inquiens*) *ecce ſatanas expetivit vos, ut cribaret vos, ſicut qui cribrat triticum, Ego autem pro te rogavi ut non deficiat fides tua.* Si non erravit etiam in ſenſu intento, non poteſt igitur Concilium ejus deciſiones diſcutere. San-

ctus Fœlix I. epiſt. 3. *Suſcipientes fraternitatis tuæ epiſtolas, quibus me requiſiſti ſuper fidei documentis, quæ ab aliis habebantur aliter, quam rectæ fidei continent ſacramenta, pro ut Dominus dedit, pro fraternitatis amore reſpondere non refutavimus. Semper enim dubia & maiora negotia terminum ab hac ſanctâ ſede à tempore Apoſtolorum, qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, accipere conſueverunt: & ideò tu rectè feciſti, quod huius ſanctæ ſedis conſultis te cæteroſque firmari & inſtrui voluiſti.* Fœlix I

Vide Innocentium I. epiſt. 22, ad Epiſcopos Macedoniæ, epiſtol. 24. ad Concilium Carthaginenſe. Agathonem epiſt. citatâ ad Heraclium & Tiberium Cæſares. Sanctum Leonem IX. epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum. Nicolaum I. ad univerſos Epiſcopos Galliæ. Evariſtum epiſtol. 1. cap. 2 Anacletum epiſt. 1. 2. & 3. Alexandrum I.

drum I. epiſt. 1. cap. 1. 2. & 6. Pelagium epiſt. 7. Gregorium I. libr. 7. epiſt. 6. Clementem VIII. conſtit. 36. Teleſphorum epiſt. 1. cap. 3. Hyginiũ epiſt. 1, cap. 1. Eleutherium epiſt. 1. cap. 1. Calixtum I, epiſtol, 2. cap. 4. Stephanum I. epiſt. 2. cap. 12. Sixtum II. epiſt. ad Fœlicem cap. 5. Marcellinum epiſt. 1. Fœlicem II. epiſt. 2. Damaſum can. *Violatores*, 25. quæſt. 16. Innocentium I. epiſt. 1. 3. 22. 23, 26. Fœlicem III. epiſt. 3. Fœlicẽ IV. in capitulis ad Patres Arauſicanos tranſmiſſis. Joannem II. epiſt. 1. & 3. Vgilium epiſtol. pro confirmatione quintæ Synodi. Joannem III. ad Epiſcopos Germaniæ. Gregorium I. lib. 2. epiſt. 36. lib. 8. epiſt. 42. lib. 9. epiſt. 39. 40. 61. lib. 12. epiſt. 31. Joannem IV. epiſt. 2. Martinum I. epiſt. 1. 3. 4. 6. & can. *Sancta Romana Eccleſia*, diſtin. 15. Gregorium II. epiſt. 9. 11. 12. & 13. Stephanum in opuſculo reſponſionum. Adrianum I. epiſt. 17. Leonem IX, epiſt. 1, & 6. Vrbanum II. epiſt. 17. Innocentium II. epiſt. 2. Alexandrum III. epiſt. 2. Gregorium IX, Gregoriũ XIII. in conſtitutione cõtra Baium de ſenſu intento non tantùm à Spiritu ſancto in S. Scripturâ, Patribus, ſed etiam ab hæreticis, aliiſque prophanis ſcriptoribus judicarũt. Duos tantùm ex iis omnibus audiamus, Cœleſtinus I. epiſt. ad Neſtorium. *Legimus* (inquit) *epiſtolarum tuarum tenorem, in his verbis tuis à nobis inveſtigatus, deprehenſus es, quod multiloquio lebebaris, dum vera involvis obſcuris, rurſus utraque confundẽs, negata vis, niteris negare confeſſa.* Quam rectum ſit Cæleſtini judicium innuit noſter ſanctus Cyrillus epiſt. ad Juvenalem. *Scripſit ad Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum Cæleſtinum* (Neſtorius) *miſit eidem, &c. Ex quibus perverſa ſentire aperte deprehenſus, jure meritò hæreſeos reſt condemnatus.* Gregorius XIII. poſt Pium V. *Quas* (inquit) *ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnulla aliquo modo ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborũ ſenſu ab aſſertoribus intento damnamus.* Pondera illa verba S. Cyrilli *Ex quibus perverſa ſentire, &c.* Item Gregorii, *In rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento damnamus.* Ratio eſt ſi S. Petrus & ejus ſucceſſores nequeant judicare de ſenſu ab auctoribus intento, cur cura Eccleſiæ illis commiſſa eſt? cur illis dicitur *Duc in altum*, ſi nequeant ſcopulos diſcernere. Cur dicitur *Paſce oves meas*, ſi nequeant diſcernere paſcua in quibus pabulum fidei verum & ſalubre à noxio & mortifero diſcernitur. Si nequeat cognoſcere zizania & triticum cur ei cõmittitur ager: ſi non poſſit cognoſcere venena, cur dicitur Medicus: cur cuſtos dicitur, ſi nequeat impedire ne fidei theſaurus ſurripiatur. Cœterùm ad dignoſcendum ſenſum intentum ab auctore, ſivè de rebus Theologicis, & ad fidem ſpectantibus, ſivè de re canonicâ ſivè civili ſit quæſtio; debent attendi prolatio verborum & circumſtantiæ quibus proferuntur.

Cœleſt. — Cyrillus. — Gregor.

§. 2.

Occurritur argumentis contrariis.

I. NEc refert primò quod quæſtiones illæ à prædeceſſoribus vel Conciliis non fuerint definitæ. Ratio hujus moræ eſt: quia nõ ſatis diſcuſſæ erant, nec circumſtantiæ poſtularunt, ut veritas illarum quæſtionum definiretur. Sic Innocentius III. in cap. *quanto*, §. *de divortiis*, loquens de Cœleſtino III. *Nos conſultationi tuæ reſpondentes diſtinguimus, licet quidem prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur, &c.* Alexander III. in appendice Cõcilii Lateranenſis part. 6. cap. 8. *Conſuluiſti nos utrum inter virum & mulierem, ſi legitimus conſenſus intervenerit de præſenti carnali copulâ non ſecutâ liceat mulieri alii nubere, vel ſi nupſerit alio, & carnalis copula fuerit ſecuta, an ab ipſo debeat ſeparari. Et ut ad primum redeat Eccleſiaſticâ diſtrictione compelli: quamvis alii aliter ſentiant, aliter etiam à quibuſdam anteceſſoribus noſtris ſit aliquando judicatum.* In eodem Concilio declarat ſe aliqua tradere, & ſequi quaſi velut magis probabilia. *Quamvis* (inquit cap. 17. ad Archiepiſcopum Senonenſem

Innoc. 3. — Alex. 3.

nonenſem *) exindè ſit diverſa quorundam ſententia, & non eadem conſuetudo omnium Eccleſiarum tutius tamen videtur, &c.* Cap. 18. *Convenientius videtur.* Ex quibus patet illum non definire cùm non damnet uſum contrarium obſervatum in aliis Eccleſiis: Aliquando etiam Pontifices quibuſdam quæſtionibus necdum deciſis imponunt ſilentium. Sic Pius V. Paulus V. Gregorius XV. immaculatam Conceptionis B. Virginis impugnari prohibuerunt. Non rarò etiam Pontifices opinativè loquuntur, ſic Vigilius papa conſtitut. in quâ agit de tribus capitulis, ſeu ſcriptis Theodori, &c. ſæpè reſpondent per verbum *videtur.* In quibuſdam diplomatibus omittunt ex profeſſo anathematiſare, quamvis motivum ſit impium, ideò dicebant Epiſcopi Iſtriæ reluctantes damnationi trium capitulorum, *Quod Sedes Apoſtolica per Vigilium Papam & Latinarum provinciarum Principes illi reſtitiſſent.* Quibus Pelagius II. epiſt. 7. reſpondet. *Res, quæ provocare vos ad conſenſum debuit à conſenſu vos ipſa divellit. Latini quippe homines, & Græcitatis ignari, dum linguam neſciunt errorem tardè cognoverunt.*

II. Nec ſecundò urget quod Montaltius ſeu Secretarius Portus Regalis epiſt. 18. ad Provincialem ſcribit eos, qui Alexandro VII. hanc opinionem ſuggeſſerunt, eâ, quâ apud ipſum pollebant auctoritate, abuſos eſſe. Nam vehementer è re illorũ fuiſſet erroris notari N. qui Molinam reum pluſquam quinquaginta errorum oſtenderat. Debuiſſet Pontifex coram utriuſque partis Doctoribus illam contentionem ſolemni, legitimo, ratoque judicio dirimere, juxta illud ſancti Gregorii lib. 8. in Job cap. 1. *Ex Magiſterio humilitatis inſtituta, recta quæ errantibus dicit, non quaſi ex auctoritate præcipit, ſed ex ratione perſuadet.* Vndè idem Gregorius lib. 1. dialog. ut oſtendat Pontifices Romanos in ſupremo illo Eccleſię culmine conſtitutos falli poſſe, ac in ſimilibus cauſis errandi periculo eſſe obnoxios ait ſub finem capitis. *Quid miraris Petre, quia fallimur, qui homines ſumus, an mente excidit, quod David, qui prophetiæ ſpiritum habere conſueverat contra innocentem Ionathæ filium ſententiam dedit cùm verba pueri mentientis audivit. Quod tamen quia per David factum eſt, & occulto Dei judicio juſtum credimus, & tamen humanâ ratione qualiter injuſtum fuerit non videmus. Quid ergò mirum, ſi ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non ſumus? Multùm verò eſt quod uniuſcuiuſque Præſulis mentem curarum denſitas vaſtat. Cùmque animus dividitur ad multa fit minor ad ſingula, tantòque ei in unâ qualibet re ſurripitur, quantò latius multis occupatur.*

III. Si has & alias authoritates opponens more Catholico procederet, debuiſſet legere, quæ ab illis pro noſtrâ ſententiâ proferuntur. Nam inter cæteros lib. 2, epiſt. 32. ita ſcribit Joanni Epiſcopo Ravennati. S. Greg. *Illud autem, quod dicitis, qui ordinatus eſt, iterùm ordinetur valdè ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extraneum: niſi fortè quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicandus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit autem à fraternitate veſtrâ ſic ſapere: ſicut enim baptiſatus ſemel, iterùm baptiſari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel in eodem iterùm ordine non debet conſecrari.* Et ſcribens Epiſcopo Caralitano lib. 3. epiſt. 26. hanc definitivam ſententiam pronunciat. *Pervenit ad nos quoſdam de ſacris Ordinibus lapſos vel poſt pœnitentiam, vel ante ad miniſterii ſui officium revocari, quod omninò prohibemus. Et in hac re ſacratiſsimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro ordine ita careat, ut ad altaris miniſterium ulterius non accedat, ſed nè unquam ii qui ordinati ſunt pereant, provideri debet quales ordinentur, ut prius aſpiciatur ſi vita eorum continens in annis plurimis fuit, ſi ſtudium lectionis, ſi eleemoſinæ amorem habuerunt. Quærendum quoque eſt, nè fortè fuerit bigamus, videndum etiam nè ſine litteris, aut obnoxius curiæ compellatur poſt ſacrum ordinem ad exactionem publicam redire. Hæc itaque omnia diligenter fraternitas veſtra inquirat, ut dum diligenter quilibet exquiſitus ordinatur,*

non

non celeriter poſt ordinationem deponatur. Ea autem, quæ fraternitati veſtræ ſcripſimus cunctis ſub vobis Epiſcopis innoteſcite. Præcipuè lib. 5, epiſt. 15. Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano, ita de Joanne Præsbytero injuſtè dãnato ſcribit. *Quia libellus, quem delegatis à vobis judicibus obtulit, rectæ fidei per omnia ſinceritati concordat, ea propter eorundem judicium reprobantes noſtrâ cum definitione Catholicum, & ab omni hæretico liberum eſſe Chriſti Dei Redemptoris noſtri miſericordiâ & gratiâ revelante denuntiamus.* Epiſt. 16. ita de eodem Ioanne Præsbytero recipiendo ac injuſtè damnato ſuæ ſententiæ juſtitiam aperit Mauricio Auguſto. *Quia ergò omnibus ſubtiliter rimatis, atque tractatis Catholicum ſupras ſcriptum Ioannem Præsbyterum ſancti Concilii mecum judicio divinæ potentiæ revelante gratiâ declaravit, nec quædam in ipſo hæreticæ pravitatis macula inventa eſt.* Ex quibus patet ea quæ definiuntur à Pontifice ex Cathedrâ non eſſe ulterius investiganda, ſed ſententiæ exhibitioni ſe ſubjiciendũ, Quod ſi Sedes Apoſtolica vel Eccleſia id faciat, ut objicit Secretarius Portus Regalis ex S. Gregorio lib. 8. moral. cap. 1. id liberum eſt: tamen præſtat abſtineri ab ejuſmodi diſcurſibus ut docet S. Gregorius lib. 8. citato cap. 2. & patet ex definitione Concilii Apoſtolici Actor. cap. 15. verſ. 7. ubi *Surgens Petrus dixit ad eos, Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii & credere, &c.* Ex Canonibus Apoſtolorum, definitionibus generalium & particularium Conciliorum approbatorum, plurimis reſponſis Pontificum, legibus etiam & ſententiis Cæſarum ac Principum ſæcularium, à quibus decernuntur reſpectivè multa facienda, omittenda, exequenda, ſolvenda, credenda quamvis legiſlator vel princeps lati decreta rationẽ non reddat. Quod ſi decreta extendantur & rationes ac ſolutiones inſerantur, diligenter cavent judices nè rationibus ſua decreta impugnentur. Vndè hæc clauſula ſalutaris addi ſolet, *Aliiſque attendendis, conſiderandis, maturè attentis & conſideratis.*

IV. *Baſilius.* Nec contra nos militat ſanctus Baſilius dum epiſt. 75. ait. *Congregentur ſelectiores ac probatiores, dicant cum fiduciâ ac liberè qui volet ut examen ſit quod agitur non convitium, in conſpectum ac publicum producuntur, ſi quæ ſunt malitia mea occulta facinora.* Ibi ſanctus Præſul loquitur non de ſolius fidei, ſed de vitæ & morum quæſtione, ut patet ex præmiſſis, ubi ait: *Quis unquam in accuſandis vitiis nemine contradicente defecit?* Item. *Non eſt quod ignorem me obnoxium peccatis.* Non enim diſſerit de ſummi Pontificis, ſed de Neocæſarienſium, ſeu inferiorum judicio. De hoc judicio agunt etiam D. Thomas 1. part. quæſt. 68. artic. 1. & ſanctus Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad litteram cap. 19.

V. *Bernar.* Nec nobis etiam adverſatur ſanctus Bernardus epiſtolâ 180. dicens. *Hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica ſedes, ut non pigeat revocare quod eſt à ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præſertim apud ſanctam & ſummam ſedem.* Mellifluus Doctor non agit ibi de materiâ fidei, ſanæ doctrinæ vel erroneæ: ſed de facto particularium perſonarum, ut de Alberone Trevirenſi Archiepiſcopo, de aliquâ ſententiâ ejuſdem contra quoſdam criminoſos, qui quaſi innocentes ad ſedem Apoſtolicã acceſſerant. Item quæſtio eſt de promotione ad Eccleſiaſticam dignitatem, ut patet ex ejuſdem D. Bernardi epiſtolis 176. 177. 178. 179. in quibus omnibus agit de illis cauſis, quæ omnes hanc inſcriptionem habent. *Ad Dominum Papam Innocentium pro Alberone Trevirenſi Archiepiſcopo.* Quæ omnia diſſimulat Secretarius Portus Regalis, quod autem epiſtolam 180. S. Bernardus inſcribit. *Ad eundem pro eodẽ,* Non agit de certi libri, vel quarundam propoſitionum cõdemnatione, ut objicit præfatus Secretarius.

VI. *Alex. 3.* Nec Alexander III. agit de materiâ fidei, dum conſtitut, ſeu in cap. 5. §. de reſcript, ait. *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non*

debes qualitatem negotii, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mãdatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras quare adimplere non poſſis rationabilem cauſam prætendas, quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum. Ibi Pontifex non ſcribit de regulis fidei & morum, ſed de facto particulari, ſeu culpâ & obreptione impetrantis. Sic enim ejus cauſam exponit Gloſſa. *Aliquis habens plura* Gloſſa. *beneficia impetravit litteras cõtra Archiepiſcopum Ravennatem ſuper obtinenda beneficia in Eccleſiâ Ravennate tacito de beneficiis ſuis Archiepiſcopus multũ miratus fuit, quod Papa ſciebat pro habente ſufficiens beneficium & ſuper hoc ſcripſit Papa.* Eodem referuntur multa alia capitula ejuſdem tituli *de reſcriptis*, ut videre eſt in cap. 8. cap. 10. cap. 12 cap. 27. cap. 42. &c. Quando agitur de regulis fidei vel morum, idem Alexander præcipit ut ſuis decretis abſolutè obtemperetur, non autem permittit ſibi reſcribi. Varia hujus rei exempla videri poſſunt in quintâ parte appendicis Concilii Lateranenſis ſub eodem Alexandro III. Sic dum ſanctus Gregorius lib. 4. dialogorum ait. *Cognoſce Petre in quantâ Dei cuſtodia ſunt, qui in hac vitâ ſeipſos deſpicere noverunt; cum quibus intus civibus in honore numerantur, qui deſpecti foris hominibus eſſe non erubeſcunt quia & contra in Dei oculis jacent, qui apud ſuos & proximorum oculos per inanis gloriæ appetitum tument.* Ibi ſanctus Doctor agit de iis, qui vel ex vanâ gloriâ, vel ex demiſſione externis actionibus occultant mentis cogitationes. Dum etiam S. Bernardus epiſt. 327. conſcriptâ pro Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo, doloſè accuſato & delato apud Pontificem ab Abbate ſancti Vedaſti & Monachis Marcianenſibus, & de ea re S. Bernardus ſubjungit. Bernard. *Venit ad vos Abbas ſancti Vedaſti homo planè inimicus ſibi, ſuis, & Eccleſia ſua, homo qui accepit in vanum nomen Abbatis, quærit enim quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, ſed & qualis Pater, talis & filius qui cum eo eſt.* Illis verbis innuit quod in accuſationibus de delicto aliquo particulari verbi causâ, ſimoniâ, vel boni Eccleſiaſtici indebitâ alienatione, furto, ſacrilegio procedit, non ut paſtor vel doctor univerſalis Eccleſiæ, ſed more aliorum judicum ex humanis informationibus per citationem vel contentionem, reſponſionem, replicam, duplicam, depoſitionem teſtiũ, &c. Cap. 19. cap. 20. cap. 24. cap. 26. §. de elect. cap. 19. cap. 20. cap. 46. §. *de teſtibus*, cap. 19. §. *de judiciis*. Ratio eſt quia in ſimilibus negotiis poſſunt teſtes facile corrumpi, vel laborare lapſu memoriæ, vel procedere ex amore aut odio, vel Procuratores partium negare concedenda, etiã medio juramento, vel neganda concedere. Idem contingit in gratioſis, ut in collatione beneficii, matrimonii diſpenſatione, pro cujus impetratione ſæpè repræſentantur falſa, paupertas, nobilitas, ætas, gradus: vel ſollicitatores dum procurant diſpenſationem matrimonialem allegant quod per conjugium graves lites cõponentur, quod puella gravem patietur infamiam, quod difficile alteri nubere poterit. Alias Eccleſiaſticas procurationes omnibus notas refert Conrardus Pyrrhus in praxi diſpenſationum Apoſtolicarum. His omnibus informationibus, teſtimoniis, teſtiũ depoſitionibus non indiget Pontifex, dum de certi libri, vel propoſitionis doctrinæ judicat: ſed ipſe liber cauſæ argumentum ſubminiſtrat, verbaque ipſa ſecum ferunt ſuam ſignificationẽ, ex quâ veritas vel error doctrinæ procedit, ut paſſim docent Patres, S. Auguſtinus & alii qui tranſmiſerũt ad Innocentium I. Pelagii librum, quibus reſcribens. *Librum ſanè* (inquit) *qui ejus eſſe diceretur nobis à veſtrâ charitate tranſmiſſum evolvimus, in quo multa blaſphemia, nihil quod* Innoc. I. *placeret, nihil quod non penitus diſpliceret, à quovis damnandum, atque calcandum.* S. Gregorius lib. 5. epiſt. 14. eodem modo ſententiam tulit cõtra librum cujuſdam Sacerdotis à Comite Narſe ſibi tranſmiſſum. Sic Bonifacius & Horſmidas aliique judicarunt de doctrinâ S. Auguſtini. S. Gelaſius in concilio ſeptuaginta Epiſcoporum & ſanctus Martinus I. & alii de quibus

ſupra

ſupra errores multos reprobarunt.

VIII. Impugnatores damnationis factæ ab Innocentio X. & Alexandro VII. proferunt ſenſus diverſos, & in eo (quem ſuſtinent quaſi ſit S. Auguſtini) fruſtra cõtendunt non potuiſſe damnari. Nam primò oſtendere debent illos articulos reperiri in S. Auguſtino præciſè in iiſdem verbis & terminis, vel ſaltem æquivalentibus. Deindè verba ſancti Auguſtini ſenſum multiplicem pati non poſſe. Tertiò ſi poſſint pati, ſibi revelatum eſſe verum ſenſum. Quartò, aliorum probatorũ Patrum conſenſum non repugnare Sancto Auguſtinò. Nam hic conſenſus (inquit Sylvius de præcipuis fidei controverſiis lib. 6. quæſt. 1. art. 3. conc. 4. cum aliis) præferendus eſt uni vel paucis Doctoribus quibus arridens Melchior Canus de locis Theologicis lib. 7. cap. 3. *Quantumvis* (inquit) *eruditus & ſanctus non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur.* Probat exemplo S. Cypriani & aliorum. *Sanctus verè fuit, cui credidit ab hæreticis baptiſatos eſſe rebaptiſandos. Sanctus fuit, qui in Chriſti corpore & ſenſum pœna & dolorem fuiſſe negavit. Sanctus fuit, qui animis piorum uſque ad judicii diem fœlicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animam Adæ ante corpus fuiſſe editam opinatus eſt, Sanctus fuit, qui Angelos multis ante mundum corporeum ætatibus creatos eſſe exiſtimarunt, atque horum opuſcula à Gelaſio comprobata ſunt.* Quintò, mille ſenſus alicujus propoſitionis nihil juvant ad probandum authorem ſeu librum unde propoſitio deſumpta eſt, non erraſſe; ſed per omnia ſecutum ſanctum Auguſtinum, niſi ultra præmiſſa doceant etiam ipſi, quod à ſenſu ſancti Auguſtini cum præfato authore non diſcedant. Sextò, quod ipſis ſuſtinentibus hunc ſenſum fides ſit adhibenda, non verò aliis ſenſibus ſuum negantibus. Septimò, quomodò id certiſſimè docebunt, quandoquidem negent Pontificem judicare de ſenſu ab aliquo authore intento. Octavo, quæro ab illis undè ſancti Auguſtini doctrina eſt tantæ authoritatis, niſi quia approbata fuit à ſede Apoſtolicâ. Nono, quomodò ſedes Apoſtolica potuit approbare S. Auguſtinum ſi nequeat judicare de ſenſu intento. Vltimò, cur non inhærent ſancto Auguſtino, qui cenſuit ſententiam Innocentii eſſe ſcutum inexpugnabile, & tamen Innocentius epiſt. 26. damnat librum Pelagii in ſenſu ab eodem intento? cur non ſequitur ſanctum Hieronymum qui epiſt. 57. ad Damaſum cum initio dixiſſet in Oriente Eccleſiam ſcindi, ſubdit. *Ideò mihi Cathedram Petri & ſedem Apoſtolico ore laudatam cẽſui conſulendam.* Concludit. *Quamobrem obteſtor beatitudinem tuam per Crucifixum, ut mihi epiſtolis tuis, tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas?* Cur à doctrinâ Sancti Thomæ, & communi Theologorum deflectunt?

Melch. Canus.

CAPUT XVIII.

Romanus Pontifex eſt infallibilior & verior omni Interprete & Doctore Eccleſiæ in rebus fidei & morum.

I. SEcretarius Portus-Regalis cum aſſeclis aſſerit propoſitiones contentas in Bullâ Pii V. & Gregorii XIII. damnatas eſſe per ignorantiam Romanæ Curiæ. Ita enim præfati Põtifices loquuntur. *Quas quidem ſententias ſtricto etiam examine ponderatas, quamquã nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas reſpectivè damnamus.* Præfatus Secretarius prætendit, quod Romanum Tribunal ſeu Eccleſia, nequiverit oſtendere prædictas propoſitiones damnatas in bullâ Pii ab Auguſtino intrepidè à tot ſæculis nemine refragante, Eccleſiâ approbante, traditas eſſe, ſed id temerè ab eo dici patet, quia priuſquã Gregorius XIII. ſuam Bullam ederet contra hæreticos, qui abutuntur auctoritate ſanctorum Patrum, in horum lectione ſudaverat per quadraginta & amplius annos. Id patet primò ex ſeſſione 2. Concili Tridentini, in quâ hoc decretum

cretum eſt. *Ipſa Synodus hortatur omnes Catholicos hic congregatos, congregandos, atque eos præſertim, qui ſacrarum litterarum peritiam habent, ut ſedulâ meditatione diligenter ipſi cogitent quibus potiſſimum viis & modis ipſius Synodi intentio dirigi & optatum effectum ſortiri poſſit, quò maturius & conſultius damnari damnanda, & probanda probari queant.* Seſſione 5. in decrecreto de peccato originali. *Sacroſancta, & Ecumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu ſancto congregata, &c. Tam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, ſacrarum ſcripturarum & ſanctorum Patrum, ac Probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium & conſenſum ſecuta, &c.* Vndè ſeſſionis ſextæ multa decreta & capitula ex Patribus deſumpta ſunt, ut cap. 3. ex S. Auguſtini epiſtolâ 89. Cap. 5. ex Proſpero lib. 2. de vocatione gentiũ. Cap. 18. & 19. Caput decimum ex Auguſtino lib. de Naturâ & Gratiâ, cap. 43. Caput 11. ex Hieronymo epiſt. ad Cteſiphontem, Concilio Milevitano 6. 7. 8. & 9. Caput 13. ex Hieronymo tomo 1. epiſt. ad Demetrium, quæ incipit. *Inter omnes forſan.* Tertulliano lib. de pænit. cap. 2. Florentino Concilii in decreto Eugenii. Cap. 16. ex epiſt. Cœleſtini I. cap. 12. Canon. 2. ex Concilio Milevitano cap. 5. Concilio Africano cap. 30. & ultimo. Canon. 3. ex Concilio Arauſicano cap. 6. Canon. 5. ex Auguſtino lib. 5. contra duas epiſtolas Pelagianorum. Canon. 6. ex eodem Auguſtino contra duas epiſt. Pelag. & Proſpero ſententiâ 14. Concilio Arauſicano 2, circa finem. Caput 15. ex Auguſtino de correptione & gratiâ cap. 3. Caput 16. ex Auguſtino lib. de bono perſeverantiæ capi 13. Caput 17. ex Concilio Arauſicano 1. cap. 15. Caput 20. ex Concilio Viennenſi, & ita de aliis. Idem Concilium Tridentinum ſeſſ. 10 præcipit ſtudioſam diſcuſſionem ac diligens examen dogmatum. *Proſecutio diſcuſſionis & examinationis eorum, quæ tum ad dogmata, quàm ad reformationem pertinent interim nõ omittatur.* Seſſione 15. *Datur ſalvus conductus liberè ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemq; manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi unà cum ipsâ Synodo, de quibuſcumque negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia quæcumque ipſis libuerit, ac articulos quoſlibet tam ſcripto, quàm verbo libere offerendi, proponendi, eoſque ſcripturis ſacris, & Beatorum Patrum verbis, ſententiis, & rationibus declarandi, aſtruendi, & perſuadendi, & ſi opus fuerit etiam ad objecta Concilii Generalis reſpondendi; & cum iis, qui à Concilio delecti fuerint diſputandi Chriſtianè aut charitativè abſque omni impedimento conferendi opprobriis, conviciis, ac contumeliis penitus ſemotis, & ſignanter quò cauſæ controverſiæ ſecundùm ſacram ſcripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum authoritates in prædicto Concilio tractentur.* Seſſione 18. continet decretum de delecto librorum, & omnibus præcipuè Germanis ad Concilium fide publicâ invitandis, hoc autem ſtudium juxta Patrum doctrinam & auctoritatem continuatum eſt, uſque ad annum 1564. quando confectus eſt index à Pio IV. die 24 Martii anno 1564. quo tempore diſcuſſæ ſunt quæ in Bullâ Gregorii XIII. continentur, ut Michael Bajus ſcribit N. Cardinali poſt obitum Pii IV. ſcilicet anno 1565. & teſtantur faſti Academiæ. *Iam ſub eodem* (inquit) *Pio IV. propoſitiones prædictas cæptas eſſe examinari & damnari.* Et meritò cum Chriſtus non aliis quàm Petro per Spiritus ſancti ſpecialem aſſiſtentiam fidem minimè defecturã pollicitus fuerit, ac revelationem veritatis addixerit. Vndè tanta eſt ejus infallibilitas, ut nunquam permiſerit eum in Cathedrâ ſedentem, & ex illâ pronunciantem in aliquem errorem labi, ut ſupra diximus (quidquid Secretarius Portus Regalis dicat,) quod de aliis ſanctiſſimis viris affirmari nequit, ut diximus & fuſius conſequenter probabimus. Cur autem Deus illos ſanctos viros errare permiſerit, Audi ſanctum Auguſtinum contra Donatiſtas. *Homines ſumus undè aliquid aliter ſapere, quàm ſeſe habet humana tentatio eſt; & ideò plerumque*

Concilium Trident.

Auguſt.

que Doctoribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in quâ fructus major eſt comprobetur, vel quomodò teneant unitatem, cum in rebus obſcurioribus diverſa ſentiant, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod ſentiebant declaratum eſſe cognoſcunt. Undè fit, ut quantò magis nonnulli docti & pii viri ſuarum opinionum tenaces fuêre, & ab errore ſe liberos exiſtimarunt, diuturniorique ſtudio ſe veritatem aſſecutos eſſe præſumpſerunt, aliosquè conviciis ac importunis cenſuris ſunt perſecuti, ignorantiamque improperarunt tanto turpius lapſi ſunt, ut patebit percurrenti hiſtoriam Eccleſiaſticam, & noviſſimè in propoſitionibus Janſenii dãnatis ab Innocentio X. & Alexandro VII. quæ innumeros habuerunt ſui propugnatores non tantùm in Clero ſœculari, ſed etiam in multis Religioſis Ordinibus.

II. Temerè igitur Secretarius Portus Regalis, & alii accuſant ſacrum Cardinalium Senatum, immò ſummum Pontificem ignorantiæ, ut Apoſtolicorum decretorum authoritatem minuant, & ulterius progrediantur ad Canonum conciliarium everſionẽ & vilipendium. Nam ſi in Conciliis adſunt Epiſcopi, & præeſt Legatus Apoſtolicus, ſcit quòd ad purpuratorũ collegium nullus evehitur, niſi de Republicâ Chriſtianâ optimè meriti fuerint, tum in publicis legationibus & officiis, tum ſingulari Theologiæ vel Canonum eruditione excellant, vel ab Imperatoribus & regibus ob proſapiæ & virtutis notam ſingularem commendentur.

III. Cœterùm quod ſummus Pontifex iis omnibus tum Cardinalibus, tum Epiſcopis aliiſquè doctiſſimis ac piiſſimis ſit verior ac infallibilior, hujus propoſitionis probationem primò à veteri Teſtamento auſpicemur. Chriſtum olim fuiſſe inter Doctores & Prophetas teſtatur ſacer Textus Lucæ cap. 2. verſ. 46. Ubi dicitur inventus à Matre in medio Doctorum. Origenes homilia 20. *Ubicumque Magiſtri fuerunt in medio Magiſtrorum invenitur IESVS, Si tamen Magiſter ſedeat in templo &* Origenes

nunquam egrediatur ex eo. Sanctus Antoninus parte 1 tit. 5. cap. 1. §. 5. ait Academiam Iudaicam Doctorum fuiſſe in porticu templi. Arias Montanus in apparatu dicit fuiſſe juxta portam templi, ac proindè in atrio templi, ubi Magiſtri & Interpretes docebant. Barradius tom. 1. lib. 10. c. 15. credit fuiſſe juxta portam orientalẽ: Nam templum dicitur quodlibet templi atrium. Unus ex iis Doctoribus tempore ſancti Pauli erat Gamaliel. Hujus Academiæ meminit Apoſtolus Actorum cap. 24. dicens. *Neque in templo invenerunt me cum aliquo diſputantem.* Act. 24. Ideſt in academiâ ſeu Collegio, ad pedes Magiſtrorum diſcipuli ſedentes humi, & audientes erãt adinſtar eorum Magdalena Lucæ cap. 10. verſ. 39. *Erat ſedens ſecus pedes Domini.* Sic Paulus Actor. cap. 22. verſic. 2. de ſe ait. *Eruditus ſum in iſta Civitate, ſcilicet Ieruſalem ſecus pedes Gamalielis.* Luc. 10 v. 39. D. Hieronymus in epiſt. 103. ad Paulinũm. *Paulus Apoſtolus ad pedes Gamalielis legem Moyſi & Prophetarum didiciſſe ſe gloriatur.* Sanctus Gregorius lib. 5. comment. in Reges cap. 13. circa finem. *Paulus electionis vas ante ad Gamalielis pedes inſtruitur, quam recipiatur in Paradiſum, vel ad cœli tertii altitudinem ſublevetur.* Sic apud Philonem in lib. (quod omnis probus ſit liber.) *Quoties* (inquit) *Synagogas adeunt proætatis ratione minores ad ſeniorum pedes conſident, & ad audiendum ſe componunt.* Sic ſupra Chriſtus puer duodennis humi ſedebat ſuper ſtoream ſivè mattam audiens & interrogans. De Prophetis patet in Eliâ, Eliſeo, Micheâ, Ionâ, & aliis ſparſim per vetus teſtamentum. Diſcrimen erat inter Doctores & Prophetas, quod illi non erant infallibiles in ſuis explanationibus, unde Lucæ cap. 2 verſ. 47. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant ſuper prudentia & reſponſis ejus.* Luc. 2. verſ. 47. Syriacus. *Mirabantur ii omnes qui audiebant eum ob ſapientiam & reſponſa ejus.* Euthymius, Arias Montanus, Vatablus, Pagninus: *Stupebant autem qui eum audiebant ſuper intelligentia & reſponſis ejus.* Quia melius intelligebat & explanabat Scripturam, nõ mirùm quia ſapientiâ

Chriſti erat ſupernaturalis, infuſa, beata, divina & infinita, Pſal. 44. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, diffuſa etiam ſapientia. At Doctores ſecundùm humanum captum & diſcurſum diſſerebant, undè ſæpè hallucinabantur & errabant. Prophetarum verba erant infallibilia libr. 4. Regum cap. 10. verſ. 10. id aſſerit Iehu. l.4.Reg. 10.v.10. *Videte ergò nunc quoniam non cecidit de ſermonibus Domini ſuper domum Achab, & Dominus fecit quod locutus eſt in manu ſervi ſui Eliæ.* Septuaginta. *Videte quia non cadet de ſermonibus Domini ſuper terram, quos locutus eſt contra domum Achab, & fecit Dominus quacumque locutus eſt in manu ſervi ſui Eliæ.* Chald. Paraphr. *Cognoſcite nunc quod non otioſum fuit de verbo Domini unum quod locutus eſt Dominus contra domum Achab, & Dominus firmavit id quod locutus fuerat per manum ſervi ſui Eliæ.* Pagninus. *Et ſcitote nunc, quod non cecidit de ſermone Domini in terram, quem locutus eſt Dominus ſuper domum Achab: & Dominus fecit quod locutus eſt per manus ſervi Eliahu.* Vatablus. *Hic dicite quod ſermo Domini quem locutus eſt ſuper domum Achab, non irritus fuit, quandoquidem Dominus fecit quæ locutus eſt per ſeruum ſuum Eliam.* Idem in ſcholiis. *Hebraiſmus non cadet, ideſt, nihil cadet irritum: quaſi dicat certè hoc totum factum eſt de voluntate Domini. Metaphora ab iis rebus quæ ubi ciciderunt pereunt, ut ſunt micæ & ea quæ in fluvium aut alio quopiam decidunt & colligi nequeunt.* Cajetanus ſic explicat. *Hoc eſt nihil ſermonis Domini cecidit à veritate.* Dionyſius. *Omnia quæ de eradicatione Achab & domus ſuæ per Eliam prædixit, implevit effectu.* Hugo Cardinalis. *Non cecidit, ideſt non remanſit aliquis ſermo Domini inexpletus.* Toſtatus quæſt. 10. *Dicitur quod non cecidit in terram aliquis de ſermonibus Domini, ideſt non fuit inanis aliquis eorum. Dicitur enim ſermo cadere in terram quando aliquid promittitur & non fit: vel quando aliquid prænunciatur & non evenit. Ideóq; quando aliqui Prophetæ erant certiſſimi, ita quod non fallerentur dicta ſua, dicebatur quod non cadebant verba eorum in terram.* Idem aſſerit Textua ſacer de Samuele lib. 1. Regum cap. 3. verſ. 19. *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terrã.* l.1 Reg. c.3.v.19 Hebræus. *Et non fecit cadere ex omnibus verbis ejus in terram.* Chaldæus. *Non ceſſavit ex omnibus verbis ejus unum.* Ioſue c. 21.v.43 Sic Ioſue cap. 21. verſ. 43. *Nè unum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat irritum fuit: ſed de rebus expletæ ſunt omnia.* l.3.Reg. 8.v.56. Item lib. 3. Regum cap. 8. verſ. 56. *Non cecidit nè unus quidem ſermo ex omnibus bonis, quæ locutus eſt per Moyſem ſervum ſuum.* Illam infallibilem veritatem, & certiſſimum ſucceſſum eorum quæ per oracula prophetarum pronunciata ſunt, pollicetur que Deus Iſaiæ cap. 55. Iſai.55. v. 11. verſ. 11. *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum: ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Ad oſtendendam ſuorum oraculorũ veritatem infallibilem, Prophetæ hæc verba præmittere ſolebant, *Hæc dicit Dominus.* Lib. 3. Regum cap. 17. verſ. 14. & cap. 21. verſ. 19. lib. 4. Reg. cap. 1. verſ. 4. & alibi. Quaſi dicerent ideò hæc veriſſima ſunt, quia Deus qui eſt ipſiſſima veritas illa ſuggeſſit, dictavit. Ita ut de Deo dicere liceat, quod Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 5. Tertull. *Quid dimidias mendacio Chriſtum? totus veritas fuit.* Ad illam veritatem magis inculcandam olim nomine viſionis utebantur Iſaiæ cap. 1. verſ. 1. *Viſio Iſaiæ, &c.* Et ſtatim. *Audite Cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt.* Iſaia 1. verſ.1. Cur ea quæ audivit, & quæ loquitur ait ſe vidiſſe. S. Baſilius in cap. 1. Iſaiæ reſpondet Prophetiam appellari viſionẽ propter certitudinem. Sicut notitia viſionis major eſt quàm reliquarum ſenſationum; Sic veritas prophetiæ ſuperat veritates ſcientiarum, explanationum quæ à Doctoribus & Interpretibus fieri poſſunt. Vndè Prophetæ ob illam vaticiniorum certitudinem divini cenſebantur. Iuxta illud Iſaiæ cap. 41. verſ. 23. Iſai.41. verſ.23. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos.* Rectè Origenes lib. 6. contra Celſum. Origen. *Character Divini ſermonis eſt prædictio futurorum.* Ideſt nihilo apertius divinitatem demonſtrans

demonſtrant quam certiſſima futurorum divinatione. Tertullianus apol. cap. 20. *Idoneum opinor teſtimonium divinitatis veritas divinationis.* Quaſi diceret, ubi vera prænunciantur, ibi eſt vel divinitas vel divinitatis afflatus & inſtinctus. Vndè Moyſes in divinum ordinem relatus cenſebatur per futurorum prænunciationem. Idē Tertullianus lib. de animâ cap. 26. *Divinator Moyſes, qui decurſus generis humani ab exordio mundi per ſingulas nativitates nominatim temporatimque digeſſit, ſatis probans divinitatem operis ex divinatione vocis.* Hinc dæmones ut divinitatis nomen, & opinionem apud Gentiles ſibi conciliarent oracula edere conabantur. Tertullianus in apol. cap. 22. *Æmulantur divinitatem dum furantur divinationem.* Quia divinitas ex divinatione certiſſimè colligitur. Vndè & Arioli & augures paſſim divini nominabantur. Sed optimè ait ſanctus Juſtinus Martyr ad Orthodoxosin reſponſio ne ad quæſt. 46. *Dii gentium ſicut abſunt à verâ divinitate, ſic etiam à prænotione rerum futurarum.* Plures Patrum authoritates refert Suarez tomo 1. de religione tractat. 3. libr. 2. cap. 8.

Tertull.

II. Eodem modo philoſophandum eſt de Pontifice Romano reſpectu Doctorum & Interpretum, quo de Prophetis olim reſpectu Doctorum Legis, majoremque infallibilitatem in Romano Pontifice, quàm in præfatis Doctoribus. Hi enim errare poſſunt (ut docet Thomas Del Bene tom. 1. diſput. 1. quæſt. 48.) Romanus verò Pontifex errare non poteſt, non tantùm ut Pontifex, ſed etiam ut perſona particularis, nec falſum aliquid pertinaciter contra fidem credere. Id probabiliter & piè credi poſſe docet Bellarminus lib. de Romano pontifice cap. 6. *Quia* (inquit) *id videtur requirere ſuavis diſpoſitio providentiæ Dei: Nam Pontifex non ſolùm non debet, nec poteſt hæreſim prædicare, ſed etiam debet veritatem ſemper docere. Et ſine dubio id faciet cùm Dominus illi juſſerit confirmare fratres ſuos, & propterea addiderit, rogavi pro te ut non deficiat fides tua, ideſt ut ſaltem non deficit in throno tuo prædicatio veræ fidei; at quomodò confirmabit fratres in fide, & veram fidem ſemper prædicabit Pontifex hæreticus. Poteſt quidem ex corde hæretico extorquere veræ fidei confeſſionem ſicut verba poſuit quondam in ore Aſinæ Balaam; at violentum erit, & non ſecundùm morem providentiæ Dei diſponentis ſuaviter omnia.* Secundò probatur ab eventu. Nam hactenus nullus fuit hæreticus: vel certè de nullo probari poteſt, quod fuerit hæreticus, ut ſupra & ſparſim oſtendimus. Ergò ſignum eſt non poſſe eſſe. Quod verò Doctores ſanctiſſimi ac ſubtiliſſimi ſint erroribus obnoxii, ex ipſiſmet audiamus. S. Dionyſius Areopagita Apoſtolorum Synchronos ſivè coëtaneus in fine libri de Divinis nominibus cap. 13. ſuum Timotheum adhuc tyronem & in rebus fidei parū exercitatum ſic affatur. *Si hæc aut minus certè, aut minus plenè diximus, & à veritate, ſeu in toto, ſeu in parte deviavimus, erit humanitatis tuæ corrigere non ſpontè ignorantem, ſcientiamq; tradere diſcere cupienti, & curare volentem ægrotare, & alia quidem ex te ipſo inventa, alia verò ab aliis mutata: cuncta autem à ſummo bono accepta trāſfundere in nos.* Ecce quomodò eminentiſſimus & profundiſſimus Theologus & Doctor, Apoſtolique Pauli diſcipulus ſe ſubmittat cenſuræ recentioris ac rudioris, parumque verſati in materiâ fidei, Quomodò Pater & Doctor optat & rogat doceri ab alumno, à diſcipulo. S. Gregorius Nazianzenus alter Græciæ Doctor in apologetico ſeu oratione 1. de reditu ſuo invehitur in eos qui alios docere, & vix diſcere volunt. *Meo judicio admodùm ſtultè, temerèque illi faciunt, qui priuſquam ipſi ſatis doctrinâ inſtructi ſint aliorum ſe Magiſtros profitentur ſtultè, ſi nè ignorantiam quidem ſuam præſentiant, temerè, ſi cum eam intelligant, hoc tamen negotium ſuſcipere audent.* Et paulò poſt. *Tam malè affecti ſumus, ut major pars noſtrûm, nè dicam omnes, priuſquam ſacra volumina vel de nomine noverimus, ſi duas aut tres pias voces ediderimus: ac nè id quidem ex lectione, ſed ex auditione, protinus Samuelem ab ipſis incunabilis ſacroſanctum in*

Bellar. Dionyſ. Gregor. Nazian

in ore habemus, protinus ſapientes ſumus & præceptores, & rerum divinarũ ſublimes, & ſcribarum & legiſlatorum primi, noſque ipſos calculo noſtro cœleſtes deſignamus, ac vocari ab omnibus Rabbi expetimus, indignèque ac moleſtè tulerimus, niſi mirificis laudibus in cœlum efferamur. Vides quomodò eruditiſſimus Theologus ſe ignorantibus annumeret. Idem in carmine Nicobuli de præceptoris ſemper diſcere cupientis laudibus ita canit.

Munus magnificum, & dono præſtantius omni:
Nam neque nominibus cum multis ipſe vocetur,
Nullum aliud nomen, quam verbi gratius audit, (*verba,*
Auribus arrectis, & tu mea percipe
Conſiliis nihil utilius, mitiuſque paternis (*ventus.*
Pluraque canities novit quàm lata ju-

Quaſi diceret nullus eſt doctor etiam exercitatiſſimus cui non reſtent circa idem argumentum multa elaboranda, interpretanda multa, multa diſ-
Horat. cenda. Juxta illud Horatii in arte Poeticâ. *Multa dies, & multa litura quod non coercuit, atque perfectum decies non caſtigavit ad unguem.* Nullus eſt Doctor qui mirans ſacram ſcripturam, ac cœleſtem doctrinam in illâ reconditam, quâ animæ fideles ſaginantur, non dicat cum Hebræis Exodi cap. 16. verſ. 16. *Quid eſt hoc?* S. Chryſo-
Chryſoſt ſtomus ſeu auctor operis imperfecti in Matthæum homiliâ 51, *Si manna quod edebatur in eremo figuram habet verbi, ideo dicebatur manna, quod interpretatur: quid eſt hoc? ut quotieſcumque audivimus verbum admoneat nos ipſum nomen requirere quid eſt quod*
Origen. *audivimus?* Cui arridet Origenes homil 8. in Exodum. *Ipſa vis nominis ad diſcendum invitat, ut cùm audis legem Dei recitari inquiras ſemper, & dicas Doctoribus quid eſt hoc?* Vox illius nominis genuinam ſignificationem & myſterium percipimus.

III. Ex Latinis Doctoribus occurrit
Hieron. Sanctus Hieronymus ſanctiſsimus in Apologiâ contra Ruffinum circa medium, ab eo reprehenſus quod jam ab homine Hebræo litteras hebraicas didicerit, ita reſpondet. *Quod ille Demoſthenes in unâ litterâ fecit exprimendâ, ut à cane hi, rho, diſceret, tu in me criminaris, quare homo ab homine litteras didicerim, inde eſt quod quidam inerudité ſapientes remanent dum nolunt diſcere quod ignorant, nec Horatiũ audiunt in arte Poeticâ commonentem.*

Cur neſcire pudens pravè, quam diſcere malo.

Idem epiſt. 4. ad Ruſticum Monachũ. *Diſcas* (inquit) *quod poſſis docere, nè miles antequam tyro, nè prius magiſter ſis quàm diſcipulus.* Epiſt. 65. ad Pammachium & Oceanum de ſe. *Perrexi Alexandriam* (inquit) *audivi Dydimum, in multis ei gratias ago, quod neſcivi didici, quod ſciebam illo docente, non perdidi. Putabant me homines finem feciſſe diſcendi. Veni rurſum Ieroſolymam & Bethleem, quo labore? quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Quibus verbis innuit ſe licet doctiſſimum totam vitam impendiſſe ſtudio diſcendi. Accedit S. Petrus Damianus lib. 2. epiſt. 14. circa finem oſtendens quemlibet Doctorem ſemper diſcere Petrus
debere. Dam. *Melius certè eſt doctoribus à diſcipulis diſcere quàm ſuperbè quæ recta ſunt ignorare. Honeſtius eſt majori ut quæ neſcit addiſcat, quàm quæ diſcenda ſunt neſciat. O glorioſa virtus humanitatis, per quam homo verè diſcipulus efficitur Salvatoris.* Vndè meritò divus Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium Papam inſurgit in hæreticum Abailardum, eo quod neminem conſuleret, ſed ſolus ſapere videretur, ita ut ad ſua dogmata ſtabilienda his verbis paſſim uteretur. *Omnes quidem ſic, ſed non ego ſic.* Quam ſuperbam inſolentiam ita carpit Mellifluus Doctor. *Omnes* (inquit) *ſic, ſed non ego ſic? quid* Bernard *ergo tu? quid melius affers? quid ſubtilius invenis? quid ſecretius tibi revelatum jactas, quod tot prætererit ſanctos, effugerit ſapientes? aquas furtivas & panes abſconditos puto apponet, nobis iſte Magiſter gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magiſter omnium ſuam doctrinam fatetur non eſſe ſuam, non enim, ait, à me ipſo loquor. Tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepiſti, qui loquitur mendaciũ*

ne

de ſuo loquitur. Tibi proindè ſunt quæ tua ſunt. Ego Prophetas & Apoſtolos audio, obedio Evangelio, ſed non Evãgeliô ſecundùm Petrum Abaillardum, quintum Eccleſiæ Evangeliſtam non recipio. Nunquid ſanctus Auguſtinus ab ejuſmodi communi etiam Doctorum ignorantiâ & errore liber eſt? Quidam Neoterici dixerunt ejus doctrinam tam certam ac infallibilem eſſe, ut ſedis Apoſtolicæ eam ſcabellum nuncupare auſi fuerint, ita ut qui authoritatem illius ſancti Doctoris convelleret, ſanctam Sedem Apoſtolicam concuteret. Quaſi verò Eccleſiæ firmitas cõtra quaſcumque hoſtium machinas inconcuſſa unico Auguſtiniano fulcro indigeat? quaſi verò Dominica Chriſti promiſſio eſſet diſſolubilis ſi non foret humano ſubſidio doctrinę Auguſtinianæ innixa, cum ipſemet poſtquam de illâ diſſeruit. *Anxius Auguſtinus de librorum ſuorum calumniatione hæreticâ. Dicit illud Eccleſiaſtes cap. 2. Odivi omnem laborem meum quo ego laboravi ſub ſole.* Inquit noſter Thomas Waldenſis tomo 2. cap. 31. quem Martinus V. tantis effert encòmiis, ut Eccleſiæ utilem & fructuoſum dicat.

Thomas W.ld.

Toſtatus pari pietate ac eruditione conſpicuus, qui à Spondano vocatur, *Multiplici omnium ſcientiarum eruditione ad miraculum clarus.* Et Scriptores paſſim de illo canunt. *Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.* Hic in ſuo defenſorio parte 2. cap. 18. *Conſtat* (inquit) *Quod Auguſtinus cum ſcriberet in multis erravit: & tamen quando ipſe ſcribebat, ita putabat eſſe, ſicut ſcribebat: poſtea autem retractavit multa: & veriſimile eſt quod non potuerit omnia retractare.* Idem cap. 8. *Nullum proprium humanum ingenium tantæ eſt certitudinis quod errare non poſſit, nec tantæ authoritatis, quod ei manifeſta ratione aſſentiri debeat, vel credi, quod ita ſit: quia aliud aſſerit, ſicut dicit Auguſtinus, & habetur in decreto diſtinct. 9. Cap. Ego ſolis*, ſed de quolibet creditur quod errare poſſit. Idem cap. 85. *Ideò injuſtum erat valdè negare omnia, vel dicere, quod non intelligemus illa cum indicavit oculis noſtris manifeſtiſſimam, etiamſi diſſimulare velimus & ſtare authoritati Auguſtini, de quo conſtat quod potuit errare, & in multis erravit, quorum quædam ipſe retractavit, alia verò non potuit.* Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis lib. 7. de locis Theologicis cap. 3. num. 7. docet ſedem Apoſtolicam nunquam potuiſſe errare in decretis fidei & morum condendis, ſicut plurimi Patres & ſanctiſſimi & doctiſſimi erravernnt, hujus verba ſuperiori capite retulimus.

Melch. Canus.

Horantius in ſuâ lucubratione de locis Theologicis, quam abſolvit in Concilio Tridentino lib. 4. cap. 3. ita ſcribit. *In re maximè arduâ erravit Cyprianus. At multò poſt ab Hieronymo, Auguſtino, &c. correctus eſt: Hieronymus etiam in quibuſdam hallucinatus eſt, ſed à poſterioribus imò ſui ſæculi hominibus eſt notatus. Idem Auguſtino longè doctiſſimo contigit.*

Horant.

Accedit Alphonſus à Caſtro libro 1. adverſus hæreſes cap. 7. qui non tantùm de Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Cyprianô, ſed de quibuſdam hominibus qualicumque ſint doctrinâ & ſanctitate conſpicui, ita ſcribit. *Quid obſtat ut eum, qui falli poteſt, falſum fuiſſe dicamus? an omnis homo ex peccato primorum parentum adeò obtuſum traxit ingenium, ut ad veram rerum notitiam minimè penetrare valeat, quî fit ut ſæpè in diſcernendo fallatur. Nam inter incommoda quæ in hac vitâ patimur teſte Auguſtino eſt fallax Iudicium.*

à Caſtro

IV. Nec quiſquam indiſcretè zeloſus exiſtimare debet nos ullam injuriam inferre ſanctis illis ac doctis Patribus, dum dicimus eos aliquibus erroribus fuiſſe obnoxios, cùm ipſimet id fateantur. D. Auguſtinus in proœmio lib. 4. de Trinitate fatetur de ſe ipſo. *Cor ſuum multa figmenta parere.* Quando ſcilicet caret ſanctiſsimis Apoſtolicæ ſedis oracnlis: æſtimatque *Non pro ſolido vero eructata in rebus obſcuris quæ non erant eo tempore explicata, & definita.* Vndè cùm eſſet ſenex non ſe doctiſsimum & infallibilem judicabat, licet multorum annorum ſtudiis exercitatum: ſed erroribus obnoxium, dicebatque ſe paratum eſſe doceri à puero anniculo. Ita enim

Auguſt.

ſcribit epiſt. 75. & refertur in jure cap. *Si habes*, 24. quæſt. 3. *Senex à juvene Epiſcopus tot annorum à collega nondum anniculo paratus ſum doceri.* Idem alibi. *Si poſſes me docere quod ignoro, libentiſſimè te ſufferrem, non ſolùm verbis increpantem, ſed etiam verberibus caſtigantem.* Et cõcione 2. in pſalmum 103. hærens in aliqua locutione, & dubius an in ſcriptura inveniatur, eam quibuſdam juvenibus inquirendam tradens. *Si* (inquit) *invenerint, & ad nos attulerint, gratulabimur adoleſcentium ſtudiis otioſorum, occupati ſenes ut ex eorum miniſterio & nos aliquid diſcamus.* Et ad Dulcitium in ſolutione octo quæſtionum concludit. *Ego* (inquit) *quod & ſupra de me commemoravi magis amo diſcere quàm docere.* Congruentius ad propoſitum noſtrum epiſt. 7. ad Marcellinum declarat ſuum ingenium obnoxium erroribus. *Omnes qui me multùm diligitis, ſi talem me aſſeritis adverſus eos quorum malitiâ, vel imperitiâ, vel intelligentiâ reprehendor, ut me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis, facilè in eâ me ipſo judice ſuperamini: quoniam non mihi placet, cum à chariſſimis meis talis eſſe exiſtimor qualis non ſum.* Quibus verbis non ſolùm ex humilitate, ſed ſynceritate dictis fatetur ſe in ſuis ſcriptis erraſſe, & errare potuiſſe, & eos falli qui ipſum infallibilem exiſtimant. Quod autem de facto erraverit divus Auguſtinus aliqui ſic probant. Primò mentem Auguſtini fuiſſe quod Angeli fuiſſent corporei. Vndè libr. 1. retractationum cap. 26. quæſt. 67. ait *Quod dixi ſpiritualiter ſummos Angelos vivere, infimos autem animaliter audacius dictum eſt de infimis, quod ut poſſit, vel ſcripturis ſanctis vel ipſis rebus oſtendi, quia etſi forſitan poteſt, difficillimè poteſt.* Quibus verbis innuit poſſe forſitan oſtendi ſcripturis & rationibus Angelos inferiores eſſe corporeos, quia non poſſumus judicare de rebus quæ ſenſus noſtros fugiũt. Imò plurimi Theologi opinantur ſanctum Auguſtinum tenuiſſe illam ſententiam, non dubiè ſed certè, inter quos eſt Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis & primus omniũ Theologorũ, vulgò Magiſter ſententiarũ lib. 2. diſt. 8. Ferdinandus Vellocillus Epiſcopus Lucenſis, à Rege Catholico ad Concilium Tridentinum miſſus in adverten. ſcholaſt. in tom. 1. S. Auguſtini ad 3. quæſitum. Toſtatus in caput 25. Matthæi. *Auguſtinus* (inquit) *aſſerit vel ſupponit Dæmones habere corpora unita, quaſi ſint animalia, ſed illa non ſunt vera.* Guilelmus Eſtius lib. 2. ſententiarum diſtinct. 8. apertè probat ſanctum Auguſtinum approbare opinionem de Angelis corporeis. Dominicus Bannez in 1. part. quæſt. 51. art. 1. concluſ. 3. doct. nõ eſſe errorem in fide dicere ſua dæmonibus corpora eſſe, quia id ait ſanctus Auguſtinus; licet nequeat jam affirmari abſque temeritate. Gregorius à Valentiâ tom. 1. diſp. 4. q. 2. Suarez lib. 1. de Angelis c. 6. probant clarè 12. argumentis S. Auguſtinũ id docuiſſe. Molina 1. part. q. 50. art. 1. *Negandum* (inquit) *non eſt in eâ fuiſſe ſententiâ.* Dionyſius Petavius Theolog. dogmat. tom. 3. lib. 1. cap. 2, oſtendit D. Auguſtinum aſſeruiſſe in Angelis eſſe corpora præſtantiora & puriora, quàm in dæmonibus, Franciſcus de Lugo lib. de Angelis diſput. 1. cap. 1. probat. 10. teſtimoniis quod D. Auguſtinus tribuerit Angelis quædam corpora, nec illam opinionem retractavit. Pater noſter Lezanâ tom. 1. tract. 6. diſput. 1. quæſt. 3. poſtquam retulit Hilarium, Caſſianum, Macarium, Origenem, Cæſarium, Origenem, Baſilium, Methodium, Bernardum, Auguſtinum. Reſpondet aliquos ex illis ei parti adhæſiſſe, vel ſaltem aliquando dubitaſſe vel locutos fuiſſe de Angelis, quatenus ſunt in corporibus aſſumptis, vel dicuntur comparativè in ordine ad Deum qui ſcilicet non tam ſpiritales ſunt ſicut Deus eſt.

Toſtatus *Molina.* *Lezana*

V. Secundus error qui attribuitur ſancto Auguſtino eſt, quod illicita ſit injuſti invaſoris occiſio epiſt. 153. 154. *Niſi fortè ſit miles aut publicâ functione teneatur.* Et lib. 1. de liber. arbitr. cap. 2. *Quo pacto illos defendam qui ſe interficiunt non invenio.* Scilicet ut hoſtem invadentem, vel inſidiatorẽ ſicarium, ut ibidem habet. Quod autem ſanctus Auguſtinus eam opinionem

nem aſſertivè tenuerit docet Auguſtinus Triumphus aliàs de Anconâ lib. de poteſtate Eccleſ. quæſt. 52. art. 3. negans licere occidere invaſorem injuſtum pro tuendâ propriâ vitâ, ſuamque ſententiam præcipuè confirmat ex S. Auguſtino lib. 1. de lib. arbitr. cap. 3. epiſt. 154. ad Publicolam. Dominicus Sotus de jure & juſtitiâ cap. 5. art. 8. aſſerit S. Auguſtinum fuiſſe in eâ opinione. Item Molina tractat. 3. diſput. 13. Vaſquez tract. de reſtitut. cap. 2. §. 1. Luiſius Turrianus de juſtitia diſput. 27. dubio 1. Amicus tom. 5. de juſtit. diſput. 36. ſect. 8. Noviſsimè Cardinalis de Lugo tomo 1. diſp. 10. ſect. 6.

VI. Tertius error eſt quod S. Auguſtinus lib. de prædeſtin. ſanctorum cap. 13, & maximè lib. 1, de peccatorum meritis & remiſſione cap. 20, doceat parvulos baptizatos ſalvos eſſe non poſſe ni Euchariſtiam percipiant. Hic enim circa medium explicans illa verba Joannis cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c. Non habebitis vitam in vobis.* Subdit. *Quid ultra quærimur, &c. An verò quiſquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos illa ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione Corporis hujus, & ſanguinis, in ſe habere vitam, quia non ait qui non manducaverit, ſicut de Baptiſmo, qui non renatus fuerit, ſed ait, ſi non manducaveritis, vel ut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? ſed qui hoc dicit non attendit, quia niſi omnes iſta ſententia teneat, ut ſine Corpore & Sanguine filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra enim ætas major id curat, poteſt enim ſi non voluntatem, ſed verba loquentis attendas, eis ſolis videri dictum, quibus tum Dominus loquebatur.* Cardinalis Hoſius Cōcilii Tridentini Præſes in confutatione Prologomenon Brentii libr. 3. de authoritate ſacræ ſcripturæ exiſtimat S. Auguſtinum cap. 20. & 23. de peccat. merit. & remiſſ. loqui de Sacramentali Euchariſtiæ manducatione propriè dictâ parvulis neceſſariâ, quam opinionem etiam tribuit ſanctis Cyrillo, Chryſoſtomo, Cypriano & Hilario. Eandem opinionem tribuunt S. Auguſtino Maldonatus & Cornelius à Lapide in cap. 6. Joannis & alii: & noviſſimè Mantellius Auguſtinianus lib. 2. de Venerabil. Euchariſt. cap. 17. ait illam opinionem de ſumptione Euchariſtiæ parvulis neceſſariâ fuiſſe vulgarem in Eccleſiâ Africanâ, ita ut *Beatus Auguſtinus* (inquit) *S. Cyrilli obſervantiſſimus illam tenuerit.* Infra concludit. *Nec memini legiſſe, qui id temporis Cypriano, & Auguſtino hac in re adverſati fuerint.*

Hoſius Card. — *Mantelius*

VII. Quartus error qui S. Auguſtino attribuitur, eſt quod negaverit ullos eſſe Antipodas libr. 16 de Civitate cap. 9. *Quod verò & Antipodas eſſe fabulantur, id eſt homines à contraria parte terræ, ubi ſol oritur, quando occidit nobis, adverſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nullâ ratione credendum eſt.* Et conatur probare id eſſe impoſſibile eo quod pars terræ huic oppoſita eſt aquis obruta ex verbis illis *nulla ratione credendum eſt.* Concludunt aliqui ideò S. Auguſtinum erraſſe, quia aſſerit ſe firmiter ſcire. Nam ex eo ſancto Doctore citato decretum ait, 1. part. diſtinct. 38. cap. 11. *Non eſt conſequens ut continuò erret quiſquis aliquid neſcit, ſed quiſquis ſe exiſtimat ſcire quod neſcit, pro vero quippè approbat falſum quod eſt erroris proprium.* Idem docet S. Thomas quæſt. de malo, quæſt. 3. art. 3. *Error eſt approbatio falſorum pro veris, addit actum quemdam ſuper ignorantia. Poteſt eſſe ignorantia ſine hoc, quod aliquis de ignotis ſententiam ferat, & tunc ignorans eſt, & non errans. Sed quando cum falſam ſententiam fert his quæ neſcit, tunc propriè dicitur errare.* Sic quando ſanctus Auguſtinus exiſtimat ſe ſcire indubiè non eſſe Antipodas, & judicat oppoſitum eſſe falſum, non tantùm ignorat, ſed errat. Quod autem certum ſit eſſe Antipodas probatur primò ex ſcripturâ lib. 2. Paralip. cap. 8. verſ. 18. *Miſit Hiram per manus ſervorum ſuorum naves, & nautas gnaros maris, & abierunt cum ſervis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri & attulerunt ad Regem Salomonem.* Joſephus S. Auguſtino antiquior, S. Hieronymus epiſt.

Thomas — *l. 2. Par. 8. v. 18.*

epiſt. 140. exiſtimavit Ophir eſſe auream Cherſoneſum, ſivè regnum Peguanum, Malaca, & Somatra in Indiâ orientali. Eodem lib. cap. 9. v. 21. *Naves Regis ibant in Tarſis cum ſervis Hiram ſemel in annis tribus, & deferebant indè aurum, & argentum, & Simias, & pavones, &c.* Maffæus lib. 16. hiſtor. Indicæ ait Peguſios trahere ſuam originem è Judæis exulibus olim damnatis à Salomone ad aurifodinas Ophir. Ibi ſecundùm Ptolomæum lib. 7. naſcuntur berylli & hyacinthi, de quibus Textus ſacer. Ludovicus Vives ait illos tractus eſſe Antipodas Africæ. Sic enim ſcribit in lib. 16. cap. 9. Civit. ubi poſtquam oſtendit quod Coſmographi omnes cœlum, & proindè terram in quinque cingula diviſerunt, ait ex illis auſtralem plagam fuiſſe nobis incognitam,

Ludov. Vives.

ſubditque. *Hæc fuit Auguſtino cauſa non levis cur Antipodas negaret, Lactantium ſecutus. Videbat enim homo acutiſſimus, ſi concederetur, aditum nulli eorum qui hanc incolimus Borealem faſciam temperatam ad auſtrales illos patere, ut Cicero jam magniq; authores præjudicarunt, ſequi neceſſariò illos de genere Adæ non eſſe, maluit illud negare quàm argumento premi tam moleſto tantis authoritatibus munito, ſed profectò & Antipodas eſſe tam certum eſt, ut negari non poſſit, & ad illos eſſe viam compertiſſimum eſt, etiam nonnullis antiquorum, nedum navigationibus noſtræ memoriæ. Nam olim per Arabicum ſinum quidam Auguſti Cæſaris potentiã fugientes, perque imam Æthyopiam, mare Athlanticum ad Gades Herculis enavigarunt: Contra florentibus rebus Carthaginenſium aliqui ex eis ab Herculeo freto in Arabicum mare rubrum. Tum etiam Perſicus ſinus & Indicum eorumque mare Alexandri armis eſt exploratũ. Inſulæ Taprobane, & alia in illis tractibus nonnullæ quæ ex poſitu cœlorum & ſyderum deprehenduntur Antipodes eſſe nobis.* Toſtatus explicans illa verba Exodi cap. 22 *Qui habitant ſuper terram.* Sic de Antipodibus ſcribit.

Toſtatus

Nam & iſti ſuper terram ſunt, alioqui nullus populus eſſet ſuper terram. Quaſi diceremus illos eſſe ſub terrâ, qui Antipodes noſtri ſunt, ita illi dicerent nos eſſe ſub terrâ quia eorum Antipodes ſumus. Idem in Deuteron. explicans illa verba cap. 7. *De cunctis populis qui ſunt ſuper terram aſſerit num. 4. eſſe Antipodes, eoſque ſic vocari qui à ſeipſis diſtant per diametrum terræ, &c.*

Quintum errorem ſancto Auguſtino tribuit Toſtatus in defenſorio parte 2. cap. 16. docenti quod Chriſtus obierit 25. Martii, quam opinionem improbat idem Toſtatus, & fuſiſſimè oſtendit eſſe impoſſibilem: alioqui Chriſtus vixiſſet 175. annis. Cæterùm etſi (ſecundùm novellos) S. Auguſtinus ab his & aliis erroribus ſit immunis non tamen ſequitur eſſe in eo eandem infallibilitatem & irrefragabilitatem, quæ eſt in Pontifice Romano. Audiamus illum ſe ipſum judicantem lib. de bono perſeverantiæ cap. 21. *Neminem velim ſic amplecti omnia mea ut me ſequatur, niſi in iis in quibus nõ errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nè me ipſum in omnibus ſecutum fuiſſe demonſtrent, ſed proficienter me exiſtimo, Deo miſerante ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cœpiſſe quandoquidem arrogantius loquar quàm verius, ſi vel nunc dicam me ad perfectionem ſine ullo errore ſcribendi jam in iſta ætate, veniſſe.* Quibus verbis declarat ſe nolle ſua ſcripta quaſi irrefragabilia recipi, niſi in iis in quibus perſpicietur non errare, deindè falſum eſſe, quod ipſe in ſenili ætate attigerit perfectionem ſcribendi ſeu componendi libros abſque errore. Vndè lib. 3. de Trinitate cap. 1. ait. *Noli litteris meis quaſi ſcripturis canonicis inſervire.* Rationem affert. *Hæ enim, & non illæ ſunt Evangelicæ, Apoſtolicæ, cœleſtis & irrefragabilis authoritatis, cui nemo poſſit ſine fidei Catholicæ læſione refragari.* Lib. de naturâ & gratiâ contra Pelag. cap. 16. *Ea teſtimonia quæ non quidem de ſcripturis Canonicis, ſed de quibuſdam Catholicorum opuſculis, &c. etiam de libris meis interponere voluit pertractare, quid opus eſt? quoniam me in hujuſmodi quorumlibet hominum ſcriptis liberum, quia ſolis Canonicis debeo ſine ullâ recuſatione conſenſum.* Expende illud *ſolis.* Epiſtol. 48. ad Vincentium. *Noli ergo*

VIII.

Auguſt.

frater

frater contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis ſive noſtrorum, ſicut Hilarii, &c. Primò quia hoc genus litterarum ab authoritate Canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tanquam ita ex iis teſtimonium proferatur, ut contra ſentire non liceat, ſicubi fortè aliter ſapuerint quàm veritas poſtulat. Quem Auguſtinum referens Franciſcus Titelmanus de conſiderat. dialect. lib. 5. cap. 34. & addit. *Interdum licet illorum authoritati cum rationabili modeſtiâ refragari, interdum etiam corrigere errorem cum reverentiâ.* Et ſubdit ex eodem D. Auguſtino lib. 4. de animâ cap. 1. *Neque negare debeo, ſicut in ipſis moribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt juſto judicio, & nullâ temeritate culpari.* Idem ſanctus Doctor epiſt. 19. ad Hieronymū. *Solis eis libris, qui iam Canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum authorē ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam, &c. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinâque præpolleant non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt. &c. Nec te me frater ſentire aliud exiſtimo &c. Non te arbitror ſic legi libros tuos velle tanquam Prophetarum, &c. Abſit hoc à tuâ piâ humilitate & veraci de temetipſo cogitatione.* Quibus verbis docet exceptis Canonicis libris dici poſſe aliorum librorum authores erraſſe abſque eorum injuriâ. Deindè exceptis libris Canonicis alios libros quicumque ſint debere ſeriò examinari. Quod D. Auguſtinus ita cenſet non tantùm de ſuis, ſed de Hieronymi libris. Non enim commendat Hieronymo humilitatē, quam ipſe non exercet, nec putat alienos libros errori obnoxios, ſuos verò omninò expertes eſſe. Vndè lib. 11. contra Fauſtum poſtquam de authoritate canonicarum ſcripturarum ſcripſit ſimilia iis quæ ad Hieronymū, ſubdit cap. 5. *Itaque in iis ſi quæ fortè propterea diſſonare putantur à vero quia non ut dicta ſunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet Lector, Auditorque judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit, & ideò cuncta hujuſmodi niſi vel certâ ratione ex illâ canonicâ authoritate defendantur, &c. Si cui diſplicuerit aut credere noluerit, non reprehenditur.* Quibus verbis declarat ſuos libros canonicis ſcripturis nullo modo abſque maximo piaculo refragari debere. Vnde liberam facultatem dat à ſuis ſcriptis diſſentiendi, nec reprehenſibiles eos exiſtimat qui diſſenſerint. Innuens in illis non eſſe infallibilitatem. Quod confirmat lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagiani, ubi poſtquam dixit eandem cautionem adhibendam eſſe libris SS. Cypriani & Ambroſii, ſubjicit. *Non quo canonicis libris à nobis illius diſputatoris æquetur authoritas, tanquam omninò non ſit, quid melius ſeu verius ab aliquo Catholico, quàm ab alio itidem Catholico ſentiatur, ſed ut admoneantur qui putant illos aliquid dicere.* Quando ait. *Tanquam omninò non ſit quid melius ſeu verius ab aliquo Catholico, quàm ab alio itidem Catholico ſentiatur, &c.* Declarat nihil melius & verius dici poſſe iis quæ ſunt in ſcripturis: at è contrario quæ ab uno ſcriptore exarata ſunt melius & verius ab alio licet non ita perito & ſancto dici poſſe. Audi Toſtatum lib. 2. defenſorii cap. 18. ubi probat contra S. Auguſtinum Chriſtum non obiiſſe die 25. Martii. *Veneneramur,* (inquit) *omnia ſcripta B. Auguſtini tanquam viri ſancti, & hominis doctiſsimi, & famoſiſsimi inter viros Eccleſiaſticos & ſæculares. Et tamen in hac parte non aſſentimur ei. Nec ita authoritas ſua in hac parte captivare debet ingenium noſtrum, quod neceſſe ſit ei in omnibus aſſentire; in hoc autem nullam injuriam ei facimus, nec aliquid de authoritate aut reverentiâ ejus tollimus, ſed facimus (ſicut ipſemet nos docuit facere) & tantam ei reverentiam exhibemus, quantam ipſe ſibi, & aliis æqualibus impendi voluit, & quantam ipſe vivens aliis, quos ſe excellentiores judicabat & profitebatur exhibuit.* Paulò poſt. *Solum vult Auguſtinus debere adhiberi firmam fidem libris canonicis, ideſt libris qui ſunt in Canone Biblia,* *Toſtatus*

& de illis nullo modo licet contendere, an verum dicant, imò nec dubitare: ſed quidquid dicant, quantumcumque grave vel alienum nobis videatur ita tenendum eſt, ac ſi Deus nobis diceret. In ſcripturis autem hominum ſingularium, qui loquuntur ut homines (quantacumque ſanctitatis & ingenii, ſint, & quantæcumque doctrinæ) non eſt danda tanta auctoritas, ſed ſcimus eos potuiſſe errare, &c. Dicit, *In ſcripturis autem hominum ſingularium qui loquuntur ut homines, &c.* Vt diſtinguat à Pontifice Romano, qui non loquitur ut homo ſingularis, ſed ut Vicarius Chriſti, ut Petri ſucceſſor, cujus fides deficere nequit, & quando aliqua edidit decreta fidei & morum. *De illis nullo modo licet contendere an verum dicat, immò nec dubitare, ſed quid dicat quantumque grave vel alienum nobis videatur ita tenendum, ac ſi Deus nobis diceret.* Adeò ut idem diſcrimen afferre poſſimus inter Pontificem Romanum & Doctores particulares, quod Toſtatus ſupra refert de Scriptoribus librorum Canonicorum & præfatis Doctoribus particularibus. *Ratio* (inquit) *hujus diverſitatis, quia omnes illi qui ſcripſerunt libros contentos in Canone Bibliæ locuti ſunt per Spiritum ſanctum, & nihil dicebant niſi quod Spiritus ſanctus movebat eos. Et quia Spiritus ſanctus non poteſt mentiri, impoſſibile eſt eos mentitos fuiſſe, & ob hoc, cum iſtud nobis conſtet neceſſe illis accommodare fidem pleniſſimam ſine aliqua dubitatione. Cæteri autem quorum ſcripta nō continentur in Canone Bibliæ, licet eſſent viri ſanctiſſimi ſcripſerunt ut homines, probando, & improbando, quantùm vires ingenii & exercitatio in doctrinâ eos potuit adjuvare. Et licet Deus interdum alicui revelaret aliqua ſecreta, nobis non conſtat, & ideò omnia ab iſtis dicta ita accepimus ac ſi ſolis ingenii viribus uterentur.* Deindè oſtendit nullam à nobis per hoc injuriam inferri S. Auguſtino & aliis Doctoribus. Non facimus (inquit Toſtatus) illi injuriam alioqui ipſe ſibimet eſſet injurioſus, ut infra oſtendit. *Conſtat quod Auguſtinus cum ſcriberet in multis erravit, & tamen quando ipſe ſcribebat ita putabat eſſe ſicut ſcribebat, poſtea autem retractavit multa. Et veriſimile eſt quod non potuerit omnia retractare, in quibus erraverit, quia fortè non occurrit ſibi poſtea omnes libros corrigere, quos prius ediderat. Et eſt ſatis veriſimile, quia ut ait Iſidorus lib. Ethymologiarum cap. de his qui multa opuſcula ediderunt, quod Auguſtinus tot ſcripſerit libros, quot non occurrat homini in vitâ ſuâ non ſolùm ſcribere, ſed nec etiam legere, ita fortè in eo factum eſt quia jam ſenex erat, quando librum retractationum edidit ſcilicet poſt alia opera.* Plura ibi & circa finem. *Quotidie experimur quod unus homo parva peritia novit aliquid, quod non novit vir peritiſſimus, & tamen ex hoc non judicatur iſte peritior illo, & ſicut quidam peritus Medicus dixit, homines noſtri temporis ad antiquos comparantur, ſicut puſillus homo poſitus collo gigantis ad ipſum gigantem: Nam puſillus ibi poſitus videt quidquid videt gigas, & inſuper plus, & tamen ſi deponatur de collo gigantis parum aut nihil videbit ad gigantem collatus: ita & nos firmati ſuper ingenia antiquorum, & opera eorum non eſſet admirandum imò foret rationabile, ſi videremus quidquid illi viderunt, & inſuper plus, licet hoc non adhuc profitemur, &c.* Quod D. Auguſtinus non ſupremâ calleret peritiâ, ipſemet teſtatur epiſt. 7. ad Marcellinum. *Ego proindè fateor, ex me eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.* Idem lib. 1. de Trinitate c. 2. & 3. *Nec pigebit autem me ſicubi hæſito quærere nec pudebit ſicubi erro diſcere: Proindè quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt pergat mecum, ubi pariter hæſitat quærat mecum, ubi errorem ſuum agnoſcit redeat ad me ubi meum, revocet me.* Quibus patenter declarat opera ſua non carere ſuſpicione erroris, nec in iis eſſe certitudinem irrefragabilem. Cardinalis Perronius ait ſententiam D. Auguſtini eſſe probabilem quando loquitur ut Doctor privatus, & demonſtrativam cum conſentit cæteris Patribus, ideſt non eſſe ſemper neceſſariò ſequendam.

Nec refert quod Cœleſtinus papa epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ vocet *Auguſtinum ſanctæ recordationis virū, &c.* IX.

&c. Nulla ſiniſtræ ſaltem ſuſpicionis rumor aſperſit. Dicatque ſe jungere, *Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias quas utique ſuas fecerunt, Apoſtolici Antiſtites comprobaverunt.* Item quod laudetur à Cõcilio Milevitano, Carthaginenſi, à Synodo generali 5. 6. 7. Florent. ſeſſ. 7. Trident. ſeſſ. 5. & 6. Ex hoc non ſequitur in eo eſſe infallibilitatem ſicut eſt in Põtifice Romano, nec unquam incidiſſe in errores materiales antequam libros retractationum ederet. Deinde ſequeretur doctrinam S. Thomæ eſſe infallibilem ac irrefragabilem, de eo enim ex Gerſone parte 2. & aliis. Joannes XXII. ait *Tot miracula feciſſe quot quæſtiones.* Innocentius VI. ſermone de ſancto Thomâ. *Hujus (inquit) doctrina præ cæteris exceptâ canonicâ, habet proprietatem verborum, &c. veritatem ſententiarum: ita ut nunquam, qui eam tenuit inveniatur à veritatis tramite deviaſſe, qui eam impugnarit ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.* Saltem quoad modum expreſſum, ſicut quilibet confeſſor ſolet in aliquo præ omnibus laudari. Et tamen Scotus, Durandus & alii, paſſim ab ejus opinionibus recedunt, licet ut plurimùm ſuas Concluſiones confirmet ſententiis ſancti Auguſtini quaſi ſui magiſtri, ut teſtatur S. Vincentius Ferrerius ſermone de S. Auguſtino.

X. Quod verò ipſi Pontifices Romani doctrinam divi Auguſtini omninò infallibilem & irrefragabilem etiam judicarint, patet primò ex eodem Cœleſtino I. qui epiſt. ad Epiſcopos Galliæ coercere volens reliquias factionis Pelagianæ poſtquam ex definitionibus Romanorum Pontificum Innocentii & Zozimi, & ex Carthaginenſi Concilio quædã recenſuit de neceſſitate gratię cõcludit. *Profundiores verò difficilioresq́; partes occurrentium quæſtionũ, &c. ſicut nõ audemus contemnere ita nõ neceſſe habemus aſtruere.* Quibus verbis ſecundùm Baroniũ anno 431 Cœleſtinus, *Profitetur profundiores quæſtiones illas de prædeſtinatione ſanctorum nequaquam ab Apoſtolicâ ſede eſſe definitas.* Quidquid de illis dixerit ſanctus Auguſtinus, cujuſmodi eſt de prædeſtinatione ante merita, cui ſententiæ licet favere videatur S. Auguſtinus, ei tamen non conſenſit Cœleſtinus, ſed liberam utramvis ſuſtinendi opinionem relinquit. Nam Baronius contendit, *Illas quæſtiones tantùm ab Apoſtolicâ ſede ſtabilitas fuiſſe, quæ ad condemnationem eorum ſatis poſſe ſufficere viderentur.* Quæ ſcilicet nullam habeant connexionem cum quæſtione an prædeſtinatio ſit ante vel poſt præviſa merita. Innocentius III. capitulo *Majores* de Baptiſmo, & ejus effectu patenter diſtinguit pœnam damnatorum ob ſolum peccatum originale à pœnâ damnatorum ob peccata actualia, & perſonalia, quod hi plectantur pœnâ damni & ſenſus, illi verò ſolâ pœnâ damni. Et tamen ſanctus Auguſtinus exiſtimavit parvulos morientes abſque Baptiſmo cruciari pœnâ ſenſus, contra quem etiam militat capitulum *Majores*, ut teſtatur Viguerius; maximi etiam Theologi in primis Magiſter ſentent. S. Bonaventura lib. 2. ſentent. diſtin. 33. D. Thomas de malo quæſt. 5. art. 2. Scotus lib. 2. ſentent. diſtin. 33. Viguerius ſupra citatus, Dominicus Sotus lib. 1. de naturâ & gratiâ cap. 14. vocant illam opinionẽ rigidam ac trucẽ. Driedo lib. de captivit. cap. 2. tract. 4. part. 8. & lib. 1. de gratiâ, & lib. arbit. cap. 2. Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus in epiſt. ad Rom. cap. 5. *Igne (inquit) Auguſtinus cruciantur infantes non baptizati: quid inde num habentes Ambroſium, Hieronymum, Scotum, Thomam, Bonaventuram, &c. Vni Auguſtino adhærebimus tantùm, & Doctorum & Sanctorum Patrum catervam rejicientes? Abſit ut propter unius Auguſtini authoritatem à Sanctis Patribus, adde à pietate & à ratione diſcedam, diſplicerem & ipſi Auguſtino ſi tot, tantiſq́; rejectis Patribus alli uni adhærerem.*

Baron. — Cornel. Muſſus.

XI. Quoad Circumciſionem in veteri lege D. Auguſtinus in variis locis docet eſſe de fide peccatum originale ex opere operato tolli per illam, ſed Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere, negat eſſe de fide imò ait eſſe contra communem ſanctorum Patrum mentem, Chryſoſtomi, Cyrilli, & aliorum. Quoad mundi fabricam divus

Tertull. D. Auguſtinus lib. 4. de Geneſi ad literam cap. 21, 22. & 32. 33. lib. 1. de civitate cap. 7. 9. 31. 33. dicit productum fuiſſe à Deo etiam quoad varietates formarum eodē temporis momento abſque ullâ temporis ſucceſſione, illoſque dies eſſe accipiendos pro alternationibus angelicæ cogitationis : ſed Alphonſus à Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes cap. 7. ait nullum ex ſcriptoribus Auguſtino in hoc aſſentiri. Pererius tom. 1. in Geneſ. c. 2. ſcribit. *Contrariam Auguſtino ſententiam equidem non modò probabiliorem, ſed etiam certæ & indubitatæ veritatis, citatque Scholaſticos & Patres ipſi contrarios.* Aliqui præfatas conclusiones S. Auguſtini explicant, alii excuſant illum, ſed ipſe S. Doctor ſuam imperitiam fatetur, ſe ſuasque opiniones ac placita cenſuræ ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſubmittit, ut patet ex epiſtolâ 92. ubi D. Auguſtinus & cœteri Epiſcopi in Milevitano Concilio congregati ab Innocentio I. circa adjutoriū gratiæ & contra interpretationes Pelagii & Cœleſtini cenſuram & definitionem poſtulant : epiſt. 99. ſcribente eodem Auguſtino Patres Concilii Carthaginenſis rogant, ut quæ ipſi contra Pelagium & Cæleſtinum de materiā gratiæ ſtatuerunt. *Pro ſuâ mediocritate, ſummus fidelium paſtor Innocentius etiam Apoſtolicæ ſedis debitâ auctoritate confirmet.*

XII. Ex his patet licet ſcripta S. Auguſtini & aliorum Patrum ſint multâ veneratione digniſſima, tamen non habere eam infallibilitatem, quin ſubeſſe debeant cenſuræ Sedis Apoſtolicæ, quandoquidem ipſemet Auguſtinus tum locis citatis, tum alibi paſſim maximè epiſt. 19. & 48. & 111. lib. de naturâ & gratiâ, cap. 6. lib. 2. contra Creſconium, cap. 32. lib. 11. contra Fauſtum, cap. 5. de bono perſeverantiæ cap. 21. idem fateatur. Vnde rectè docet D. Thomas 2. 2 quæſt. 1. artic. 10. poſſe à Pontifice de novo fieri Symbolum fidei, non autem ab ullo Patre ſeu Doctore. *Quia* (inquit) *nova editio Symboli neceſſaria eſt ad vitandum errores, ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſâ fide teneantur ; hoc autē pertinet ad authoritatem ſummi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, ut dicitur in decret. lib. de Baptiſmo cap. Majores, quæſt. 6. unde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem ſummum Pontificem conſtituit : Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. *Et hujus ratio eſt quia una fides debet eſſe totius Eccleſiæ ſecundùm illud 1. Corinth. cap. 1. id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* 1. Corint. cap. 1. *Quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinetur per eum qui toti Eccleſiæ præeſt, ut ſic ejus ſententia à totâ Eccleſiâ firmiter teneatur, & ideò ad ſolam authoritatem ſummi Pontificis pertinet nova editio Symboli, ſicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, ut congregare Synodum generalem & alia hujuſmodi.* Patet ex praxi Eccleſiæ : nam poſt primum Symbolum Apoſtolicum ſeu ab Apoſtolis compoſitum antequam in varias mundi partes pergerent, ut aſſerunt Clemens epiſt. 1. Irænеus lib. 1. cap. 2. Ambroſius epiſt. 81. ad Cyricium, Ruffinus in expoſitione Symboli, Chryſoſtomus hom. 1. & 2. in Symbolum, Auguſtinus ſermon. 115. & 180. Leo ſerm. 11. de Paſſione, & epiſt. 13. ad Pulcheriam, vocatur Symbolum quia ex S. Iſidoro libr. 9. orig. cap. 39. & Ruffino præfatione in expoſitione Symboli, eſt quaſi teſſera militaris ſeu ſignum profeſſionis quo fideles ab infidelibus diſcernuntur. S. Ambroſius lib. 3. de Virginibus & ſerm. 33. vocat clavem 12. artificum operatione conflatam & ſigillum. Tertullianus de præſcript. cap. 13. regulam fidei. Ruffinus & Cyprianus Breviarium fidei verbum. Dionyſius de Hierarchiâ Eccleſ. cap. 3. hymnologiam ſeu laudatorium ſermonem. Alii Doctores canticum Catholicū, Sacramentum, vel confeſſionem. Secundùm ſcilicet Nicænum in Miſſâ cantari ſolitum, compoſitum eſt à Concilio Nicæno & auctum ſeu explicatum à Concilio Conſtantinopolitano primo, Toletano octavo, & Florentino. Irenæus lib. 1. cap. 3.

Auguſtinus lib. de fide & ſymbolo c. 1. Cyrillus catecheſi 5. & hæc duo habent infallibilitatem: quia ſunt approbata à Pontifice, non verò quod conditum eſt in Syrmienſi, & Ariminenſi Concilio defectû approbationis Pontificiæ.

XIII. Alterum eſt Athanaſii, Treviris compoſitum, ut notat Durandus lib. 4. rationalis divinorum officiorum c. 25. cujus veritas non eſt infallibilis, ut eſt ab Athanaſio ſed ex D. Thomâ ſupra ad 3. *Vt authoritate Pontificis eſt recepta ſcilicet ut orthodoxa.* Eſſe verò hoc ſymbolum compoſitum ab Athanaſio teſtatur Auguſtinus in pſalm. 120. in Enchiridio cap. 36. lib. 5. de Trinit. cap. 8. Nazianz. orat. de laudibus S. Athanaſii. Obiter nota Symbolum Nicænum ex ordinatione Damaſi papæ (ut notat Durandus ſupra) vel Marci I. cantari, & quidem altâ voce, quia compoſitum eſt ſecundùm D. Thomam ſupra art. 9. ad 6. quando Eccleſia liberum & publicum habuit religionis exercitium: Apoſtolicum autem ſubmiſsâ quia compoſitum eſt, dum Eccleſia adhuc in cunis eſſet, & perſecutionem patiens latere cogeretur.

CAPUT XIX.

Infallibilitas Papæ in Beatificatione & Canonizatione Sanctorum.

I. Præmitto ex Bellarmino libr. 2. de Beatif. Sanctorum cap. 7. canonizationem eſſe *Publicum Eccleſiæ teſtimonium de verâ ſanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti, & ſimul judicium ac ſententia, quâ decernuntur illi honores, qui debentur iis, qui fœliciter regnant.* Beatificationem autem eſſe *Indulgentiam ſeu conceſſionem Apoſtolicam factam alicui Provinciæ vel Religioni, ut poſſit aliquis defunctus beatus appellari, eique cultus aliquis exhiberi.* Quæ Beatificatio ſolet eſſe via ad canonizationem. Id patet ex Bullis Pontificum. Vndè differunt Canonizati à Beatificatis. Primò, quod illi ſcribantur in catalogo ſanctorum, ideſt ſtatuitur ac jubetur, ut ab omnibus publicè habeantur ſancti, & cultus hic ſit generalis & ſolemnis: at Beatificatis cultus particularis ſit alicubi non in omni loco. Ita Peirinis tom. 1. privileg. Minimorum 16. Leonis X. numer. 1. noſter Lezana tom. 4. qq. regul. verbo *Sanctorum cultus*, num. 2. & 3. Beatificati tamen poſſunt inſcribi Martyrologio, ſic noſtra B. Maria Magdalena de Pazzi in noviſſimo Martyrologio Rom. anni 1632. inſcripta fuit pro 25. Maii. Secundò Canonizati invocantur in publicis precibus Eccleſiæ, ſeu Litaniis, quibus beatificati nō inſeruntur, cum in ipſis ſub titulo ſanctitatis ſervi Dei invocentur ab Eccleſiâ. Lezana ſupra poſt Fortunatum Scachium *de cultu & venerat. ſervorum Dei.* lib. 1. lect. 10. cap. 3. Poſſunt tamen Beatificati invocari in Miſsâ & in officio Canonico, quæ pro ipſis dicitur. Tertiò, dedicantur Deo templa & altaria in honorem & memoriam Canonizatorum: at Beatis poſſunt quidem altaria dedicari, ſic Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Tranſpontinæ habemus aram in honorem B. M. Magdalenæ de Pazzi dedicatam. In Collegio Societatis JESU una eſt B. Aloyſio de Gonzaga, in Novitiatu B. Staniſlao Polono. Addit Fagundez tomo 1, præcept. Eccleſ. libr. 1. cap. 3. num. 13, etiam Eremitoria illis dedicari, non tamen templa. Quartò, Sacrificia, Euchariſtiæ, laudum, & precum, ſeu Horarum Canonicarum Canonizatis publicè in omni loco & tempore poſſunt offerri. At inquiunt Granadus in 2. 2. controv. 1. tract. 7. diſput. 4. ſect. 2. Diana part. 4. tract. 4. reſolut. 231. Lezana tom. 4. verb. *Ritus ſacri*, num. 5. Cultus ſancti Beatificati eſt tantùm permiſſus iis, quibus expreſsè conceſſus, & eo modo, quo conceſſus, ita ut nec devotionis gratiâ, vel privatim id liceat alicui commemorationem in Miſsâ facere de prædictis Beatificatis aliis diebus quàm in conceſſis, neque in aliis Eccleſiis: & colligitur ex Alexandro III. in cap. 1. de reliquiis & veneratione Sanctorum. Vbi cultus publicus permittitur

mittitur tantùm ab iis fieri, quibus conceditur. Cùm incluſio unius ſit excluſio alterius, l. *cùm prater*, ff *de judic.* & l. *Maritus*, C. *de procur.* Quintò, feſta in Canonizatorum memoriam celebrantur vbique, ita cap. *Audivimus de reliquiis & veneratione ſanctorū.* Non autem Beatificatorum. Ita Azorius tomo 2. inſtitit. moral cap. 26. quæſt. 4. Lezana tomo 3. verb. *Feſti dies*, num. 7. & tomo 4. verb. *Sancti*, Sanchez lib. 2. in decal. cap. 45. num. 9. Sexto, pinguntur imagines Canonizatorum certo quodā lumine addito & laureolá in ſignum gloriæ quâ in cœlo fruuntur. Non ideo modo competit Beatificatis. Septimò, Reliquiæ Canonizatorum thecis pretioſis includuntur, ac publicè honorantur. Ita Bellarminus lib. 2. de Sanctorum Beatitudine cap. 7. Azorius tomo 2. inſtitut. moral. lib. 5. cap. 6. quæſt. 8. Fagundez in 2. præcep. Eccleſ. lib. 4. cap. 3. n. 13. Lezana. At reliquiæ Beatificatorū proponi nequeunt publicè adorandæ niſi approbentur à Papà, id colligi videtur ex cap. *Cùm ex eo.* Tamē noſter Lezana verb. *Sanctorū cultus* n. 3. poſt Portellū in dubiis regular. verb. *Reliquiæ ſanctorū*, n. 10. Fagundez ſupra n. 15. & cap. 4. num. 3. contrarium aſſerit Vnde ad Cap. *Cum ex eo*, reſpondet Lezana ſufficienter reliquias Beatificati approbatas cenſeri eo ipſo quod beatificatur, & miſſa, & officium, &c. à Papâ illi conceduntur. Octavò Canonizati poſſunt eligi in protectores alicujus civitatis, Beatificati minimè: alioqui ſic electi præcedere deberent Canonizatos. Ita Paſqualigus deciſ. 507, Lezana verb. *Sanctorum cultus*, & probant ex declarationibus Sac. Congreg. nominanter 25. Martii, anno 1630. annuente Vrbano VIII. *Super electione, &c.* Peirinis tomo 3. Privileg. Minimorū, cap. 12. conſtit. 21. aliàs 31. Vrbani VIII. Barboſa in collect. Bullarum verb. *Patronus*, his poſitis.

II. Dico quod ſancti poſſunt in hoc ſæculo beatificari & canonizari, patet Origenes ex Origene qui laudes patientiſſimi Job ita auſpicatur. *Sicut cæli luminaria ac ſidera in firmamento cæli à Deo collocata cunctos indeſinenter, quæ ſub cælo ſunt fulgent, atque omnibus quæ ſuper terram ſunt per tempora ac tempora, per generationes & generationes mirabiliter relucent: alia quidem per noctem, ut luna & ſtellæ, alia nihilominus per diem, ut ſolis ſpecioſiſſimi radii, ſic & ſanctorum virtutis inſignia, &c.* Quibus oſtendit non tantùm in futuro ſœculo: ſed etiam nunc ſanctos effulgere & emicare, cum hoc tamen diſcrimine, quod in tempore reſtitutionis ſola ſanctitas vera apparebit, omnes virtutum apparentiæ excludentur, omnes fuci & hypocriſes evaneſcent.

Cui arridet oraculum Iſaiæ cap. 2. III. verſ. 12. & 16. *Dies Domini exercituum, &c. ſuper omne quod viſu pulchrum eſt* Quid eſt *ſuper omne quod viſu pulchrum eſt?* Baeza tom. 3. lib. 13. cap. 1 §. 14. *Hoc eſt ſuper illos omnes, qui ſolùm curant placere oculis, qui cum fœdiſſimis inferni rudentibus teneantur, nituntur extrinſecus cæleſtia videri luminaria.* Et adducit præclaram ejuſdem oraculi explanationem Petri Damiani epiſt. ad Blancum cap. 7. unde Eccleſia cum Aurelio Prudentio etiam canit, quòd in hoc ſœculo:

Iſ. c. 2. v. 12. & 16.

Baeza

Sunt multa fucis illita. Aurel. Prudent.

Ideſt multa vitia quę virtutis ſpeciem præ ſe ferunt, multi homines qui Apoſtoli nomen gerunt, & tamen ſunt veri Apoſtatæ & ſycophantæ. Idem ſcribit S. Chryſoſtomus in 2. epiſt. ad Corinthios cap. 11. verſ. 13. & homilia 24. & Sanctus Anſelmus in idem caput. At quomodò pſeudoſanctos, pſeudoapoſtolos, & pſeudoprophetas à veris ſanctis, veris Apoſtolis, & Prophetis dignoſcere & ſecernere poſſumus? Olim Deus veræ ſanctitatis & fidei nullum indicem veriorem propoſuit quàm ſcripturam canonicam, nunc verò quàm Eccleſiam & Eccleſiæ caput. Inter præcipuos ac primarios Encomiaſtes & paranymphos occurrit mihi Syracides qui Eccleſiaſtici cap. 44. verſ. 1. ſic heroum laudes Eccl. 44 v. 1. auſpicatur. *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſuâ. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentia ſua à ſæculo dominantes in poteſtatibus ſuis homines magni virtute & prudentiâ ſuâ præditi, &c.* uſque ad verſ. 14.

Vbi poſtquam communes cunctorum laudes deſcripſit, ſubjungit. *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen vivit in generationem & gene-*
verſ. 15 *rationem*, Verſ. 15. *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia.* Quid eſt *in pace ſepulta ſunt?* ideſt in honore in decore, ſplendore, & magnâ reverentiâ eorum reliquiæ & oſſa habentur, famaque nō umbratica, ſed vera, non levis, ſed perennis & immortalis eſt. Quæ radix & cauſa illius eſt? præclara eorum virtus & ſanctimonia, inſignia facinora, quæ ubique gentium perpetrant & celebrantur. His dictis ad ſingulorum elogia digreditur. Verſ. 16. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, ut det gentibus ſapientiam, &c.* Cur potius ab Enoch auſpicatur ſuas laudes ſpeciales quàm ab Adam totius generis humani protoparente, vel ab Seth, qui ex Suida cognominatus eſt Deus à pietate, ſapientiâ & aſtrologiâ? ideò Enoch iſtorum Heroum ducit chorū omiſſiſque Adam, Abel, Seth; de eo facit mentionem, quia his omnibus eſt inſignior, & maximè quia non tantùm ſibi ſanctè vixit, ut Abel, Seth: ſed etiam quaſi fax, ſeu luminare totum orbem ſuâ ſanctitate illuſtravit, ac in fine mundi illuſtraturus eſt. Vt docet S. Joànnes Apocal. cap. 11. verſ. 4. Eodem cap. 44. verſ. 17. 18. & 19. Noe præclariora facta Syracides commemorat. Verſ. 20. & tribus ſequent. Abrahæ, Verſ. 24. & 25, Iſaac. Verſ. 26. & ſeq. Jacob. Cap. 45. verſ. 1. & ſeq. Moyſis & Aaron, Phinees. Cap. 46. verſ. 1. & ſeptem ſeq Joſue. Verſ. 9. & ſex ſeq. Caleb, verſ. 16. uſque ad 23. Iudicum Iſraelis & Samuelis. Cap. 47. verſ. 1. uſque ad 13. Nathan & Davidis. Deinde uſque ad finem capitis Salomonem & Roboam partim laudat, partim vituperat. Capite 48, à verſ. 1. uſque ad 13. S. Parentē Eliam effert. Verſ. 13. uſque ad 17. Eliſeum ejus diſcipulum. Verſ. 19. uſque ad 23. Ezechiam, verſ. 23. uſque ad finem Iſaiam. Capite 49. à verſ. 1. uſque ad 9. prædicat Ioſiam, à verſ. 9. uſque ad 13. Ieremiam, Ezechielem, & duodecim prophetas minores, à verſ. 13. uſque ad 19. Zorobabelis, Ieſu filii Ioſedech, & Nehemiæ præconia refert. Totum cap. 50. ad laudandum Simonem pontificem.

Similibus & brevioribus encomiis V.
utitur Matathias lib. lib. 1, Macha- l. 1. Mar.
bæorum cap 2. verſ. 49. *Et appropin-* 2. v. 49.
quavit dies Matathiæ moriendi, & dixit
filiis ſuis, nunc confortata eſt ſuperbia
& caſtigatio & tempus everſionis, &
ira indignationis. Verſ. 50. *Nunc ergò* v. 50.
filii æmulatores eſtote, & date animas
veſtras pro teſtamento patrum veſtrorū.
Verſ. 51. *Et mementote operum Patrum* v. 51.
quæ fecerunt in generationibus ſuis, &
accipietis gloriam magnam & nomen æ-
ternum. Verſ. 52. *Abraham nonne in* v. 52.
tentatione inventus eſt juſtus, & fidelis
& reputatum eſt ei ad juſtitiam. Verſ. 53. v. 53.
Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodi-
vit mandatum & factus eſt Dominus Æ-
gypti. Verſ. 54. *Phinees pater noſter* v. 54.
Zelando zelum Dei accepit teſtamentum
ſacerdotii æterni. Verſ. 55. *Ieſu dum* v. 55.
dum implevit verbum factus eſt dux in
Iſrael. Verſ. 56. *Caleb dum teſtificatur* v. 56.
in Eccleſia accepit hæreditatem. Verſ. v. 57.
57. *David in ſuâ miſericordiâ conſecutus*
eſt ſedem regni in ſæcula. Verſ. 58. *Elias* v. 58.
dum zelat zelum Dei receptus eſt in cæ-
lum. Verſ. 59. *Ananias & Azarias &* v. 59.
Mizael credentes liberati ſunt de flam-
mâ. Verſ. 60, *Daniel in ſuâ ſimplicitate* v. 60.
liberatus eſt de ore leonis. Ipſe Apoſtolus toto capite 11. ad Hebræos oſtendit quantam fidem Patriarchæ, Prophetæ, aliique antiquitatis heroes habuerint, quantam apud Deum gratiā & gloriam per ſuam fidem conſecuti ſint.

Hos à temporibus Apoſtolorum VI.
imitata eſt Eccleſia tam Latina quàm Græca, & in hoc ſe ſanctam eſſe manifeſtavit, illa ſuo Martyrologio, hæc verò ſuo Menologio Martyrum, cæterorumque ſanctorum præcipua facinora & agones inſerens, publicum per hoc teſtimonium reddens de vera ſanctitate & gloria illorum, judicanſque ac decernens eis honores, qui exhiberi ſolent illis, qui æternâ fœlicitate perfruuntur, ut ſcilicet etiam à viatoribus ſancti cenſeantur, prædicentur, ac invocentur in orationibus ac ſuffragiis publicis Eccleſiæ,

ut templa & altaria in eorum honorem & memoriam divo Numini cõſecrentur, ut miſſæ ſacrificium, laudes & preces, officium divinum, ac horæ canonicæ in eorum honorem publicè offerantur, ut dies feſtivi in eorum memoriam celebrentur, ut eorum imagines cum radiis depingantur in ſignum gloriæ quam in cælis conſecuti ſunt, ut luminaria & cerei coram illis accendantur, ac denique reliquiæ ac exuviæ pretioſis thecis incluſæ exponantur, honorentur, ac deferantur inſtar arcæ teſtamenti, nè promiſcuè à laicis & profanis manibus contrectentur.

VII. Quoniam autem nonnulli ſancti ab Eccleſiis particularibus, & in unâ Diœceſi ac Provinciâ coluntur ut ſancti, alii verò ab univerſali Eccleſiâ olim quilibet Epiſcopus poterat canonizare in ſuâ Provinciâ & Diœceſi, ut docet noſter hæreticorum malleus Thomas Waldenſis lib. de Sacramentalibus tit. 14. cap. 122. Amicus tomo 4. diſput. 7. ſect. 4. & innuere videtur S. Cyprianus lib. 3. epiſt. 6. monens adnotari eos, qui propter fidem moriebantur, ut eorũ memoria poſſit quàprimùm ſacrificiis celebrari, & dies natalis ſingulis annis coli. Nullus tamẽ Epiſcopus ullũ inſcribere ſacris faſtis ac canonizare poterat pro tota Eccleſia. Quia verò circa ſanctorum cultum, ab aliquibus provinciis obſervatum nonnulli abuſus cõmittebantur. Ad eos tollendos Alexander III. & Innocentius III. prohibuerunt nè deinceps quiſquam ſanctorum albo inſcriberetur abſque ſpeciali Romani Pontificis approbatione, ut colligitur ex cap. *Audivimus*, & cap. *Cum ex de reliquiis & veneratione ſanctorũ.* Spectat igitur ad Romanum Pontificem aliquem ſanctum ab Eccleſiâ colendum proponi, ut patet ex capitibus citatis, & favet ratio. Nam illius eſt proponere toti Eccleſiæ quid credendum & agendum ſit in iis quæ ad religionem ſpectant. Sancti verò ad cultum religionis ſpectant: Igitur &c.

VIII. Hoc negotium Canonizationis & Beatificationis ita competit ſoli Romano Pontifici, ut patet ex Brevi Urbani VIII. *Cæleſtis Ieruſalem* anno 1634. & teſtantur Canoniſtæ & Summiſtæ, ut non liceat Epiſcopis. Ita Iacobus Caſtellanus de Canonizatione ſanctorum, quæſt. 2. art. 1. Fœlix Contilarius num. 17. Melverius de Canoniz. Sanctor. dub. 2. num. 1. & ſeq. Auguſtinus Triumphus de poteſt. Eccleſ. quæſt. 14. num. 2. Nec Legatis à latere, ita Caſtellanus ſupra n. 2. num. 9. Barboſa in Collect. Doctorum in cap. *Audivimus de reliquiis Sanctorum*, num. 7. Alphonſus à Caſtro de juſtâ hæretic. punit. lib. 1. cap. 6. col. 4. verſ. *Rurſus*, Contelarius in addit. ad Caſtell. ſupra, qui docent etiam non poſſe ex commiſſione papæ. Ratio horum eſt, quia Pontifex nequit alteri delegare poteſtatem definiendi res fidei. Ex Aragonio in 2. 2. quæſt. 1. art. 10. in tract. de Conciliis, verſ. *Tertia concluſio*, & verſ. 3. ad 1. argum. Bannez 2. 2. quæſt. 1. art. Contil ibi num. 10. Angelos Roca de Canonizat. ſanctorum cap. 4. verſ. *Quod ad ſolum, &c.*

Porrò ſolemnis ritus Canonizandi introductus dicitur à Leone III. ut teſtatur S. Ludgerus in epiſt. de miraculis S. Suiberti Epiſcopi Verdenſis, cap. 9. apud Surium tomo 2. Baroniũ anno 804. Bellarminum lib. de Beatitudine ſanctorum, cap. 8. & quidem ad inſtantiam Caroli Magni Imperatoris, Leo igitur poſt examinatam vitam & miracula Suiberti, eum poſt factas preces, celebrata jejunia, de conſenſu Cardinalium, inter ſacra miſſæ ſolemnia in ſanctorum Confeſſorum album retulit nonis Septembris. Secundus ita ſolemniter canonizatus, fuit S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus anno 993. à Ioanne XV. Pontifice: ut patet ex ejus bullâ canonizationis. Illis ſucceſſit Canonizatio S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani ab Innocentio II. ut teſtatur ejuſdem epiſtola ad Priorem Carthuſię quæ extat apud Surium tomo 2. ſancti Bernardi Canonizatio ab Alexandro III. quæ extat in fine librorum Sancti Bernardi, & ita de aliis. Sunt tamen aliqui Sancti quorum ſolemnis Canonizatio non extat, ſed tacito cõſenſu & approbatione Pontificis ab Eccleſiâ coluntur, qui conſenſus IX.

tacitus etiam ſufficit, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 59.

§. 1.

Finis Canonizationis Sanctorum.

I. VNde patet primum finem Canonizationis Sanctorum eſſe, ut eorum memoria ab omnibus celebretur. Sic primis Chriſtianis Apoſtoli ordinarunt ac præceperunt ut ſancti Jacobi, S. Stephani Protomartyris, aliorumque Martyrum feſtivi dies celebrentur, ut teſtatur ſanctus Clemens lib. 5. Conſtitutionum
Clemens cap. 8. in fine. *De Martyribus dicimus vobis; ut apud vos in omni honore ſint, quemadmodum & apud nos in honore habiti fuerunt. Beatus Jacobus Epiſcopus & ſanctus noſter Cōdiaconus Stephanus, ſi enim & à Deo ſunt beatitudinē conſecuti, & ab hominibus honorem: expertes omnis delicti, obfirmati adverſus peccatum, immutabiles in bonis, ſecuri in laudibus, de quibus David dicebat Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorū ejus. Et Salomon memoria juſti cum laude.* D. Cyprianus epiſt. 57. ſic de Mar-
Cyprian tyribus fatur. *Dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* D. Auguſtinus lib. 2. contra
Auguſt. Fauſtum cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſâ ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur.* D. Gregorius ad Eulogium epiſt. 29.
Greger. lib. 7. *Nos penè omnium Martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione ſolemnia agimus.* Qui omnes & alii clarè docent Eccleſiam primitivā Sanctorum Martyrum ſolemnia ſingulis annis celebraſſe. Et in illis diebus ſacrum feciſſe. In eorumdem cōmemorationem egiſſe, eos invocaſſe, ut patet ex Canone Miſſæ, in quo ſola Martyrum nomina conſcripta ſunt. *Commemorantes & memoriam venerantes in primis glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, ſed & beatorum Apoſtolorum, & Martyrum tuorum, &c.* D. Auguſtinus lib. de S. Virginitate Auguſt
cap. 45. refert quod olim non tantùm Martyrum, ſed & Virginum & Confeſſorum nomina recitabantur. *Perhibet* (inquit) *Eccleſiaſtica authoritas in qua fidelibus notum eſt quo loco Martyres, & quo loco Sanctimoniales recitentur.* Quod verò Pontifices ſanctos ab Eccleſiâ colendos proponant & eorum feſta ipſo die obitus, & ad cælum tranſitus celebranda eſſe decernant patet ex Bullis Canonizationis. Anno Domini 1480 Sixtus IV. Pontifex ſic de S. Bonaventura loquitur. *Ipſum ſanctorum Confeſſorum, Pontificum, & Doctorum conſortio ſolemniter aggregamus, mandantes Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. feſtum ipſius ſecundâ Dominicâ menſis Iulii ſingulis annis ſolemniter & devotè celebrent, divinum officium velut de uno Confeſſore, & Doctore tam publicè, quàm privatim contigerit perſolventes, &c.* Et ita de aliis ſanctis, quos Pontifices in publicum ſanctorum album referunt. Quare ſicut olim pridiē Natalis ſanctorum ſolebant eorum nomina in templis pronunciari: ita & nunc ut patet ex lectione Martyrologii, quā eorum Natalitia die ſequenti factura à publico lectore in choro decantantur. Hoc Latinorum Martyrologium, & Græcorum Menologium, Tertull. lib. de Coronâ militis faſtos appellat. *Habes* (inquit) *tuos cenſus, tuos faſtos, nihil tibi cum gaudiis ſæculi, &c.* Per faſtos intelligit Eccleſiaſticas tabulas in quibus Chriſtianorum ſolemnitates ipſaque Natalitia Martyrum certis diebus notata haberentur, à quibus Martyrologium ſumpſit originē. Vide plura apud Baronium in præcapitulatione ad Martyrologium Romanum cap. 4.

Alter ſcopus Canonizationis eſt, II.
ut Eccleſia Martyres alioſque ſanctos à nobis imitandos proponat. Suetonius in Auguſto refert Octavianum Auguſtum ſub porticu dedicaſſe excellentium Ducum Romanorum ſtatuas; triumphali veſte conſpicuas, & edicto profeſſum eſſe ſe id feciſſe, ut ad illorum exemplar, & ipſe dum

viveret, & alii ſubſequentes Imperatores vitam ſuam dirigerent. Sed omiſſis veterum nugis dicendum eſt à ſcriptura antiquæ legis heroes fuiſſe propoſitos quaſi vitæ noſtræ viva exemplaria. *Eaſdem* (inquit Philo libro de Abraham) *vitas Patrum & leges poſterorum.* D. Baſilius in Gordium Martyrem. *Illorum qui in fide claruerunt hiſtoria ſimplex velut lucem quandam Dei cultoribus ad virtutis iter oſtendit. Quamobrem cum in ſacris voluminibus Moſis vitam, morumq́ lenitatem noſtra natura magnopere optatam narrante Spiritu ſancto audimus ſtatim æmulamur.* Et paulò poſt. *Ioſeph dum audimus, aut legimus vitam illius aſſequi caſtitatem magnopere optamus: Si verò Sampſonis narratur hiſtoria, ad illius imitandam fortitudinem accendimur.* Et infrà id præclarâ ſimilitudine confirmat *Non enim noſtris indigent laudibus ornari, ſed nos ipſorum vitæ hiſtoria & commemoratione imitationis gratiâ indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat ſplendor, & ex unguento quoque præſtanti diffunditur odor: ſic è ſanctorum commemoratione geſtorum ad omnes provenit utilitas.* Idē epiſt. I. quam Gregorio Nazianzeno ſcribit. *Beatorum hominum vitæ memoria prodita ac præſcripta tanquam ſimulachra quædam animata quædam propoſita ſunt vitæ ad normam divinam juſtitiæ. ii, quidem qui bonorum operum exemplaria imitari cupiunt: proinde in quâ re quiſque noſtrū ſenſerit eſſe eo quod oportet deſici, in illo aſſiduè incumbens tanquam ab officina quadam medicinæ appoſitum ſuæ infirmitati medicamentū invenire poterit.* Quibus verbis comparat ſanctorum vitas non tantùm imaginibus ac ſimulachris, ſed etiam pharmacopolarum officinis. Oſtenditq́ue ſingulorum vitas & virtutes heroicas eſſe pharmacis ſimiles: Et ſic exponit *Ac temperantia quidem homo cupidus hiſtoriam Ioſephi aſſiduâ lectione evolvat, ab ea enim edidiceris actiones temperantia plenas, cùm compereris eum ad habitum virtutis provectum eſſe nedum voluptariis in rebus continentia præditum. At verò in fortitudine inſtruatur lector ex hiſtoriâ Iobi, qui vitâ in contrarium ipſi cedente, ac prorſus immutatâ, egens ex beato, orbus ex pulchræ prolis parente, unius diecula momento factus, non idem modò ſibique ſimillimus manſit, celſos animi ſpiritus ad extremū uſque retinens, ſed nè amicis quidem ejus, qui ad conſolandum eum venerant, tandem ipſi inſultantibus dolores ejus exacerbando iracundè irritatus eſt. Rurſus aliquis reputans quomodo magnanimus idem & clemens eſſe poſſit, ita ut animo quidem obfirmato adverſùs peccatum: clementiâ verò utatur erga homines: Illic Davidem invenies generoſum in bellicis facinoribus, clementem & placidum in inimicis ulciſcendis. Talis erat Moyſes ingenti quidem irâ in illos inſurgens qui in Deum peccaverant, ſed miti animo perferens illos qui ſibi obtrectaverāt.* Et quod probat iterùm adducto pictorum exemplo. *Quemadmodum autem pictores, cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem reſpectantes, lineamenta ejus transferre conantur magno ſtudio ad ſuum opificium. Sic oportet eum qui ſtudet ſeipſum omnibus virtutis partibus perfectum efficere, ad ſanctorum hominum vitas, velut ad ſtatuas mobiles, & actuoſas oculos intendere, atque illorum bona per imitationem ſua facere.* Non alium ſuæ vitæ prototypum & exemplar adhibebat ſanctus Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus de quo Ennodius in ejus vitâ. *Pingebat actibus ſuis paginam quam legiſſet, quid libri docuiſſent vita ſignabatur.* Vndè his arridens S. Iſidorus Hiſpalenſis 2. ſentent. cap. 11. *Ad converſionem ſeu correctionem mortalium multùm proſunt exempla bonorum. Mores enim inchoantium non queunt proficere ad bene vivendum, niſi perfectorum informentur exemplis Patrum.* Quaſi diceret, quemadmodum effigies ita hominem refert, ut ejus anima informata videatur: ita qui ſanctorum vitas, & geſta evolvunt quædam tranſmigratio moralis in legentium, & audientium mentibus fieri videtur, undè poſtea ſubdit. *Ob hanc utilitatem ſcribuntur ſanctorum ruinæ & reparationes, ut ſpem faciant ſaluti humanæ.* Et paulò poſt. *Exempla ſanctorum quibus ædificatur homo, varias faciunt ſectari virtutes, humilitatis ex Chriſto, devotionis ex Petro, charitatis*

ex

Baſilius

Iſidorus Hiſpal.

ex Ioanne: Obedientia ex Abraham: patientia ex Iſaac, tolerantia ex Iacob, caſtimonia ex Ioſeph, manſuetudinis de Moyſe. Conſtantia de Ioſue, benignitatis de Samuel, miſericordia de David, Ambroſ. *abſtinentia de Daniel.* Eodem ſcribendi modo & penicillo utitur S. Ambroſius lib. de Ioſeph quem ſic auſpicatur. *Sanctorum vita cæteris norma vivendi eſt, &c.*

X. D. Bernardus tractatu de vitâ ſolitariâ ad fratres de Monte Dei non alia documenta proponit vitæ ſpiritualis tyronibus, quàm Chriſti & ſanctorum geſta pervolvere ac imitari: Quare vitæ ſpiritualis progreſſus per aſpectũ ſanctorũ fit? quia dum peccatores & tyrones quales illi fuerint, & quantis virtutibus conſpicui, cognoſcunt & quantùm ab eorum ſemitis aberrent, & ſint alieni. Rectè patientiſſimus Iob. 23. Iob cap. 33. *Reſpiciet homines & dicet peccavi.* D. Gregorius lib. 24. Moralium cap. 6. hæc verba ponderans ait. *Sanctorum virorum exempla conſpicit, atque eorum comparatione ſe penſans, iniquum ſe eſſe deprehendit, qui, &c.* Et concludit. *Iuſtorum ergò debemus vitam conſpicere ut ſubtiliter deprehendamus noſtram. Illorum videlicet ſpecies quaſi quædam nobis imitanda proponitur, quia viva lectio eſt vita bonorum.* Quod peccatores ſui antea ignorantes, per aſpectum bonorum ad ſui notitiam perveniant, colligo ex l. 3. Reg. 17. v. 18 verbis viduæ Sareptanæ lib. 3. Reg. cap. 17. verſ. 18. *Ingreſſus eſt ad me ut rememorarentur iniquitates meæ.* Ante adventum Eliæ quaſi tenebris offuſa erat: at ubi Elias quaſi ſol radios ſuarum virtutum immittere cœpit: illa vitæ ſuæ præteritæ crimina detegere cœpit. Quod verò Sanctorum vitæ ſint quaſi exemplar & viva lectio ad morum noſtrorum correctionem fusè docet S. Auguſtinus ſermon. 47. Auguſt. de ſanctis, oſtendens ſanctorum Natalitia à nobis celebrari, ut eorum virtutes alloquamur. *Quotieſcumque ſanctorum Martyrum ſolemnia celebramus, ita ipſis intercedentibus expectemus à Domino conſequi temporalia beneficia, ut ipſos Martyres imitendo accipere mereamur æterna. Ab eis enim ſanctorum Martyrum in veritate feſtiva gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur, ſolemnitates enim Martyrum, exhortationes Martyrum ſunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Idem melliflué premit D. Bernardus ſermone in vigiliâ Bernard. Apoſtolorum Petri & Pauli. *Tria ſunt quæ in feſtivitate ſanctorum vigilanter conſiderare debemus, auxilium ſancti, exemplum ejus, & confuſionem noſtrum, &c.* Id probat fuſè Apoſtolus, ut nobis ad virtutem amplectendam viam planiorem efficiat non miracula ab Eliâ, à Moyſe, à Ioſue & aliis antiquitatis heroibus perpetrata proponit, non mundi creationem, ſingularem ejus œconomiam, ac divinam circa illum providentiam deſcribit: ſed nomine Eccleſiæ ſanctorum imitationem proponit tanquam efficaciſſimum ad vitia curanda remediũ, ut Xeuxis faciliori ac ſubtiliori penicillo divinam effigiem in nobis exprimere poſſimus, Hebræorum cap. 13. verſ. 8. *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis imitamini fidem.* Quaſi diceret, recogitate quales fuerunt primi veſtri Doctores, Prædicatores, viri Apoſtolici, fideles dum viverent, quàm conſtanter in fide, quàm in charitate ferventes, in ſpe roborati, rerum mundanarum contemptores, in adverſis patientes, in prælaturis humiles quorum ſi velitis aſſequi triumphos, imitamini fidem, charitatem, ſpem, cõſtantiam, perſeverantiam. Audi divum Anſelmum. *Recogitate quàm perfectè ipſi reliquerunt omnia præter* Anſelm. *Evangelium, & quàm conſtanter omnes adverſitates per patientiam intrepidè calcaverunt: horum mementote ut eos imitemini, & tunc nec paupertatem, nec perſecutionem timebitis, interioribus oculis inſpicientes, qui modò exierunt de præſenti converſatione, & quo fine temporalem vitam terminaverunt, tranſeuntes ad æterna gaudia: imitamini fidem eorum, quam uſque in mortem tenuerunt, ut & vos ſimiliter in fide moriamini, & ad fidei præmia perveniatis.* Quod autem parem cum eis beatitudinem aſſequi poſſimus ſi eorum virtutes imitari conemur, oſtendit,

quia

quia eadem auxilia nobis præſtare paratus eſt Chriſtus qui eorum Redemptor & mediator eſt, Noſter etiam eſt *IESVS-Chriſtus heri & hodie, ipſe eſt in ſæcula*. Scio hujus loci varias à Patribus afferri expoſitiones, quas refert Cornelius, ſed D. Anſelmi mihi magis arridet. *Idem Chriſtus* (inquit) *qui cum illis fuit nobiſcum eſt, & erit cum eis qui futuri ſunt uſque ad conſummationem ſæculi, heri fuit cum Patribus, hodie eſt nobiſcum, ipſe erit & cum poſteris veſtris uſque in ſæcula.* Notat quippè Cornelius quod Apoſtolus occurrat tacitæ Hebræorum objectioni. Quaſi diceret: O Hebræi nè mihi objiciatis. Tu Paule proponis nobis fidem Apoſtolorum, aliorumque Chriſti fidelium virtutes imitandas. Hæc ſanè nimis magna & ſublimia ſunt & factu ferè impoſſibilia, Apoſtoli ſiquidem ideò tam conſtantes in fide, tam perſeverantes in ſanctitate fuère, eorumque coætanei, ideò in omni virtute excellentiſsimi ac indefeſſi extiterunt, quia Chriſti præſentiâ, converſatione, familiaritate fruebantur, videbant & audiebant eum in agone certaminis contra ſuę ſalutis hoſtes viſibiles ac inviſibiles, non tantùm ducem, ſed & objectum habuerunt. Nos verò ejus præſentiâ & familiaritate non gaudemus cum non audimus, cùm à tot ſœculis obierit. Nè (inquit) id mihi objiciatis, Chriſtus enim licet viſibiliter non appareat vobis: tamen qui ante vixit etiam nunc vivit, & ſemper vivet. Quemadmodum igitur Apoſtolos variis donis & gratiis Deus cumulavit, iiſdem vos & poſteros veſtros ditabit, qui illis adfuit, vobis aderit, poſteriſque veſtris: qui vult omnes homines ſalvos fieri, ac ad agnitionē veritatis venire, eſt omnium Redemptor, ſalvator, adjutor, & protector, omnes vocat, neminem deſpicit, nemini ingreſſum in viſcera miſericordiæ ſuæ denegat cujuſcumque ætatis ſexus & conditionis ſit, in quocumque ſœculo & cum quibuſcumque converſetur. Eos igitur imitari debemus, præcipuè quos ſedes Apoſtolica in Album Sanctorum vel beatorum retulit, quos colendos nobis proponit, quorum feſta ſolemni ritu celebranda præſcribit, quia illi non fucatam, ſed veram virtutem amplexi ſunt.

Anſelm.

§. 2.

Eſt de fide quod in Canonizatione Sanctorum ſummus Pontifex nequeat errare.

I. ID fusè docent Valentia 2. 2. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 7. §. 40. Turrianus 2. 2. diſput. 37. dub. 6. Amicus tomo 4. diſput. 7. ſect. 4. Thomas Del Bene tomo 1. Theologiæ diſp. 35. Bannez 2. 2. in brevi cōment. dub. 7. concluſ. 2. Malderus dub. 6. propoſit. 4. Catharius de certâ ſanctorum gloriâ lib. 1. Bellarminus de ſanctorum beatitudine lib. 1. cap. 9. Suarez diſput. 5. ſect. ultimâ num. 8. & alii. Ex noſtris autem inſignis Thomas Waldenſis tomo 3. de Sacramentalibus cap. 122. Lezana tractat. de fide diſput. 3. quæſt. 5. & conſul. 1. num. 212. Franciſcus Bonæ Spei tract. de viſione Eliæ, dubio ult. & tract. 2. de fide diſput. 4. dubio 7. Contra Cajetanum tomo 1. opuſcul. tractat. 15. de Indulgentiis cap. 8. Canum lib. 5. cap. 5. quæſt. 5. Probatur 1. quia de ſummo Pontifice effari licet illud mulieris Sareptanæ ad S. Parentem Eliam, libr. 3. Regum cap. 17. verſ. 24. *Nunc in iſto cognovi quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum eſt.* Dionyſius. *Ex parte Dei loqueris, & verus Dei propheta es tu, ac vera ſunt vaticinia tua.* Menochius. *Quod ſcilicet nuntias nobis de vero Deo Hebræorum & inanitate Baalis & Aſtarothes, & reliquorum idolorū.* Sic quando Romanus Pontifex aliquem Sanctorum faſtis aſcribit, eum infallibiliter loqui, & verbum Dei in eo eſſe & ſpeciali aſſiſtentiâ Spiritus ſancti locutum fuiſſe credendum eſt. Id patet in ſancto Petro primo Pontifice: poſtquam publicè profeſſus eſt Chriſtum eſſe filium Dei Matthæi cap. 16. verſ. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei*

l. 3. Reg. 17. v. 24

Dei vivi. S. Baſilius homil. de pœnit. *Tu es Chriſtus filius Dei excelſi*. Euthymius & Theophilactus. *Tu es Chriſtus filius ille Dei viventis*. Sylveira tomo 4. part. 3. tract. 1. ex Græco. *Tu es ille Chriſtus, ille filius illius Dei viventis*. Ideſt tu es Meſsias unctus à Deo unctione unionis hypoſtaticæ cum verbo in unitate perſonæ conſtitutus ſummus orbis Pontifex, Doctor, Rex, Propheta, vivens nõ tantùm vitâ creatâ ratione humanitatis, ſed etiam increatâ & beatâ. S. Paſchaſius ait totã Trinitatem à Petro prædicari. Pater & Filius prædicatur cum Petrus ait *Filius Dei vivi*, Spiritus S. aſſeritur, cum dicitur *Chriſtus*, ideſt unctus à Spiritu ſancto; ſeu omni plenitudine gratiæ juxta illud Ioannis
Ioan. 1. v. 14. cap. 1. verſ. 14. *Plenum gratiæ & veritatis*. Cui ſubjicit Chriſtus v. 17. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis nõ revelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt*. Syriacus, *Fœlix es*, Sanctus
Hieron. Hieronymus in hæc verba. *Petrus ex confeſsione ſortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu ſancto habeat, cujus & filius appellandus ſit: ſiquidem Bariona in linguâ noſtrâ ſonat filius columbæ*. Quibus verbis innuit Petrum Spiritu ſancto inſpirante, non autem alicujus creaturę vel parentum inſtinctu Chriſtum præconiſaſſe & canonizaſſe, ut patet ex his verbis. *Quia caro & ſanguis*. Ideſt homines conſtantes carne & ſanguine, vel parentes tui revelaverunt, vel docuerunt hanc meam divinitatem. S. Hieronymus. *Quod caro & ſanguis revelare nõ potuit, Spiritus ſancti gratia revelatum eſt*. Id quod parentes carnales, amici, compatriotæ, vel quivis alii homines carnis & ſanguinis propinquitate conjuncti, qui terrena & caduca tantùm ſapiunt, revelare nequiverunt, ut potè eorum intellectum tranſcendẽs, Spiritus ſancti inſpiratione patefactum eſt. Cur Chriſtus non ait vobis, ſed *tibi?* ut innuat (inquit Cajetanus) quod hæc revelatio ſoli Petro facta ſit. Cur ſoli Petro facta eſt? quia eſt Pontifex: Vndè quemadmodũ Deus verax eſt, & Spiritus Sanctus docet omnem veritatem, ſic Pontifex Romanus eo inſpirante loquens ex Cathedra, ac publico diplomate declarans talem & talem Sanctum eſſe, abſque dubitatione credi debet.

II. Ratio eſt quia omninò abſurdum & alienum eſt à fide ab Eccleſiæ puritate & ſanctitate, quod auctoritate Pontificis è Cathedrâ docentis proponatur toti Eccleſiæ quis colendus ut ſanctus, qui talis non ſit, imò ſit ob peccata damnatus. Sicut igitur in decretis morum obligantibus, univerſam Eccleſiam errare nequit: ita nec proponere poteſt toti Eccleſiæ quippiam quod illicitum eſt, quia talis error repugnat ſanctitati & honeſtati morali, quæ debet eſſe in doctrinâ Eccleſiæ, ita nequit decernere aliquem colendum ut ſanctum, qui ſanctus nõ eſt: quia hoc induceret in Eccleſiã univerſalẽ cultum ſuperſtitioſum. Secunda Ratio, ſi Pontifex poſſet in canoniſatione Sanctorum, tota Eccleſia (quæ debet obedire Pontifici huiuſmodi decretum ferenti) erraret, contra illam Chriſti promiſſionem, Ioan. 16. v. 13.
Ioannis cap. 16. verſ. 13. *Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Meritò S. Auguſtinus de Eccleſiâ & conſequenter de Sede Apoſtolicâ ait epiſt. 118. inſolentiſsimæ inſaniæ eſſe diſputare an ſit faciendum, quod tota Eccleſia facit. Ipſemet S. Bernardus ep. 174. ad Canonicos Lugdunenſes hæc effatur de ſanctis colendis, eorumque ſolemnitatibus celebrandis auctoritate Eccleſiæ. *Ego quod ab illâ accepi ſecurus & teneo & trado, quod non ſcrupulos fateor admiſerim*. Bernard.
Ratio tertia quando aliqua propoſitio revelata univerſalis explicatur per aliquam particularem contingentem moraliter certam cõtentam ſub univerſali, talis particularis contingens ut explicata eſt de fide. Quia cùm univerſalis revelatur propter particularem contingentem, de quâ major certitudo nequit haberi quàm moralis, tunc moralis certitudo erat ſufficiens conditio, ut eâ poſitâ particularis contingens ſit de fide. Sicut ex eo quod illa univerſalis, *Quicumque in Cathedram Petri eſt canonicè aſſumptus eſt legitimus Petri ſucceſſor*, eſt revelata propter iſtam particularem contingentem, *hic* vel *ille*

homo aſſumptus eſt in Cathedram Petri. De quâ nequit certitudo major haberi, quàm moralis, illa ſufficit ad credendum hanc particularē (ſcilicet hic homo eſt legitimè ſucceſſor Petri) eſſe de fide, alioqui fruſtra revelata eſſet major illa, ſi nunquam poſſet explicari per particulares contingentes, moraliter certas, cum illa ſit revelata propter has.

III. At iſta univerſalis revelata, *Quicumque ex hac vitâ decedit in gratia, ſalvatur*, poteſt explicari per hanc particularem contingentem moraliter certam ſub univerſali contentam, hic homo deceſſit ex hâc vitâ in gratiâ. Quia cum Eccleſia ſit certa ſaltem de aliquibus viris inſignibus, quod ſint beati, ut eos poſſit venerari, & invocare: poterit etiam hanc particularem propoſitionem formare de fide. *Hic homo eſt ſalvus & regnat in cælis cum Chriſto.* Cùm adſit teſtimoniū juratum multorum de illius ſanctitate, & miraculis poſt obitum editis, quæ reddunt hanc particularem contingentem moraliter certam, *hic homo obiit in gratiâ.* Etſi enim gratia (quę eſt donum internum) nequeat per publicum teſtimonium immediatè innoteſcere Eccleſiæ, poteſt tamen manifeſtari per bona opera externa; quæ ſunt fructus & ſigna gratiæ interioris, juxta illud. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Cùm itaque Eccleſia in Canonizatione ſanctorum utatur famâ publicâ, & teſtimonio multorum juratorum, & miraculis maximè editis poſt obitum, Eccleſia ſit moraliter certa de ſanctitate canonizandi, ac poteſt fide divinâ credendum proponere fidelibus.

IV. Contra inferes primò, poterit quis eodem modo eſſe certus quod ſit in gratia, quia poterit tot ſigna credulitatis de ſuo actu contritionis habere, ut ſit moraliter certus de illo. Reſpondeo negando ſequi, primò quia Deus non revelavit hanc univerſalem, *Omnis contritus eſt in gratiâ*, vt hic vel ille contritus fiat certus de ſtatu gratiæ, imò potius oppoſitum eſt expreſsè revelatum Eccleſiaſtes cap. 9. verſ. 1. *Neſcit homo an amore an odio dignus ſit.* Vnde S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & animâ cap. 39. ait. *Væ mihi miſero qui in regione umbræ mortis neſcio finem meum, neſcio ſi dignus ſim amore vel odio.* Et Ionæ cap. 3. anima pœnitens. *Quis ſcit* (inquit) *ſi convertatur & ignoſcat Deus.* Id eſt (inquit ſanctus Hieronymus) *Ambiguum ponitur & incertum, ut dum homines dubii ſunt de ſalute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad miſericordiam provocent Deū.* At è contra illa univerſalis, *Quicumque in gratiâ Dei moritur ſalvatur*, revelata eſt ut Eccleſia ſit certa ſaltem de aliquibus hominibus in ſingulari, ut poſſit eos colere, invocare, & imitari. Deinde quia ſigna quibus utitur Eccleſia in Canonizatione ſanctorum ſint publica, plura, & certiora quæ moralem potentiam dubitandi tollunt. Signa verò quæ quilibet habet de ſuá contritione ſunt privata, pauciora & incerta: Deus verò tenetur ſpeciali providentiâ aſſiſtere, nè falſitas reperiatur in publicis ejuſmodi ſignis, quibus præponitur Eccleſiæ aliqua veritas credenda, vel ſanctus colendus, nè tota Eccleſia erret, & conſequenter Pontifex habet optimum fundamentum dum definit, & declarat aliquem ſanctum: habet enim teſtimonium Dei revelantis in ſcripturá, quod cuncti qui in gratiâ moriuntur ſunt beati.

Eccl. c. 9 v. 1. — Ioan. 3. — Hieron.

V. Dices, Papa habet dumtaxat infallibilem auctoritatem in decretis morum, & de rebus ad ſalutem neceſſariis. Cognoſcere verò hunc vel illum ſanctum non eſt neceſſarium ad ſalutem. Dum igitur Pontifex illum declarat non eſt infallibilis. Reſpondeo, cultum hujus vel illius ſancti non eſſe ad ſalutem neceſſarium ſimpliciter, nihilominus eſſe valdè utile. Sancti enim non tantùm proponuntur fidelibus colendi, ſed etiam imitandi, quod eſt efficaciſsimum medium ad excitandos amicos ad exercitiū omnium virtutum, ut quilibet experitur legens ſanctorum vitas & exempla. Pontifex ergò non tantùm pollet auctoritate infallibili in definiendis rebus ad ſalutem neceſſariis, ſed etiam utilibus & opportunis, cujuſmodi eſt cultus Sanctorum & imitatio.

Dices

VI. Dices ſecundò D. Thomam quodlibeto 9. art. ult. non abſolutè dicere Pontificem in Canonizatione Sanctorum non poſſe errare, ſed addit: *Pie credendum eſt quod nec in his judicium Eccleſiæ errare poſſit.* Reſpondeo non expreſsè quidem dixiſſe hoc eſſe certum, ſed dumtaxat pium, ex quo ſaltē probabiliter putavit eſſe certum de fide, quod etiam concedimus, cùm non ſit expreſsè definitum, ſed ſolùm deductum ex revelatis. Quod genus veritatis nonnulli negant eſſe de fide; ſed dumtaxat Theologicæ Concluſionis. Vel (inquit Franciſcus) Sanctus Thomas tantùm vult illud judicium Pontificis eſſe medium inter judicium de rebus revelatis directè, & non revelatis: quia non poteſt ipſi conſtare revelatione directâ de ſanctitate talis perſonæ, ſed indirectâ dumtaxat. Directa fiebat Prophetis, & Evangeliſtis: indirecta aſſiſtit in promiſsâ aſſiſtentiâ ſpeciali Spiritus ſancti.

VII. Dices tertiò S. Antoninum 3. part. tit. 22. cap. 8. Pontificem canonizando Sanctos uti humano teſtimonio, quod ex ſe eſt fallibile. Reſpondeo uti illo teſtimonio, non ut motivo credendi, ſed ut conditione explicante teſtimonium divinum univerſaliter revelatum in ſcripturis de cunctis qui moriuntur in gratiâ. Deindè hoc teſtimonium eſt publicum, cui Deus adeſſe tenetur ex providentiâ ſpeciali, nè tota Eccleſia erret, ſi illud falſum ſit. Confirmatur etiam in hac vel illâ ſcripturâ canonicâ proponendâ, in hâc vel illâ traditione Apoſtolicâ declarandâ, Papa utitur publico teſtimonio humano ut conditione explicante.

VIII. Dices quartò, qui negaret Sanctum canonizatum eſſe in cœlis non foret hæreticus. Igitur non eſt fide divinâ certum canonizatum regnare in cœlis. Reſpondet Amicus, ideò negans canonizatum eſſe in cœlis non foret hæreticus, quia non eſt expreſsè de fide, ſed dumtaxat maximè probabile. Reſpondent ſecundò Valentia, Turrianus, & alii fore hæreticum: quia erraret contra id quod eſt definitum à ſede Apoſtolica. Quid quid ſit, qui feſta à Pontifice præſcripta violaret, quandam ſpeciem impietatis cōmitteret, ac fideles omnes Sanctorum interceſſionibus & ſuffragiis privaret eos non invocando.

Nec refert quod canonizatio videatur pertinere ad quæſtionem facti, in quantùm ſcilicet quæritur, an hic vel ille de facto ſit Sanctus. Nam ſimul includit illam quæſtionem juris. *An hic vel ille cultus publicus ſit deferendus à totâ Eccleſiâ.* Item. *An quicumque moritur in gratiâ ſalvetur, &c.* Ad quas quæſtiones in particulari decidendas videtur ſupremo paſtori & capiti Eccleſiæ, omninò conceſſa auctoritas & aſſiſtentia Spiritus ſancti. Quia eſt omninò neceſſaria ad congruam Eccleſiæ œconomiam. Et hoc ſenſu D. Thomas quodlibeto 9. artic. 16. dixiſſe videtur Canonizationem Sanctorum eſſe quid medium inter judicium infallibile Papæ de rebus fidei, & judicium fallibile ejuſdē in cauſis civilibus & criminalibus. IX.

Non eſt de fide, quod Pontifex nequeat errare in Beatificatione, prout Beatificatio differt à Canonizatione, ita Arriaga, Amicus, Diana tomo 11. tract. reſol. 19. Ratio eſt quia ſi eſſet de fide beatificatum eſſe in cælis, in ejus canonizatione Pontifex non procederet ulterius, nec majorem diligentiam, novumque examen inſtitueret de ſanctitate canonizandi, quia quod eſt certum de fide non eget ulteriori certitudine. At Pontifex procedens ad canonizationem non contentus priori examine & diligentiâ novum examen inſtituit, novamque diligentiam adhibet, non tam ob externam ſolemnitatem & pompam, quàm ad habendam majorem certitudinem de ſanctitate canonizandi, ut patet ex ſtylo & praxi Curiæ. X.

Quàmvis non ſit de fide Pontificem errare non poſſe in Beatificatione, tamèn oppoſita opinio eſt ad minimùm temeraria, ſcandaloſa, ac errori proxima. Quia temerarium eſt exiſtimare quod Pontifex proponat aliquem non ſanctum colendum, vel ab univerſali Eccleſiâ, vel ab aliquâ Provinciâ aut religione. XI.

Dices quintò cultum & honorem XII.

qui exhibetur Canonizatis poſſe exhiberi Beatificatis. Igitur certum eſt eâdem certitudine quod Beatificatus ſit in cœlis ac Canonizatus. Reſpondeo negando ſequi. Nam Canonizato exhibetur cultus debitus, & à Pontifice definitus, Beatificato autem duntaxat permittitur. Reſpondeo ſecundò quod in Canonizatorum honorē & cultum poſſunt templa conſtrui, ſacrum ab omnibus celebrari, officium recitari: at de Beatificatis poſſunt altaria erigi, ſacrum offerri ab aliquibus, quibus conceditur. Deindè ſacrum & officium poteſt cum octavâ celebrari de Canonizato, non autem de Beatificato, niſi expreſsè Papa permittat.

XIII. Noſter Lezana conſult. 1. num. 50. ait Canonizationem ſolùm differre accidentaliter à Beatificatione, quia ſcilicet illo poſterior, generalior, & ſolemnior, & veluti totum quoddā. Beatificatio eſt *via* vel (ut alii volunt) *particularis Canonizatio*. Alii, *Semicanonizatio*. Alii, *Canonizatio ſecundùm quid*. Alii, *Species veræ Canonizationis*. Vide Carenam de officio S. Inquiſitionis part. 2. tit 17. §. 12. numer. 15. Angelum Rocca de canoniz. cap 38. Contilorium de canoniz. cap. 2. num. 4. Baldellum diſp. 12. num. 28, Caſtrum Palaum part. 1. operum moralium tract. 4. diſp. 1. num. 5. §. 5. Peirinis conſtit. 16. Leonis X. numer. 1. Beatificationem eſſe viam ad Canonizationem, manifeſtè innuit Bulla Beatificationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi noſtri Ordinis. *Ut (donec Canonizationis honor dictæ ancillæ Dei Maria Magdalena ob eius excellentia merita divinâ inſpirante gratiâ ab Apoſtolicâ ſede decernatur) eadē ancilla Dei Maria Magdalena Beatā nuncupari, atque officium & miſſa de eâ (ut infra) recitari & celebrari poſſit.*

Bellar. Bellarminus lib. 1. de Beatitudine Sanctorum cap. 7. definit Canonizationem *Publicum Eccleſiæ teſtimoniū de vera ſanctitate & gloria alicujus hominis jam defuncti*, ac ſimul *judicium & ſententiam, quâ decernuntur illi honores; qui debentur iis, qui cum Deo fœliciter regnant.* Particula *definit*, ſignificat Canonizationem eſſe inſtar definitionis & ultimæ ſententiæ latæ à Pontifice de ſanctitate & gloriâ Canonizati toti Eccleſiæ propoſiti, ut patet ex inſtrumento Canonizationis S. Andreæ. *Decernimus & definimus bonæ memoriæ Andræam, &c. Sanctum eſſe, ac ſanctorum catalogo adſcribendum, ipſumq; catalogo ſanctorum adſcribimus, ſtatuentes ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet in die obitus ipſius feſtum devotè & ſolemniter celebretur.* In Beatificatione autem Pontifex non *definit*, (ut dictū eſt) ſed indulget & concedit alicui Provinciæ vel religioni; ut aliquis defunctus poſſit beatus appellari, & ei aliquis cultus exhiberi, ut dictum eſt ſupra de B. M. Magdalenâ de Pazzi. *Concedimus, indulgemus.* Vide plura apud P. Lezanam conſulto 1. & tom. 1. quæſt. regul. cap. 12. num. 52. tom. 4. verb. *Reliquia ſanctorum*, verbo *Ritus ſacri*, verbo *Sanctorum cultus*, & tomo 3. ſummæ Theologicæ tract. 4. de prudentiâ, diſp. 4. quęſt. 5. 9. & 11.

Porrò in eo Sanctitas Romanæ Eccleſiæ relucet, quod ſoli ſummo Pontifici nunc Beatificatio & Canonizatio ſit reſervata. Ita Alexander III. cap. *Audivimus*, Innocentius III. cap. *Cum ex iis*, de reliquiis & veneratione ſanctorum. Joannes Andræas, Hoſtienſis, & alii Canoniſtæ & Summiſtæ verbo *Canonizatio*. Idem ſupponit Urbanus VIII. in Brevi ſeu Bullâ incipiente, *Cæleſtis Hieruſalem*, anno 1634. quâ poteſtate carent Epiſcopi, ita Jacobus Caſtellanus de Canonizatione ſanctorum quæſt. 7. artic. 1. Fælix Contilorius ſimili tract. num. 17. Auguſtinus Triumphus de poteſtate Eccleſiæ quæſt. 14. num. 2. Paulus Malvetius de Canonizatione Sanctorum dubio 2, numer. 1, Noſter Lezana conſulto 1. num. 3, & alii paſſim. Illam etiam non habent Legati à latere, Barboſa in collectaneis Doctorum in cap. *Audivimus*, de reliquiis numer. 7. Caſtellanus ſupra quæſt. 3. artic. 2. numer. 3, Lezana ſupra. XIV.

Imò ſummus Pontifex eam illis committere nequit. Ita Alphonſus à Caſtro de juſtâ hæreticorum punitione tomo 1. cap. 6. verſ. *Rurſus*, Contilorius XV.

tilorius in addit. ad Jacobum Caſtellanum quæſt. 3. art. 2. num. 5. Ratio eſt, quia ſedes Apoſtolica non poteſt dare facultatem alteri, ut definiat res fidei. Bannez 2. 2. quæſt. 1. art. 10. dubio 4. verſ. *Quapropter*, Arragonius ibidem. art. 10. tract. de Conciliis; verſ. *Tertia concluſio*; & verſ. *Ad primum argumentum*, Lezana ſupra num. 6.

XVI. Concilium univerſale nequit canonizare, niſi interveniat auctoritas ſedis Apoſtolicæ. Ita Angelus Rocca de canonizat. Sanctorum, cap. 4. verſ. *Quod ad ſolum*, Iacobus Caſtellanus ſup. quæſt. 3, art. 5. Contelorius ibi num. 10, Lezana ſupra. Dixi nunc poteſtatem Beatificandi & Canonizandi ſoli Pontifici competere, quia olim Epiſcopi poterant canonizare ſervos Dei, ſaltem canonizatione particulari, ſcilicet pro unâ Provinciâ, natione vel regno. Ita Bellarminus tomo 2. de beatitudine & canonizatione Sanctorum cap. 8. Baldellus tomo 2. lib. 7. diſp. 21, num. 2. Layman lib. 4. tract. cap. 3. num. 1. & plures alii, ex noſtris Thomas Waldenſis tomo 3. de Sacramen. art. 14. cap. 222. & probant præcipuè ex eo quod S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis lib. 3. epiſt. 6. præcipit ſibi ſcribi, ut ſi quis Martyr de novo occubuerit celebretur ejus memoria. Ideò verò Beatificatio & Canonizatio pertinet ad ſolam ſedem Apoſtolicam, quia eſt publicum teſtimoniũ Eccleſiæ de verâ ſanctitate & gloriâ alicujus jam defuncti, & Beatificatio indulgentia ac conceſſio. Canonizatio eſt judicium & ſententia, quâ illi decernuntur honores, qui debiti ſunt regnantibus cum Deo. Ita noſter Lezana ſupra num. 9. poſt Bellarminum citatum cap. 7. Fortunatũ Scaccium de cultu & venerat. ſervorum Dei lib. 1. ſect. 1. cap. 8. Baldellum ſupra. Barboſam de officio & poteſtate Epiſcopi part. 3. alleg. 50. num. 43. & alleg. 117. num. 4. Petrus Andræas Gambara de officio & poteſtate Legati de lib. 2. tit. de variis ordinariorũ, tit. 253. S. Antoninus in ſumma part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 5. Gregorius l. 66. gloſ. 244. tit. 8. part. 2. Tabiena ver. *Canonizatio*, num. 1, Malvetius de canonizatione Sanctorum. dub 2. n. 3. & ſeq. Auguſtinus Triumphus de poteſt. Eccleſ. quæſt. 24. art. 1. Ludovicus Carbo in ſummâ ſummarum tomo 3, lib. 1, cap. 17 verſ. *tertium dictum*. Angelus Rocca tract. de canoniſ. cap. 4. Antoninus Ypes in chronico Sancti Benedicti anno Chriſti 545. iiſdem favent Pineda in Monarchiâ part. 2, tomo 2. lib. 14. cap. 19. §. 1. Valerius Reginaldus in praxi fori pœnit. lib. 19. num. 6 Alzedo de præcellentia Epiſcoporum part. 1, cap. 11. num. 19. Domnus Alphonſus de ſacrarum Reliquiarum cultu, §. 24. numer, 25. Dionyſius Paulus Lopiis de vera Patriarchalium ſedium erectione cap. 17. num. 56. Azorius inſtitut. moral. part. 2. lib. 5. cap. 6. quæſt. 1. Maſcardus de probat. concl. 262. num. 30. Marcus Antonius Genuenſis in praxi Archiep. Neapol. cap. 51. Cenedo ad decretal. collect. 42. num. 4. Fælix Coterolius tract. de canoniz. ſanctorum cap. 4. & cap. 8. Illa verò indulgentia ſeu definitio & ſententia nequit ab alia proficiſci quàm à ſede Apoſtolica, ſicut nec definitio fidei, ut ſupra diximus, quia Papa eſt caput Eccleſiæ, & ſolus ſupremus judex in Eccleſia, & is ad quem pertinet decernere tales honores, & dare ejuſmodi teſtimonium. Deinde ſpecialiter in canonizatione Pontifex procedit per modum legis univerſalis, & pro bono communi totius Eccleſiæ, ut patet ex nomine Canonizatio, quod oritur à Græca voce *Canon* id eſt *Regula*, eo quod Sanctus canonizatus ſit ad totius perfectionis regulam, examinatus & probatus, atque ex omni parte perfectus, & inventus verè ſanctus (inquiunt Angelus Rocca de canonizatione ſanctorum cap. 1. Lezana conſulto 1. num. 65. 9 Præterea Canonizatio eſt fidei proteſtatio, ſicut enim fides habet pro objecto immediato Deum, ſic canonizatio reſpicit Deos ſeu Sanctos, quos Ioannis cap. 10. Chriſtus vocat Deos, quaſi ſpecialiſſimè participantes divinam bonitatem. Hinc Canonizatio vocatur à Græcis *Apotheoſis*, Latinè Deificatio, & Sancti paſſim appellantur

 divi

Divi & indigetes, quaſi in Diis agentes, vel nullius rei indigentes, ut notat S. Auguſtinus lib. 9. de civit. cap. 20. Rocca ſupr. cap. 2. Lezana ſupra num. 67.

XVII. Cæterùm quòd aliqui objiciunt ex S. Auguſtino. *Multa corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in inferno.* Dicunt multi id in ſancto Auguſtino non reperiri. Dico ſecundò id intelligi de illis, qui ab infidelibus cenſentur ſancti, ut Mahomet, Ioannes Hus, Lutherus, Calvinus. Dico tertiò intelligi de corporibus in loco ſanctorum malitioſe ſuppoſitis. Quartò dico intelligi de corporibus ſceleratorum, quæ in magnificis ſepulchris condita ſunt.

§. 2.

Dum Summus Pontifex canonizationi Sanctorum examen miraculorum præmittit, ſanctitati Eccleſiæ, ſuæq; infallibilitati non officit.

I. Eccl. 44 v. 1. Eccleſiaſticus antiquitatis Heroes publico encomio efferre & ab omnibus colendos oſtendere volens, ait cap. 44. verſ. 1. *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſuâ. Glorioſos vocat* (inquit Cornelius) *qui ſcilicet heroica & glorioſa fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, fortitudinis, &c. facinora ediderunt, per quæ gloriam apud Deum, homines & Angelos nunquam immorituram adepti ſunt.* Et ante illum Hugo Cardinalis. *Dignos laude monſtremus verbo & imitatione, homines virtuoſos, qui non inflammantur humanâ laude, ex omni parte gloriâ dignos, vel jam in gloriâ receptos.* Dionyſius. *Laudemus viros famoſos & honore prædignos, meritiſque conſpicuos.* Non dicit miraculis, ſed virtutum meritis conſpicuos. Et tamen cap. 48. Eliam ab omnibus colendum oſtendere volens, omiſſis jejuniis, orationibus, omiſsâ fide, ſpe, charitate, & aliis virtutibus, tantùm ejus miraculorum mentionem facit. *Et ſurrexit Elias quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Hugo Cardinalis. *Perſequens malos & Zelans juſtitiam, undè duos quinquagenarios miſſos ab Ochoziâ rege Iſrael igne cæleſti combuſſit lib. 4. Regum cap. 1. Et quia hoc verbo ſolo fecit, ideò loquitur, & verbum ipſius quaſi facula ardebat, quia ex magno zelo loquebatur, & ignem de cælo trahebat ad verbum ſuum Ieremiæ cap. 5. Ecce dedi verba mea in ignem in ore tuo; & populum iſtum in ligna.* l. 4. Reg. cap. 1.

Verſ. 2. ait. *Qui induxit in populum famem, & imitantes illum inviaiâ ſuâ pauci facti ſunt; non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini.* Idem Hugo Cardinalis. *Qui clauſit cælum tribus annis & ſex menſibus, ita ut non plueret ſuper terram lib. 3. Regum cap. 17. Iacobi cap. ultimo. Sacerdotes Baal conferentes ſe ei, vel imitari volentes petendo ignem de cælo, lib. 3. Regum cap. 18. Non poterant reſiſtere voluntati Domini præcipientis ſecundùm Eliam, ut interficerentur.* verſ. 2. l. 3. Reg. 17. v. 1. l. 3. Reg. cap. 18.

Verſ. 3. Textus. *Verbo Domini continuit cælum & dejecit de cælo ignem ter.* Dionyſius. *Oratione ſuæ virtute procuravit quòd ignis deſcenderet ex aere & voravit ſacrificium ſuum, ut legitur lib. 3. Regum cap. 18. Et poſtea bis impetravit ignis deſcenſum quo devorati fuerunt quinquagenarii Ochoziæ cum ſuis quinquaginta, quemadmodum lib. 4. Regum cap. 1. narratur.* Eccl. 48 v. 3.

Deinde Eccleſiaſticus verſ. 4. *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis. Et quis poteſt ſic gloriari tibi?* Hugo Cardinalis. *In converſatione ſuâ mirabilis & miraculorum virtute, quæ Dominus fecit per ipſum divulgatum nomen ejus per univerſum orbem.* Dionyſius. *De tantâ ſuâ excellentiâ jucundari in Deo.* Græca verſio. *Quantam gloriam conſecutus es ô Elia mirabilibus tuis, & quis poteſt ſimiliter ac tu gloriari?* Vatablus. *Quantam gloriam miraculiſq; tuis adeptus es Eliâ, aut quis paria tecum glorietur.* Proſequitur ejus miracula uſque ad verſ. 2. *Nos vitâ vivimus tantùm, poſt mortem non erit tale nomen noſtrum.* Hugo Cardinalis. *Quaſi diceret noſtrum nomen nobiſcum vivit, ideſt celebre habetur Proverbior. cap. 10. Memoria juſti cum laudibus, nomen autem impiorum putreſcit. Pſal. 144. Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt* verſ. 4. v. 12.

ſunt, & vivent nomina eorum in æternum. Scilicet non ita honorabitur ab hominibus. Quibus verbis oſtendit motivum honoris debiti Eliæ peti ab ejus miraculis. Idem dum ſanctitatē Eliſei efferre vult tantùm ejus miracu-
v. 13. la commemorat. Verſ. 13. *Elias in turbine tectus eſt, & in Eliſeo completus eſt ſpiritus ejus.* Per illum Spiritum Eucherius, Angelomus, Procopius, Theodoretus, Lyranus, Dionyſius, Palacius, Janſenius ibi, & D. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 21. intelligunt ſpiritum Prophetię & miraculorum quod probari poteſt ex ſe-
v. 14 quentibus, verſ. 14. *Potentiâ nemo vicit illum, nec ſuperavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus.* Hugo. *Quia mortuum ſuſcitavit lib. 4. Regum cap. 13.* Textus. *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.* Idem Hugo. *Fecit miracula primò aquas Iordanis ad tactum pallii diviſit, lib. 4. Regum cap. 2. Poſtea aquas amaras Ierecho per ſalis appoſitionem ſanavit, lib. 4. Regum cap. 2. &c.*

II. Cur Eccleſiaſticus oſtenſurus eos mereri ab omnibus honorari præter excellentiam virtutum, ſeu gratiæ gratum facientis, vel potius illis omiſſis ita nominatim refert eorum miracula? Noſter P. Lezana conſulto 1. num. 180, dat rationes. Prima eſt: Multi in hac vitâ incedunt pellibus ovium cùm tamen intus ſint lupi rapaces Matthæi cap. 7. adeò ut nec Martyrium ſub prætextu Chriſti nominis ſupportatum ſit concludens argumentum ſanctitatis, cum & hoc poſſit fieri ob vanam gloriam, ut dicit S. Paulus relatus in cap. *vide* 1. quæſt. 1. ubi gloſſa, & proindè ubi magis eſt periculum deceptionis evidentiora argumenta requirunt cap. *ubi periculum*, de electione in 6. cap. num. 11. quæſt. 2. cap. *quieſcimus*, 42 Hanc rationem attingit Innocentius III. in bullâ Canonizationis ſancti Homoboni Cremonenſis in primo
Innoc. 3 tomo bullarii novi. *Licet autem (inquit) juxta teſtimonium veritatis, ſola finalis perſeverantia exigatur ad ſanctitatem animæ in Eccleſia triumphanti, quoniam qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Duo tamen virtus videlicet morum, & virtus ſignorum, opera ſcilicet pietatis in vitâ, & miraculorum ſigna poſt mortem, ut quis reputetur ſanctus in militanti Eccleſiâ requiruntur, &c.* Secunda ratio Patris Lezanæ quia etiam ſuppoſitâ ſanctitate Deus non vult omnes ſanctos in hoc ſæculo canonizari, ideſt nominatim coli ut ſanctos: fortè nē cultus qui per homines debetur ſanctis multitudine ſanctorum, & aſſiduitate exercitii vileſcat, juxta not. in cap. *Epiſ.* 80. d. & in cap. *legimus*, ad finem 93. Hoſtienſis in d. cap. 1. num. 10. de reliquiis & veneratione Sanctorum. Gloſſa in cap. *unic.* verb. *ſedis*, verb. 5. *nè in infinitum*, eodem titulo in 6. unde infinitorum Martyrum, & aliorum ſanctorum nominā ſunt adhuc nobis incognita. Licet ergò donum miraculorum non faciat hominem ſanctum, cum ſit gratia gratis data, poſſitque concedi hominibus etiam peccatoribus & infidelibus, nec habeat ullam connexionem cum ſanctitate & virtutibus, præſertim cùm non concedatur in bonum proprium, ſed in utilitatem aliorum, ut docet noſter Thomas Waldenſis tomo 3. de ſacramentalibus, tit. 8. de pœnit. Sacram. cap. 72. & alii Tamē ſæpè & regulariter ſolet communicari ſanctis, & Pontifices Romani per miracula veram ſanctitatem conjiciunt.

Sic Ioannes XV. pro canonizando S. Wdalrico Epiſcopo Auguſtano anno 993. (ut patet ex tomo 1. Bullarii,) adhibuit prævium examen miraculorum. Honorius III. pro canonizando S. Laurentio Dublinenſi Archiepiſcopo uſus eſt examine miraculorū eodem tomo 1. bull. Idem præſtiterunt Innocentius IV. pro canonizatione S. Petri Martyris, & S. Eadmundi Archiepiſcopi. Ibid. Clemens IV. pro canonizat. Sanctæ Heduvigis eodem tomo. Bonifacius VIII. pro canonizatione S. Ludovici regis Galliæ, ibidem. Clemens V. pro canonizatione S. Petri de Morono, ibidem. Ioannes XXII. pro canonizatione S. Thomæ Epiſcopi Herfordienſis & S. Thomæ Aquinatis. Clemens VI. pro III.

pro canonizatione S. Yvonis ſacerdotis. Eugenius IV. pro canonizatione S. Nicolai Tolentini eodem tomo. Nicolaus V. pro canonizatione ſancti Bernardini Senenſis, ibidem. Innocentius VIII. pro canonizatione S. Leopoldi ducis Auſtriæ. Clemens VIII. in bullâ canonizationis SS Hyacinthi & Raymundi tomo 3. bullarii. Paulus V. in bullâ canonizationis ſanctæ Franciſcæ Romanæ, & S. Caroli Boromei eodem tomo 3. Gregorius XV. in bullis canonizationis SS. Ignatii de Loyola, Franciſci Xaverii, Philippi Nerei, Iſidori, Thereſiæ tomo 4. bullarii. Vrbani VIII. in canonizatione S. Andreæ Corſini, Et noviſſimè Alexander VII. in canonizatione S. Thomæ de Villâ Novâ, ſancti Franciſci de Sales.

IV. In examine autem miraculorum maturè procedit ſummus Pontifex. Nec ex quibuſdam miraculis ſcriptis, privatis, tabellis etiam in publico expoſitis probatur alicujus ſanctitas, ut fuſè docet & doctiſſimè noſter Lezana conſulto 1. citato art. num 39. uſque ad num. 46. & tomo 3. Theologiæ tract. 4. diſp. 4. quæſt. 5. refertque num 48. præfati conſulti decretum Apoſtolicum, quo prohibetur fieri informationes ſuper ſanctitate & miraculis alicujus defuncti, &c. Idem notat miracula debere eſſe patrata nõ tantùm in vitâ, ſed etiam poſt mortem. Eodem conſulto 1. num, 14. & Innocentius III. ſupr. citatus. Colligiturque ex textu ſacro, qui commendat prophetam Eliſeum, non ob miracula ab eo edita ante, ſed etiam poſt obitum. Sic enim Syracides Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 14, de eo effatur. *Et mortuum prophetavit corpus ejus.* Vatablus. *Corpus ejus prophetiam ejus etiã poſt obitum.* Clarius Arabicus. *Et vivificavit mortuum mortuos.* Quamvis enim prophetare ſit propriè futura prædicere ex inſtinctu & revelatione Dei, & hæc oracula & alia ordinaria edebantur à viris ſanctis, ideò per catachreſim ſumitur etiam pro docere, prædicare & exhortari ad pietatem. Ita Apoſtolus 1. Corinth cap. 14. vocat Doctores Prophetas. Item ſumitur pro pſallere & Dei laudes decantare: Sic Aſaph & Heman dicuntur prophetare, ideſt pſallere in citharis, cymbalis & pſalteriis, lib. 1. Paralip. cap. 25. verſ. 1. Rex Saul inter prophetas Dei prophetavit, ideſt laudes Dei decantavit, indè illud proverbium emanavit. *Num & Saul inter prophetas.* lib. 1. Regum cap. 19. verſ. 23. Et Joannes 44. Patriarch. paſſim in lib. de inſtitut. Monachorum, ait quod Prophetæ pſallebant. Præterea accipitur pro patrare miracula, hæc enim olim ferè à ſolis Prophetis fiebant, ut patet in SS Elia & Eliſeo lib. 3. & 4. Regũm. Deinde ſumitur pro prophetiã confirmare, ſic Eccleſiaſtici cap, 49. verſ. 19. Eliſeus mortuus dicitur prophetaſſe, ideſt miraculum edidiſſe, quia mortuum ſuſcitavit, & hoc pacto ſuam prophetiam confirmavit, ſeu ſuam prædicationem de veri Dei cultu. Eodem modo prophetant reliquiæ ſanctorũm dum poſt mortem edunt miracula. De S. Eliſeo fertur lib. 4. Regum cap. 13. verſ. 21. *Mortuus eſt Eliſeus & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terrã ipſo anno, quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* In vitâ Sancti Staniſlai Epiſcopi Cracovienſis, legitur quod cum hic Præſul accuſatus eſſet quod pretium agri venditi defraudaſſet Petrus defunctus ſuſcitatus à ſancto Staniſlao teſtatus eſt ſibi datũ fuiſſe à dicto S. Staniſlao pretium agri venditi. S. Antonius de Padua ut patrem falsò accuſatum de cõmiſſo homicidio à ſententia capitis liberaret, occiſum ſuſcitavit, & ad tribunal perduxit, ubi rogatus à judice, an accuſatus homicidium perpetraſſet, teſtatus eſt, quod non. Macarius Ægyptius diſcipulus S. Antonii videns quendam homicidij falsò accuſatum, interrogavit occiſum ab eoque teſtimonium innocentiæ accuſati excepit, ſicque calumniatum liberavit. Ita lib. 2. vitæ SS, Patrum cap. 18. Non abſimile eſt miraculum S. Spiridionis Trimithuntis in Cypro Epiſcopi, qui fuit unus ex Confeſſoribus, qui Maximiano imperante dextro

Eccl. 48 v. 14.

l. 4 Reg. cap. 13. v. 21.

dextro oculo eruto & ſiniſtro poplite ad metalla relegati ſunt. Ille priuſquam ad Epiſcopatum eveheretur, conjugatus fuit, habuitque filiam nomine Irenem. Hac virgine defunctâ quidam acceſſit ad Epiſcopum, aſſerens ſe filiæ quoddam depoſitum commendaſſe. Hujus rei geſtæ ante neſcius Pater univerſam domum luſtravit, & nuſquam quod repetebatur inventum eſt. Cùm autem ille, qui commendaverat fletu urgeret reſtitutionem depoſiti, obteſtans ſe vitæ ſuæ vim illaturum, niſi ſibi res commendata reſtitueretur. Præſul lacrymis ejus permotus ad ſepulchrum filiæ pergit, eamque compellat. Illa è ſepulchro ait: Quid vis Pater. Commendatum (inquit Pater) ubi poſuiſti? At illa locum deſignans, & dicens illic invenies defoſſum. Regreſſus domum, rem (ſecundùm reſponſum filiæ) repertam repoſcenti reſtituit. Hujus hiſtoriæ meminerunt Socrates lib. 1. cap. 12. Sozomenus lib. 1. cap. 11. S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis habendâ cap. 11. ſcribit etiam. *Pro certo (inquit) cùm Mediolani eſſemus, audivimus, quod cum debitum repeterentur à quodam defuncti patris cautione prolatâ, quod filio neſciente à patre jam fuerat perſolutum, contriſtari homo graviſſimè cœpit; atque mirari, quod ei pater moriens non dixerat quod deberet, cùm feciſſet teſtamentum ſuum. Tunc enim anxio apparuit ei pater in ſomnis, & ubi eſſet recautum quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis, atque monſtrato, non ſolùm falſi debiti calumniam propulſavit, ſed & paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando eſt perſoluta pecunia.*

V. P. Lezana conſulto 1. ait, quod pro canonizatione ſeu beatificatione perſonæ regularis, ſeu religioſæ præter miracula etiam deſiderentur virtutes in gradu heroico. Id præfiguratum videtur in Prophetis Eliâ & Eliſeo, qui in omni virtutum genere ita excelluerunt, ut paſſim omnibus religioſis cujuſcumq; Ordinis, quaſi cenſeantur exēplaria ab omnibus Patribus, quos vide apud eundem Lezanam tomo 1. ſparſim. De Martyribus aliter philoſophandum eſt. Nam idem Pater Lezana conſulto 1. num. 16. poſt Auguſtinum Triumphum quæſt. 16. num. 16. Angelum Rocca de canonizatione ſanctorum cap. 15. Baldellum tomo 2. lib. 5. diſput 14. num. 4. & num. 14. Flavium Cherubinum in compendio bullarum ſchol. 2. conſtitut. 4. Alexandri I. & ſchol. 1. conſtitut. 11. Innocentii V. & Carenam in tract. de officio ſacræ Inquiſitionis part. 2. tract. 17. §. 12. num. 24. notat quod quamvis in Martyribus non ſit neceſſaria miraculorum comprobatio, tamen eſt neceſſaria probatio rei propter quam paſſi ſunt. Quia ex S. Auguſtino epiſtol. 51. & 166. cauſa, non pœna facit Martyrē, quæ cauſa debet eſſe defenſio, ſeu cōfeſſio fidei Chriſtianæ, ut regulariter contingit. Vel eorum quæ fidei connectuntur. Sic S. Ioannes Baptiſta, S. Lambertus, S. Angelus noſtri Ordinis occubuerunt.

§. 3.

Romanus Pontifex eſt infallibilis dum approbat Religioſos Ordines & eorum Regulas.

1. ELias Monachorum Princeps vitam ac inſtitutum Religioſum nō inſtituit, nec ad ſe accedētes in hunc finem ſuſcepit, niſi mandante, ſeu dictante Spiritu ſancto. Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus lib. de inſtit. Monach. cap. 2. *Monachorum princeps primus extitit, à quo* Ioan. 44 *ſancta eorum primæva inſtitutio ſumpſit exordium. Ipſe enim obtentu contemplationis divinæ & deſiderio ſublimioris profectus longè ab urbibus recedens, & ſe ipſum cunctis terrenis ac mundanis exuens, religioſam & prophetalem vitam eremiticam primis hominibus à propoſito ducere cœpit, quam ſancto dictante Spiritu & mandante inchoavit & inſtituit.* Pondera illa verba *dictante ſancto, &c.* Quod probat. *Quippe Deus illi apparens mandavit, ut communem hominum habitationem fugeret, & ſe à turbis in deſerto abſconderet, atque*

 deinceps

deinceps in eremo monaſticè ſecundùm formam ei indictam viveret. Quod audienti ſacræ ſcripturæ teſtimonio comprobatur. Legimus enim de hoc ita ſcriptum in lib. 3. Regum cap. 17. verſ. 3. Factum eſt verbum Domini ad Eliam, dicens: Recede hinc & vade contra orientem, qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut paſcant te ibi. Hæc autem promiſſa ſalubria mandata ad quæ implenda Spiritus ſanctus Eliam inſtigavit. Idem cap. 10. refert quoſdam vitæ perfectioris amantes ad Eliam confluxiſſe, ut in concepto religioſè vivendi deſiderio illos confirmaret, non humano, ſed divino judicio, ſeu juxta formam ſibi inſpiratam à Deo. *Idcirco ad eum in ſolitudine torrentis Carith tunc latentem, confugiebant, &c. Hos itaque Domini devotos viros Elias ſecundùm formam à Deo ei traditam habuit ſuæ monaſticæ vitæ primos diſcipulos & imitatores veros.* Infra. *Inſtituit ad vitam monaſticam obſervandam ſecundùm formam à Deo ſibi traditam.* Idem habet cap. 11. & 19. *Conveniebant* (inquit) *in unum ad pſalmos, cantica & hymnos corde & ore, ac cum inſtrumentis muſicis in laudem Dei canendos, &c. In eremo Carmeli coaleſcebant, ſecundùm formam vitæ monaſticæ per Deum creditam Eliæ.* Quibus patet Eliam divinitus inſpiratum propheticum cœtum inſtituiſſe, & filios prophetarum in bono propoſito vivendi confirmaſſe. Cùm autem Deus in ſuis inſpirationibus errare nequeat, ſequitur etiam Eliam in inſtituendis ejuſmodi hominibus, iisque in bono propoſito corroborandis errare non potuiſſe.

II. Sic Pontifex Romanus errare nequit in approbatione religionum quoad ſubſtantiale inſtitutum illarum, ſeu in approbatione hujus finis & mediorum quæ ſibi proponuntur. Ita Bannez 2. 2. quæſt. 1. art 10. Valentia 2. 2. diſput. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 41. Turrianus diſput. 16. dubio 4. Suarez diſp. 5. ſect. ult. Sylvius lib. 4. de controverſ. quæſt. art. 16. Amicus tomo 4. diſp. 7. ſect. 3. Del Bene in 1. partem diſp. 1. quæſt. 37. Et ex noſtris P. Lezana tom. 3. ſumma tract. 1. diſp. 8. quæſt. 5. P. Lao in tract. de Pont. Patet primò ex Concilio Conſtantienſi ſeſſione 8. ubi damnatur error Wicleffi dicentis Papam nō minus errare poſſe in Ordinum approbatione quàm Præsbyterum Joannem Æthiopiæ regem, vel Turcam, aut Sultanum. Item omnes Religiones eſſe indifferenter à Diabolo introductas, qui error aliquo modo ſuſtineri poſſet, ſi Pontifex poſſet aliquam religionem contrariam Evangelicæ perfectioni approbare. Approbatio enim talis eſſet à Diabolo, non verò à Chriſto & ejus Vicario. Quod autem Pontifex in ejuſmodi approbatione nequeat errare, patet primò, quia de fide eſt Pontificem non poſſe errare in condendis legibus univerſalibus ad ſalutem. Deindè de fide eſt Pontificem, ut talis eſt, non poſſe errare in his quæ ad fidem & mores univerſalis Eccleſiæ pertinent, nec poſſe inducere Eccleſiam univerſalem in errorem, aliàs non eſſet promiſſus ſpiritus veritatis in univerſali Eccleſiâ. Ergò nec errare poteſt in approbando Religiones, quæ per vera & congrua Concilia ad Chriſtianam perfectionem conducunt, alioqui erraret contra doctrinā Evangelicam. Præfata autem Pontificis infallibilitas in approbando Ordine Religioſo tantùm intelligitur quoad Religionis ſubſtantiam, non quoad circumſtantias, verbi cauſa an hic vel nunc conveniens ſit religionem hanc licet de ſe ſanctam, & Evangelicæ perfectioni conformem introducere, aut admittere, non ita certum eſt an poſſit errare, cùm hoc magis pertineat ad judicium practicū prudentiæ. Licet dum approbat credendum ſit, quoad hoc non errare. Nec refert quod quædam Religiones ab uno approbato poſtea ab alio abrogentur, & extinguantur; quia utrumque fieri poteſt prudenter ſucceſſu temporis ob mutationem circumſtantiarum: vel quia ceſſat finis ob quem inſtitutæ ſunt.

Amicus exiſtimavit hanc ſententiam eſſe de fide, non minus quàm de fide eſt Pontificem non poſſe errare in condendis legibus univerſalibus ad ſalutem neceſſariis, cùm non minus neceſſaria ſit in ſummo Eccleſiæ paſtore III.

ſtore

ſtore infallibilis auctoritas dirigendi animas fidelium per vera & congrua conſilia ad Chriſtianam perfectionẽ, quàm per vera & congrua præcepta ad ſalutem. Si igitur errare nequit in veris congruiſque præceptis proponendis, neque errare poterit in veris congruiſque conſiliis approbandis. Confirmatur, primò Pontifex approbando unam Religionem eo ipſo illam ſuâ auctoritate proponit toti Eccleſiæ, ut veram viam ad Chriſtianam perfectionem. Quare ſi in eâ proponendâ poſſet errare, tota Eccleſia poſſet errare ſequendo ut viam ad perfectionem, quæ vera via non eſſet. Confirmatur ſecundò, ſi Pontifex poſſet in ipſo ſubſtantiali inſtituto religionis errare, approbando ut medium ad perfectionem Chriſtianam (quod de facto non eſſet) vel refellendo ut impedimentum ad Evangelicam perfectionem (quod de facto non eſſet) poſſe errare in ipsâ doctrinâ Evangelii, cùm omnia media quæ ad Chriſtianam perfectionem conducunt, deducantur ex doctrinâ Evangelicâ.

IV. Objicit Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. Religionem approbare, vel reprobare non tantùm eſt ſcientiæ, ſed etiam prudentiæ, in quâ errare poteſt Pôtifex. Reſpondeo nõ poſſe Papam errare in prudentiâ, quę in confirmatione & approbatione vel reprobatione Religionis quoad ſubſtantiale inſtitutum eſt neceſſaria. Sicut nequit errare in prudentiâ neceſſariâ ad præceptionem vel prohibitionem legis quæ neceſſaria eſt ad ſalutem. Objicit ſecundò: Videmus de facto multas Religiones approbatas ab uno Pontifice poſtea reprobari ab alio ut noxias. Reſpondet Amicus negando ullam Religionem approbatam quoad ſubſtantiale inſtitutum fuiſſe poſtea ab alio reprobatam, ſed tantùm quæ ab uno Pontifice pro uno tempore judicata fuit utilis Eccleſiæ, pro alio judicata fuit inutilis & ſuperflua. Id patet etiam in legibus & ſtatutis univerſabilibus, quæ pro uno tempore judicantur neceſſaria & utilia, pro alio ſuperflua & inutilia, ac conſequenter videmus leges ab uno latas abrogari, ab alio quaſi non neceſſarias. Unde non mirùm ſi Ordinem Fraticellorum approbatam à Cœleſtino V. Ioannes XXII. declaravit invalidam. Si Religionem inſtitutam in Italiâ à F. Ioanne Cremonenſi approbatam à Paulo III. edicto publico reprobatum fuit à Republicâ Venetorum, & auctoris doctrina Romæ reprobata. Ideo enim præfatę religiones reprobatæ fuerunt quia Religioſi tunc à Regulâ approbatâ per ſedem Apoſtolicam defecerunt, vel quia auctores eorum regulæ approbatæ admiſerant quædam ſanæ doctrinæ contraria. De his & aliis fuſius cap. ſequenti.

§. 4.

Sanctitatem Eccleſiæ non minuit extinctio Ordinis à Sede Apoſtolicâ approbati.

NOn expedit Ordinem Religioſum approbatum in obſervantiâ regulari viventem deſtruere. I. Ratio eſt, quia Religioſus ſtatus eſt ex præcipuis & nobilioribus partibus Eccleſiæ, ut fusè docent Patres apud Platum de ſtatu religioſo & alios. Unica hic D. Gregorii Nazianzeni auctoritas ſufficiat, qui oratione 6. vocat Monachos ſuæ ætatis, *Generis noſtri primitias.* Et meritò cùm enim non tantùm præcepta divina, ſed etiam Conſilia Evangelica obſervet, quâ obſervantiâ obtinetur perfecta charitas, quæ eſt vinculum perfectionis, Eccleſia ſancta quæ eſt pulcherrima ſponſa Chriſti non mediocrem ſuæ venuſtatis jacturam faceret ex illius extinctione. Item ſi denominatur perfecta: ſuam perfectionem à ſtatu religioſo, ſi non ex toto ſaltem ex parte mutuari debet. Quamvis enim aliqui in ſæculo remanentes præter obſervantiam præceptorum divinorum, etiam Conſilia Evangelica conentur exercere, non tamẽ tam perfectè ac Religioſi, qui illa Conſilia Evangelica firmo & immobili vinculo profitentur, Epiſcopi dicuntur quidẽ etiam eſſe in ſtatu perfectionis, licet

Gregor. Naz.

licet Conſilia Evangelica non ſectentur ; quia ſunt Doctores vitæ perfectæ : At Religioſi illi perfectioni cōparandæ incumbunt. Epiſcopi ſunt magiſtri, Religioſi diſcipuli : illi docent & illuminant, hi diſcunt perfectionem. Vno verbo illorum ſtatus eſt perfectionis docendæ, horum verò comparandæ. Vndè poſſunt Clerici Epiſcoporum adminiſtri & adjutores : imò ipſimet Epiſcopi renunciato Epiſcopatu religionem ingredi ut patet ex Concilio 4. Toletano cap. 49 & habetur cap. *Clerici.* 19. quæſt. 1. ubi permittitur Clericis liber tranſitus ad ſtatum Religioſum, quia meliorem vitam appetunt. Et D. Anſelmus in epiſt. 12. lib. 3. Goffridum Pariſienſem Epiſcopum ſeriò corripit, quia Clericum ab ingreſſu Religionis revocat, oſtenditque ex ſacris litteris, Gregorio Papa, Concilio Toletano, & rationibus id non debere fieri. Et inter alia hæc pronunciat. *Horrendum* Anſelm. *auditu eſt, ut quod Chriſtus elegit de mundo, Epiſcopus religet in mundo: quod Chriſtus trahit ad portum de procellis & tempeſtatibus mundi, Epiſcopus retrahat à portu & exponat multitudini luporum.* Plura hic commemorare poſſem, ſicut & de Epiſcopis qui demiſſo Epiſcopatu ad ſtatum Religioſum redierunt, vel tranſierunt, vel Epiſcopatum recuſarunt, vel ægrè ſuſceperunt. Sed conſulendus Platus lib. 1. & alibi opportunius referentur.

II. Summus Pontifex poteſt Religioſum Ordinem approbatum ab obſervantiâ regulari & ſcopo aberrantem extinguere. Ratio eſt, quia poteſt extinguere Monaſterium, & in Collegium Canonicorum permutare, vel auferre, ut tum Romæ, tum alibi factum, experientia docet, & retulimus cap. ſuperiori ; igitur & totum Ordinē. Tantùm enim jus habet extinguendi totum corpus monaſticum quàm partem, ſeu unum Monaſteriū: cùm ordo ſit homogeneus. Deindè poteſt prohibere nè in ordine ſic ab obſervantiâ regulari ita aberrante inſtituatur Novitiatus, niſi obſervantiæ ſtrictæ in Novitiatu fiat exercitium. Hoc facto ſi nullus recipiatur, tandem omnes Religioſi interibunt, & Pontifex indirectè illius extinctionem cauſabit.

III. Nec refert quod talis Ordo fuerit à ſanctâ Sede approbatus juxta extra. *de Religioſis domibus.* cap. *fin.* & extra. *de Religioſis, &c.* in 6. eodem titulo, pro quibus & aliis videndus eſt Auguſtinus Triumphus quæſt. 71. art. 3. Auguſt Trium. Nam approbauit regulam illius inſtituti, & omnes ejus Profeſſores ſingularibus privilegiis & gratiis decoravit, & in ſuam ſpecialem protectionē ſuſcepit, ut patet ex bullis confirmationis, non vero eos ſi ſæculari potius & plebeio more vivant, quam religioſo, & ſi regulam & vota omnimodè proculcent. Hujus rei varias figuras producit Textus ſacer, primò Paradiſum terreſtrem, imò Paradiſum angelicum, de quo Anſelmus epiſt. Anſelm. 137. libri 3. ad Turoldum Monachū his verbis. *In viam paradiſi vos direxit divina Clementia, immo in quendā paradiſum hujus vitæ vos introduxit, cùm vos in clauſtralem converſationem introduxiſti.* Et S. Bernardus ſermone de vitâ ſolitariâ egregias alluſiones facit cellarum Religioſarum cum cœlis. *In cælis* (inquit) *potius quàm in cellis excluſo à vobis toto ſæculo totos* Bernard *vos incluſiſtis cum Deo. Cella ſiquidem & cæli habitatio cognata ſunt, & nomine & pietate, quod celatur in cælis, hoc eſt in cellis, quod geritur in cælis, hoc eſt in cellis: Quid nam hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum piè & fideliter celebratur in cellis, ſancti Angeli Dei cellas habent pro cælis & æquè delectantur in cellis, &c.* Quemadmodùm ex Paradiſo à Deo immediatè condito & conſito Adam incola illius ac rex ob peccatum expulſus eſt, illius acceſſu cum ſuâ poſteritate privatus eſt, Geneſis cap. 3. v. 23. Geneſ. 3. v. 23. *Emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de quâ ſumptus eſt: ejecitque Adam & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, &c.* Licet fortè poſteri ejus in eo cautiores fuiſſent. Item incurrit privationem gratiæ iuſtificantis & habituum ſupernaturalium illam concomitantium, ut cum Lezana aliis Theologis docet noſter P. Lezana tomo 1. Theolog. tractat. 7. de

peccato

peccato primorum parentum quæſt, 4. Quemadmodum etiam Lucifer cum ſuis excidit à beatitudine ſupernaturali, quam acquiſierat per bona opera ex charitate & gratiá, ſimul ex cooperatione liberi arbitrii ſecundùm Thomam Del-Bene tom. 1. ſum-

Del Ben. mæ Theolog. de Angelis diſput. 9. quæſt, 7, ut colligitur ex ſcripturâ Ezechielis cap. 28, verſ. 13. *In deliciis Paradiſi fuiſti perfectus decore.* Et tamen ab illo ſupernaturali ſtatu perpetuò excidit, ut patet ex citatis verbis Ezechielis. *Donec inventa in te iniquitas.* Et ex illo Ioannis cap. 8. v. 44. *In veritate non ſtetit.* Et epiſtola Iudæ verſ. 6. *Angeli, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt domicilium ſuum.*

Gregor. Vndè D. Gregorius hom. 7. in Ezechielem ait. *Natura Angelica quando creata eſt, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate perſiſtere, etc. an ad ſuperbiã laberetur, & à beatitudine caderet etc. ſed quia aliis cadentibus ſancti Angeli perſtiterunt. &c.* Et ſi Paradiſus conditus eſſet pro homine & ejus progenie, Deusq; illum collocaſſet, totiusque naturæ præfecturam demandaſſet. Etſi Lucifer ſecundùm multos Patres eſſet primus Angelorum, tamen à gratiâ & beatitudine irremiſſibiliter excidit, Ita etſi Ordo ſit Paradiſus, tamen ſi ejus incolæ ſeu Religioſi divinam legem & Conſilia Evangelica proculcent, Deus ejuſmodi tranſgreſſores perpetuo exilio damnabit. Et ſicut ſecundùm aliquos expulſo Adamo paradiſum omninò delevit, ita Vicarius Chriſti expulſis Religioſis diſcolis abſque ulla emendationis ſpe viventibus, poteſt illum Paradiſum & Ordinem omninò extinguere. Sicut aliàs Clemens V. delevit Ordinem Templariorum, quem tamen Pontifices innumeris privilegiis decorarãt, imò ſecundùm aliquos à juriſdictione Patriarchæ Ieroſolymitani (in cujus ditione præcipua Collegia habebant.) Exemerunt. Pius V. Ordinem Humiliatorum delevit.

IV.

Geneſ. 6 verſ. 4.

Aliam hujus authoritatis Pontificiæ figuram ſubminiſtrat Textus ſacer Geneſis cap. 6. verſ. 4. *Poſtquam ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum,* Verſ. 5. *Videns Deus quod multa malicia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terrâ, & præcavens in futurum, & tactus dolore intrinſecus, delebo (inquit) hominem quem creavi à facie terræ ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cæli.* Nunquid Deus illa omnia condidit? numquid Deus vidit cuncta, quæ fecerat? nunquid ea omnia judicavit bona, illis benedixit? Cur ergo deſtruit, & aquis diluviis perdidit quaſi factæ à ſe creaturæ pœnitens? Poteſt nè Deus ſuum affectum mutare, reprobare quod approbavit, maledicere quod benedixit? Creavit animalia, produxit plantas, &c. illa approbavit. vidit quod eſſent bona, utilia, & opportuna ad uſum vitæ humanæ, ſi homo illis benè uti vellet pſalm. 8. *Pſal 8.*

verſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* *verſ. 8.* *oves & boves univerſas inſuper & pecora campi, &c.* Sed ubi Deus vidit hominem illis omnibus abuti, & quod juxta illud Sapientiæ cap 14. verſ. 12. *Creatura Dei in odium factæ ſunt, & in* *Sapent.* *tentationem animæ hominum, & in* *14. v. 12* *muſcipulam pedibus inſipientium.* Illas reprobat, illas deſtruit cum tota natura humana exceptis octo animabus. Sic Sedes Apoſtolica plantat in Eccleſiaſtico viridario Ordinem Religioſum, illum approbat, illi benedicit, quia videt fore utilem Eccleſię. At ubi videt illum à fine ſuæ inſtitutionis omninò deflectere, legem ſibi impoſitam proculcare, & Eccleſiæ ſanctæ potius ſcandalum & offendiculum afferre quàm ornamentum & utilitatem, illum eradicat, ut contigit Templariis, de quibus hiſtoria Concilii Viennenſis in tomo 4. Conciliorum Romæ editorum hæc habet. *In Hieroſolymitana urbe erat Religioſorum militum ordo inſtitutus, qui cum juxta templum Domini cohabitarent Templarii dicti ſunt. Horum munus & officium fuit tueri fines ac vias Hieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium & latrociniis, ut advenæ & peregrini ad ſancta illa loca inviſenda, tutò poſſent accedere. Ex hiſce militibus multi olim Chriſti cauſa & ſanguinem*

profuderunt, & frequenter vitæ diſcrimen adierunt. Verſum à ſancto hoc inſtituto recedentes, Patriarchæ Ieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperunt, obedire renuerunt, Eccleſiis primitias, decimasque ſubſtraxerunt, atque omnibus redditi ſunt infeſti. Abyſſinorum etiam legatum contra jus gentium à Templariis fuiſſe occiſum ſcribit Wilelmus Tyrenſis. Præterea ad Clementem V. ſummum Pontificem multi Principes viri detulerunt, eos in hæreſim, apoſtaſiam, aliaq; nefanda vitia eſſe prolapſos. Cumq; Templariorum Ordo eſſet toto jam ferè Chriſtiano orbe proſeminatus atque diſperſus, Clemens ut remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre, Concilium generale cenſuit convocandum. Poſtea ſubdit. *Templariorum ordinem extinxit, eorumque bona Hoſpitalariis militibus attribuit.*

V. *Alvar. Pelagius*

Alvarus Pelagius, qui tunc temporis vixit lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 23. *Templarii* (inquit) *modò ab Eccleſiá propter eorum flagitia reprobati ſunt.* De eadem extinctione Blondus decade 2. lib. 9. Volaterranus Antropol. lib. 21. Platina in Clemente V. *Fama frequentior, & ſenſus prope omnium eos condemnant.* S. Antoninus 3. part. tit. 21, cap. 1. §. 13. & Mariana lib. 15. de rebus Hiſpan. cap. 10. referũt ſcelera quorum accuſabantur. & lib. 17. c. 27. hic ſcribit eos maximè addictos avaritiæ, quia in obſidione Aſcalonis dum ſoli deſiderarent frui prædâ, ſe in præſentiſſimum mortis diſcrimen objecerunt, & cauſa fuerũt nè Civitas à Chriſtianis caperetur. Et lib. 18. cap. 9. ait quod cum aliquando Chriſtiani hoſtium ſpolia inter ſe dividerent, fratribus Templariis inter cœtera cecidit in ſortem filius Ducis hoſtium Noſceradinus, qui poſt diuturnam incarcerationem, cum peteret in Chriſto regenerari, jamque litteras Romanas didiciſſet cum primis fidei rudimentis vendiderunt Ægyptiis cum ad mortem poſtulantibus pro ſexaginta millibus aureorum, quẽ Ægyptii traditum, vinctum manibus & pedibus ac catenis ferreis in caveâ ferreâ camelis imponentes in Ægyptum deduxerunt ubi ſuis inhumanis cupiditatibus ſatisfacientes eum mordicitus diſcerperunt, & in minutiſſimas partes conciderunt. Idem lib. 20. cap. 32. ſcribit ab eiſdem rem impiè perpetratam, & contra jus gentium legati Aſſyſinorum, ſpem dabant Regi Ieroſolymitano quod ad Chriſtum converterentur, & baptiſmate regenerarentur, ſi fratres militiæ templi remittere vellẽt duo millia aureorum, quæ caſtella eorum regioni contermina ſingulis annis pro tributo ſolebant ſolvere, & fraternam charitatem cum illis obſervare: quã ſummam Rex ex propriis reditibus ſolvere paratus erat. Illorum Magiſtrum S. Ludovicus in Syriâ agens, ſuſpectum habuit, quod cum Soldano Ægypti per internuncios de pace pertractatum haberet: quo factum eſt ut ei mandarit ne deinceps nuncios Soldani admitteret, vel colloquia cum eis haberet, ſine ſuo ſpeciali mandato. In Concilio Lateranenſi cap. 9. Alexander III. de eis conqueritur quod excederent indulta ſibi cõceſſa à ſede Apoſtolica, cõtra Epiſcopalem dignitatem multa præſumerent, quæ & ſcandalum generarent in populo Dei, & grave parerent periculum animarum. Honorius III. extravag. de purgatione vulgari cap. *dilecti*, accuſat Templarios quod in Livonia Chriſtiani de aliquo crimine infamati ferri candentis judicium ſubire compellebantur à Templariis; quibus indè ſi qua aduſtio ſequebatur civilem pœnam ſubibant. De illorum extinctione ſcribit Clemens ad Philippum Regem Francorum & ad Abbatem Ciſtercienſem, cujus epiſtola extat in actis Concilii Viennenſis. Inter alia notandum quod Alexander III. conqueratur Templarios abuti privilegiis à ſede Apoſtolicâ indultis. Ex quo infero ejuſmodi privilegia nõ fuiſſe conceſſa à ſede Apoſtolicâ niſi ordine prius approbato. Deinde ejuſmodi privilegiorum conceſſio eſt tacita ac implicita approbatio. Meritò illis dicere poterat ſedes Apoſtolica veſtrum ordinem approbavit, ut laboraretis ſeu præliaremini & cuſtodiretis paradiſum illum, & ab omni hoſtili infeſtatione tutum redderetis, ſed illum potius proditis, perditis.

Nolo

. Nolo tales milites, nolo tales Templi mei, Sanctuarii mei, Eccleſiæ meæ cuſtodes, & miniſtros, qui illam tot ſceleribus labefactant.

VI. Aliam figuram ſuggerit Textus ſacer in lege ſcriptâ, in quâ pallim populus Iſrael dicitur electus à Deo & approbatus: & pſalm. 88. verſ. 39. *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi.* Verſ. 30. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cæli.* Et tamen Deus abſtulit regnum Iſrael à domo David. Paulò poſt, nunquid Deus dixerat, & juraverat, & ſe aſtinxerat, & per modum teſtamenti ſtat erat infallibiliter ſedem regiam manſuram in domo David? Quomodò ergo tam citò ejus ſobolem regiâ dignitate privat? quia Deus non permiſerat abſolutè: ſed ſub conditione ſcilicet modò poſteritas ejus obſervantiæ mandatorum Dei inhæreret, ut patet ex verſ. 31. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, ſi juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, &c.* Poſteri David defecerunt ab obſervantiâ mandatorum Dei, ideò Deus illos privavit ſolio David, licet poſtea reſtituerit Chriſto, ut docent Interpretes. Sic lib. 4. Regum cap. 20. verſ. 1. prædixit Ezechiæ eum ſtatim moriturum, Ionæ cap. 3. verſ. 4. prædixit Propheta Ninive poſt 40. dies ſubvertendam, quæ tamen non eſt everſa, quia ſcilicet illa decreta non erant abſoluta ſed ſub cōditione, ſi ſcilicet illos pœniteret. Quid per familiam & domum David intelligitur? Domus dilectionis, nam David ideſt dilectus, ubi charitas erga Deum & proximum magis ordinata eſt, juxta illud Cant. cap. 2. verſ. 4. *Ordinavit in me charitatem,* quàm in religione? cùm ibi homo ab affectu rerum terrenarum ita ſit defœcatus & abſtractus, ut de eo dici liceat quod S. Gregorius Nazianzenus ait de Gorgonia orat. in laudem ejus. *Nihil terra præter corpus reliquit.* Nam ibi quantùm ad charitatē tanta eſt, ut propter Deum nihil intolerabile judicet, adeo ut illud Apoſtolicum ei liceat applicare 1. Corinth. cap. 13. verſ. 7. *Charitas omnia ſuffert.* D. Anſelmus ibi. *Omnia ſuffert, ſupra dictum fuerat, qui patiens eſt, ideſt non murmurans in adverſis, corde tacito cuncta perferens, & nunc dicitur quod omnia ſuffert & in actu ſuſtinet, quidquid adverſitatis acciderit.* Qui dicit omnia nihil excludit. Omnia Religioſus ſuffert? quando ſicut David injurias Semei cum amore, & mirâ patientiâ, placidè, pacatè, dulciter fert. Vndè rectè legit D. Cyprianus tract. de ſimplicitate prælat. non omnia ſuffert, *ſed omnia diligit.* Quia anima Religioſa nihil propriè ſuffert, cùm ſuffert. D. Chryſoſtomus homil. 9. in epiſt. ad Romanos. *Nihil eſt quod non vincit amor, cum autem & Dei amor extiterit, tùm demum omnia infra ſe poſita habet, pro amore quiſquis incenſus fuerit, huic neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, neque morbus, ac nè ipſa quidem mors, aut quidvis aliud id genus grave, moleſtumque videbitur.* Quamdiu ergò animæ Religioſæ in ejuſmodi amoris exercitio verſantur, Deus illis benedicit, Deus talem Religionem approbat: ſed ſi poſteri ſanctiſſimorum Fundatorum à legis & regulæ ſuæ obſervantiâ deflexerint, Deus viſitat illos per ſuum vicarium & extinguit illos, etſi eorū regula ſit approbata, eorum inſtitutum approbatum, eorum Patriarchæ canonizati: tamen ad inſtantiam eorum Deus inſpirat Pontificem ut ejuſmodi Ordinem non amplius proficuum, ſed maximè nocivum Eccleſiæ, non amplius orationi, & ſolitudini ac ſilentio, ſed vagationibus, ſed ſcurrilitatibus, & ſæcularibus negotiis implicatos deleat. Pudet enim ſanctos (ſi ita fas ſit loqui) videre filios ita à ſe degeneres.

Pſal 88. verſ. 39
v. 30.
v. 31.
Anſelm.
Cyprian
Chryſoſt

VII. Memini Chriſtum Matthæi cap. 21 verſ. 41. ſe comparare Patrifamilias, qui plantavit vineam. *Homo erat Paterfamilias qui vineam plantavit, & ſepem circumdedit ei, & locavit eam agricolis.* Marci cap. 12. verſ. 1. *Vineam plantavit homo, & circumdedit ſepem, & locavit eam agricolis.* Vel Lucæ cap. 20. verſ. 9. *Homo quidam plantavit vineam & locavit eam colonis.* Et ante eos Iſaiæ cap. 5. verſ. 3. Deus ait. *Vinea facta eſt*

Mat. 21 v. 14.
Mar. 12. v. 1.
Iſ. c. 5. v. 3.

eſt dilecto meo in cornu filio olei & ſepivit eã, & lapides elegit ex eã & plantavit vineam electam. Item Ieremiæ cap. 2. verſ. 12. idem Deus. *Plantavi te vineam electam.* Quæ eſt iſta vinea? Status vel Ordo Religioſus cujus ſepes & muri ſunt regulæ. Si diruatur maceria & cadant muri, ſtatim hortus ac vinea diſſipabitur, & quaſi via trita conculcabitur. Proverb. cap. 24. verſ. 30. *Tranſivi per vineam pigri & repleverant tam urticæ & ſpinæ.* Vnde hoc provenit? quia maceria lapidibus deſtructa erat: quomodo maceria deſtruitur? quando fit ut hoſtis, & promiſcuus viator ingrediatur. S. Gregorius Magnus lib. 20. Moral. cap. 20. *Quaſi rupto muro hoſtis ingreditur cum diſciplinæ munimenta diſſipantur.* Ecce vinea plantata in agro Eccleſiæ, ecce munita muris & ſepibus, quid facit ille cœleſtis paterfamilias? locat eam agricolis & colonis. Agricolæ & coloni ſunt ii qui ingrediuntur religionem eâ conditione, ut illam cuſtodiant & colant, illi ſemper adſint. Hujus locationis eâ conditione ut vineam fideliter cuſtodiret loquitur ſponſa Cantic. cap. 1. verſ. 6. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Et ut ſuo tempore fructum producerent, juxta illud cap. 2. verſ. 13. Cantic. *Vineæ florentes dederunt fructum ſuum.* Quid per odorem, & florem intelligit? D. Bernardus ſerm. 60. in Cantic. *Si vinea anima, flos opus, odor opinio eſt, fructus martyrium.* Quaſi diceret, tunc anima Religioſa vineam colit cùm opera producit ſuæ vocationi conformia, cum proximo ſuo non eſt offendiculo. Fructum autem, quando ritè operatur conformiter ad ſuas regulas. D. Bernardus ſermon. 60. *Qui vineæ ſunt ſeveriores nobis, quàm ſuaviores ſe exhibent in ſpiritu vehementi agentes, zelantes pro diſciplina, vitia acerrime corripientes, aptantes ſibi congruentiſſimè vocem ſuam. Nonne qui oderunt te oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam, &c.* Quod etiam Colonus videæ ſuæ adeſſe debeat, patet ex Cantic. cap. 6. verſ. 10. *Deſcendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea.* Quid per vineam florentem intelligit? animas fideles quæ ſanctè converſantes, ſe ad fructus ſolidiores producendos præparant, quales ſunt Religioſi, qui ſemper in cultura vineæ laborare debent, ſemper novos flores producere, & hos fructus maturos. Sanctus Gregorius. *Vineæ florent quando in Eccleſia filii recenter in fide generantur, & ad ſanctam converſationem quaſi ad fructus ſoliditatem præparantur.* Canticor. cap. 7. verſ. 12. *Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruerit vinea, ſi flores fructus parturiant.* Septuaginta. *Si floruerit propago.* Pagninus *Si aperuerit ſe uva parva.* Anima fidelis & præcipuè religioſa debet mane ſurgere, ut vineam ſuam viſitet, ideſt animam, & inveſtigare an præteritis diebus juxta ſuarum conſtitutionum obſervantiam egerit, an opera meritoria vitæ æternæ, & ſuæ vacationi congrua exercuerit. Et maximè Superiores ſingulis diebus incumbere debent & luſtrare an unuſquiſque ſuo officio debitè fungatur, ſi flores fructus parturiunt ſi unuſquiſque in exercitiis vitæ tam activç quàm cõtemplativæ ſe occupet. Hugo Cardinalis. *Per vineas cætus Clauſtralium intelliguntur, ſi aſſiduè aut fodiuntur, aut putantur, aut plantantur, aut propagantur, aut ligantur quorum tota vita eſt quoddam martyrium, quo magis vino devotionis abundant. Quia ergò vineæ iſtæ ſunt multipliciter excolendæ, ideò dicit mane ſurgamus, videamus ſi floruerit vinea, ideſt ſi aliqua bona fidei & confeſſionis indicia, & proficiendi ſigna emittant Novitii, ut flores ſint ſancta vota, & interna deſideria, cujus aliqua ſigna exterius appareant, ſi flores fructus parturiunt, ideſt ſi bonum propoſitum ſequatur opus bonum, ut fructus ſint virtutũ ſoliditas, & ſpiritualium chariſmatum ubertas, quæ operibus exterioribus ſe oſtendunt.*

Ierem. 2 v. 12. — Prov. 24 v. 30. — Gregor. — Cant. 1. verſ. 6. — Bernard — Cant. 6 v. 10. — Gregor. — Cant. 7 v. 12. — Hugo.

VII. Debent ſuperiores ſequi mentem ſponſi dicentis Cant. cap. 2. verſ. 15. *Capite nobis vulpeculas parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.* Loco *demoliuntur* Septuaginta habent *quæ exterminant.* Symmachus *corrumpunt.* Quare vulpes ſeu vulpeculas? quia præ cœteris feris vulpes nocent vineis eas ſuffodiendo, eradicando-

Cant. 2. verſ. 7.

cando, uvas deprædando, depaſcendo. Vulpeculæ autem cum non habeant ſatis virium ad vites eradicandas eas teneras & florentes vellicant, arrodunt, floresque decerpunt, terramque juxta radices ſuffodiunt, ut vites humore deſtituantur, ſoliquè expoſitæ ejus radiis urantur & exareſcant. Quid per vulpeculas ſeu vulpes parvulas intelligit? quæ vineam religionis demoliuntur, corrumpunt, exterminant? Sunt relaxationes regulæ, & diſciplinæ in rebus parvis, verbi gratia, cum in religione diſſimulatur fractio ſilentii, uſus rerum modicarum abſque ſuperioris facultate, leves inobedientiæ, ſuſurri, murmurationes, vagationes per Monaſterium, per urbem, abſentiæ ab aliquo regulari exercitio publico chori, refectorii, capituli, &c. Hæc niſi corripiantur, ſerpunt, creſcunt, & magnæ evadunt, ut tandem omnem regulam & diſciplinam evertant. Divus Bernardus ſerm. 63. in Cant. id de Novitiis Religioſis explicat. *Videte iſtos Novitios nuper venerunt, nuper converſi ſunt, non poſſumus ipſis dicere quia vinea noſtra floruit, flores enim quod in eis apparere videtur, &c.* Infra. *Ad provectiores & firmiores ſermo eſt retorquendus, ad vineam quæ jam floruit, cui quidem, etſi non eſt quod floribus formidet à floribus, ſed non fructus ſicuti ſunt à vulpibus.* Sermon. 64. ait vulpes eſſe tentationes quæ proficientes impugnant. *Proficientium ſanctioribus ſtudiis minimè quidem ſeſe opponere contraria virtutes apertè audent, ſed ſolent ex occulto inſidiari, quaſi quadam fraudulentæ vulpeculæ ſpecie quidem virtutes, re autem vitia, &c.* De his vulpeculis ſic ſcribit Dionyſius. *Parvulæ vulpes iſtæ ſunt fraus, dolus, hypocriſis, calliditas, duplicitas, vitia virtutum ſpecie operta qua animas virtuoſas ſpiritualiter deſtruunt, &c. Quæ mox in principio ſunt penitus extirpanda, nè paulatim totam inficiant animæ vineam. Has vulpes ſtudeant Præſidentes auferre de ſuorum cordibus ſubditorum, imò primò omnium à ſe ipſis. Nam vinea noſtra floruit: hoc unicuique bono paſtori loquitur Chriſtus, dum paſtor congregationi ſibi commiſſæ praeſt idonea. Sic Congregatio illa eſt communis vinea Chriſti, & ejus Vicarii.* Quibus ultimis verbis innuit Congregationem Religioſam eſſe vineam Chriſti, & pontificis ejus vicarii. Quam vineam dum Chriſtus videt incultam, & nullo modo coli: ſed deſeri & in agrum ſylveſtrem converti, id indignè ferens: hæc cum D. Bernardo ſerm. 55. in Cant. illis improperat, vos dicitis & jactatis eſſe religioſos talis ordinis tales ſanctos patronos, tales magnates fundatores habere. *Ubi apoſtolica forma & vita quam jactatis? illi clamant, vos ſuſurratis. Illi in publico, vos in angulo. Iſaiæ cap. 60. Illi ut nubes volant, vos in tenebris ac ſubterraneis domibus dileſcitis, &c. Tu Eccleſiam ſcandalizas, vulpes es demoliens vineam, &c.* Plura ibi de Clericis & Sacerdotibus

Bernard. — Dionyſ. — Bernard

VIII. Quando Chriſtus & ejus Vicarius qui illam vineam colendam tradiderunt, vident eam omninò incultam & ſylveſtrem, vineam inquam (de qua Religioſi dicere deberent illud Iſaiæ cap. 5. verſ. 1. & ſeq. *Cantabo dilecto meo canticũ patruelis mei vineæ ſuæ.* Ideſt die ac nocte meditabor in lege Domini mei, pſallam laudes ejus in hac vinea Religioſa plantata, cujus mihi culturam & cuſtodiam cõmiſit. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.* Ideſt hæc Congregatio ſpecialiter Deo conſecrata eſt in regno populi Chriſtiani, & ſpeciali gratiâ & donis Spiritus ſancti perfuſa, vel à Chriſto, qui eſt filius olei pſalmo 44. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo.* Spiritualibus dotibus cumulata, quando, inquam, videt præfatam vineam plenam urticis & ſpinis illam eradicare ſtatuit. Palacius vineæ cum ordine Religioſo analogiam expendens, ait. *Per turrim in eâ ædificatam intelligi Põtificem Romanum, quia in Eccleſiâ Dei nihil magis eminet atque fulget, quàm Pontificia Sacerdotalisq; dignitas, cujus eſt à longè hoſtes & vineæ hujus graſſatores ſpeculari & utenſilia parare univerſa, quæ hoſtium bello ingruenti vincendo ſunt neceſſaria, nè verſutus diaboli incurſus de repente offendens vites, ideſt fideles opprimat, ut ſub Ezechielis perſona cunctis Pontificibus dicitur. Fili hominis ecce ſpeculatorem dedi te domui*

Iſ. c. 5. v. 1. — Palatius

pro canonizatione S. Yvonis ſacerdotis. Eugenius IV. pro canonizatione S. Nicolai Tolentini eodem tomo. Nicolaus V. pro canonizatione ſancti Bernardini Senenſis, ibidem. Innocentius VIII. pro canonizatione S. Leopoldi ducis Auſtriæ. Clemens VIII. in bullâ canonizationis SS Hyacinthi & Raymundi tomo 3. bullarii. Paulus V. in bullâ canonizationis ſanctæ Franciſcæ Romanæ, & S. Caroli Boromei eodem tomo 3. Gregorius XV. in bullis canonizationis SS. Ignatii de Loyola, Franciſci Xaverii, Philippi Nerei, Iſidori, Thereſiæ tomo 4. bullarii. Vrbani VIII. in canonizatione S. Andrææ Corſini, Et noviſſimè Alexander VII. in canonizatione S. Thomæ de Villâ Novâ, ſancti Franciſci de Sales.

IV. In examine autem miraculorum maturè procedit ſummus Pontifex. Nec ex quibuſdam miraculis ſcriptis, privatis, tabellis etiam in publico expoſitis probatur alicujus ſanctitas, ut fusè docet & doctiſſimè noſter Lezana conſulto 1. citato art. num 39. uſque ad num. 46. & tomo 3. Theologiæ tract. 4. diſp. 4. quæſt. 5. refertque num 48. præfati conſulti decretum Apoſtolicum, quo prohibetur fieri informationes ſuper ſanctitate & miraculis alicujus defuncti, &c. Idem notat miracula debere eſſe patrata nõ tantùm in vitâ, ſed etiam poſt mortem. Eodem conſulto 1. num, 14. & Innocentius III. ſupr. citatus. Colligiturque ex textu ſacro, qui commendat prophetam Eliſeum, non ob miracula ab eo edita ante, ſed etiam poſt
Eccl. 48 *v.* 14. obitum. Sic enim Syracides Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 14, de eo effatur. *Et mortuum prophetav it corpus ejus.* Vatablus. *Corpus ejus prophetiam ejus etiã poſt obitum.* Clarius Arabicus. *Et vivificavit mortuum mortuos.* Quamvis enim prophetare ſit propriè futura prædicere ex inſtinctu & revelatione Dei, & hæc oracula & alia ordinaria edebantur à viris ſanctis, ideò per catachreſim ſumitur etiam pro docere, prædicare & exhortari ad pietatem. Ita Apoſtolus 1. Corinth cap. 14. vocat Doctores Prophetas. Item ſumitur pro pſallere & Dei laudes decantare: Sic Aſaph & Heman dicuntur prophetare, ideſt pſallere in citharis, cymbalis & pſalteriis, lib. 1. Paralip. cap. 25. verſ. 1. Rex Saul inter prophetas Dei prophetavit, ideſt laudes Dei decantavit, indè illud proverbium emanavit. *Num & Saul inter prophetas.* lib. 1. Regum cap. 19. verſ. 25. Et Joannes 44. Patriarch. paſſim in lib. de inſtitut. Monachorum, ait quod Prophetæ pſallebant. Prætereà accipitur pro patrare miracula, hæc enim olim ferè à ſolis Prophetis fiebant, ut patet in SS. Elia & Eliſeo lib. 3. & 4. Regũm. Deinde ſumitur pro prophetiã confirmare; ſic Eccleſiaſtici cap, 49. verſ. 19. Eliſeus mortuus dicitur prophetaſſe, ideſt miraculum ediddiſſe, quia mortuum ſuſcitavit, & hoc pacto ſuam prophetiam confirmavit, ſeu ſuam prædicationem de veri Dei cultu. Eodem modo prophetant reliquiæ ſanctorũm dum poſt mortem edunt miracula. De S. Eliſeo fertur lib. 4. Regum cap. 13. verſ. 21. *Mortuus eſt Eliſeus & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terrã ipſo anno, quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* *l.* 4 *Reg. cap.* 13. *v.* 21. In vitâ Sancti Staniſlai Epiſcopi Cracovienſis, legitur quod cum hic Præſul accuſatus eſſet quod pretium agri venditi defraudaſſet Petrus defunctus ſuſcitatus à ſancto Staniſlao teſtatus eſt ſibi datũ fuiſſe à dicto S. Staniſlao pretium agri venditi. S. Antonius de Padua ut patrem falsò accuſatum de cõmiſſo homicidio à ſententia capitis liberaret, occiſum ſuſcitavit, & ad tribunal perduxit, ubi rogatus à judice, an accuſatus homicidium perpetraſſet, teſtatus eſt, quod non Macarius Ægyptius diſcipulus S. Antonii videns quendam homicidij falsò accuſatum, interrogavit occiſum ab eoque teſtimonium innocentiæ accuſati excepit, ſicque calumniatum liberavit. Ita lib. 2. vitæ SS, Patrum cap. 18. Non abſimile eſt miraculum S. Spiridionis Trimithuntis in Cypro Epiſcopi, qui fuit unus ex Confeſſoribus, qui Maximiano imperante

dextro

dextro oculo eruto & ſiniſtro poplite ad metalla relegati ſunt. Ille priuſquam ad Epiſcopatum eveheretur, conjugatus fuit, habuitque filiam nomine Irenem. Hac virgine defunctá quidam acceſſit ad Epiſcopum, aſſerens ſe filiæ quoddam depoſitum commendaſſe. Hujus rei geſtæ ante neſcius Pater univerſam domum luſtravit, & nuſquam quod repetebatur inventum eſt. Cùm autem ille, qui commendaverat fletu urgeret reſtitutionem depoſiti, obteſtans ſe vitæ ſuæ vim illaturum, niſi ſibi res commendata reſtitueretur. Præſul lacrymis ejus permotus ad ſepulchrum filiæ pergit, eamque compellat. Illa è ſepulchro ait: Quid vis Pater. Commendatum (inquit Pater) ubi poſuiſti? At illa locum deſignans, & dicens illic invenies defoſſum. Regreſſus domum, rem (ſecundùm reſponſum filiæ) repertam repoſcenti reſtituit. Hujus hiſtoriæ meminerunt Socrates lib. 1. cap. 12. Sozomenus lib. 1. cap. 11. S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis habendâ cap. 11. ſcribit etiam. *Pro certo (inquit) cùm Mediolani eſſemus, audivimus, quod cum debitum repeterentur à quodam defuncti patris cautione prolatâ, quod filio neſciente à patre jam fuerat perſolutum, contriſtari homo graviſſimè cæpit; atque mirari, quod ei pater moriens non dixerat quod deberet, cùm feciſſet teſtamentum ſuum. Tunc enim anxio apparuit ei pater in ſomnis, & ubi eſſet recautum quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis, atque monſtrato, non ſolùm falſi debiti calumniam propulſavit, ſed & paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando eſt perſoluta pecunia.*

V. P. Lezana conſulto 1. ait, quod pro canonizatione ſeu beatificatione perſonæ regularis, ſeu religioſæ præter miracula etiam deſiderentur virtutes in gradu heroico. Id præfiguratum videtur in Prophetis Eliâ & Eliſeo, qui in omni virtutum genere ita excelluerunt, ut paſſim omnibus religioſis cujuſcumq; Ordinis, quaſi cenſeantur exēplaria ab omnibus Patribus, quos vide apud eundem Lezanam tomo 1. ſparſim. De Martyribus aliter philoſophandum eſt. Nam idem Pater Lezana conſulto 1. num. 16. poſt Auguſtinum Triumphum quæſt. 16. num. 16. Angelum Rocca de canonizatione ſanctorum cap. 15. Baldellum tomo 2. lib. 5. diſput 14. num. 4. & num. 14. Flavium Cherubinum in compendio bullarum ſchol. 2. conſtitut. 4. Alexandri I. & ſchol. 1. conſtitut. 11. Innocentii V. & Careñam in tract. de officio ſacræ Inquiſitionis part. 2. tract. 17. §. 12. num. 24. notat quod quamvis in Martyribus non ſit neceſſaria miraculorum comprobatio, tamen eſt neceſſaria probatio rei propter quam paſſi ſunt. Quia ex S. Auguſtino epiſtol. 51. & 166. cauſa, non pœna facit Martyrē, quæ cauſa debet eſſe defenſio, ſeu cōfeſſio fidei Chriſtianæ, ut regulariter contingit. Vel eorum quæ fidei connectuntur. Sic S. Ioannes Baptiſta, S. Lambertus, S. Angelus noſtri Ordinis occubuerunt.

§. 3.

Romanus Pontifex eſt infallibilis dum approbat Religioſos Ordines & eorum Regulas.

Elias Monachorum Princeps vitam ac inſtitutum Religioſum nō inſtituit, nec ad ſe accedētes in hunc finem ſuſcepit, niſi mandante, ſeu dictante Spiritu ſancto. Ioannes 44. Patriarcha Ieroſolymitanus lib. de inſtit. Monach. cap. 2. *Monachorum princeps primus extitit, à quo ſancta eorum primæva inſtitutio ſumpſit exordium. Ipſe enim obtentu contemplationis divinæ & deſiderio ſublimioris profectus longè ab urbibus recedens, & ſe ipſum cunctis terrenis ac mundanis exuens, religioſam & prophetalem vitam eremiticam primis hominibus à propoſito ducere cæpit, quam ſancto dictante Spiritu & mandante inchoavit & inſtituit.* Pondera illa verba *dictante ſancto, &c.* Quod probat. *Quippe Deus illi apparens mandavit, ut communem hominum habitationem fugeret, & ſe à turbis in deſerto abſconderet, atque* 1. Ioan. 44.

 deincepe

deinceps in eremo monaſticè ſecundùm formam ei indictam viveret. Quod audienti ſacra ſcripturæ teſtimonio comprobatur. Legimus enim de hoc ita ſcriptum in lib. 3. Regum cap. 17. verſ. 3. Factum eſt verbum Domini ad Eliam, dicens: Recede hinc & vade contra orientem, qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut paſcant te ibi. Hæc autem promiſſa ſalubria mandata ad quæ implenda Spiritus ſanctus Eliam inſtigavit. Idem cap. 10. refert quoſdam vitæ perfectioris amantes ad Eliam confluxiſſe, ut in concepto religioſè vivendi deſiderio illos confirmaret, non humano, ſed divino judicio, ſeu juxta formam ſibi inſpiratam à Deo. *Idcirco ad eum in ſolitudine torrentis Carith tunc latentem, confugiebant, &c. Hos itaque Domini devotos viros Elias ſecundùm formam à Deo ei traditam habuit ſuæ monaſtica vita primos diſcipulos & imitatores veros.* Infra. *Inſtituit ad vitam monaſticam obſervandam ſecundùm formam à Deo ſibi traditam.* Idem habet cap. 11. & 19. *Conveniebant* (inquit) *in unum ad pſalmos, cantica & hymnos corde & ore, ac cum inſtrumentis muſicis in laudem Dei canendos, &c. In eremo Carmeli coaleſcebant, ſecundùm formam vitæ monaſticæ per Deum creditam Eliæ.* Quibus patet Eliam divinitus inſpiratum propheticum cœtum inſtituiſſe, & filios prophetarum in bono propoſito vivendi confirmaſſe. Cùm autem Deus in ſuis inſpirationibus, errare nequeat, ſequitur etiam Eliam in inſtituendis ejuſmodi hominibus, iisque in bono propoſito corroborandis errare non potuiſſe.

II. Sic Pontifex Romanus errare nequit in approbatione religionum quo ad ſubſtantiale inſtitutum illarum, ſeu in approbatione hujus finis & mediorum quæ ſibi proponuntur. Ita Bannez 2. 2. quæſt. 1. art 10. Valentia 2. 2. diſput. 1. quæſt. 1. puncto 7. §. 41. Turrianus diſput. 16. dubio 4. Suarez diſp. 5. ſect. ult. Sylvius lib. 4. de controverſ. quæſt. art. 16. Amicus tomo 4. diſp. 7. ſect. 3. Del Bene in 1. partem diſp. 1. quæſt. 37. Et ex noſtris P. Lezana tom. 3. ſumma tract. 1. diſp. 8. quæſt. 5. P. Lao in tract. de Pont. Patet primò ex Concilio Conſtantienſi ſeſſione 8, ubi damnatur error Wicleffi dicentis Papam nō minus errare poſſe in Ordinum approbatione quàm Præsbyterum Joannem Æthiopiæ regem, vel Turcam, aut Sultanum. Item omnes Religiones eſſe indifferenter à Diabolo introductas, qui error aliquo modo ſuſtineri poſſet, ſi Pontifex poſſet aliquam religionem contrariam Evangelicæ perfectioni approbare. Approbatio enim talis eſſet à Diabolo, non verò à Chriſto & ejus Vicario. Quod autem Pontifex in ejuſmodi approbatione nequeat errare, patet primò, quia de fide eſt Pontificem non poſſe errare in condendis legibus univerſalibus ad ſalutem. Deindè de fide eſt Pontificem, ut talis eſt, non poſſe errare in his quæ ad fidem & mores univerſalis Eccleſiæ pertinent, nec poſſe inducere Eccleſiam univerſalem in errorem, aliàs non eſſet promiſſus ſpiritus veritatis in univerſali Eccleſiâ. Ergò nec errare poteſt in approbando Religiones, quæ per vera & congrua Concilia ad Chriſtianam perfectionem conducunt, alioqui erraret contra doctrinā Evangelicam. Præfata autem Pontificis infallibilitas in approbando Ordine Religioſo tantùm intelligitur quoad Religionis ſubſtantiam, non quoad circumſtantias, verbi cauſa an hic vel nunc conveniens ſit religionem hanc licet de ſe ſanctam, & Evangelicæ perfectioni conformem introducere, aut admittere, non ita certum eſt an poſſit errare, cùm hoc magis pertineat ad judicium practicū prudentiæ. Licet dum approbat credendum ſit, quoad hoc non errare. Nec refert quod quædam Religiones ab uno approbato poſtea ab alio abrogentur, & extinguantur; quia utrumque fieri poteſt prudenter ſucceſſu temporis ob mutationem circumſtantiarum: vel quia ceſſat finis ob quem inſtitutæ ſunt.

Amicus exiſtimavit hanc ſententiam eſſe de fide, non minus quàm de fide eſt Pontificem non poſſe errare in condendis legibus univerſalibus ad ſalutem neceſſariis, cùm non minus neceſſaria ſit in ſummo Eccleſiæ paſtore III.

ſtore infallibilis auctoritas dirigendi animas fidelium per vera & congrua conſilia ad Chriſtianam perfectionē, quàm per vera & congrua præcepta ad ſalutem. Si igitur errare nequit in veris congruiſque præceptis proponendis, neque errare poterit in veris congruiſque conſiliis approbandis. Confirmatur primò Pontifex approbando unam Religionem eo ipſo illam ſuâ auctoritate proponit toti Eccleſiæ, ut veram viam ad Chriſtianam perfectionem. Quare ſi in eâ proponendâ poſſet errare, tota Eccleſia poſſet errare ſequendo ut viam ad perfectionem, quæ vera via non eſſet. Confirmatur ſecundò, ſi Pontifex poſſet in ipſo ſubſtantiali inſtituto religionis errare approbando ut medium ad perfectionem Chriſtianam (quod de facto non eſſet) vel refellendo ut impedimentum ad Evangelicam perfectionem (quod de facto non eſſet) poſſe errare in ipsâ doctrinâ Evangelii, cùm omnia media quæ ad Chriſtianam perfectionem conducunt, deducantur ex doctrinâ Evangelicâ.

IV. Objicit Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. Religionem approbare, vel reprobare non tantùm eſt ſcientiæ, ſed etiam prudentiæ, in quâ errare poteſt Pōtifex. Reſpondeo nō poſſe Papam errare in prudentiâ, quę in confirmatione & approbatione vel reprobatione Religionis quoad ſubſtantiale inſtitutum eſt neceſſaria. Sicut nequit errare in prudentiâ neceſſariâ ad præceptionem vel prohibitionem legis quæ neceſſaria eſt ad ſalutem. Objicit ſecundò: Videmus de facto multas Religiones approbatas ab uno Pontifice poſtea reprobari ab alio ut noxias. Reſpondet Amicus negando ullam Religionem approbatam quoad ſubſtantiale inſtitutum fuiſſe poſtea ab alio reprobatam, ſed tantùm quæ ab uno Pontifice pro uno tempore judicata fuit utilis Eccleſiæ, pro alio judicata fuit inutilis & ſuperflua. Id patet etiam in legibus & ſtatutis univerſabilibus, quæ pro uno tempore judicantur neceſſaria & utilia, pro alio ſuperflua & inutilia, ac conſequenter videmus leges ab uno latas abrogari, ab alio quaſi non neceſſarias. Vnde non mirum ſi Ordinem Fraticellorum approbatam à Cœleſtino V. Ioannes XXII. declaravit invalidam. Si Religionem inſtitutam in Italiâ à F. Ioanne Cremonenſi approbatam à Paulo III. edicto publico reprobatum fuit à Republicâ Venetorum, & auctoris doctrina Romæ reprobata. Ideo enim præfatę religiones reprobatæ fuerunt quia Religioſi tunc à Regulâ approbatâ per ſedem Apoſtolicam defecerunt, vel quia auctores eorum regulæ approbatæ admiſerant quædam ſanæ doctrinæ contraria. De his & aliis fuſius cap. ſequenti.

§. 4.

Sanctitatem Eccleſiæ non minuit extinctio Ordinis à Sede Apoſtolicâ approbati.

NOn expedit Ordinem Religioſum approbatum in obſervantiâ regulari viventem deſtruere. Ratio eſt, quia Religioſus ſtatus eſt ex præcipuis & nobilioribus partibus Eccleſiæ, ut fusè docent Patres apud Platum de ſtatu religioſo & alios. Vnica hic D. Gregorii Nazianzeni auctoritas ſufficiat, qui oratione 6. vocat Monachos ſuæ ætatis, *Generis noſtri primitias*. Et meritò cùm enim non tantùm præcepta divina, ſed etiam Conſilia Evangelica obſervet, quâ obſervantiâ obtinetur perfecta charitas, quæ eſt vinculum perfectionis, Eccleſia ſancta quæ eſt pulcherrima ſponſa Chriſti non mediocrem ſuæ venuſtatis jacturam faceret ex illius extinctione. Item ſi denominatur perfecta: ſuam perfectionem à ſtatu religioſo, ſi non ex toto ſaltem ex parte mutuari debet. Quamvis enim aliqui in ſæculo remanentes præter obſervantiam præceptorum divinorum, etiam Conſilia Evangelica conentur exercere, non tamē tam perfectè ac Religioſi; qui illa Conſilia Evangelica firmo & immobili vinculo profitentur, Epiſcopi dicuntur quidē etiam eſſe in ſtatu perfectionis,

Gregor. Naz.

licet Conſilia Evangelica non ſectentur: quia ſunt Doctores vitæ perfectæ: At Religioſi illi perfectioni cōparandæ incumbunt. Epiſcopi ſunt magiſtri, Religioſi diſcipuli: illi docent & illuminant, hi diſcunt perfectionem. Vno verbo illorum ſtatus eſt perfectionis docendæ, horum verò comparandæ. Vndè poſſunt Clerici Epiſcoporum miniſtri & adjutores: imò ipſimet Epiſcopi renunciato Epiſcopatu religionem ingredi ut patet ex Concilio 4. Toletano cap. 49 & habetur cap. *Clerici*. 19. quæſt. 1. ubi permittitur Clericis liber tranſitus ad ſtatum Religioſum, quia meliorem vitam appetunt. Et D. Anſelmus in epiſt. 12. lib. 3. Goffridum Pariſienſem Epiſcopum ſeriò corripit, quia Clericum ab ingreſſu Religionis revocat, oſtenditque ex ſacris litteris, Gregorio Papa, Concilio Toletano, & rationibus id non debere fieri. Et inter alia hæc pronunciat. *Horrendum auditu eſt, ut quod Chriſtus elegit de mundo, Epiſcopus religet in mundo: quod Chriſtus trahit ad portum de procellis & tempeſtatibus mundi, Epiſcopus retrahat à portu & exponat multitudini luporum.* Plura hic commemorare poſſem, ſicut & de Epiſcopis qui demiſſo Epiſcopatu ad ſtatum Religioſum redierunt, vel tranſierunt, vel Epiſcopatum recuſarunt, vel ægrè ſuſceperunt. Sed conſulendus Platus lib. 1. & alibi opportunius referentur.

Anſelm.

II. Summus Pontifex poteſt Religioſum Ordinem approbatum ab obſervantiâ regulari & ſcopo aberrantem extinguere. Ratio eſt, quia poteſt extinguere Monaſterium, & in Collegium Canonicorum permutare, vel auferre, ut tum Romæ, tum alibi factum, experientia docet, & retulimus cap. ſuperiori; igitur & totum Ordinē. Tantùm enim jus habet extinguendi totum corpus monaſticum quàm partem, ſeu unum Monaſteriū: cùm ordo ſit homogeneus. Deindè poteſt prohibere nè in ordine ſic ab obſervantiâ regulari ita aberrante inſtituatur Novitiatus, niſi obſervantiæ ſtrictæ in Novitiatu fiat exercitium. Hoc facto ſi nullus recipiatur, tandem omnes Religioſi interibunt, & Pontifex indirectè illius extinctionem cauſabit.

III. Nec refert quod talis Ordo fuerit à ſanctâ Sede approbatus juxta extra. *de Religioſis domibus*. cap. *fin.* & extra. *de Religioſis, &c.* in 6. eodem titulo, pro quibus & aliis videndus est Auguſtinus Triumphus quæſt. 71. art. 3. Nam approbauit regulam illius inſtituti, & omnes ejus Profeſſores ſingularibus privilegiis & gratiis decoravit, & in ſuam ſpecialem protectionē ſuſcepit, ut patet ex bullis confirmationis, non vero eos ſi ſæculari potius & plebeio more vivant, quàm religioſo, & ſi regulam & vota omnimodè proculcent. Hujus rei varias figuras producit Textus ſacer, primò Paradiſum terreſtrem, imò Paradiſum angelicum, de quo Anſelmus epiſt. 137. libri 3. ad Turoldum Monachū his verbis. *In viam paradiſi vos direxit divina Clementia, immò in quendā paradiſum hujus vitæ vos introduxit, cùm vos in clauſtralem converſationem introduxit.* Et S. Bernardus ſermone de vitâ ſolitariâ egregias alluſiones facit cellarum Religioſarum cum cœlis. *In cœlis* (inquit) *potius quam in cellis excluſo à vobis toto ſæculo totos vos incluſiſtis cum Deo. Cella ſiquidem & cœli habitatio cognata ſunt, & nomine & pietate, quod celatur in cœlis, hoc eſt in cellis, quod geritur in cœlis, hoc eſt in cellis: Quid nam hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cùm piè & fideliter celebratur in cellis, ſancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis & æquè delectantur in cellis, &c.* Quemadmodùm ex Paradiſo à Deo immediatè condito & conſito Adam incola illius ac rex ob peccatum expulſus eſt, illius acceſſu cum ſua poſteritate privatus eſt, Geneſis cap. 3. v. 23. *Emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de quâ ſumptus eſt: ejecitque Adam & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, &c.* Licet fortè poſteri ejus in eo cautiores fuiſſent. Item incurrit privationem gratiæ juſtificantis & habituum ſupernaturalium illam concomitantium, ut cum aliis Theologis docet noſter P. Lezana tomo 1. Theolog. tractat. 7. de peccato

Auguſt. Trium.

Anſelm.

Bernard

Geneſ. 3. v. 23.

Lezana

peccato primorum parentum quæſt, 4. Quemadmodum etiam Lucifer cum ſuis excidit à beatitudine ſupernaturali, quam acquiſierat per bona opera ex charitate & gratiâ, ſimul ex cooperatione liberi arbitrii ſecundùm Thomam Del-Bene tom. 1. ſummæ Theolog. de Angelis diſput. 9. quæſt. 7. ut colligitur ex Scripturâ Ezechielis cap. 28, verſ. 13. *In deliciis Paradiſi fuiſti perfectus decore.* Et tamen ab illo ſupernaturali ſtatu perpetuò excidit, ut patet ex citatis verbis Ezechielis. *Donec inventa in te iniquitas.* Et ex illo Ioannis cap. 8. v. 44. *In veritate non ſtetit.* Et epiſtola Iudæ verſ. 6. *Angelis, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt domicilium ſuum.* Vndè D. Gregorius hom. 7. in Ezechielem ait. *Natura Angelica quando creata eſt, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate perſiſtere, etc. an ad ſuperbiã laberetur, & à beatitudine caderet etc. ſed quia aliis cadentibus ſancti Angeli perſtiterunt. &c.* Et ſi Paradiſus conditus eſſet pro homine & ejus progenie, Deusq; illum collocaſſet, totiusque naturæ præfecturam demandaſſet. Etſi Lucifer ſecundùm multos Patres eſſet primus Angelorum, tamen à gratiâ, & beatitudine irremiſſibiliter excidit. Ita etſi Ordo ſit Paradiſus, tamen ſi ejus incolæ ſeu Religioſi divinam legem & Conſilia Evangelica proculcent, Deus ejuſmodi tranſgreſſores perpetuo exilio damnabit. Et ſicut ſecundùm aliquos expulſo Adamo paradiſum omninò delevit, ita Vicarius Chriſti expulſis Religioſis diſcolis abſque ulla emendationis ſpe viventibus, poteſt illum Paradiſum & Ordinem omninò extinguere. Sicut aliàs Clemens V. delevit Ordinem Templariorum, quem tamen Pontifices innumeris privilegiis decorarãt, imò ſecundùm aliquos à juriſdictione Patriarchæ Ieroſolymitani (in cujus ditione præcipua Collegia habebant.) Exemerunt. Pius V. Ordinem Humiliatorum delevit.

Del ben. — *Gregor.*

IV. Aliam hujus authoritatis Pontificiæ figuram ſubminiſtrat Textus ſacer Geneſis cap. 6. verſ. 4. *Poſtquam ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum,* Verſ. 5. *Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terrâ, & præcavens in futurum, & tactus dolore intrinſecus, delebo (inquit) hominem quem creavi à facie terræ ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cæli.* Nunquid Deus illa omnia condidit? numquid Deus vidit cuncta, quæ fecerat? nunquid ea omnia judicavit bona, illis benedixit? Cur ergo deſtruit, & aquis diluviis perdidit quaſi factæ à ſe creaturæ pœnitens? Poteſt ne Deus ſuum affectum mutare, reprobare quod approbavit, maledicere quod benedixit? Creavit animalia, produxit plantas, &c. illa approbavit. vidit quod eſſent bona, utilia, & opportuna ad uſum vitæ humanæ, ſi homo illis benè uti vellet pſalm. 8. verſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus oves & boves univerſas inſuper & pecora campi, &c.* Sed ubi Deus vidit hominem illis omnibus abuti, & quod juxta illud Sapientiæ cap. 14. verſ. 11. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Illas reprobat, illas deſtruit cum tota natura humana exceptis octo animabus. Sic Sedes Apoſtolica plantat in Eccleſiaſtico viridario Ordinem Religioſum, illum approbat, illi benedicit, quia videt fore utilem Eccleſię. At ubi videt illum à fine ſuæ inſtitutionis omninò deflectere, legem ſibi impoſitam proculcare, & Eccleſiæ ſanctæ potius ſcandalum & offendiculum afferre quàm ornamentum & utilitatem, illum eradicat ut contigit Templariis, de quibus hiſtoria Concilii Viennenſis in tomo 4. Conciliorum Romæ editorum hæc habet. *In Hieroſolymitana urbe erat Religioſorum militum ordo inſtitutus, qui cum juxta templum Domini cohabitarent Templarii dicti ſunt. Horum munus & officium fuit tueri fines ac vias Hieroſolymitanæ ditionis ab incurſionibus hoſtium & latrociniis, ut advenæ & peregrini ad ſancta illa loca inviſenda, tutò poſſent accedere. Ex hiſce militibus multi olim Chriſti cauſa & ſanguinem*

Geneſ. 6 verſ. 4. — *Pſal 8. verſ. 8.* — *Sapent. 14. v. 11*

profuderunt, & frequenter vitæ diſcrimen adierunt. Verſum à ſancto hoc inſtituto recedentes, Patriarchæ Ieroſolymitano, à quo prima beneficia acceperunt, obedire renuerunt, Eccleſiis primitias, decimasque ſubſtraxerunt, atque omnibus redditi ſunt infeſti. Abyſsinorum etiam legatum contra jus gentium à Templariis fuiſſe occiſum ſcribit Wilelmus Tyrenſis. Præterea ad Clementem V. ſummum Pontificem multi Principes viri detulerunt, eos in hæreſim, apoſtaſiam, aliaq́ nefanda vitia eſſe prolapſos. Cùmq́ Templariorum Ordo eſſet toto jam ferè Chriſtiano orbe proſeminatus atque diſperſus, Clemens ut remedium aliquod huic tanto malo poſſet afferre, Concilium generale cenſuit convocandum. Poſtea ſubdit. *Templariorum ordinem extinxit, eorumque bona Hoſpitalariis militibus attribuit.*

V. *Alvar. Pelagius* Alvarus Pelagius, qui tunc temporis vixit lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 23. *Templarii* (inquit) *modò ab Eccleſiâ propter eorum flagitia reprobati ſunt.* De eadem extinctione Blondus decade 2. lib. 9. Volaterranus Antropol. lib. 21. Platina in Clemente V. *Fama frequentior, & ſenſus prope omnium eos condemnant.* S. Antoninus 3. part. tit. 21, cap. 1. §. 13. & Mariana lib. 15. de rebus Hiſpan. cap, 10. referũt ſcelera quorum accuſabantur. & lib. 17. c. 27. hic ſcribit eos maximè addictos avaritiæ, quia in obſidione Aſcalonis dum ſoli deſiderarent frui prædâ, ſe in præſentiſſimum mortis diſcrimen objecerunt, & cauſa fuerũt nè Civitas à Chriſtianis caperetur. Et lib. 18. cap. 9. ait quod cum aliquando Chriſtiani hoſtium ſpolia inter ſe dividerent, fratribus Templariis inter cœtera cecidit in ſortem filius Ducis hoſtium Noſceradinus, qui poſt diuturnam incarcerationem, cum peteret in Chriſto regenerari, jamque litteras Romanas didiciſſet cum primis fidei rudimentis vendiderunt Ægyptiis cum ad mortem poſtulantibus pro ſexaginta millibus aureorum, quẽ Ægyptii traditum, vinctum manibus & pedibus ac catenis ferreis in caveâ ferreâ camelis imponentes in Ægyptum deduxerunt ubi ſuis inhumanis cupiditatibus ſatisfacientes eum morſicitus diſcerperunt, & in minutiſſimas partes conciderunt. Idem lib. 20. cap. 32. ſcribit ab eiſdem rem impiè perpetratam, & contra jus gentium legati Aſſyſinorum, ſpem dabant Regi Ieroſolymitano quod ad Chriſtum converterentur, & baptiſmate regenerarentur, ſi fratres militiæ templi remittere vellent duo millia aureorum, quæ caſtella eorum regioni contermina ſingulis annis pro tributo ſolebant ſolvere, & fraternam charitatem cum illis obſervare: quã ſummam Rex ex propriis reditibus ſolvere paratus erat. Illorum Magiſtrum S. Ludovicus in Syriâ agens, ſuſpectum habuit, quod cum Soldano Ægypti per internuncios de pace per tractatum haberet: quo factum eſt ut ei mandarit ne deinceps nuncios Soldani admitteret, vel colloquia cum eis haberet, ſine ſuo ſpeciali mandato. In Concilio Lateranenſi cap. 9. Alexander III. de eis conqueritur quod excederent indulta ſibi cõceſſa à ſede Apoſtolica, cõtra Epiſcopalem dignitatem multa præſumerent, quæ & ſcandalum generarent in populo Dei, & grave parerent periculum animarum. Honorius III. extravag. de purgatione vulgari cap. *dilecti*, accuſat Templarios quod in Livonia Chriſtiani de aliquo crimine infamati ferri candentis judicium ſubire compellebantur à Templariis; quibus indè ſi qua adustio ſequebatur civilem pœnam ſubibant. De illorum extinctione ſcribit Clemens ad Philippum Regem Francorum & ad Abbatem Ciſtercienſem, cujus epiſtola extat in actis Concilii Viennenſis. Inter alia notandum quod Alexander III. conqueratur Templarios abuti privilegiis à ſede Apoſtolicâ indultis. Ex quo infero ejuſmodi privilegia nõ fuiſſe conceſſa à ſede Apoſtolicâ niſi ordine prius approbato. Deinde ejuſmodi privilegiorum conceſſio eſt tacita ac implicita approbatio. Meritò illis dicere poterat ſedes Apoſtolica veſtrum ordinem approbavit, ut laboraretis ſeu præliaremini & cuſtodiretis paradiſum illum, & ab omni hoſtili infeſtatione tutum redderetis, ſed illum potius proditis, perditis. Nolo

Nolo tales milites, nolo tales Templi mei, Sanctuarii mei, Eccleſiæ meæ cuſtodes, & miniſtros, qui illam tot ſceleribus labefactant.

VI. § Aliam figuram ſuggerit Textus ſacer in lege ſcriptâ, in quâ paſſim populus Iſrael dicitur electus à Deo & approbatus: & pſalm. 88. verſ. 39. (Pſal 88. verſ. 39) *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi.* (v. 30.) Verſ. 30. *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cœli.* Et tamen Deus abſtulit regnum Iſrael à domo David. Paulò poſt, nunquid Deus dixerat, & juraverat, & ſe aſtrinxerat, & per modum teſtamenti ſtat erat infallibiliter ſedem regiam manſuram in domo David? Quomodò ergo tam citò ejus ſobolem regiâ dignitate privat? quia Deus non permiſerat abſolutè: ſed ſub conditione ſcilicet modò poſteritas ejus obſervantiæ mandatorum Dei inhæreret, (v. 31.) ut patet ex verſ. 31. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, ſi juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, &c.* Poſteri David defecerunt ab obſervantiâ mandatorum Dei, ideò Deus illos privavit ſolio David, licet poſtea reſtituerit Chriſto, ut docent Interpretes. Sic lib. 4 Regum cap. 20. verſ. 1. prædixit Ezechiæ eum ſtatim moriturum, Ionæ cap. 3. verſ. 4. prædixit Propheta Ninive poſt 40. dies ſubvertendam, quæ tamen non eſt everſa, quia ſcilicet illa decreta non erant abſoluta ſed ſub cōditione, ſi ſcilicet illos pœniteret. Quid per familiam & domum David intelligitur? Domus dilectionis, nam David ideſt dilectus, ubi charitas erga Deum & proximum magis ordinata eſt, juxta illud Cant. cap. 2. verſ. 4. *Ordinavit in me charitatem.* quàm in religione? cùm ibi homo ab affectu rerum terrenarum ita ſit defœcatus & abſtractus, ut de eo dici liceat quod S. Gregorius Nazianzenus ait de Gorgonia orat. in laudem ejus. *Nihil terra præter corpus reliquit.* Nam ibi quantùm ad charitatē tanta eſt, ut propter Deum nihil intolerabile judicet, adeò ut illud Apoſtolicum ei liceat applicare 1 Corinth. cap. 13. verſ. 7. *Charitas omnia ſuffert.* D. Anſelmus ibi. (Anſelm.) *Omnia ſuffert, ſupra dictum fuerat, quia patiens eſt, ideſt non murmurans in adverſis, corde tacito cuncta perferens, & nunc dicitur quod omnia ſuffert & in actu ſuſtinet, quidquid adverſitatis acciderit.* Qui dicit omnia nihil excludit. Omnia Religioſus ſuffert? quando ſicut David injurias Semei cum amore, & mirâ patientiâ, placidè, pacatè, dulciter fert. Vndè rectè legit D. Cyprianus (Cyprian) tract. de ſimplicitate prælat. non omnia ſuffert, *ſed omnia diligit.* Quia anima Religioſa nihil propriè ſuffert, cùm ſuffert. D. Chryſoſtomus homil. (Chryſoſt) 9. in epiſt. ad Romanos. *Nihil eſt quod non vincat amor, cum autem & Dei amor extiterit, tùm demum omnia infra ſe poſita habet, pro amore quiſquis incenſus fuerit, huic neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, neque morbus, ac nè ipſa quidem mors, aut quidvis aliud id genus grave, moleſtumque videbitur.* Quamdiu ergò animæ Religioſæ in ejuſmodi amoris exercitio verſantur, Deus illis benedicit, Deus talem Religionem approbat: ſed ſi poſteri ſanctiſſimorum Fundatorum à legis & regulæ ſuæ obſervantiâ deflexerint; Deus viſitat illos per ſuum vicarium & extinguit illos, etſi eorū regula ſit approbata, eorum inſtitutum approbatum, eorum Patriarchæ canonizati: tamen ad inſtantiam eorum Deus inſpirat Pontificem ut ejuſmodi Ordinem non amplius proficuum, ſed maximè nocivum Eccleſiæ, non amplius orationi, & ſolitudini ac ſilentio, ſed vagationibus, ſed ſcurrilitatibus, & ſæcularibus negotiis implicatos deleat. Pudet enim ſanctos (ſi ita fas ſit loqui) videre filios ita à ſe degeneres.

VII. Memini Chriſtum Matthæi cap. 21 verſ. 41. ſe comparare Patrifamilias, qui plantavit vineam. (Mat. 21 v. 14) *Homo erat Paterfamilias qui vineam plantavit, & ſepem circumdedit ei, & locavit eam agricolis.* Marci cap. 12. verſ. 1. (Mar. 12, v. 1.) *Vineam plantavit homo, & circumdedit ſepem, & locavit eam agricolis.* Vel Lucæ cap. 20. verſ. 9. *Homo quidam plantavit vineam & locavit eam colonis.* Et ante eos Iſaiæ cap. 5. verſ. 3. (Iſ. c 5. v. 3.) Deus ait. *Vinea facta*

eſt

cando, uvas deprædando, depaſcendo. Vulpeculæ autem cum non habeant ſatis virium ad vites eradicandas eas teneras & florentes vellicant, arrodunt, floresque decerpunt, terramque juxta radices ſuffodiunt, ut vites humore deſtituantur, ſolique expoſitæ ejus radiis urantur & exareſcant. Quid per vulpeculas ſeu vulpes parvulas intelligit? quæ vineam religionis demoliuntur, corrumpunt, exterminant? Sunt relaxationes regulæ, & diſciplinæ in rebus parvis, verbi gratiâ, cum in religione diſſimulatur fractio ſilentii, uſus rerum modicarum abſque ſuperioris facultate, leves inobedientiæ, ſuſurri, murmurationes, vagationes per Monaſterium, per urbem, abſentiæ ab aliquo regulari exercitio publico chori, refectorii, capituli, &c. Hæc niſi corripiantur, ſerpunt, creſcunt, & magnæ evadunt, ut tandem omnem regulam & diſciplinam evertant. Divus Bernardus ſerm. 63. in Cant. id de Novitiis Religioſis explicat. *Videte iſtos Novitios nuper venerunt, nuper converſi ſunt, non poſſumus ipſis dicere quia vinea noſtra floruit, floret enim quod in eis apparere videtur, &c.* Infra. *Ad provectiores & firmiores ſermo eſt retorquendus, ad vineam quæ jam floruit, cui quidem, etſi non eſt quod floribus formidet à floribus, ſed non fructus ſicuti ſunt à vulpibus.* Sermon. 64. ait vulpes eſſe tentationes quæ proficientes impugnant. *Proficientium ſanctioribus ſtudiis minimè quidem ſeſe opponere contraria virtutes apertè audent, ſed ſolent ex occultò inſidiari, quaſi quædam fraudulentæ vulpeculæ ſpecie quidem virtutes, re autem vitia, &c.* De his vulpeculis ſic ſcribit Dionyſius. *Parvulæ vulpes iſtæ ſunt fraus, dolus, hypocriſis, calliditas, duplicitas, vitia virtutum ſpecie operta quæ animas virtuoſas ſpiritualiter deſtruunt, &c. Quæ mox in principio ſunt penitus extirpandæ, nè paulatim totam inficiant animæ vineam. Has vulpes ſtudeant Præſidentes auferre de ſuorum cordibus ſubditorum, imò primò omnium à ſe ipſis. Nam vinea noſtra floruit: hoc unicuique bono paſtori loquitur Chriſtus, dum paſtor congregationi ſibi commiſſa præeſt idonea. Sic Congregatio illa eſt communis vinea Chriſti, & ejus Vicarii.* Quibus ultimis verbis innuit Congregationem Religioſam eſſe vineam Chriſti, & pontificis ejus vicarii. Quam vineam dum Chriſtus videt incultam, & nullo modo coli: ſed deſeri & in agrum ſylveſtrem converti, id indignè ferens: hęc cum D. Bernardo ſerm. 55. in Cant. illis improperat, vos dicitis & jactatis eſſe religioſos talis ordinis tales ſanctos patronos, tales magnates fundatores habere. *Vbi apoſtolica forma & vita quam jactatis? illi clamant, vos ſuſurratis. Illi in publico, vos in angulo. Iſaiæ cap. 60. Illi ut nubes volant, vos in tenebris ac ſubterraneis domibus dileſcitis, &c. Tu Eccleſiam ſcandalizas, vulpes demoliens vineam, &c.* Plura ibi de Clericis & Sacerdotibus

Bernard. | Bernard | Dionyſ.

VIII. Quando Chriſtus & ejus Vicarius qui illam vineam colendam tradiderunt, vident eam omninò incultam & ſylveſtrem, vineam inquam (de quâ Religioſi dicere deberent illud Iſaiæ cap. 5. verſ. 1. & ſeq. *Cantabo dilecto meo canticũ patruelis mei vineæ ſuæ.* Ideſt die ac nocte meditabor in lege Domini mei, pſallam laudes ejus in hac vinea Religioſa plantata, cujus mihi culturam & cuſtodiam cõmiſit. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.* Ideſt hæc Congregatio ſpecialiter Deo conſecrata eſt in regno populi Chriſtiani, & ſpeciali gratiâ & donis Spiritus ſancti perfuſa, vel à Chriſto, qui eſt filius olei pſalmo 44. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo.* Spiritualibus dotibus cumulata, quando, inquam, videt præfatam vineam plenam urticis & ſpinis illam eradicare ſtatuit. Palacius vineæ cum ordine Religioſo analogiam expendens, ait, *Per turrim in eâ ædificatam intelligi Põtificem Romanum, qua in Eccleſiâ Dei nihil magis eminet atque fulget, quàm Pontificia Sacerdotaliſq; dignitas, cujus eſt à longè hoſtes & vineæ hujus graſſatores ſpeculari & utenſilia parare univerſa, quæ hoſtium bello ingruenti vincendo ſunt neceſſaria, nè verſutus diaboli incurſus de repente offendens vites, ideſt fideles opprimat, ut ſub Ezechielis perſonâ cunctis Pontificibus dicitur. Filii hominis ecce ſpeculatorem dedi te domui*

Iſ. c. 5. v. 1. | Palatius

Iſrael Ezechielis cap, 3. & cap. 33. Et infra. *Eſt autem Romana ſedes hujus turris primarias obtinens partes, Romanusque Pontifex maximus hujus vineæ eſt ſpeculator, cujus eſt falſorum dogmatum authores veluti locuſtas ſaltantes, & uvarum acinos arrodentes à vitibus abigere,&c.* Per torcular quod ſecundum Iſaiam extructum eſt in vineâ, intelligenda ſunt ſacroſancta Miſſæ ſacrificia quæ licet in tota Eccleſia celebrentur tamen cum majori devotione, & ſæpius celebrari debent in domibus Religioſis, quàm alibi.

IX. Sed proh dolor cœleſtis ille Paterfamilias ſeu Pontifex ex turri excelſa proſpiciens, & videns illam à vulpibus corroſam ac plenam labruſcis, juxta illud *Expectavi ut faceret uvas & fecit labruſcas.* Videns, inquam, non

1 3. Reg. cap. 21. ſolùm ut olim Achab lib. 3. Regum cap. 21. qui vineam Naboth in hortum olerum transmutare conſtituerat, ideſt in deliciarum pomarium, ſed quod fecerit labruſcas, ideſt omni generi avaritiæ, gulæ, impœnitentiæ, præſumptionis ſe applicavit: quæ ſecundùm Dionyſium omnibus poſſunt applicari ac objici. *Omninò enim* (inquit) *ſunt vitanda Chriſtianis, præſertim Religioſis, ac Clericis vitia*

Iſ. c. 5. verſ. 5. *iſta,&c.* Ait Deus per Iſaiam cap, 5, v. 5, *Et nunc oſtendam quid ego faciam vineæ, auferam ſepem ejus, & erit in direptionem, diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam, non putabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ, & nubibus mandabo nè pluant ſuper imbrem.* Mitius apud Matthæum

Mat. 21 v. 40. cap. 21. non minatur ſe daturum illum ordinem Religioſum in conculcationem: ſed cùm Eccleſia intendat ſemper meliora, ait. *Quia viſitatores à me miſſos, & alios Prælatos omni exceptione majores ſpreverunt, ignominioſè tractaverunt, ſacroſancta Miſſæ ſacrificia non debitè celebrarunt, ſed ſacrilegè.* Verſ. 40. *Cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? aiunt illi malos malè perdet & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Ideſt aliis Religioſis & ſervis Dei, qui melius divinum officium perſolvant, bona illis locis relicta & legata ſalubrius expendant. Hugo Cardinalis. *Fructum ideſt cordis, oris, & operis pſalm. 1. Et erit tanquam lignum quod plantatum* Hugo
eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Fructus cordis contritio, divinæ legis meditatio, beneficiorum Dei recordatio, mortis memoratio, proximi compaſſio. Fructus oris confeſſio, prædicatio, gratiarū actio, conſilium. Fructus operis pœnitentia, eleemoſyna, obedientia, obſequiorum diligentia, difficilium tolerantia. Nota illud verbum *locabit.* Sic ſupra dixerat *locavit.* Quid eſt locare? idem quod prætio utendum dare. Cicero in Verrem. Cicero
Menonis nobiliſſimi hominis uxoris fundus erat colono locatus. Item ex eo. *Ædes quam in palatio ampliſſimas habebat centum te ſeſtertiis Mutio locaſſe audio.* Sic Toſtatus in cap. 21. Toſtatus
Matthæi quæſt. 189. *Benè dicitur locare vineam agricolis iſte paterfamilias qui præcedenti capite operarios dicitur cōduxiſſe in vineā ſuam.* Sic dicit Beda. *Homo qui plantavit vineam ipſe eſt qui juxta illam parabolam conduxit operarios in vineam ſuam.* Ecce quomodò Deus & ejus vicarius in terris vineam ſpiritualiter neglectam cum omnibus appendicibus auferre poteſt, & illos agricolas deſides dejicere, cùm & filium patrisfamilias, & ejus Legatos, Priores, Commiſſarios, Viſitatores miſſos ad percipiendum fructum malè excipiant. Quod ſi per vineam intelligas Eccleſiam ut paſſim Patres & Expoſitores, in illâ vineâ ficulneæ plantatæ à patrefamilias ut fructus proferant, Lucæ cap. 13. verſ. 7. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua.* Ficulnea illa eſt ordo Religioſus qui dum ſterilis effectus eſt eradicari debet.

S. Gregorius Nyſſenus homil. 2. X.
ait illam vineam eſſe ſimilem Paradi- Gregor.
ſo terreſtri, ſicut enim hic datus eſt Nyſſen.
Adamo cuſtodiendus & colendus, ſic vinea Eccleſiæ cuſtodienda & colenda tradita eſt Pontifici, cui Chriſtus videtur dixiſſe hæc verba, quæ D. Ambroſius exhortatione ad virgines ante medium profert. *Non veniat in vos Achab, qui concupiſcat vineam*

vineam veſtram delere & extinguere, nec veniat in vos Iezabel vanum illud, & ſeculare profluvium: hoc enim ſignificatur vocabulo vana & vacua redundantia. Sed veniat Nabuth qui venit à Patre, ſicut ſignificat nominis ipſius interpretatio, qui vineam ſanguine defendat ſuo. Id præſtat Pontifex impediens nè à Regibus & Principibus devaſtetur, nè ab hæreticis & pſeudoprophetis per falſa dogmata labefactetur. Illos quaſi vulpes proſequitur, juxta illud Cantic. cap. 2. verſ.

Cant. 2. v. 15. 15. *Capite nobis vulpeculas parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Vel illud Ezechielis cap. 13. verſ. 4.

Ezec. 13 verſ. 4. *Quaſi vulpes in deſerto propheta tui Iſrael erant.*

verſ. 6. Verſ. 6. *Vident vana & divinant mendacium dicentes, ait Dominus, cùm Dominus non miſerit eos.* De his vulpibus

Auguſt. D. Auguſtinus in pſalm. 80. *Vulpes inſidioſos maximè hæreticos ſignificans doloſos, cavernoſis anfractibus latentes, & decipientes odore tetro putentes. Contra quem odorem dicit Apoſtolus Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Iſtæ vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum: ubi dicitur capite vulpes puſillas, exterminantes vineas, latentes in cavernis tortuoſis, capite nobis convincite nobis, capis enim eum, quem de falſitate convincis.* Ibidem oſtendit quomodò vulpes capiendæ ſint. Pontifex non ſolùm animadvertit, & vigilat ad capturam vulpium, ſed etiam ad reddendum ſolum ſuæ vineæ uberius ac fertilius, in quem finem plantavit ficulneas. Ficulneæ autē illæ ſunt Ordines Religioſi, imò quælibet anima Religioſa. Melliflué D. Bernardus

Bernard ſermone 60. in Cantica. *Omnis qui ſe inter nos communiter ſocialiterq; agit, & non ſolùm ſine querela converſatur inter fratres, ſed & multa cum ſuavitate fruendum ſe omnibus præbet in omni officio charitatis, quid in illum vicem agere ficus convenientiſſimè dicam. Quod autem ſummus Pontifex quaſi paterfamilias vineam ſuam uſque ad ficulneam*

cap. 13. *luſtrare debeat.* Audi D. Lucam cap. 13 citato. *Venit quærens fructum in illa, & non invenit.* Videt Pontifex, audit, quod in Congregatione Religioſa nulla ſit votorum obſervantia, nulla Conſtitutionum æſtimatio, quod ejus alumni ſint omnibus offendiculo, quod à ſcopo ſui inſtituti deflectat ut olim Templarii & Fratricelli. *Venit quærens fructum in illâ & non invenit,* ait: *ſuccide illam.* Seu Deus ſupremus paterfamilias innuit Pontifici quaſi cultori ſuæ vineæ *ſuccide illam.* Quaſi diceret, eandem habes facultatem ſuccidendi, quam habuiſti plantandi. Plantaſti ſperans aliquem fructum ab illâ ficulneâ, jam verò cùm eam omninò inutilem & infructuoſam ac terram tantùm occupare videas, ſuccide & ejus loco aliam ficulneam planta, quæ fructum ſuum det in tempore ſuo.

De ejuſmodi Religione dici poteſt illud Eccleſiaſtes cap. 10. verſ. 18, *In* XI.

pigritiis humiliabitur. Arabicus. *Ob* Eccl. 10. v. 18.

modos negligentiæ inclinabitur tectum. Thaumat. *Piger & otioſus domum ſuam minorem faciunt.* Chaldaica Paraphr. *In ſtudio legis & mandatorum vir animo fractus liberis orbatur ſuis.* Hieronymus *Domus noſtra quæ cum ſtatu hominis erecta eſt, & habitatio quam habemus in cœlis ſi pigri ſumus, & ad bona opera tardiores humiliabitur.* Quod de domo vel familiâ privata dicit, idem de Religioſa dicendum eſt, quæ ob negligentiam obſervantiæ humiliabitur, ideſt deſtruetur ac liberis ſuis orbabitur.

Quod Chriſtus confirmat aliâ parabolâ Matthæi cap. 21. verſ. 43. XII. Mat. 21

ubi comparat Eccleſiam, ſeu verius v. 43.

ad intentum noſtrum ſtatum Religioſum regno cœlorum. Et opportunè regno Cœlorum comparatur, quandoquidem plurimi Reges & Imperatores ſtatum Religioſum imperio & regno prætulerint, & diadema cum cucullo, purpuram cum ſacco, ſceptrū cum baculo, dapes regias cum abſynthio permutarunt. Vide Platum de ſtatu Religioſo & alios. Hic autem ſtatus non degenerat, ſed magis nobilitat, adeò ut de illo effari liceat quod Sapiens Sapientiæ cap. 8. verſ.

3. *Generoſitatem illius glorificat, contu-* Sapent.

bernium habens Dei; ſed & omnium Do- c. 8. v. 3.

minus dilexit illam. Scio Juriſtas docere quod reges & nobiles per ingreſſum Religionis amittant inſignia ſuæ nobilitatis: quia mundo & ſœculo

mortui ſunt, lib. 5. decret. tit. 34. de purgat.. canon. cap. 1 *Nobilis*, Gloſſa ait, *Propter crimen perditur nomen dignitatis, ſicut per monachatũ amittit quis nobilitatem.* Quæ verba Tyraquellus ſic explicat, ſcilicet. *Per nobilitatem intelligi dignitates, honores, titulos, ditiones, juriſdictiones, dominia, &c.* Cujuſmodi ſunt Regna, Ducatus, Comitatus, Baronatus, &c. Quorum omnium Religioſus per ingreſſum Religionis & paupertatis votum redditur incapax. Tamen ſervat ſemper avitam nobilitatem in jure ſanguinis, & proſapia conſtitutam: quod ſcilicet ex parentibus regiis, ac nobilibus ſit oriundus, quia cùm nobilitas ſit à Naturâ in nativitate accepta eſt indelebilis, nêc eâm Religioſus amittit. Id patet in Chriſto totius perfectionis prototypo, cujus vitam Evangeliſtæ à genealogiâ auſpicantur.

Matth. c. 1. v. 1. Matthæi cap. 1. verſ. 1. *Liber generationis IESV Chriſti filii David, filii Abraham, &c.* Idem præſtat S. Lucas Sancti Joannis Baptiſtæ encomia celebraturus. Id ſic S. Paulinus epiſt. 10.

Paulin. ingenioſè animadvertit. *Opinor* (inquit) *& hoc ad cumulum divinæ gratiæ pertinere, quod ſanctitatem laudandam de laudibus generis prædicari ordior.* Et mox. *vides Evangeliſtam, de commemoratione natalium Sancti dictionem feciſſe meritorum, ut iis quos erat de propriis meritis prædicaturus nomina avita præferret, auxit meritum ſacerdotis, cũ memorat à nobilitate conjugii, & laudaturus vitam, genus ante laudavit.* Cur Ioannis (qui Elianæ perfectionis æmulator eſt, ac omnium Religioſorũ prototypus,) proſapiam refert? Nunquid per ſolitudinis ingreſſum ſuæ nobilitatis jacturam fecit? minimè.

Ambroſ. D. Ambroſius in cap. 1. Lucæ. *Docet nos divina ſcripturæ non ſolum mores in his qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari.* Quaſi diceret, ingreſſus ſolitudinis, & religionis non

Hilar. deſtruit nobilitatem, ſed aſtruit, *generoſitatem illius glorificat.* S. Hilarius in pſalm. 127. *Honeſtatem illius, &c.* Id eſt non obſcurat honorem, nobilitatem non diminuit, ſed auget & duplicat. *Cùm enim honorum contemptus faciat ut uni Deo vacet, ſit Deo familiaris & intimus, contubernium habens Dei.* Syrus, *Et gaudium, & laus, & gloria Dei in participatione ejus.* Arabicus. *Concedens conjunctionem vel conjugiũ Dei.* De Religioſo illud Hecatonis dici poteſt. *Quaris quid profecerim? Amicus eſſe mihi cœpi, &c.* Dicendum de vero Religioſo, amicus eſſe Deo cœpi. S. Gregorius Nazianzenus orat.

Gregor. Naz. 27. *Ioannes in deſerto, & IESVS ipſe, ut actiones multitudini, humanaq; frequentia, ita preces quieti, locisq; ab hominum commercio remotis ferè tribuebat hoc exemplo præſcribens, ac velut lata lege promulgans. Nobis quoque nonnunquam faciendum eſſe ut quietem amplexemur, ac nos ab hominum frequentia in ſolitudinem aſſeramus, ut ſine ullâ fæce Deum alloquamur.* Quaſi diceret, quid nobilius, quid gratius homini accidere poteſt, quàm cum Deo agere, cum purè familiariter alloqui? Hanc gratiam non habent Reges, divites, quia non ſunt defœcati; fœces in quibus verſantur ſunt honores, ſunt dignitates, ſunt opes.

Idem S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum diſſerens de Monachis. *Vides nè hos pauperes victu, ac tecto carentes, hos humiles & terrenos, & ſupra terrena; qui inter homines verſantur, & rebus humanis ſunt ſuperiores, qui vinculis preſſi & liberi ſunt, qui nihil in mundo habent, & omnia habent, qui mundo ſuperiores ſunt.* Vocat Religioſos rebus humanis quibuſcumque ſivè regnis, ſivè imperiis, &c. ſuperiores. Proſequitur. *Hos* (inquam) *propter mortificationem immortales, propter ſolutionem Deo conjunctos, &c.* Expende illa verba *propter ſolutionem Deo conjunctos.* Ecce qualem ſocietatem & conſortium, qualem affinitatẽ contrahant, non cum Cæſaribus & Alexandris, ſed cum ipſo Deo. Ecce quomodò per religionis ingreſſum non amittant ſuam nobilitatem, nec regiam dignitatem, ſed jus acquirant ad ſedendum ſuper thronos cæleſtes, non perdunt voluptates, ſed vanis dimiſſis veras & ſolidas ſibi comparant. Sic terram dimittunt, cœlum adipiſcuntur: imò in terrâ ipſum cœlorum regnum reperiunt. Nam ſecundùm ſanctum Ioannem Clymachum gradu 4.

du 4. *Monaſterium eſt quoddam cœlum terrenum.*

XIV. Quod ſi in Monaſterio, in ſtatu Religioſo, non regio ſed abjecto, nō Religioſo ſed prophano ac ſæculari modo vivant: non obedientiâ, ſed continuâ rebellione, non in humilitate, ſed in vanitate, non in paupertate, ſed in ſtudio accumulandi bona, non in caſtitate, ſed carnali voluptate dies in Religione traducant. Matthæi cap. 21. verſ. 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Dicit *auferetur* ſcilicet ab eo qui poteſtatem habet, cujuſmodi eſt ſummus Pontifex, ille ordo ſic inordinatè vivens delebitur, exterminabuntur illi Religioſi ita irreligiosè & ſcandaloſè agentes: *& dabitur genti*, ideſt quandoquidem Religioſi tam inferiores quàm ſuperiores juxta formam regulæ & conſtitutionum ſuarum non vivant dabitur extraneis Religioſis, qui fructus congruos ſtatui Religioſo producent, qui Deo melius miniſtrabunt, qui benefactorum legatis & obligationibus melius ſatisfacient, qui populo non erunt offendiculo, ſed ejus ſalutem, verbo, exemplo, & oratione promovebunt.

Mat. 21 v. 43.

XV. Nec refert quod ejuſmodi Ordo ſit approbatus ab Eccleſiâ, ſicut ſancti ſunt Canonizati, & ſicut in Sanctorū Canonizatione errare non poteſt. Ad hoc dicendum quod Religionem approbare nihil eſt aliud, quàm illam proponere toti Eccleſiæ, ut veram viam ad perfectionem Chriſtianam, in quo errare non poteſt, alioqui tota Eccleſia errare poſſet ſequendo ſuum paſtorem. Nam approbatio alicujus Religionis eſt quædam virtualis definitio illam Religionem eſſe medium conveniens ad vitam æternam comparandam, in quo non errat, ſicut nec errat, dum alia fidei & morum dogmata definit. Quod ſi tales Religiones à ſede Apoſtolicâ approbatæ, ab eo poſtea extinguantur, hac extinctione non reprobat ſtatum Religionis, qui eſt obſervantia Conſiliorum Evangelicorum obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis ex voto, ſed declarat, quod Religioſi illius Religionis non rectè obſervent hæc vota, vel quod ipſis pravas conſuetudines admiſceant. Vndè non eſt temerarius, ſcandaloſus, vel errori proximus qui laxiorē vivendi modum, & ab obſervantiâ omninò alienum damnat, ſed qui damnat religionem ſuis regulis & cōſtitutionibus conformem. D. Thomas opuſc. 19. cap. 4. ubi ſic ait in jure videlicet 25. quæſt. 1. dicitur. *Nulli fas ſine ſtatus ſui periculo, vel divinas conſtitutiones vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare: cum ergò per Apoſtolicam ſedem religiones aliquæ inſtitutæ ſint, ad prædicta manifeſtè ſe damnabilem reddit, quicumque talem religionem damnare conatur.* Dicit *damnabilē*, ideſt errori proximum: dicit *Religiones*, quod intelligi poteſt vel in abſtracto pro regula & conſtitutionibus, vel in concreto pro viventibus in Religione, verum eſt quod damnabilis eſſet qui religiones in abſtracto improbaret vel etiam in concreto; ideſt eos qui ſub talibus regulis & ſtatutis vivunt; non tamen eſſet damnabilis qui eas quæ denominativè tantùm tales ſunt damnaret, quæ vix ullam conſtitutionem Ordinis ſervarent, ſed diſſolutè omninò viverent.

Thomas

XVI. Quando enim ſummus Pontifex aliquam Religionem approbat, illam omnibus fidelibus proponit tanquam normam & regulam, viamque ad perfectionem, in quo Eccleſia non fallitur, nec falli poteſt: alioqui proponeret fidelibus ut regulam ſanctitatis, quod revera ſanctitas non eſt. Quod ſi igitur illius religionis profeſſores illis non benè utantur, ſed loco uſus boni ſit merus abuſus, loco religionis ſit merus auliciſmus & ſæculariſmus, poteſt illa religio radicitus deſtrui, non quod illa approbatio non fuerit facta per aſſiſtentiam Spiritus ſancti, ſed quia Profeſſores illius ab obſervantiâ votorum, regulæ, & conſtitutionum omninò deflectunt, & ſcholam perfectionis mutarunt laxiori ſuâ vitâ in gymnaſium diſſolutionis, & ſcandali, & regnum cœlorum in petram ſcandali & præcipitium ad barathrum. Paritas ergò approbationis iſtius religionis cum ſanctis Canonizatis

nonizatis in eo conſiſtit, quod quemadmodum Sancti habent ſanctitatem inamiſſibilem & ſunt impeccabiles. ita vota Religionis, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis ita ſancta ſunt & bona, ut nequeant eſſe mala. Conſtitutiones & regulæ tam ſanctæ ſunt, & ad perfectiones tendentes, ut nequeant eſſe malæ & imperfectæ; has ergo regulas, hæc vota approbat, ſed ipſo facto improbat inobedientiam & rebellionem, proprietatem in religione, concupiſcentiam carnalem, ſilentium ita approbat ut fractionem illius ipſo facto improbet, & conſequenter ſtatuat illum Ordinem delere ſi contingat illud quod canit
Pſal. 13 verſ. 2. Pſaltes pſalm. 13. verſ. 2. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, &c.* Quaſi diceret, ſi Deus tantùm proſpiceret aliquas conſuetudines & modos agendi, qui non ſunt mali, ſed indifferentes toleraret, ſed quando videt manifeſtè peccari contra tria vota, & pravos mores introductos, uno verbo, vota eſſentialia Religionis omninò & ubique deſtructa, ut in Templariis, Deus inſpirat Pontificem, ut illum Ordinem in aliud melius commutet. Deindè ſi incorrigibiles poſſunt ex ſuis Ordinibus expelli, remitti ad ſœculum, habitu privari, cur non poterit idem fieri de omnibus incorrigibilibus alicujus Ordinis, qui ex ſe eſt utilis, multa bona ſpiritualia facienda proponit, ſed ejus alumni canunt illud Poetæ:

Nitimur in vetitum, ſemper cupimuſque negata.

Et quotquot ad habitum admittuntur, iiſdem pravis modis agendi imbuuntur.

XVIII Dixi *non eſt uſque ad unum*, quia licet inter omnes collectivè ſumptos ſit unus atque alter benè moraliter vivens, & ſic Religio poſſit aliquo modo dici adhuc vivere practicè, tamen dicendum eſt illum Ordinem mortuum eſſe: tum quia unum reputatur pro nihilò: tum quia uno membro vivente, reliquum mortuum eſt, cenſendum eſt inutile: Denique ſcandala quæ à reliquo Ordine perpetrantur multùm præponderant bonæ vitæ unius. Nec obſtat quod ex mente ſanctæ Thereſiæ refert Dominicus Gravina contra hæreticos, & quoſdam Catholicos erga Religioſos malè affectos, & dicentes in laxis Religionibus vix aliquid boni reperiri, in quos ita invehitur. *Nulla eſt quamvis laſſata & fatigata congregatio, quæ* Domin. Grauin.
(ut beatæ Matri Thereſiæ in ejus vitâ revelatum eſt) magno non ſit Eccleſiæ adjumento. Bos laſſus fortius figit pedem ſcripſit Hieronymus epiſt. ad Auguſtinum etiam ex illâ parte, quàm pro exemplo perditionis ponunt hæretici; dicit Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ. Ideſt in Iſrael fuerunt ſancti Prophetæ, ibi erat ille memorabilis Elias, ut de aliis taceam; unde & ſe ſolum Dei ſervum exiſtimantem, cùm diceret, relictus ſum ego ſolus blandâ objurgatione à Domino reprehenſum legimus, dicente Domino lib. 3. Regum cap. 19. reliqui ſeptem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal, &c. Infra ait. *Non eſſe vineam iſtam Religioſorum ſicut vinea illa viri ſtulti à Salomone deſcripta, quam totam repleverunt ſpina & urtica, cùm tot flores delegerimus, cùm tot fructus collegerimus.* Cui favet Beata Maria Magdalena de Pazzi noſtri Ordinis, quæ (ut teſtatur ejus vita 1. part. cap. 55.) accepit in quodam raptu, ſeu extaſi illos Religioſos eſſe multùm gratos divinis oculis, qui commorantur in Religionibus parùm obſervantibus, & ex ſuâ parte conantur correſpondere vocationi ſuæ, & P. noſter Lezana in ſuis Conſultis, conſult. 44. num. 72. *Poſſunt eſſe ſicut de facto ſunt in laxioribus Cœnobiis plures ſancti, etſi ut non tales non habeantur, vel quia alii non ut ſic boni, inter* Lezana
eos degunt & bonum ipſorum nomẽ obſcurent, vel quia ſanctitas vera cum interiorum virtutum exercitio principaliter conſiſtat exterius non apparet; vel quia ipſe humiliter occultavit. Quoad id quod refert Dominicus Gravina ex extaſi S. Thereſiæ, non concludit quod Pontifex maximus nequeat corpus iſtius Religionis ferè emortuum deſtruere, & illi aliud corpus integrum, perfectum, & magis utile ſubrogare: nam non eſt probabile quod vinea quã aliis agricolis voluit

locare

locare Paterfamilias, nec veriſimile quod eſſet omninò plena ſpinis & labruſcis, & quod ſubindè non eſſent uvæ maturæ, aliqui propagines fertiles. Non eſt veriſimile quod ficulnea quam extirpare cogitat aliqubs flores & fructus non producat, Non eſt veriſimile quod in illo regno quod alii Regi gubernandum, aliis incolis, & populis inhabitandum dare vult, non ſint aliqui timorati, & tamen dare vult alteri genti facienti bonos fructus: quia non plantatur vinea, ut una uvam producat, non collocatur in mediâ vineâ ficulnea, ut unum atque alterum ficum emittat: non cenſetur regnum, ubi omnia ſuſdeque ſunt: ſic non cenſetur illa Religio in regulari obſervantiâ vivere in quâ unus tantùm piè & religioſè vivit, ſed ubi omnes, vel ſaltem præcipua pars: nam Religio non approbatur, Monaſterium non fundatur, ut ibi unus atque alter benè vivat ſecundùm regulam, ſed omnes vel ſaltem major pars. Quod ſi tota ferè Religioſorum turba diſcolè vivat, & nulla ſit futuræ emendationis, vel reformationis ſpes vel eradicanda eſt, vel aliis agricolis locanda pro meliori bono, vel utilitate Eccleſiæ.

XIX. *3. Reg. cap. 19.* Vndè quod refertur ex lib. 3. Regum cap. 19. de ſeptem millibus, qui non curvaverant genua ante Baal, nihil concludit, ibi enim loquitur de Synagogâ, quæ non circumſcripta erat finibus ſolius regni Iſrael, in quo tamen ſævientibus Achab & Iezabel reſtabant ſeptem millia quæ non curvaverant genua ante Baal: ſed etiam in regno Iudæ religio & fides adhuc integra perſeverabat. Quoad Eccleſiam Deus pollicitus eſt ſe eam nunquam deſerturũ, ſed ſe illi ſpecialiter affuturum, ita ut in eâ plurimi juſti ſint reperiendi: ut adultis omiſſis patet in pueris baptizatis, qui moriuntur antequam habeant uſum rationis; ita ut vix ſit aliqua familia, quæ non præmittat in cœlos ex prolibus ſuis unam atque alteram, quod certè in religionibus quæ extinguuntur, ut Templariorum non reperitur: non ſufficit enim ſtatum Religioſum profiteri ſeu votorum eſſentialium regularum & conſtitutionum obſervantiam, ſed ad ejuſmodi ſtatum conſervandum deſideratur obſervantia. Eccleſiaſtes cap. 5. verſ. 3. *Diſplicet enim infidelis, & ſtulta promiſſio.* Salvianus *Eccl. 5. verſ. 3.* lib. 2. *Aſſumptio Religioſi nominis ſpontie eſt devotionis, ac per hoc tantò* *Saluian* *plus quiſque debet opere, quantùm plus promiſerit promiſſiones melius eſt non vovere quàm poſt votum promiſſa non reddere.* Expende illud verbum *diſplicet*, ideſt illi injuriam facit, qui per votum cedit omni Juri ſuo & tranſit in jus Dei, cui ſe conſecrat, & jus illud violando damnationem ſibi acquirit. Opportunè Vrbanus I. (ut habetur 12. quæſt. 1. cap. *Scimus*,) ubi Clericos ſic affatur. Quod verius de Religioſis dici debet: *Quicumque veſtrum* *Vrban. I.* *communem vitam ſuſceptam habet, & vovit ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat, ſed quod Domino eſt pollicitus fideliter cuſtodiat, nè damnationem, ſed præmium ſibi acquirat, quoniam melius eſt non vovere, quàm votum prout melius poteſt non perficere. Gravius enim puniuntur qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt & votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt, quàm illi qui ſine voto aut fide mortui ſunt, & tamen bona egerunt opera. Diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſſio.* D. Hieronymus apud D. Thomã 2.2. quæſt. 88. art. 2. vocat impietatem *in reddendo impius*. Quod Sapientiæ cap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Græcus. *Ex æquo nonniſi ſunt Deo impius & impietas ejus.* Non tamen inter laxiores Ordines cenſendi illi qui per diſpenſationem Apoſtolicam ab obſervantiâ quarumdam regularum ſunt liberi, ut patet in noſtro Ordine cum quo Innocentius IV. & Eugenius IV. in aliquibus diſpenſarunt, & regulam ſic mitigatam obſervatam obſervantibus varias indulgentias cõceſſerunt. Per hoc ſatis patenter docentes quod Religioſi qui ſic vivunt, ſunt in ſtatu ſalutis, Ejuſmodi enim diſpenſatio eſt quædam religionis approbatio.

Quidam ex recentioribus, ut oſtendat ordines laxiores eſſe liberas à cen- XX.
ſurâ & circumciſione Apoſtolicâ affert quaſdam

quaſdam rationes quaſi naturales, cur illi deficiant: ſeu innuit quod quaſi ex neceſſitate naturæ deficere debeant. Prima eſt, copia intrantium, qui non poſſunt ita flecti ſicut pauci. Ad hoc reſpondeo Novitiatus eſſe inſtitutos, ut naturales inclinationes vitioſi flectantur, quod ſi flecti non poſſunt, remittantur ad ſæculum. Pro ſecundâ refert, quod ſubſtrahuntur vel infirmantur ii qui ſtrictam obſervantiam vel introduxerunt, vel foverũt, quod ſic remiſſos potius imitantur juvenes quàm exhortationibus eorum acquieſcant. Tertia quod officia ad juvenes devolvantur, qui cum docere neſciant, vel laxè vivant inferiores etiam pravo ſuo exemplo ad laxiorem & liberiorem vivendi modum provocãt. Quarta deficere, ait, per pravas conſuetudines quæ introducuntur quas tenaciter ſequuntur tyrones, eaſque propugnant magis quàm obſervantiã regulæ. Pro quintâ ratione profert occupationes, quæ corda diſtrahunt, affectum devotionis extinguunt, mores alterant, interius occaſiones vitiorum inducunt, &c. Item producit nimias opes, vel nimiam paupertatẽ, vel ſuperioris negligentiam. Sed ad has & ſimiles rationes reſponſionem ſubminiſtrant Carthuſiani. Cur jam à quingentis annis ille ordo inſtitutus in purâ ſuæ regulæ à S. Brunone factę obſervantiâ perſeverat nonobſtantibus bellis, nonobſtante penuriâ, nonobſtante abundantiâ rei familiaris, nonobſtante prava naturali indole intrantium, nonobſtante corporis infirmitate aliquorum, &c. quia ſolitudinem, ſilentium ſervant, & horum ſtatutorum ac aliorum obſervantiæ ſuperiores invigilant. (*in vi.*

Per tria Si, So, Vi, Carthuſia permanet

Ideſt vigore (inquit Cornelius in cap. 2. Oſee, plura ibi.) aliæ religiones ſint ſilentii, ſolitudinis, vigilantiæ ſtudioſæ & nunquam deficient, nunquam ſummus Pontifex de illarum eradicatione, ſed potius augmento cogitabit. Laudandi tamen ſunt qui inter laxatos viventes, religioſè vivunt, inter incontinentes ſe continent, inter curioſos in habitu, &c. humilitatem ſectantur, inter delicatos & jejuniorum violatores parcè vivunt; jejunia obſervant, inter vagos, tumultuarios, & loquaces, ſilentium, ſolitudinem amant, imò zelo juſtitiæ, quaſi alter Elias in aliorum vitia invehuntur, eorum miſeriis compatiuntur, illos monent, corrigunt, beneficiis eos devincire contendunt, pro iis orant, eorum injurias, moleſtias, &c. patienter tolerant, eos inter tot tentationum irritamenta, tot ludibria quæ majorem aliquando moleſtiam afferunt, quàm afflictiones corporales, quis non Martyres eſſe judicet?

XXI. *Gregor. Naz.* S. Gregorius Nazianzen. orat. de laudibus S. Baſilii de aliquibus hominibus qui ſuo ævo virtute excellebãt, ingenioſè dicebat, quod eſſent *Virtutis Alipta, ſpirantes columna, vivi Martyres.* Aliptæ apud veteres habebant curam gladiatorum, ut ſcilicet priſtinas vires conſervarent: ſic boni illi Religioſi inter laxiores viventes ſunt Aliptæ, quia ſuis exemplis, orationibus, beneficiis reliquos Athletas & contubernales ſuos excitant ad animosè & fortiter præliandum contra tentationes, & objecta vocationi religioſæ contraria. Sunt *ſpirantes columnæ*, ſeu animatæ, & virtute ſenſitivâ præditæ quia aliorum miſeriis compatiuntur, eorum contumelias, irriſiones patienter ſuſtinent. Sunt *vivi Martyres*, quia inter quotidianas tentationum materias mortificãt ſuas paſſiones, frænant appetitus, & heroica virtutis facinora patrant. Vel vocantur vivi martyres parentes, ad diſtinctionem eorum quos paſſim Eccleſia Martyres vocat & colit. Hi enim non vivi, ſed mortui ſunt, eoſque Martyres Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 12. nuncupat *Compendium mortis*. Quomodò Compendium? Eſt nè compendium mortis in equuleo torqueri, à beſtiis lacerari? lapidibus obrui, in ſtagnum gelidiſſimum vel in ollam ſulphurariam mitti, &c. Ita, quia dolor ille acutus eſt, ſed non diuturnus: Religioſus verò qui per 30. 40. 50. annos novis injuriis, irriſionibus, novis tentationibus per omnia vitiorum objecta impetitus ſe mortificat quaſi ſuiipſius carnifex eſt *vivus Martyr*. Martyr eſt *Tertull.*

quia

quia patitur, vivus, quia corpus ab animâ non ſeparatur: illi ſacrificio alludere videtur Apoſtolus. Rom. 12.
Rom. 12 verſ. 1. verſ. 1. *Obſecro vos ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem.* Quomodò hoſtiam viventem offerre nos hortatur, cùm oblationes animalium nō fiant niſi interveniat mactatio? Verum eſt quod olim nō cenſerentur offerri & ſacrificari animalia, niſi mactarentur. Ovidius lib. 2. Triſtium.
Ovidius

Sed tamen ut fuſo taurorum ſanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore (Deus.

Scio quod nomine Martyrum Eccleſia eos intelligat, qui ſanguinem fundunt, & vitam ſeu animam ponunt pro Chriſti nomine, ſed hæc ſacrificia mortua ſunt, non viva. Aliud Apoſtolus à nobis exigit ſacrificium, aliud martyrium, ſacrificium nō mortuum, ſed vivum, martyrium non mortuum ſed animatum: ſacrificium illud eſt quod juſtus inter injuſtos, pius inter impios, religioſus inter irreligioſos patitur; tolerando patienter probra, irriſiones, afflictiones, tam corporis quàm animæ. Tales (inquit S. Gregorius Nazianzenus ſupra) ſunt *vivi Martyres.* Illorum ſacrificium vivum eſt. D. Chryſologus ſerm. 118. *Mirum ſacrificium ubi corpus ſine corpore, ſanguis ſine ſanguine offertur.* Certum eſt hos martyres vivos eſſe in viâ ſalutis, quia non impediunt, imò ſe totos impendunt ut regularis obſervantia ubique vigeat, & omnes illám amplectantur. Cæteri qui ab obſervantiâ regulæ fundamentalis, & votorum omninò deficiunt, nec ſemitas juſtitiæ ſequi volunt, in quanto ſalutis diſcrimine ſint, conſulant noſtrum P. Lezanam libro aureo de reformatione. Non immerito igitur ſummus Pontifex locat ejuſmodi vineas aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Porrò quæ à nobis dicta ſunt intellige de toto Ordine ab obſervantiâ regulari penitus aberrante, non autē de uno atque altero Monaſterio. Hoc enim non decet extingui & alteri tradi, vel in alium locū pium permutari, aut omninò prophanari, ſed introducendi alii ejuſdem ordinis alumni obſervantes: vel monendi ſuperiores ut diſcolos amoveant, vel reforment, vel reformatos introducant. Vix enim eſt ullus Ordo Religioſus, in quo hoc ſæculo non ſint aliquæ provinciæ vel domus reformatæ. An Sedes Apoſtolica deroget ſuæ, vel Eccleſiæ ſanctitati diſponendo bona ordinum Religioſorum etiam non extinctorum alibi diſſeremus.

TRACTATUS TERTIUS DE POTESTATE APOSTOLICA CIRCA SACRAMENTA, &c.

CAPUT I.

An Sedes Apoſtolica poſſit Sacramenta inſtituere, vel eorum eſſentiam mutare.

I. QUAMVIS ſanctus Gregorius hom. 29 in Evangelia, S. Bernardus ſerm. 3. & 6. de Aſcenſione, aſſerant Elianum raptum eſſe expreſſum typum aſcenſus Chriſti in Cœlũ, ac S. Parentem Eliam eſſe idæam Chriſti & Eliſeum Petri, in eo tamen differunt quod Eliſeus ſucceſſerit Eliæ in eodem ſpiritu & poteſtate patrandi eadem, imò majora facinora, ut exclamat S. Ambroſius ſer. 2. de Eliſeo. (Ambroſ.) *O hæreditas pretioſa, in quâ plus hæredi relinquitur, quàm habetur: plus conſequitur qui accepit, quàm poſſideret qui largitur! Pretioſa planè hæreditas, quæ dum à Patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Elias cùm ſimplicem ſanctitatis ipſe haberet ſpiritum, Eliſeo duplicem reliquit. Mirum ergò in modum plus Elias gratiæ dimiſit in terris, quàm ſecum portavit ad cœlos. Et licet ipſe ad altiora totus transferatur corpore, apud filium tamen majore manet ſanctitate.* At Chriſtus proximus aſcenſui ſuo potuit conferre Apoſtolis, & maximè Petro ſuo vicario poteſtatem inſtituendi Sacramenta, vel immutandi materiam, formam, vel miniſterium ſacramentorũ; nemini tamen de facto communicavit. Priorem partem ſuſtinet S. Auguſtinus tract. 5. in Joannem aſſerens Chriſtum potuiſſe dare poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut quaſi vice ſuâ inſtitueret Baptiſmum. Ita ut Baptiſmus tranſlatus in ſervum tantam vim haberet, quantam vim habet Baptiſmus à Chriſto datus. Ibidem S. Auguſtinus addit Chriſtum id noluiſſe. Loquitur ergò de poſſibili, non de facto. Secundò, privilegium inſtituendi Sacramenta non fuit communicatum Beatæ Virgini, imò nec conferendi, ſeu miniſtrandi, quę collatio minor eſt inſtitutione. Nec S. Ioanni Baptiſtæ, ejus enim Baptiſmus non fuit verum ſacramentum, ſed dumtaxat figura Sacramenti, ut docent Theologi ad quæſt. 71. Neque in totâ ejus hiſtoriâ invenitur quidpiam ab eo inſtitutum quod habeat veram rationem Sacramenti. Igitur nec ejuſmodi privilegium conceſſum fuit Apoſtolis, & maximè ſancto Petro ac ejus ſucceſſoribus, cùm ipſimet Apoſtoli teſtentur ſe non eſſe auctores, ſed miniſtros Sacramentorum. S. Paulus 1. Corint. cap. 1. verſ. 13. (1. Cor. 1. verſ. 13.) *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis.* Cap. 3. verſ. 4. (cap. 3. ver. 4.) *Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis.* Et cap. 4. verſ. 1. (c. 4. v. 1.) *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros*

niſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Ad Epheſios cap. 4. v. 11. *Quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam Evangeliſtas in opus miniſterii.* Vatablus. *In opus diſpenſationis.* Ipſemet Apoſtolus Petrus 1. epiſt. cap. 4. verſic. 10. (1. ep. Pet. 4. v. 10.) *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Teſtuq; Patres aſſerunt ſolum Chriſtum eſſe authorem Sacramentorum. (Ambroſ.) S. Ambroſius libr. 4. de Sacramentis cap, 4. *Author Sacramentorum quis eſt, niſi Chriſtus Dominus.* S. Auguſtinus epiſt. 118. cap. 1. (Auguſt.) *Illud tenere te volo Chriſtum levi jugo nos ſubdidiſſe: quare & ſacramentis pauciſſimis & faciIlimis ſocietatem novi populi colligavit.* Quod ſi conſequenter doceat S. Auguſtinus quædam fuiſſe ab Apoſtolis inſtituta, non id aſſerit de Sacramentis, ſed de quibuſdam cæremoniis ac ritibus Eccleſiaſticis, cujuſmodi ſunt feſta, jejunia, aliaque obſervantiæ, quorum ipſe ibi mentionem facit, vel loquitur de poteſtate inſtituendi ſacramentalia, quibus peccata venialia remitterentur; ut ſunt aqua luſtralis, panis benedictus. Vel relaxarentur pœnæ temporales, verbi gratiâ opera laborioſa, preces, jejunia, & ſimilia injuncta pro lucrandis indulgentiis. Tum quia cum Chriſtus Eccleſiæ & Sedi Apoſtolicæ multas prærogativas contulerit, Papa nunquam ſibi arrogavit poteſtatem mutandi quidquam circa materiam, formam, & miniſterium ſacramentorum, quoad eſſentialia, vel augendi aut minuendi numerum illorum. Ideò autem Deus hanc poteſtatem non dedit hominibus. Primò ne oriretur confuſio, ſecundò ne eſſent plura eſſentialia capita gratiam conferentia, tertiò ne homo poneret ſpem in homine. Ex D. Auguſtino tractat. 5. in Ioannem, ubi illud Ioannis Baptiſtæ *Et ego neſciebam*, explicat, quod Ioannes ignoraret Chriſtum ſibi retenturum poteſtatem baptizandi. Ratio eſt. quia illius eſt inſtituere ſigna practica & efficacia, cujus eſt producere gratiam, quæ datur per quodlibet ſacramentum.

II. Nec obſtat primo quod D. Cyprianus ſermone de ablutione pedum loquens de Euchariſtiâ, dicat Chriſtum eſſe auctorem & inſtitutorem ſui Sacramenti, in cæteris autem homines habuiſſe Spiritum ſanctum Doctorē, nec minus eſſe ratum quod Apoſtoli dictante Spiritu ſancto tradiderunt quod Chriſtus ipſe docuit. *Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt Sacramenti inſtitutor & auctor, in cæteris homines Spiritum ſanctum habuêre doctorem. Et ſicut par eſt Spiritui ſancto & Chriſto divinitas: ita in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas & poteſtas, nec minus ratum eſt quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quàm quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit.* (Cyprian.) Reſpondeo hæc D. Cypriani verba de ſacramento Euchariſtiæ non eſſe ſimpliciter accipienda, alioqui manifeſtè repugnarent Scripturæ ſacræ innuenti Chriſtū inſtituiſſe Baptiſmum Matthæi cap. ultim. verſ. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Marci cap. ultim. verſ. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit.* Repugnarent etiam inſtitutioni Ordinis factæ ab eodem Lucæ cap. 22. verſ. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ioannis cap. 20. verſ. 22. *Inſufflavit & dixit eis accipite Spiritum ſanctum.* Verſ. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt.* His enim verbis Chriſtus dat Apoſtolis Spiritum ſanctum; ideſt poteſtatem ad remittenda peccata (inquiunt ſanctus Chryſoſtomus, S. Cyrillus, Theophilactus, Euthymius, Rupertus) qui etiam notant quod hæc poteſtas detur ſacerdotibus etiam in peccato mortali exiſtentibus, modò verè ordinati ſint: nam Spiritus ſanctus eſt auctor primarius Sacramentorum peccata remittens, quamvis miniſter ſit impius.

III. Explicandus eſt ergò D. Cyprianus de Euchariſtiâ comparatè ſecundùm quid collatione factâ cum aliis ſacramentis, & reſpectu circumſtantiarum. Eo quod Chriſtus multò acuratius expoſuit Apoſtolis, quomodò, quibus cęremoniis, quâ animi devotione Euchariſtiæ ſacramentum eſſet conficiendum & miniſtrandum, quàm id

 feceris

fecerit in reliquis ſacramentis, quorum cæremonias accidentales ſuis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus tradendas & explicandas reliquit, ut patet ex ſacris textibus. Reſpondeo ſecundò ideò Chriſtum vocare Euchariſtiam ſuum ſacramentum, quia illam non tantùm inſtituit, ſed etiam accepit, alia autem ſacramenta inſtituit quidem, ſed non accepit. Tertiò ideò vocat ſuum ſacramentum, quia eſt realiter & ſubſtantialiter in illo, in aliis minimè. Alii Patres qui videntur dicere Sedem Apoſtolicam vel Eccleſiam inſtituiſſe quædam ſacramenta novæ legis, explicandi ſunt de ſacramentis non quoad ſubſtantiam, ſed dumtaxat quoad aliquos ritus. Vel nō quoad inſtitutionem propriè dictam, ſed quoad promulgationem & traditionem. Vndè ex poteſtate confectionis benè infertur poteſtas inſtitutionis. Vt patet in ſubditis, qui condunt & fabricant monetam juſſu & mandato Principis, qui tamen non ſunt auctores monetæ, nequidem delegati, ſed ipſe Princeps, ad quem videlicet pertinet tacitè vel expreſsè dare valorem nummis, & hos vel illos pro bonis inſtituere. Cùm igitur ſoli Chriſto liberum fuerit dependenter à Deo, non autem ulli puro homini cōmunicare vim ſanctificandi aliquibus rebus ſenſibilibus, & plura aut pauciora ad ſanctificandos homines deputare, ſolus etiam inter omnes homines reverà cenſendus eſt auctor omnium ſacramentorum novæ legis, non verò S. Petrus, Apoſtoli, vel ſucceſſores eorum, & quod ſolus poſſit mutare materiam vel formam ſacramentorum.

§. 1.

Circa Baptiſmum.

I. IUriſdictioni Romani Pontificis non tantùm ſubſunt ii homines, qui ejuſdem fidei, Chriſtianæ profeſſione & Sacramentorum communione ſunt colligati, ſed etiam hæretici & apoſtatæ baptizati, ac ſchiſmatici. Ita Bellarminus tomo 1. lib. 3. cap 4. de Eccleſiâ militante. Cornelius in cap. 5. epiſt. 1. ad Corinthios, & alii. Ratio eſt, quia licet non ſint de Eccleſiâ, tamen debent eſſe, ac proindè ad eam ſpectant, ſubſuntque juriſdictioni Sedis Apoſtolicæ, ut oves ad ovile & paſtorem à quo fugerunt. Sicut dici ſolet de ove errante, iſta ovis eſt illius ovilis, illius paſtoris. Nec obſtat Apoſtolus 1. Corinth. cap. 5. verſ. 12. dicens. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nōne de iis, qui intus ſunt vos judicatis?* 1. Cor. 5 v. 12. Licet enim hæretici ſint extra Eccleſiam, quia bonis Eccleſiæ ſunt privati, tamen ejus ac ſedis Apoſtolicæ juriſdictioni ſubſunt, hoc ipſo enim quo characterem Baptiſmi retinent, manent ſuâ primâ profeſſione Eccleſiæ devincti, obligati, ſubjecti, tenenturque jejuniis, feſtis, aliiſque legibus ab Eccleſiâ ſeu ſede Apoſtolica latis: ac ſunt in Eccleſiâ ſicut mancipia in familiâ, & rei incarcerati in urbe. Poteſt Pontifex illos judicare, ſicut paſtor reverà poteſt ovem extra ovile errantem per montes cogere iterùm ad ovile. Rex & dux militiæ poteſt deſertorem militiæ qui transfugit ad caſtra hoſtium vi cogere ad ſua caſtra, vel eum ſuſpendere. Citatus locus Apoſtoli intelligendus eſt de iis qui ita foris ſunt, ut nunquam fuerint intus. Quamvis etiam excommunicati ſint abſciſſi ab Eccleſiâ, tamen Romanæ ſedi ſubſunt. Ratio eſt quia Pontifex, vel alius Prælatus excommunicans aliquem, non aufert potentiam, ut non poſſit iterùm inſeri in Eccleſiam is qui præciſus eſt, ſi pœnitentiam agere velit. Ideò Eccleſia per excommunicationem quoſdam ſeparat à ſuo corpore in utilitatem eorum, quia intendit eos illâ confuſione humiliare, & humiliatos iterùm in ſuum corpus admittere.

II. Infideles non baptizati non ſubſunt juriſdictioni Romanæ & Apoſtolicæ ſedis. Patet ex citato loco Apoſtoli 1. Corinth. cap. 5. ubi generaliter ait eos omnes eſſe foris, qui non dederunt nomina ſua Chriſto per Baptiſmum, ſed alias ſequuntur religiones. De catechumenis difficultas eſt, conſtat enim eos non eſſe in Eccleſiâ

cleſia actu & propriè, ſed tantùm in potentiâ, quomodò homo conceptus ſed non dum formatus & natus, non dicitur homo niſi in potentiâ. Probatur primò ex Actorum cap. 2. v. 41. *Qui ergo receperunt ſermonem ejus baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illâ animæ circiter tria millia.* Ideſt per Baptiſmũ in Eccleſię gremium recepti ſunt. Secundò ex Patribus Græcis S. Cyrillo lib. 12. in Ioan. c. 50. docente Catechumenos eſſe apud Chriſtianos id quod erant incircumciſi apud Iudæos qui ideò non poterant veſci agno Paſchali. S. Gregorio Nazianzeno orat. in lavacrum aſſerente catechumenum eſſe in veſtibulo pietatis, nec adhuc poſſe vocari fidelem, niſi intus ingrediatur per Baptiſmum. Illis arridens S. Chryſoſtomus homil. 24. in Ioannem, ad illa verba Chriſti

Ioan. 3. vers. 5. Ioannis cap. 3. verſ. 5. *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei.* Quibus ſubdit. *Alienus eſt catechumenus à fideli, non habet idem principium, non eandem civitatem, non eundem parentem, non victum, non veſtitum, non menſam, non caſtrum, non domum, nihil commune. Etenim terrena catechumeni cæleſtia fidelis ſunt. Hinc Chriſtus rex, illi autem peccatum & diabolus, &c.* Tertiò idem cenſent Patres Latini. Tertullianus lib. de præſcriptionibus reprehendit hæreticos, eo quod nõ diſtinguant catechumenos à fidelibus. S. Auguſtinus tract. 4. in Ioannem, & alibi diſtinguit catechumenos à fidelibus, & conſequenter cenſet eſſe ſeparatos ab Eccleſiâ, quæ eſt congregatio fidelium. Accedit S. Zeno

S. Zeno. no ſerm. 3. de invitatione ad fontem. *Iam vos ſempiterni fontis calor ſalutaris invitat, jam Mater noſtra adoptat ut pariat, ſed non eâ lege quâ vos matres veſtræ pepererunt, quâ & ipſæ partus dolore gementes, & vos plorantes ſordidos pannis ſordidis alligatos, huic mundo deditos intulerunt: ſed læta gaudentes, cæleſtis libera peccatis omnibus abſolutos, &c.* Quibus verbis innuit eos ſolos fideles ac filios Dei adoptivos cenſeri, qui vivifico fonte baptiſmatis ſunt regenerati. Vndè ſermon. 5. de eadem invitatione ad fontem. *Quid ſtatis genere, ætate, ſexu, conditione diverſi, mox unum futuri fontanum ſemper Virginis Matris dulcem ad uterum convolate, ibidemq́; vos veſtrâ nobilitari fide, ſcientes quoniam quantum quis crediderit tantum beatitudinis habebit.* Expende illa verba, *dulcem ad uterum convolate.* Quomodò? per immerſionem baptiſmalem maculas culpârum abſtergentes gratiæ nitorẽ recipientes. Quaſi diceret, quemadmodùm Eliſeus propheta miſit Naaman Syrum ad Iordanem, ut ibi ſeptenâ lotione mundaretur à leprâ lib. 4. Regum cap. 5. verſ. 10. *Vade lavare ſepties in Iordane, & recipies ſanitatem caro tua atque mundaberis.* Sic mittuntur homines ad Baptiſmum, ut in eo ſordes animæ abluantur. Verſ. 14. *Naaman deſcendit & lavavit ſepties in Iordane, & mundatus eſt.* Sanctus Chryſoſtomus tomo 1. ſermone de Naaman Syro ab Eliſeo curato. *Deſcendit in Iordanem & baptiſatus ſepties aſcendit indè mundatus, & facta eſt caro ejus quaſi caro infantis pueri, &c. Perniicioſa contagio ab eo pellitur. & optata ſanitas reparatur. Totus homo naturæ redditur, quia perfecta virtus in ſanctiſſimo Propheta operatur.* Idem ſpiritualiter fieri per Baptiſmum docet Gloſſa. *Veniens Gentilis populus ad domum Eliſei, ſanctam ſcilicet Eccleſiam per nuncium, ideſt Evangelicos Prædicatores accepit, ut ſe in Iordane ſepties lavaret renatus ex aquâ & ſpiritu. Iordanis baptiſma ſignificat, quia in eo nobis Salvator Baptiſmum conſecravit, &c. Lota ſepties reſtituta eſt caro ſicut pueri caro, quia mundatus Baptiſmo per invocationem ſpiritus ſeptiformis quiſque ad Innocentis vitæ infantiam redigitur.* Et Lyranus. *Per Naaman, qui erat leproſus poteſt intelligi quilibet infidelitatis leprâ percuſſus. Per Eliſeum verò Dominus noſter IESVS-Chriſtus, per Iordanem verò fluvium Baptiſmi ſacramentum, eo quod in Iordane fuit inſtitutum, quando Dominus IESVS-Chriſtus tactu ſuæ ſanctiſſimæ carnis vim regenerativam dedit aquis. Igitur per Naaman intelligitur quilibet Iudæus & Gentilis, qui auditâ famâ de Chriſti miraculis venit ad ipſum per fidem; cui dicit Eliſeus, ideſt Chriſtus, vade lavare*

[margin: 4. Reg. 5. v. 10.] [margin: Chryſoſt.] [margin: Gloſſa.]

ſepties in Iordane, ideſt recipe Baptiſmum, quia dicit Ioannis cap. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & ſpiritu ſancto non poteſt introire in Regnum Dei. Quod autem lavare ſepties non eſt referendum ad Baptiſmum, quia recipitur ſemel tantùm, ſed ad ſeptiformem gratiam Spiritûs ſancti, quæ recipitur in Baptiſmo. Et reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvi, quia per Baptiſmum devotè receptum mundatur homo totaliter de peccatis & recuperat mentis innocentiam. Ex quibus patet hominem per Baptiſmum regenerari, fieri filium Dei adoptivum ac membrum Eccleſiæ. Probatur ex Concilio Florentino in inſtructione Armenorum docente homines fieri membra Chriſti, & corpori Eccleſiæ incorporari dum baptiſantur, & Tridentinum ſeſſione 14. de Pœnitentiá cap. 2. *Chriſtus Dominus lavacro baptiſmi ſui corporis mēbra ſemel effecit.*

III. Denique favet Ratio, Catechumeni nō habent jus ad ulla Sacramenta, nec ad alia quæ ſunt communia Eccleſiæ univerſæ. Igitur catechumeni non ſunt propriè de Eccleſiâ. Nihilominus poſſunt ſalvari, quia licet non ſint de Eccleſiâ, quæ propriè dicitur Chriſtiana, ſunt tamen de Eccleſiâ, quæ complectitur omnes fideles ab Abel uſque ad mundi conſummationem. Ita Melchior Canus, ſed illum refellit Bellarminus ſupra cap. 3. quia poſt adventum Chriſti nulla eſt vera Eccleſia niſi ea quæ propriè vocatur Chriſtiana. Quod ſi catechumeni non ſint de illá, de nullá ſunt. Auctor libri de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 74. aliter reſpondet ſcilicet catechumenos non ſalvari: ſed illi contradicit S. Ambroſius orat. de abitu Valentiniani expreſsè aſſerens catechumenū poſſe ſalvari, de quorum numero erat Valentinianus cùm ex hac vitá deceſſit. Itaque reſpondeo cum Bellarmino, ideò dici extra Eccleſiam neminem ſalvari, quando nec de facto, nec deſiderio ſunt de Eccleſiâ, ut communiter Theologi loquuntur de Baptiſmo. Catechumeni autem ſunt ſaltem voto in Eccleſia, & ideò ſalvari poſſunt. Dices, S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos ultra medium comparat Eccleſiam Arcæ Noe, extra quam nemo ſalvabitur, licet voto fuiſſet in eâ. *Arca Noe Eccleſiæ typus fuit, ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac univerſarum gentium & morum homines ſunt, ut ibi pardus & hædi, lupus & agni: ita & hic juſti & peccatores, ideſt vaſa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur.* Cui favet S. Petrus 1. epiſt. cap. 3. verſ. 20. *in diebus Noe cum fabricaretur arca in quâ pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Hieron. Reſpondeo ſimilitudines non in omnibus non convenire, cōſtat enim ſine Baptiſmo in re nonnullos ſalvari, ſcilicet catechumenos qui ſunt in Eccleſiâ non re ſed potentiá, & ſunt baptiſati non actu ſed voto. Vnde lib. 2. de Symbolo comparat catechumenos hominibus conceptis, non natis.

IV. Miniſter ordinarius Baptiſmi ex officio eſt Papa in totâ ſuâ Eccleſiâ, probatur ex Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Tibi dabo claves regni cælorum, &c.* Ioannis cap. 21. verſ. 22. *Paſce oves meas, &c.* Quibus verbis Patres & Concilia intelligunt Romanum pontificem nedum eſſe Paſtorem & Epiſcopum urbis Romanæ, ſed etiam totius orbis, habereque poteſtatem adminiſtrandi quæcumque Sacramenta. Miniſter ordinarius Baptiſmi eſt Epiſcopus pro ſuâ totâ Diœceſi. Ratio eſt, quia Epiſcopus verè eſt paſtor ordinarius, & nomen ordinarii peculiariter ſibi attribuit per antonomaſiam, ut patet ex Concilio Tridētino, & aliis Conciliis paſſim. Ratio eſt, quia cùm Epiſcopus ſit ſuperior Paſtoribus poteſt per ſuam totam Diœceſim, quidquid illi poſſunt in ſuis parochiis, ſervato ſemper recto ordine ad ædificationem, non ad deſtructionem: ſed Paſtores baptiſant ex officio. Igitur multò magis Epiſcopis favet ſacer Textus Matthæi cap. ultim. verſ. 19. ubi Chriſtus ait Apoſtolis. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Apoſtolus Paulus 1. Corinth. cap. 1. verſ. 14. & 16. *Gratias ago Deo meo quod neminem veſtrum baptiſavi niſi Criſpū & Caium, &c. Baptizavi autem & Stephanæ domum.* At Epiſcopi in hac parte ſunt 1. Corin. 1. v. 14. & 16.

ſucceſſores

ſucceſſores Apoſtolorum. In Pontificali Romano cap. de conſecratione Epiſcopi habetur, Oportet Epiſcopũ prędicare & bâptiſare. Favent Patres, S. Hieronymus contra Luciferianos, Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 17. aſſerentes jus bâptiſandi eſſe in Epiſcopo, ac per illum ſacerdotibus communicari. Quibus ſubſcribens S. Thomas 3. part. quæſt. 67. artic. 2. ad 1. *Dicendum* (inquit) *quod utrumque officium ſcilicet docendi & baptiſandi Dominus Apoſtolis injunxit, quorum vicem gerunt Epiſcopi, aliter tamen & aliter.* Infra. *Epiſcopi poſſunt baptizare, quia quod poteſt poteſtas inferior, poteſt & ſuperior.* Vndè quando S. Iſidorus lib. 2. offic. cap. 24. ait officium baptiſandi competere ſolis ſacerdotibus intelligendus eſt ita ut non excludantur Epiſcopi, ſed ſolùm inferiores Clerici, qui non ſunt veri Sacerdotes. Vel intelligendus eſt de Epiſcopis deſignatis & confirmatis à ſede Apoſtolicâ, qui non ſunt adhuc ordinati, & non habent characterem Epiſcopalem, ſed ſolùm juriſdictionem.

§. 2.

Circa Confirmationem.

I. QUamvis ex dicendis agendo de poteſtate Epiſcoporum miniſter ordinarius Confirmationis ſit ſolus Epiſcopus, & ex Concilio Tridentino ſeſſione 7. can. 3. de confirmatione contra modernos hæreticos, & Wicleffum teſte noſtro Thomâ Waldenſi lib. 2. de Sacramentis cap. 114. Tamen Abbas & ſimplex ſacerdos ex delegatione ſedis Apoſtolicæ poteſt illud ſacramentum conferre. Ita Covarruvias variar. reſol. lib. 1. cap. 10. num. 6. & 14. Navarrus cap. 22. num. 8. in Manual. & conſil. 14. de privileg. in novis. Iacobus de Graffis, Valerius Reginaldus, Vgolinus, Vivaldus, Piaſecius, Jodocus Coccius, Barboſa, Alvarez, Cardoſius, Bonacina, Moſtera, Torreblanca, Filliucius, Alzedo, Pineda, Cardinalis Baronius, Cardinalis Bellarminus, Balduinus Iun, Azorius, Henriquez, Victoria, Angelus, Petrus Ledeſma, Franciſcus de Petigianis, Toletus, Valentia, Vaſquez, Suarez, Emanuel, Chamerà, Coninck, Gamachæus, Iambertus, Amicus, Meratius poſt D. Thomam p. 3. quæſt. 69. art. 11. Majorem in 4. diſtinct. 7. Richardum, Paludanum, Marſilium & alios contra S. Bonaventuram in 4. Scotum, Durandum, Adrianum, Sotum. Probatur primò ex tribus Conciliis, Florentino in decreto Eugenii ubi approbat factum Gregorii de quo infra. Item ex Senonenſi in decretis morum cap. 38. his verbis. *Quoniam Abbates nonnunquam attentant munus Confirmationis conferre, idq; vendicant ex conſuetudine præſcriptâ ad ſe pertinere, nos attendentes hanc impoſitionem manuum à Chriſto primùm inſtitutam, & ab Apoſtolis receptam, ſolis Epiſcopis, qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores, reſervatam, conſuetudinem hujuſmodi (quæ potius corruptela dicenda eſt) reprobamus, &c.* Quibus verbis innuit Concilium potuiſſe dare Abbatibus (qui erant ſimplices ſacerdotes) privilegium confirmandi validè. Item ex Concilio Tridentino ſeſſ. 7. de Confirmatione can. 3. *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolùm Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem ſacerdotem; anathema ſit.* Ex hoc canone colligitur poſſe eſſe aliquem extraordinarium miniſtrum ex diſpenſatione, qui non ſit Epiſcopus. Idem decreverunt Cõcilium Arauſicanum 1. & 2. Toletanum 1.

Concilii Senon.

Trident.

II. Probatur ex Pontificibus Gregorio Magno, qui cum accepiſſet Præſbyteros Sardiniæ ſolere baptizatis conferre ſacramentum Confirmationis, lib. 3. epiſt. 9. eis in poſterùm facere prohibuit. Cùm autem ex hac prohibitione eſſet ortum ſcandalum eodem lib. epiſt. 26. id facere eis permiſit his verbis. *Pervenit ad nos, &c.* Et refertur in decreto Gratiani diſtin. 95. cap. *Pervenit*, qui locus non poteſt explicari de unctione cæremoniali baptiſmi, quæ non fit in fronte, ut Pontifex loquitur, ſed in vertice. Adde quod non erat opus ut Gregorius Papa ad hanc unctionẽ ſacerdotibus permitteret

Gregor.

permitteret, cùm S. Sylveſter & Innocentius diu ante conceſſiſſent. Accedit Adrianus VI. qui nonnullis Franciſcanis, & Gregorius XIII. qui quibuſcumque Præsbyteris in regionibus remotiſſimis prædicantibus Evãgelium, ubi non adſunt Epiſcopi, permiſit Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato miniſtrari fidelibus Sacramentum Confirmationis.

III. Favent tertiò Patres, S. Ambroſius in cap. 4. ad Epheſios aſſerens in Ægypto præsbyteros ſolitos conſignare abſentibus Epiſcopis, nec illum uſum reprehendit. *Denique* (inquit) *apud Ægyptum Præsbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus.* Legendus Sanctus Hieronymus dialogo contra Luciferianos. Quartò aſtipulatur ratio, non quidem à priori, quæ eſt mera Chriſti voluntas, qui facultatem conficiendi ſua ſacramenta dedit, quibus & quomodò illi placuit. Sicut enim Chriſtus voluit ſolos Epiſcopos ex vi ſuæ ordinationis Epiſcopalis eſſe miniſtros ordinarios Confirmationis, & ad illud munus obeundum habere dumtaxat poteſtatem remotam indigentem, propterea, non quidem novi characteris impreſſione, aut characteris ſacerdotalis præexiſtentis internâ augmentatione, ſed delegatione tanquam purâ externâ cõditione, quâ poſitâ, & non aliter talis potentia remota fiat proxima & jam reducatur ad actum primum. Igitur ratio à poſteriori eſt, quia cùm frequenter difficillimum ſit in locis remotiſſimis, ubi infidelitas viget, mittere Epiſcopos, fuit conveniens Chriſtum inſtituere, ut ad Sacramentum Confirmationis miniſtrandum poſſent aliquando deputari ſacerdotes. Ratio eſt, quia cùm ſacerdotes habeant directam & proximam poteſtatẽ in verum Chriſti Corpus, ſeu conſecrandi Euchariſtiam, congruum fuit ut illis competeret poteſtas ſaltem remota complenda per licentiam Apoſtolicam in corpus myſticum pro confirmandis & perficiendis Chriſtianis, qui jam ſunt membra Chriſti. Quare dum Papa delegat, non diſpenſat in jure divino, ſed tantùm illud declarat ac interpretatur, exequiturque voluntatem Chriſti volentis ſimplicem ſacerdotem, accedente deputatione, eſſe legitimum Confirmationis miniſtrũ extraordinarium, quod facere non debet abſque gravi causâ & urgente neceſſitate juxta citatum Florentinũ Concilium, ſic enim non eſſet jus divinum explicare, ſed potius violare ac pervertere. Quemadmodum Indulgentiæ ſunt irritæ quando conceduntur non ob juſtam, piam & rationabilem cauſam, quia ſic non eſt diſpenſare, ſed diſſipare theſaurum Eccleſiæ, & procedere contra veterem & probatam Eccleſiæ conſuetudinẽ, & mentem Concilii Tridentini ſeſſ. 25. in decreto de Indulgentiis ſtatuendis, ne nimiâ facilitate enervetur diſciplina Eccleſiaſtica.

IV. Nec obſtat quod Ananias qui non erat Epiſcopus c. 9. verſ. 17. ait. (Act. c. 9 verſ. 17) *Introivit in domum & imponens ei manus, dicens, Saule frater Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in viâ, quâ veniebas, ut videas & implearis Spiritu ſancto.* Ex quo loco Calvinus infert Sacramentum Confirmationis non à ſolis Epiſcopis, ſed à Præsbyteris poſſe cõferri. Negat enim Cornelius in acta, & alii tunc Paulum fuiſſe ab Ananiâ cõfirmatũ, quia confirmatio debet ſequi Baptiſmum. At Paulus nondum erat baptiſatus. Illa igitur manuum impoſitio partim fuit curatio, & illuminatio Pauli, ut colligitur ex verbis ſequentibus verſ. 18. (v. 18.) *Et confeſtim ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ.* Lyranus & Cajetanus ſimiles ſquamis piſcium, & juxta Chriſti oraculũ (Marc.) Marci cap. ultim. *Super ægros manus imponent & benè habebunt.* Nam cœcitas Pauli non fuit intrinſeca ex læſione organi, ſed extrinſeca ſimilis cœcitati Tobiæ cap. 11. verſ. 14.

V. Quamvis Panormitanus apud Sylveſtrum verbo *Confirmatio divina*, quæſt. 1. Angelus in ſumma, verbo *Conſecratio*, Gloſſa in cap. *Manus*, de conſecrat. diſtinct. 5. aſſerant poſſe aliquem non Sacerdotem, puta Diaconum vel ſubdiaconum auctoritate Apoſtolicâ delegari ad validè Sacramentum Confirmationis adminiſtrãdum. Negant tamen communiter Meratius tractat. de Confirmatione diſp. 8

diſp. 8. ſect. 4. Amicus ſupra numer. 111. & alii communiter cum divo Thomâ in 4. diſtinct. 7. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunculâ 3. Vbi docet, quod character ſacerdotalis & eum concomitans poteſtas conſecrandi verum Chriſti Corpus eſt radix quodammodo & fundamentum omnis ordinariæ poteſtatis conferendi ex officio ſacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, ita eſt & capacitatis, quâ quis cenſetur habilis & idoneus ut illi committatur extraordinariè miniſterium Sacramenti non dantis poteſtatem conficiendi verum Corpus Chriſti, cujus non eſt ordinarius miniſter, cujuſmodi eſt ſacramentum Confirmationis reſpectu ſacerdotis: quæ omnia ad hanc rationem reduci poſſunt. Ille habet poteſtatem ſaltem delegatam in corpus myſticum ad ſacramenta illi miniſtranda utiliſſima ad ſalutem, quando non poteſt adeſſe miniſter ordinarius ſcilicet Epiſcopus, quia habet directã poteſtatem in verum Chriſti corpus. At ſoli Sacerdotes, non autem Diaconi aut Subdiaconi habent poteſtatem in corpus Chriſti verum. Igitur, &c. Quod autem à ſolo Papâ præfata diſpenſatio fieri poſſit aſſerunt Divus Thomas in 4. diſtinct. 7. quæſt. 3. art. 1. ante quæſtiunculam tertiam, & 3. part. quæſt. 72. art. 11. ad 1. Suarez, Gregorius à Valentiâ, Meratius, Amicus ſupra & alii. Ratio à priori eſt Chriſti voluntas, & inſtitutio quam colligimus ex praxi Eccleſiæ, quæ docet in hoc à ſolo Papa fuiſſe diſpenſatum. Secundò ex Concilio Florentino faciente mentionem ſolius ſedis Apoſtolicæ, quæ hanc facultatem delegavit. Tertiò, in iis quæ ſunt juris divini non debemus abſque ſufficienti traditione ad alios inferiores Prælatos extendere. Nec obeſt auctoritas S. Ambroſii in cap. 3. epiſt. ad Epheſios. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c.* & S. Auguſtini libr. qq. veteris & novi teſtamenti quæſt. 101. circa medium dicentiũ Præsbyteros per Ægyptum & Alexandriam conſignare. Explicationi ſupra allegatæ addo, quod ſi nomine Præsbyteri intelligatur ſimplex Sacerdos, quod conſignet ſeu confirmet ex commiſſione Papæ, vel ſi accipiatur is qui eſt ſimul ſacerdos & Epiſcopus, ſed abſque juriſdictione, ut notant S. Ambroſius & Auguſtinus jam citati nihil cõtra nos. Nec obſtat ſecundò Innocentius I. epiſt. 29. cap. 6. dicens Epiſcopum poſſe dare Præsbytero facultatem conſignandi & manus imponendi. Nomine enim conſignationis intelligitur (inquit idem Pontifex illo cap. 6. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum) curatio energumenorum, quæ fiebat per impoſitionem manuum. Nec obſtat tertiò Concilium Toletanum primum can. 20. his verbis. *Statutum verò eſt Diaconum non chriſmate, ſed Præsbyterum abſente Epiſcopo, præſente verò ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Ibi enim agitur de ſolâ Unctione ex chriſmate, quæ fiebat in vertice Baptizati, quæ præſente Epiſcopo interdicitur ſacerdoti, niſi Epiſcopus præcipiat. Idem habet Leo I. epiſt. 92. ad finem, & diſtinct. 95. & cap. *Omni tempore*, de conſecrat. diſt. 4. Rationem hujus prohibitionis affert Hugo à S. Victore lib. 2. de ſacramentis part. 3. cap. 3. Ex quibus collige, quod cùm delegatio illa Apoſtolica non fiat, niſi ob cauſam rationabilem, & in caſu neceſſitatis ſcilicet dum adeſſe non poteſt Epiſcopus. Non poſſunt delegati licitè illud ſacramentum Confirmationis adminiſtrare dum adeſt Epiſcopus, ſicut nec Clericus baptizare præſente Subdiacono: hic præſente Diacono, Diaconus præſente Sacerdote.

Concilii Toletan.

V. Nonnulli apud Henriquez lib. 3. cap. 2. §. 2. & cap. 7. §. 4. Bartholomæum ab Angelo dialogo 3. §. 12. & 13. ſuſtinent Chriſma ſeu materiam Confirmationis poſſe conſecrari à ſacerdote per delegationem Apoſtolicam, quam ſententiam probabilem putant jam citati auctores, Bonacina ſupra punct. 2. num. 5. Ratio eſt quia forma conſecrandi Chriſma & alia ſacramentalia commiſſa ſunt diſpoſitioni Eccleſiæ, & decreta prohibent Sacerdoti hunc actum, ſed non irritant. At à nemine poſſe conſecrari Chriſma niſi ab Epiſcopo docent Nugnus in 3. part. quæſt. 65. art. 4. &

 quæſt. 72.

quæſt 72. art. 3. diffic. 4. Pirigianus. Graſſius, Cajetanus, Chamerota. Probatur ex cap. unico. *§. ad exhibendum*, de Sacram. unct. & Concilio Toletano 8. cap. 7. dicente divinâ auctoritate prohibitum eſſe ſacerdotibus conſecrare Chriſma. Dices poteſt ſimplex ſacerdos ex commiſſione Apoſtolicâ conferre Sacramentū Confirmationis, igitur à fortiori conficere, quod videtur minus. Reſpondeo negando conſequentiam, quia in iis, quæ pendent à Chriſti inſtitutione non eſt argumentandum à majore ad minus: ſicut non valet, poteſt ſimplex Sacerdos auctoritate ordinariâ conficere corpus Chriſti, igitur & ordinare & conficere Chriſma. Deindè faciliùs transfertur Chriſma, quàm poſſit Epiſcopus in terras remotas & infideles proficiſci. Cæterùm Valerius Reginaldus lib. 28, cap 2. num. 8. Diana part. 3. tractat. 4. reſol. 23. Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 30, num. 6. dicunt hanc difficultatem poſtulare definitionem Eccleſiæ.

§. 3.

Circa Euchariſtiam.

I. PAuca hic dicemus de miniſterio ac venerabilis Euchariſtiæ adminiſtratione, primò ex privilegio Julii II. pro immunibus licet regularibus miniſtrare Euchariſtiam advenis & peregrinis etiam in die Paſchatis. Ita Peirinis, Sanchez, Novatius, noſter Lezana tomo 3. quæſtion. regul, verbo *Euchariſtia*, num 6. Ratio eſt quia in eâ re nulla fit injuria parochis propriis, cum tales advenæ & peregrini ab illis abſint. Secundò poſſunt etiam quidam regulares adminiſtrare ſacramentum Euchariſtiæ famulis actu inſervientibus, & nocte morantibus intra ſepta ex privilegio Leonis X. pro minimis, in bullâ *His quæ*, anno 1513. apud Peirinis tomo 1. privileg. minim. inter conſtit. Leonis X. num. 4. Tertiò poſſunt etiam per modum viatici ex privilegio Pii IV. & Pii V. in bullâ immarceſſibilem apud Dianam part. 5. tractat. 3. reſol. 52. & pro Theatinis tomo 2. bullarii in Pio num. 31.

II. Poſſunt etiam Regulares, & cum ipſis communicationem privilegiorum habentes miniſtrare Euchariſtiā per modum viatici ſæcularibus hoſpitibus, infirmis & commorantibus in eorum Monaſteriis. Ita Peirinis tomo 1. privileg. Minim. in conſtit. 1. Julii II. §. 37. num. 92. ex privilegio Julii II. conceſſo Minimis. Peregrinus, Pius IV. & Pius V pro Theatinis. Quomodò poſſint Regulares erigere Oratoria in ſuis clauſtris, Monaſteriis, infirmariis, patet ex privilegio Gregorii XIII. conceſſo Societati JESU in bullâ *Decet Romanum Pontificem, &c.* quo gaudent aliæ religiones, quia ſocietatem habent in privilegiis cum Societate JESU, ita Reginaldus, Peirinis, Lezana tomo 1. quæſtion. regul. cap. 21. num. 14.

III. Quod poſſint etiam Regulares tempore interdicti generalis ſingulis diebus in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis celebrare Miſſas, & perſolvere officia divina ut prius: tamen ſubmiſsâ voce, januis clauſis, campanis non pulſatis, poſt excommunicatos interdictos, excluſos ſtatuit Bonifacius VIII. in cap, *Alma mater*, de ſentent. excommun. Peirinis tom. 1. Privileg. Minim. conſtit. 2. Xiſti IV. num. 55. Sorbus, noſter Lezana tomo 1, qq. regul. cap. 21. num. 19. Gavantus, vide plura apud Lezana tomo citato, & tomo 3. verbo *Euchariſtia*, tom. 4. verbo *Miſſa*. Poteſt Pontifex diſpenſare in jejunio ante ſumptionem Euchariſtiæ, ita noſter Franciſcus Bonæ Spei tractat. de Euchariſtiâ diſput. 7. dubio. 2. num. 41. Ratio eſt, quia eſt præcepti purè Eccleſiaſtici. Undè juxta Martinon de Euchar. diſput. 35, ſect. 5, num 64. in eo diſpenſavit cum Carolo V. Cæſare, & quâdam Matrona Lemovicenſi, & Miſſa quæ in vigilia Nativitatis Domini Romæ horâ 10. celebratur, ſuppoſuit diſpenſatum aliquando cum celebrante, Solus Pontifex poteſt celebrare in altari ligneo, quod eſt in Eccleſiâ Lateranenſi per modum arcæ, & creditur Sanctū Petrum in eâ conſecraſſe, ita Gamacheus

Gamacheus & alii. Licet ad Epiſcopos de jure ſpectet conſecratio altaris, tamen Papa committere poteſt ſimplici Sacerdoti illius conſecrationem. Ita Cardinalis Lugo de Euchar. ſacram. diſput, 20. ſect. 12. num. 67. Gamacheus tract. de ſacrificio Miſſæ, Suarez, Henriquez, Fagundez apud Barboſam de officio & poteſtate Epiſcopi part. 2. alleg. 27. num. 23.

§. 4.

Circa Pœnitentiam.

I. QVando in cap. *Omnes utriuſque ſexus*, fertur, quod quilibet Sacerdoti proprio ſemel in anno vel alteri de licentiâ proprii. Per *proprium*, non tantùm intelligitur Parochus, Epiſcopus, ſed etiam Romanus Pontifex, qui inauditis Epiſcopo & Parocho poteſt facere poteſtatem cuilibet ſacerdoti excipiendi confeſſiones quorumcumque pœnitentium. Ita Paludanus part. 3. de confeſſ. dub. 5. Probatur ex cap. *dudum*, de ſepulturis in Clement. extravag. *Super cathedram*, extravag. *Inter multos*, de Privilegiis. Poteſt Epiſcopus abſolvi à quolibet ſacerdote, cui ſpontè ſe ſubmiſerit. Ita Amicus tomo 8. diſp. 15. ſect. 1. num. 13. Ratio eſt, quia quilibet ſacerdos jure divino habet poteſtatem quemcumque voluntariè ſe ſubmittentem, modò non ſit ab Eccleſiâ prohibitus. At ſedes Apoſtolica à nemine poteſt prohiberi, quin ſe ſubmittat voluntariè cuicumque voluerit, cùm nullum habeat in terris ſuperiorem.

II. In Romano Pontifice, ut in ſupremo animarum paſtore eſt poteſtas ferendi leges & præcepta circa uſus & ritus ſacramentorum, & conſequenter poteſtas determinandi tempus quoad frequentationem annuæ confeſſionis. Ita Amicus tomo 8. diſp. 18. num. 1. Ratio eſt quia licet careat poteſtate inſtituendi ſacramenta, vel immutandi quoad ſubſtantiam: tamē poteſt ſtatuere vel mutare ea, quæ ſalvâ ſacramenti ſubſtantiâ, conducunt ad utilitatem ſuſcipientium, & ſacramentorum venerationem pro temporum & locorum varietate, ut definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2.

Richardus in 4. diſtinct. 17. art. 2. quæſt. 4. ad 3. & alii negant ſummum Pontificem teneri præcepto annuæ confeſſionis. Ratio eſt, quia nullus poteſt ligari à ſeipſo vel ab alio poteſtatem in ſe ipſum non habente, ſicut eſt Papa reſpectu alterius. Nec refert ſi dicas Pontificem obligari hoc præcepto, eo quod ſit modificatio præcepti divini, quo etiam ſummus Pontifex ligatur. Ceſſante enim præcepto Eccleſiaſtico ceſſat divinum, quoad annuam confeſſionem. Fatemus enim præceptum divinum ſingulis annis obligat quatenus ab Eccleſiâ declaratur ſub præcepto illud ſingulis annis obligare. Cùm igitur Romanus Pontifex non teneatur ſequi præceptivam declarationem alterius Romani Pontificis non tenebitur hoc præceptum ſingulis annis ſervare. Alii tamen communiter affirmant Papam teneri non tantùm jure divino confiteri, cum divinis legibus ſit ſubjectus, verum etiam præcepto Eccleſiaſtico obligante fideles ad peccatorum mortalium confeſſionem ſemel in anno faciendam. Ita Covarruvias cap. *Alma mater*, de ſententiâ excommunic. in 6. part. 1. §. 1. num. 5. Reginaldus, Bonacina, Clavis Regia, Suarez, Vaſquez, Nugnus, Amicus. Ratio eſt, quia licet Sedes Apoſtolica quæad vim coercitivam non ſit ſubdita legibus Eccleſiaſticis, nec pœnas Eccleſiaſticas à jure impoſitas incurrat, tamen ex vi directivâ & honeſtate, ac jure naturali, quo caput tenetur ſe cōformare reliquo corpori, ut communiter docent Theologi tractat. de legibus. Notat Hurtado diſput. 7. de pœnitentiâ, diſſ. 9. Pontificem Romanum non obligari annuam confeſſionem tanquam præceptam & ratione obedientiæ, cum non ſit inferior Concilio, à quo per approbationem Innocentii III. promulgata fuit: ſed ob conformitatem, ut dictum eſt. III.

Difficultatem nonnulli proponunt an Pontifex poſſit diſpenſare in præ- IV.

cepto Confeſſionis. Differt diſpenſatio ab abrogatione, quod diſpenſatio legis ſit ablatio, ſeu relaxatio ejus in totum, adeò ut factâ abrogatione legis nullus amplius eâ lege teneatur. Certum eſt Pontificem licitè non poſſe diſpenſare in præcepto divino cōfeſſionis, & multò minus illud abrogare. Ita Amicus ſupra num. 22. At Hurtado diſput. 7. de pœnit. diff. 6. & paſſim Doctores ſuſtinent non poſſe omninò abrogare. Ratio eſt, quia præcepta & jura ſuperiorum nequeunt ab inferioribus auferri, nec in totum (ut fit diſpenſatione) abſque peculiari commiſſione, quâ caret Pontifex reſpectu præcepti divini de confeſſione. Quod ſi diſpenſet Pontifex in voto quod obligat jure naturali virtutis religionis, ſeu fidelitatis ſacræ, non aufert directè obligationem dictæ virtutis, ſed indirectè, cedendo nomine Dei, & tanquam ejus Vicarius verbo promiſſionis Deo collato, & quaſi juri, quod Deus acquiſivit ex dicto verbo acceptato. Conveniunt tamen Doctores Papam poſſe diſpenſare in præcepto annuæ confeſſionis, imò & illud abrogare, ita ut non maneat obligatio confitendi determinatè in quolibet anno. Ratio eſt, qui præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis eſt purè Eccleſiaſticum quoad temporis determinationem ad ſingulos annos, quod poteſt Pontifex in partem, ſeu cum aliquo, aut in totum, ſeu cum omnibus auferre, & non ſolùm validè ut patet, ſed etiam licitè, ſi dari poſſit cauſa rationabilis auferendo præfatā obligationem annuæ confeſſionis, vel in partem, vel in totum. Erit valdè expediens (inquit Hurtado) determinare aliquod tempus pro præcepto divino confeſſionis lato, pro tempore extra articulum mortis, attentis circumſtantiis temporum & perſonarum. Poteſt etiam Pontifex ſecum licitè diſpenſare ex cauſâ rationabili in præcepto annuæ confeſſionis. Poteſt etiam validè abſque cauſâ diſpenſare non minus cum aliis.

§. 5.

Circa Extremam-Vnctionem.

NVgnus probabile exiſtimat I.
poſſe ex Pontificiâ diſpenſatione materiam extremæ-Vnctionis benedici à ſimplici Sacerdote, idem cenſet Sotus. Quibus arridere videntur Scotus, Cajetanus, quidum id aſſerunt de chriſmate materiâ Confirmationis, idem dicerent de oleo materiâ Extremæ-Vnctionis. Henriquez, Valentia affirmant, quod probant quatuor rationibus infra referendis. Oppoſitam ſententiam ſuſtinent Filiucius, Layman, Bellarminus, Suarez, Coninck, Amicus, Hurtado, Gamacheus, Meratius. Probatur primo, ex Conciliis definientibus materiā hujus ſacramenti eſſe oleum benedictum ab Epiſcopo. Secundò nullum hujus diſpenſationis exemplum extat, imò ex antiquâ Eccleſiæ conſuetudine præcipitur Præsbyteris ideſt parochialibus, ut in Cœnâ Domini ferant ſecum tres ampullas ad Epiſcopum, & in primâ accipiant Chriſma, in ſecundâ oleum catechumenorum, & in tertiâ oleum infirmorum, ſicut ex Concilio Meldenſi refert Burchardus lib. 4. decretorum cap. 75. & in veteri etiam ordine Romano fit mentio harum ampullarum, & legimus ibi ſeorſim conſecrationē olei pro infirmis, & ſeorſim pro catechumenis, & de facto differt utrumque oleum per ſolam benedictionis formulam ad diverſos fines & diſtinctos effectus, cùm tamen materia ſit eadem ſubſtantialiter. Ille autem ordo Romanus eſt antiquiſſimus, & ex communi ſententiâ conſcriptus à Gelaſio Papâ. Saltem Baronius tomo 6. & alii aſſerunt fuiſſe in uſu ante tempora S. Gregorii. Denique nulla ſufficiens ratio diſpenſandi auferri poteſt. Primò quia unctio non eſt ſimpliciter neceſſaria infirmis ad ſalutē. Secundò, quia oleum poteſt facile transferri in quaſcumque mundi regiones, ſicut materia Confirmationis.

Quod ſi dicas primò, Pontificem Romanum diſpenſare ut ſimplex Sacerdos conferat ſacramentum Confirmationis, Igitur à fortiori, ſimplex ſacerdos benedicat oleum infirmorũ. Reſpondeo Concilia non dicere abſolutè miniſtrum ſacramenti Confirmationis eſſe Epiſcopum, ſed addunt ordinarium: ut innuant extraordinarium poſſe eſſe alium ab Epiſcopo. At quoad materiam Extremæ-Vnctionis dicunt abſolutè eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum. Deindè conſtat quod Pontifex Roman. aliquando diſpenſavit in miniſtro Confirmationis, non autem in oleo benedicto à ſacerdote ſimplici. Nec dicas ſecundo, qui poteſt majus, poteſt & minus. At poteſt ſacerdos hoſtiam conſecrare, quod eſt majus, ergò & oleum infirmorum benedicere. Reſpondeo illas illationes hic non habere lócum: Primo quia id pendet à volúntate inſtitutoris. Secundò quia minor poteſtas, verbi gratiâ, conſecrandi oleum non includitur in majori ſeu in poteſtate conſecrandi Euchariſtiam: ſed ſunt diſparatæ & ordinatæ ad diverſa munia. Nec dicas tertiò, quod ſedes Apoſtolica poteſt committere ſimplici ſacerdoti benedictionem Calicis, Altaris, Eccleſiæ, virginum, igitur & benedictionem olei infirmorum. Negandà eſt enim conſequentia, quia quoad priora legitur aliquandò diſpenſatum fuiſſe, non autem quoad benedictionem olei, nonobſtante occurrentium occaſionum varietate. Nec quartò dicas, quod benedictio olei eſt aliquid ſacramentale, qui autem poteſt ſacramentum conficere, poteſt & illius ſacramentale, cum igitur poſſit ſacerdos adminiſtrare ſacramentum Extremæ-Vnctionis, poterit ejus oleum benedicere. Neganda conſequentia.

II. Poſſunt plures Regulares ex privilegiis Apoſtolicis familiaribus, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramentum Extremæ-Vnctionis adminiſtrare. Ita Miranda in manuali tomo 1, quæſt. 49. art. 1. referens varia Privilegia. Noſter Lezana tomo 1. cap. 9 num. 31, & cap. 21. num. 10. tomo. 2, cap. 14. num. 34. tomo 3. verbo *Extrema-Vnctio*, n. 1. Varia etiam recenſet ſpecialiter quomodò Alexander IV. & Xiſtus IV. Carmelitis, Clemens IV. Minoribus, Martinus V. Benedictinis, Leo X. Minimis conceſſerunt facultatem ſacramentum Extremæ-Vnctionis miniſtrare ſuis familiaribus vel pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus.

§. 6.

De Ordine.

Poteſt ſimplex Sacerdos ex Apoſtolicâ diſpenſatione aliquos Ordines conferre. Ita Filiucius, Covarruvias, Henriquez, Barboſa, Victorinus, Petrus Soto, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Nugnus, Augnianus, Molfeſius. Sanchez, Alzedo, Gamacheus, Hurtado, Amicus, noſter Lezana tom. 4. quæſtion. regul. verbo *Ordines ſacri*, num. 6. Primò probatur quoad minores ex cap. *Quoniam*, diſtinct. 69. cap. *Cùm contingat*, extra. *de ætate Ordinandorum*. Vbi apertè conceditur Abbatibus regularibus facultas ordinandi Lectores in ſuis Monaſteriis: at eadem eſt ratio aliorum Ordinum. Item cap. *Abbates*, de privilegiis in 6. Eiſdem permittitur conferre primam tonſuram. Probatur ſecundò ex Concilio Florentino in unione Armenorum dicente Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium, quibus tacitè ſignificat eſſe alium extraordinarium, ſaltem pro minoribus Ordinibus. Item ex Concilio Tridentino ſeſſ. 20. de reformatione cap. 10. prohibente nè ullus Abbas etiam exemptus conferat tonſuram & minores Ordines aliis, quàm Religioſis ſibi ſubditis, ex quibus infertur aliquos habere talem facultatem. Probat Bonacina de Sacramento Ordinis diſp. 8. quæſt. unic. puncto 4. num. 3. Ex facultate Apoſtolicâ conceſſa Cardinalibus Præsbyteris ex conſuetudine adminiſtrandi minores Ordines, quod etiam de licentiâ Papæ poſſit quilibet alius ſimplex Sacerdos conferre minores Ordines — I.

dines minores oſtendunt Victoria de Sacramentis num. 221. Henriquez lib. 10. cap. 23. num. 1. Reginaldus lib. 30, tract. 1. num. 11. & ſeq. Cajetanus apud Henriquez. Ratio eſt, quia nulla poteſt afferri ratio ſufficiens cur ſedes Apoſtolica illam facultatem nequeat concedere.

II. Quoad Ordines Subdiaconatus & Diaconatus non poſſe ab alio, quàm ab Epiſcopo coferri, docent Covarruvias, Sylveſter, Sayrus, Navarrus, Molfeſius, Campanile, Alzedo, Domit. Camerota, Marchinus, D. Thomas in ſupplementò ad 3. part. quæſtion. 38. art. 1. ad 3 arg. & in 4. ſent. diſtinct. 7. quæſt. unic. art. 5. verſu *Talia verò*. Azotius, Cardinalis Bellarminus, Emmanuel, Iodocus Coccius, Sanchez, Barboſa, Alzedo, Martinus Fornarius, Bonacina, Soto, Benſonius qui ait bullam Innocentii I. quæ videbatur pertinere Abbatibus, ut ordinarent Subdiaconos & Diaconos, intelligendam ſolùm de poteſtate concedendi litteras dimiſſorias pro iis Ordinibus ab Epiſcopo conferendis. Et ita fuiſſe declaratum Romæ in Congregatione Concilii Tridentini anno 1592. & explicatam à Clemente VIII. in bullâ Ciſterciensium. Nihilominus oppoſitam ſententiam probabiliorem exiſtimant Angelus, Gloſſa, Innocentius IV. Panormitanus, Aureolus apud Capreolum, Vivaldus, Gabriel, Gamacheus, Hurtado, Amicus, Meratius, Paludanus, Navarrus, Victoria affirmat ſe legiſſe bullam in quâ Papa concedebat quibuſdam Abbatibus Ordinis Ciſtercienſis poteſtatem conferendi Subdiaconatum. Item aſſerit Suarez hanc Bullam ſcilicet Innocentii VIII. refert Emmanuel Rodriguez tomo 1. quæſt. 18. art. 5. Suarez ſupra idem affirmat de Diaconatu. Addit Abbas Sandionyſianus apud Gamacheum ſe habere Bullas præfatorum privilegiorum, nec probabile eſſe has omnes eſſe ſuppoſitas & ſubreptitias, cùm tot jam annis ſint toleratæ, nec manifeſto ſedis Apoſtolicæ decreto unquam reprobatæ. Et licet Benſonius aſſerat Bullam Innocentii fuiſſe Romæ explicatam, non tamen idem ſequitur de cœteris Bullis cùm odia ſint reſtringenda. Deindè quamvis hodiè revocaretur, vel jam revocata eſſet ejuſmodi poteſtas, non tamen ſequitur prius non extitiſſe. Aliud enim eſt loqui de facto, aliud de poſſibili. Poſſe etiam Præsbyteratum adminiſtrari à ſimplici ſacerdote delegato à Sede Apoſtolicâ docent multi ex citatis auctoribus præcipuè Aureolus in 4. diſtinct. 25. art. 1. Meratius, Hurtado, Paludanus quam opinionem etiã approbat Vaſquez de Ordine diſput. 243. cap. 5, & Ochagania quæſt. 7. Probatur primò ex Eugenio IV. in ſuo decreto, dum ait: *Ordinarius Miniſter hujus ſacramenti* (ſcilicet Ordinis) *eſt Epiſcopus*. Ex quibus ſequitur non Epiſcopum poſſe ex commiſſione eſſe miniſtrum ſacramenti Ordinis ac proindè etiam ſacerdotalis, quia non eſt major ratio unius quàm alterius. Secundò probatur ex Concilio Florentino, quod poſtquam de Subdiaconatu, Diaconatu, & Præsbyteratu egit, ſtatim ſubjungit Epiſcopũ eſſe miniſtrum ordinarium hujus ſacramenti, igitur innuit alium eſſe miniſtrum delegatum ſeu extraordinarium. Tertiò ſacri Canones prohibent nè Corepiſcopi Diaconatum & Præsbyteratum adminiſtrent inconſulto Epiſcopo. At nonnulli colligũt ex Damaſo Papâ Corepiſcopos non fuiſſe veros Epiſcopos, ſed habuiſſe aliquam partem ſollicitudinis Epiſcopalis. Probatur quartò, ſimplex ſacerdos ex indulto Apoſtolico poteſt adminiſtrare ſacramentum Confirmationis, igitur poteſt etiam conferre omnes Ordines majores.

Ex quibus tamen non ſequitur poſſe Epiſcopum ordinari à ſimplici ſacerdote per delegationem Apoſtolicam. Ideò enim poteſt per diſpenſationem Apoſtolicam conſecrare ſacerdotem & reliquos Clericos inferiores; quia (inquit Paludanus) habet characterem ſacerdotalem, & Ordinum inferiorum: at ſimplex ſacerdos caret charactere Epiſcopali, ſive eo, quod addit Epiſcopatus ad characterem ſacerdotii. Nemo autẽ dat quod non habet. Secundò, minor benedicitur à majore, non autem major à III.

minore

minore ex doctrinâ Apoſtoli. At Epiſcopus eſt major ſimplici ſacerdote, igitur non poteſt committi ſacerdoti tanquam principaliori miniſtro poteſtas conſecrandi Epiſcopum, & quidẽ ex Chriſti inſtitutione (inquit) Hurtado.

IV. Notat Gamacheus ſupra Sedem Apoſtolicam poſſe revocare poteſtatem extraordinariam ordinandi, ita ut ſequentes ordinationes ſint irritæ & inanes. Ratio eſt quia hæc poteſtas eſt tantùm accidentaria, non eſſentialis reſpectu ſacerdotis, & eſt tantùm de jure humano, non divino, ex gratia duntaxat & diſpenſatione, non ex vi Ordinis & characteris. Et licet extenſio illa characteris in ſacerdote ut ex privilegio poſſit ordinare ſit divina, quæ eſt ad effectum divinum, & omninò ſupernaturalem, non tamen eſt de jure divino, ut debeat extendi, & hoc ſit neceſſarium, ſicut in Epiſcopis, patet ex Gloſſa in cap. *Quanto.* extra. de conſuetudine, ubi ait poteſtatem confirmandi conceſſam Præsbytero poſſe à ſede Apoſtolicâ revocari. Idem aſſerunt Alexander de Ales part. 4. quæſt. 28. membro 1. Suarez ſupra. Et confirmatur ex eo quod hæc poteſtas ordinandi non communicatur ſacerdoti per ordinationem, nec per manuum impoſitionem, ſed datur etiam abſenti per litteras, vel verbo ſolo, vel nutu. Non datur etiam per realem impreſſionem novi characteris, nec per extenſionem realem prioris, ut nonnulli affirmant de charactere & ordinatione Epiſcopali, ſed per ſolam delegationem & deputationem externã conſiſtentem in merâ relatione rationis, ſaltem (ut dictum eſt) non eſt de jure divino, nec eſſentialis, nec ex vi ordinationis ſacerdotalis, ſed ſolùm poteſtas accidentaria ex privilegio & ad nutum. Vnde poteſt Papa dare facultatem ordinandi unicum, vel duos, & non plures, vel pro uno die determinato, pro ut voluerit. Et tunc ultra determinationem temporis & perſonæ non valet privilegium.

V. Religioſi reclamantes contra ſuam profeſſionem ſi exiſtentes in Religione ſuſceperint ſacros Ordines cum ſcientiâ aut dubio de invaliditate ſuæ profeſſionis, ſi ad ſæculum revertantur indigent diſpenſatione Apoſtolicâ ut in ſuſceptis Ordinibus poſſint miniſtrare. Ita Lezana tomo 4. quæſtion. regular. verbo *Ordines ſacri*, num. 18.

Poteſt Sedes Apoſtolica diſpenſare ad Matrimonium cum eo qui ſuſcepit Ordines majores, imò cum Sacerdote, ſive hic ex voto, ſive ex lege Eccleſiaſtica ſic ſit inhabilis ad contrahendum. Ita Amicus de Ordine diſput. 22. ſection. 13. num 92. Ratio eſt, quia utrumque pendet ex ſtatuto Eccleſiæ, in quo Pontifex habet plenam poteſtatem diſpenſandi. Quod enim tale votum dirimat Matrimonium, non habet ex jure divinò aut ex naturâ ſuâ, ſed ex ſolâ Eccleſiæ inſtitutione, ut definiunt Bonifacius VIII. de voto in 6. & Gregorius XIII. in extrav. *Aſcendente Domino*, Quare licet Pontifex non habeat cauſam ſufficientem relaxandi votum Continentiæ cum eo qui eſt in ſacris conſtitutus, valet Matrimonium. Quia hic effectus dirimendi Matrimonium pendet ex ſolâ conſtitutione Eccleſiæ. Cæterum cùm hic non ſit, ſic in voto continentiæ diſpenſatus; ut potè in quo defuit legitima cauſa diſpenſandi, non poterit petere debitum conjugale, tenebitur tamen reddere. Licet enim à tali voto per diſpenſationẽ ſit ſublata ſolemnitas, quæ ipſæ validitati Matrimonii obſtabat, tamen votum non eſt relaxatum, cum hoc non relaxetur abſque causâ. Vt autem Apoſtolica diſpenſatio ſit valida quoad votum ſufficit ſi cauſa ſit probabiliter putata. VI.

§. 7.

Circa Matrimonium.

Romanus Pontifex poteſt in totâ Eccleſiâ aſſiſtere Matrimonio, & ad id alteri conferre licentiam. Ita Hurtado de Matrimonio diſput. 5. diff. 9. & Doctores commu- I.

communiter. Sotus in 4, diſtinct. 29, quæſt. 2, art. 1. Henriquez cap. 12. aſſerunt Matrimonium contractũ inter inhabiles inhabilitate, in quâ poteſt Papa diſpenſare, ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, non perficitur poſt obtentam diſpenſationem abſque novo conſenſu. Ratio prima eſt, quia præfata conditio, *Si Papa diſpenſet*, pendet ex arbitrio Principis, ac proindè jure cenſetur impoſſibilis, l. *apud Julianum*, §. final. ff. de legatis. Conditio autem impoſſibilis habetur pro non appoſitâ, ac proindè contractus ſub illâ celebratus ſtatim eſt abſolutus. Sed Matrimonium abſolutè factum, quando contrahentes ſunt inhabiles eſt nullum, & indiget novo conſenſu tempore habilitatis. Igitur Matrimonium ſub præfatâ conditione eſt nullum, & indiget novo conſenſu poſt obtentam diſpenſationem per quam fiunt habiles. Ratio ſecunda eſt, quia matrimonium carens conſenſu de præſenti abſoluto & inter perſonas habiles nequit eſſe perfectum. At in dicto caſu nunquam eſt conſenſus de præſenti abſolutus, & inter perſonas habiles, quia tempore quo fuit elicitus conſenſus, & erat de præſenti, perſonæ erant inhabiles. Et quamvis tempore impletæ conditionis jam perſonæ erant habiles, tamen tunc non eſt conſenſus de præſenti, ſed præteritus & antiquus. Igitur, &c.

II. Opinio contraria videtur probabilior, quam ſequuntur Ægidius diſp. 19. num. 33. Sancius, Hurtado, affirmantes Matrimonium in dicto caſu perfici obtentâ diſpenſatione Apoſtolicâ abſque novo conſenſu. Ratio eſt quia in dicto caſu reperitur conſenſus de præſenti abſolutus, & inter perſonas habiles. Igitur ſufficiens eſt ad matrimonium abſque novo conſenſu, clara eſt conſequentia. Probatur antecedens & declaratur. Quia conſenſus ille conditionatus, ut ſic eſt de præſenti, & eſt inter perſonas habiles ad contrahendum ſub dictâ conditione. Item perſeverat uſque adimpletionem conditionis, ſcilicet diſpenſationis Apoſtolicæ, quia ille cõſenſus de præſenti fit abſolutus, & cõtrahentes fiunt habiles ad conſenſum abſolutum. Igitur verè adeſt conſenſus abſolutus de præſenti, & inter perſonas habiles. Vndè ad prius argumentum reſpondent, quod licet præfata conditio pendeat ex Principis arbitrio, non eſt cenſenda impoſſibilis eo quod diſpenſatio fieri ſolet, & id quod pendet à Principe tunc ſolùm cenſetur impoſſibile, quando à Principe fieri non ſolet, ut habetur in citatâ lege. Poſterius etiam ſolvitur ex dictis.

Navarrus cap. 22. num. 61. Petrus Ledeſma, Ægidius, Hurtado contra Sotum in 4. diſtinct. 29. quæſt. 2, art. 3. Sancium, Baſilium. Idem concludunt de hac conditione de futuro appoſitâ Matrimonio. *Si placuerit Patri*. Licet Pater primò diſſentiat. Ratio eſt, quia quamvis verbis dictæ cõditionis in rigore ſumptis, eo priore diſſenſu conditio deficiat: tamen juxta communem ſenſum & intentionem contrahentium verba dictæ conditionis non ſumuntur in rigore, ſed morali quodam modo, ita ut ſit ſenſus. Si à Patre fuerit obtentus conſenſus intra tempus aliquod, arbitrio prudentis, attentis circumſtantiis, ſicut quando contrahitur ſub conditione, *Si Papa diſpenſaverit*. Licet ergò Pater in principio diſſentiat, ſi poſtea conſentiat intra tempus, ad quod uſque extenderunt conſenſum conditionatum abſolutè valet. III.

Etſi ſedes Apoſtolica vel Eccleſia nequeat diſſolvere Matrimonium cõſummatum baptiſatorum, eo quod ex unâ parte ſit indiſſolubile jure divino & naturali, & ex alterâ non agnoſcatur in Papâ vel in Eccleſiâ aliqua facultas peculiaris ad id conceſſa, ſine quâ non poteſt diſſolvere, quod eſt jure naturali & divino indiſſolubile. Nihilominus poteſt diſſolvere matrimonium ratum, nec dum conſummatum baptiſatorum. Ita Navarrus cap. 22. num. 21. Antoninus, Cajetanus, Sancius, Henriquez, Hurtado contra Covarruviam 4, decret. part. 2. cap. 7. §. 4. num. 14. Scotum in 4. diſtinct. 31. quæſt 1. Sotum diſp. 27. Paludanum, Baſilium. Ratio eſt, quia IV.

diſſolutio

diſſolutio matrimonii rati ſæpè expedit bono fidelium, & aliàs fieri poteſt ſine magnâ inconvenientiâ. Igitur credibile eſt Papam accepiſſe à Chriſto peculiarem facultatem ad id. Confirmatur ex eo quod Cajetanus, Antoninus, Henriquez aſſerunt ſe vidiſſe diſſolutionem matrimonii factam ab Eugenio IV. & Martino V. Navarrus refert ſe obtinuiſſe à Paulo III. & Pio IV. diſſolutiones. Probatur ſecundò quia matrimonium ratum diſſolvitur profeſſione ſolemni in Religione, ut patet ex cap. 2. 7. & 14. de converſione conjugatorum, & Concilio Tridentino ſeſſ. 24. canon 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non conſummatum per ſolemnē Religionis profeſſionem alterius conjugium non dirimi anathema ſit.* At non diſſolvitur jure naturali profeſſionis, nec divino. Poteſt igitur jure Pontificio gerentis vicem Dei per poteſtatatem extraordinariam ſuperadditam poteſtati ordinariæ, quà non poteſt ſeparare, quod Deus conjunxit. Quia verò Papa id non efficit poteſtate ordinariâ ſuperioris humani, ſed extraordinariâ. Sancius, Hurtado & alii exiſtimant diſſolutionem matrimonii rati factam ſine causâ rationabili eſſe illicitam, & invalidam, ſicut eſſet invalida & illicita ſi fieret ſine causâ. Ratio eſt, quia credibile eſt Pontificem non accepiſſe poteſtatem extraordinariam ad id validè faciendum pro nutu ſuo, & abſque causâ. Nec obeſt illud Matthæi cap. 19. verſ. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Intelligitur enim de Matrimonio conſummato, ut patet ex textu & explicatione Alexandri III. in cap. 7. de converſ. conjugatorum. Dices primò, Matrimoniū etiam non conſummatum eſt ſacramentum ſignificans unionem Chriſti cum Eccleſiâ, ſicut ergò unio Chriſti cum Eccleſiâ diſſolvi non poteſt, ſic nec Papa poteſt diſſolvere matrimonium etiam dumtaxat ratum. Reſpondeo Matrimonium ratum defectu commixtionis corporum, quâ conjuges fiunt una caro non ſignificare unionem Chriſti cum Eccleſiâ factam per Incarnationem, quam Matrimonium conſummatum ſignificat. Tamen ob conjunctionem animorū pertinentem ad Matrimonium ratū, quod quodammodo eſt indiſſolubile à Papâ poteſtate extraordinariâ, diſſolubile fuit congruenter aſſumptum ad ſignificandam unionem Chriſti cum Eccleſia media charitate factā, quæ eſt indiſſolubilis, quoad Eccleſiam ſemper factam, & diſſolubilis quoad particularia membra. Dices ſecundò, matrimoniū licet dumtaxat ratum eſt ſuâ naturâ, ſeu jure naturali indiſſolubile, igitur Pontifex Romanus non poteſt illud diſſolvere. Reſpondeo, quod licet obligatio radicalis orta ex matrimonio correſpondens dominio orto in altero conjuge (in quâ conſiſtit vinculum) non poſſit ſuâ naturâ, ſeu ſuo naturali jure extingui, & diſſolui ab ipſis conjugibus, nec à Papa per poteſtatem ordinariam generalē, nihilominus poteſt ab eo per poteſtatem extraordinariam.

Concilii Trident.

Mat. 19 verſ. 6.

V. Dices tertiò nequit Pontifex diſſolvere conſummatum baptiſatorum, igitur nec ratum: cum utrumque habeat eandem naturam & eſſentiam. Reſpondeo nonobſtante eadem natura & eſſentia matrimonii rati & conſummati, tamen conſummatum addere ſupra ratum commixtionem carnalem conjugum, ratione cujus diſſolutio naturaliter fieri non poteſt abſque inconvenientia. Ideò non accepit à Deo ſpecialem facultatem ad diſſolvendum conſummatū, licet acceperit ad diſſolvendum ratum. Dices quartò, ſequeretur Principem gentilem poſſe diſſolvere matrimonia rata ſuorum ſubditorum, eo quod tantâ polleat auctoritate circa contractus civiles & prophanos ſuorum, qualis eſt contractus Matrimonii eorum, quàm Papa circa ſacrum contractum baptiſatorum. Nam Princeps gentilis habet etiam ſupremam auctoritatem in ſuos. Reſpondeo ideò Principem gentilem nō poſſe diſſolvere matrimonium ratum ſuorum ſubditorū: quia caret poteſtate peculiari collatâ Papę à Deo, ſed ſolùm pollet poteſtate ordinariâ humani ſuperioris, qua in hac ma-

teria Pontifex nequit uti.

VI. Matrimonium ratum baptiſatorũ non diſſolvitur per ſuſceptionem Ordinis ſacri. Probatur ex extravagante *Antiqua*, de voto. Primò quia nullo jure id convenit Ordini etiam Epiſcopali. Secundò verè diſſolvi per profeſſionem ſolemnem ab altero conjuge in religione factam, patet ex cap. 2. 7. & 14. *De converſione conjugatorum*, & Concilio 24. canon. 6. proindéque poſt profeſſionem emiſſam poteſt *alter conjux tranſire ad alias nuptias*. Non verò matrimonium cõſummatum diſſolvi poteſt cùm de ejus diſſolutione nihil conſtet. Quod ſi matrimonium diſſolvatur ob ejus profeſſionem melius fieri poteſt profeſſione utriuſque. Ratum matrimonium per profeſſionem ſolemnem diſſoluitur ſolo jure Eccleſiaſtico & Apoſtolicò. Ita Leſſius cap. 41. dub. 8. Michael Medina, Ægidius, Hurtado, non autẽ natura ipſa ſeu jure naturali, ut docent Durandus in 4. diſt. 27, quæſt 2. Paludanus, Covarruvias. Nec jure divino ut ſuſtinent Sotus in 4. diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 4. Sancius, Baſilius. Probatur quia matrimonium ratum non diſſolvitur naturâ ipsâ, ſeu jure naturali profeſſionis, neque jure divino. Igitur ſolo jure Eccleſiaſtico conſequentia clara eſt. Probatur antecedens, quod non diſſolvatur naturâ ipsâ profeſſionis. Quia traditio, quâ quis ſe Deo tradit & religioni, non eſt natura ſua incõpoſſibilis cum nexu matrimoniali, ut patet in eo, qui poſt matrimonium conſummatum annuente altero conjuge emittit profeſſionem ſolemnem in quo poſt profeſſionem vinculum perſeverat: & ratio eſt, quia ſolemnis profeſſio, primò non eſt incompoſſibilis cum vinculo matrimonii ratione traditionis, qua profeſſus ſe tradit Deo: quia ſi ratione alicujus, maximè ob caſtitatem, quæ vovetur ſolemniter, at non ratione hujus, quia Religioſus per illud votum non aliter traditur Deo, quàm ſe obligando ex virtute Religionis ad caſtitatem ſervandam, ſicut voto ſimplici. Sed hæc obligatio non eſt incompoſſibilis cum vinculo ſeu obligatione radicali juſtitiæ ad reddendum alteri debitum, ut patet quia habens votum ſimplex caſtitatis validè contrahit matrimonium, & tamen eſt in eo, & perſeverat obligatio religionis da caſtitatem ſervandam. Obligatio enim Religionis & juſtitiæ ſunt diverſæ rationis, ac proindè non ſunt incompoſſibiles, etſi verſentur circa objecta incompoſſibilia. Præterea ſolemnis profeſsio non eſt incompoſsibilis cum vinculo Matrimonii adhuc conſummati ob traditionem quâ Religioſus traditur tantùm religioni ad præfata ex virtute Religionis, & non ex juſtitia, & non ut mancipium, ſed ut filius & ſubditus. Eſto tradatur ex juſtitia, & quaſi ex pacto, ut poſsit dirigi & compelli, non obeſt vinculo ſeu obligationi juſtitiæ matrimonii reddendi debitum. Quia horum actus vel objecta benè compatiuntur, eo quod reddendo non ageret contra admiſſam obligationem juſtitiæ, ut poſſit dirigi & compelli. Inſuper licet profeſsio ſolemnis eſſet ſuâ naturâ incompoſsibilis cum vinculo matrimonii, hoc vinculum ut potè antecedens potius impediret valorem profeſsionis, quàm diſſolveretur per eam ſupervenientem; eo quod per contractum matrimonii, conjux eſt jam ex juſtitia factus alterius, proindèque nequit poſtea alteri poſeſsione tradi. Denique matrimonium ratum non diſſolvitur per profeſsionẽ jure divino, eo quod ab Aſcenſione Chriſti nullum eſt jus novum, divinũ, & tamen ſolemnitas votorum eſt introducta, & inventa ab Eccleſia, ut patet ex cap. unico in 6. & extravag. *Aſcendente Domino, &c.* à Gregorio XIII. Igitur ſolemnis profeſsio non diſſolvit jure divino matrimonium ratum. Non enim credibile eſt fuiſſe à Chriſto traditam vim ſolemnitati votorum inventæ quidem ſeu potius adumbratæ in lege naturæ & Moiſaicâ, Platus de bono ſtatû Religionis. lib. 2. cap. 19. amplexatæ à ſanctiſſimis Patribus Eliæ & Eliſeo ac filiis Prophetarum, eorumque ſucceſſoribus. D. Hieronymus epiſt. ad Paul. S. Iſidorus lib. 2. de offic. cap. 10. noſter Ioannes 44 Patriarcha Ieroſol.

lib.

lib. de inſtitut. monach. cap. 9, Xiſtus IV. Gregorius XIII. & alii Pontifices, Lezana quæſtion. regul. tomo. 1. cap. 1. num. 2. Perfectæ & conſummatæ à tempore Chriſti & Apoſtolorum, quos fuiſſe veros & perfectos Religioſos aſſerit Vaſquez 1. 2. diſp. 65. cap 5. ſed hanc votorum ſolemnitatem introduxit Eccleſia, juxta cap. *Vnito.* in 6. Cùm igitur Matrimonium ratum non diſſolvatur per profeſſionem ſolemnem jure naturali ipſius, neque jure divino, ſequitur diſſolvi jure Eccleſiaſtico lato per poteſtatem extraordinariam. Iure (inquam) olim ſcripto (inquit Hurtado) ſed poſtea perdito, vel vivâ voce tradito, quod nunc in capitibus juris ſupponitur olim fuiſſe traditum.

VII. Dices cum Durando, Paludano, Covarruvia ſuprà matrimonium diſſolvi naturâ ipsâ, ſeu jure naturali profeſſionis ſolemnis, quia profeſſio ſolemnis eſt mors civilis vel ſpiritualis. Igitur ſuâ naturâ eſt ſufficiens ad diſſolvendum matrimonium ratum, quod ante cõſummationem eſt duntaxat vinculum ſpirituale animorum. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam: quia licet profeſſio ſolemnis ſit mors civilis vel ſpiritualis in eo ſenſu, quod per eam aliquis obligatur ad deſertionem vitæ mundanæ. Hoc tamen genus mortis non eſt incompatibile cum vinculo Matrimonii, ut patet. Dices ſecundò licet unicuique jure naturali priorem ſtatum relinquere, & tranſire ad perfectiorem: ſed conjux profitendo ſolemniter in religione tranſit ad ſtatum perfectiorem. Igitur profitendo ſolemniter diſſolvit priorem ſtatum conjugii. Reſpondeo negando licere unicuique jure naturali tranſire ad perfectiorem ſtatum, quando jure juſtitiæ tenetur in alio ſtatu: alioquin licet mãcipio religionẽ profiteri invito domino. Liceret etiam conjugi poſt matrimonium conſummatum invito altero votũ religionis emittere. Dices tertiò cum Soto, Sancio, Baſilio diſſolutionem jure divino deduci ex cap. 7. *de converſione conjugatorum*, ubi Alexander III. ait diſſolutionem matrimonii per profeſſionem deduci ex ſacri eloquii interpretatione, & ex cap. 14. ubi Pontifex ait ſanctos ex revelatione divinâ à matrimonio rato tranſiiſſe ad ſtatũ perfectiorem. Reſpondeo textum non dicere diſſolutionem matrimonii deduci ex ſacri eloquii interpretatione, ſed tantùm dicere id, quod Chriſtus ait Matthæi cap. 5. & 19. ſcilicet non eſſe dimittendam uxorẽ, niſi ob fornicationem poſt matrimonium conſummatum, quod ipſis nõ favet, & cap. 14. habetur tantùm nõnullos ſanctos ex divinâ revelatione, quæ eſt ſuprà omnem legem deſeruiſſe conjuges ante conſummatum matrimonium, quod ipſis non favet, imò potius advertatur. Quia ibi ſupponitur aliquos ſanctos id præſtitiſſe, non lege divinâ communi, ſed revelatione ſpeciali, & inſpiratione ipſis, & pro ipſis factâ.

Vota Tertiariorum & Tertiariarũ S. Domininci, S. Franciſci, S. Auguſtini, noſtri Ordinis, &c. quæ collegiatè vivunt ſub regimine Prælati, ex vi ſuæ regulæ approbatæ, ſub quâ emittunt vota (inquam) illa diſſolvunt matrimonium ratum non conſummatum. Ita Sancius lib. 2. diſp. 18. Baſilius lib. 9. cap. 8 Hurtado ſupra difficult. 7. Ratio eſt, quia (inquit Paulus III, conſultus à Patribus Dominicanis) eorum vota abſoluta & ſine reſtrictione ſunt Profeſsio ſolemnis, cùm nihil in illis deficiat ad ſolemnitatem profeſsionis. VIII

Vota Tertiariorum & Tertiariarũ præfatorum collegialiter non viventium, ſed in propriis domibus ſub arbitriò & regimine Prælati diſſolvere matrimonium ratum tenet Baſilius, quæ opinio non diſplicet Hurtado ſupra. Ratio eſt, quia eo ipſo eorum vota non ſunt profeſsio ſolemnis. IX.

Sedes Apoſtolica poteſt diſpenſare in impedimentis impedientibus, quæ ſolo jure Eccleſiaſtico impediunt, ſi aliqua talia perſeverant. Ita cõmuniter Doctores. Ratio eſt, quia ſicut votum licet ex natura rei, ſeu jure naturali impediat, tamen poteſt ex cõmiſsione extraordinariâ Chriſti ſuperadditâ Chriſti officio ſummi Paſtoris & legiſlatoris Eccleſiaſtici, quæ X.

Ioannis cap. 21. his verbis data eſt. *Paſce oves meas*, ad remittendum ex parte Dei obligationem ortam ex voto ipſi Deo facto. Quia verò hæc eſt ſuperaddita Pontifici, non abſolutè & in deſtructionem, ſed dumtaxat in ædificationem: ideo voti diſpenſatio erit invalida, ſi fiat abſque cauſa rationabili ſpirituali cedente in ædificationem. Poteſt etiam ſedes Apoſtolica diſpenſare in ſponſalibus initis cum unâ, quæ ſuo jure naturali impediunt contrahere cum alterâ. Ratio eſt quia ex dictis poteſt diſpenſare in matrimonio rato. Igitur à fortiori in ſponſalibus, extraordinariâ tamen & ſuperadditâ Chriſti commiſſione. Quod etiam validè non efficiet, niſi ex rationabili causâ ſpirituali cedente in ædificationem, ut ſi formidetur, quod prior ſponſæ dabit ſponſo occaſionem peccandi, vel ſi ex matrimonio cum ſecundâ ſperetur pax publica.

XI. Papa poteſt etiam diſpenſare in impedimentis ſolo jure Eccleſiaſtico dirimentibus. Ita paſſim Doctores. Non verò in impedimentis jure naturali dirimentibus, ita etiam communiter Doctores. Ratio eſt, quia Pontifex id nequit poteſtate ordinariâ ſuperioris purè humani, ut patet. Neque extraordinariâ aliquâ & ſuperadditâ Dei commiſſione. Ratio eſt quia non conſtat eam à Chriſto acceptam. Vndè (inquit Hurtado de matrimonio diſput. 26. difficult. 1.) Pontifex nequit diſpenſare in impedimento impotentiæ perpetuæ, neque in impedimento ligaminis, neque in impedimento conſanguinitatis in lineâ rectâ. Ratio eſt, quia hæc tria dirimunt jure naturali. Neque in impedimento erroris. Ratio eſt, quia error dirimit ex defectu conſenſus, quem Papa nequit ſupplere. Poteſt tamen diſpenſare in impedimento cōſanguinitatis in linea tranſverſali in quocumque gradu, item in impedimento cognationis ſpiritalis & legalis, & affinitatis in quacumque lineâ, & in quocumque gradu, & impedimento ſolemnis voti caſtitatis; & in impedimento Ordinis ſacri, & in omnibus aliis dirimentibus. Ratio eſt, quia ea omnia præter quatuor prius dicta dirimunt ſolo jure Eccleſiaſtico. Poteſt etiam papa diſpenſare in radice matrimonii quoad effectus Eccleſiaſticos, non autem quoad effectus ſæculares. Ita Molina tom. 3. de juſtitia tractat. 2. diſput. & 62. Ægidius, Hurtado, & alii contra Sancium, verbi causâ, poteſt diſpenſare quoad illegitimam, quætalis eſt. Ratio eſt, quia concepta proles ex matrimonio nullo ob impedimentum jure Eccleſiaſtico dirimens nequit habilitari ad ea officia ſæcularia, ad quæ illegitimus eſt inhabilis jure civili. Quia nequit tollere radicem illius, nec efficere matrimonium non fuiſſe nullum. Poteſt tamen Sedes Apoſtolica habilitare ad omnia Eccleſiaſtica. Ratio eſt quia licet nequeat auferre illegitimationem, ex qua procedit inhabilitas ad illa, tamen poteſt ipſam inhabilitatem immediatè & in ſe ipſâ tollere. Ratio eſt, quia jure Eccleſiaſtico oritur ex illegitimatione, in qua etiam poteſt Papa diſpenſare. Vide utriuſque opinionis auctores & rationes apud Amicum tom. 9. diſp. 25. ſect. 1. 2. & 3.

CAPUT II.

De poteſtate Apoſtolicâ circa Cenſuras.

I. NOnnullas figuras ex Elianâ hiſtoria depromptas intermittemus alibi æquè commodè referendas. Sedes Apoſtolica non incurrit excommunicationes. Ita Arriaga de legibus diſput. 18. ſect. 5. num. 67. Bonacina de cenſuris diſp. 1. quæſt. 1. puncto. 4. Suarez & alii cōmuniter. Probatur ex cap. *Quoties*, quæſt. 7. & ibi Doctores. Ratio eſt, quia nullus eſt inferior ſeipſo, nec habet auctoritatem coactivam contra ſeipſum, imò nec quis contra æqualem. Nec obſtat primò *Facilius*, de pœna diſtinct. 6. *Facilius Deum placari qui ſeipſos excommunicabant*. Ibi verbum *excommunicabant*, ſumitur pro *redarguebant, removebant*, ita ut ſenſus

ſus ſit quod Deus facilius placabitur, ſi delinquens ſeipſum redarguerit, vel ab altari removerit. Nec obſtat ſecundò cap. *Nunc autem.* diſtinct. 27. *Tuo te ore condemna.* Id enim intelligitur judicialiter, ſeu papatum deponendo, & proprium errorem fatendo. Conſule Filiucium tractat. 11, cap. 2. quæſt. 9. num. 41. Suarem ſupra, Vgolinum tab. 1. cap. 17. & alios, Vnde ſi Papa ferat cenſuram contra omnes furantes, & præceptum imponat Epiſcopo denunciandi illam cenſuram, Papa non incurret, licet ſurripiat rem alienam, ſed Epiſcopus vel alius denuncians.

II. Papa poteſt ferre irregularitatem per ſententiam, ſeu ab homine. Ita Bonacina de irregularitate diſput. 7. quæſt. 1. punct. 2. num. 2. Ratio eſt quia licet irregularitas nulla ſit, niſi ſit in jure expreſſa, tamen poteſt juri communi derogare, ſeu is poteſt auferre irregularitatem, qui poteſt cōdere jus canonicum, ut patet ex cap. *Is qui*, de ſentent. excommunicat. ubi aſſeritur nullam eſſe irregularitatem, niſi ſit expreſſa in jure ſcilicet canonico, ex Hoſtienſi & aliis communiter, apud Suarem diſput. 40, ſect. 3. num. 11. at poteſtas condendi jus canonicum eſt Papa, igitur, &c.

III. Papa diſpenſare poteſt in omni irregularitate jure humano introductâ. Ita Bonacina de irregularitate diſp. 7. quæſt. 5. par. 1. num. 1. Ratio prima eſt quia ſummus Pontifex habet ſupremam poteſtatem in terris circa ea quæ jure humano Eccleſiaſtico ſunt inſtituta. Secunda, conſtat apud omnes ſedem Apoſtolicam poſſe diſpenſare in jure communi. Quemadmodum enim poteſt legem condere, ex dicendis, ita poteſt eam per diſpenſationem abrogare, dum Papa abrogat legem, quæ inducit irregularitatem, cenſetur auferre irregularitatem, antea contractam. Ita Filiucius tract. 20. cap. 10. quæſt. 4. Suarez diſp. 41. ſect. 1. num. 7. Bonacina ſupra num. 2. Ratio prima eſt, quia irregularitas fundatur in lege quę irregularitatem inducit. Igitur lege ablatâ cēſetur ablata irregularitas ante contracta, cùm irregularitas fundetur in lege irregularitatem inducente ob indecentiam, igitur lege abrogatâ tollitur etiam irregularitas. Sublatâ enim cauſâ debet tolli effectus ab eâ procedens. Ratio ſecunda, ſicut ſunt odia reſtringēda, ita favores ampliandi: ſed abrogatio legis inducentis irregularitatē favorabilis eſt, ſicut ejus impoſitio eſt odioſa, cùm naturam pœnæ induat. Hæc reſolutio vera eſt, quando abrogatio legis fit ſimpliciter & abſolutè. Ita auctores citati. Ratio eſt, quia ſi apponantur verba reſpicientia dumtaxat tempus abrogationis, tunc non tollitur irregularitas ante contracta, nam abrogatio non plus operatur, quàm verbis exprimitur. Vndè, ſi abrogetur lex decernens illegitimos eſſe irregulares, is, qui ante legis abrogationem erat natus ex damnato congreſſu non eſt amplius irregularis. Idem dicendū de abrogatione legis imponentis irregularitatem ob homicidium, rebaptiſationem, originem ex hæreticis, &c. Secundò, qui celebrat in excommunicatione contractâ ob percuſſionem Clerici non ſit liber ab irregularitate, revocâtâ lege imponente excommunicationem. Ita Bonacina ſupra, & alii. Ratio eſt, quia non ob id cenſetur abrogatâ lex imponens irregularitatem. Nam hic conſiderandæ ſunt duæ leges, prima continet excommunicationem contra percuſſores Clericorum. Secunda continet irregularitatem contra celebrantes in excommunicatione. Prima ex ſuppoſitione abrogatur, non autem ſecunda; & conſequenter ad ſummum tollitur excommunicatio non irregularitas, eo quod non ſit facienda illatio à diſparatis, & diverſis.

Dices primò, ſi tollatur lex excom- IV.
municans percuſſores Clericorum, non ob id remanent abſoluti percuſſores Clericorum, qui injecerunt manus violentas priuſquam illa abrogatio fieret. Reſpondeo ejuſmodi legē non reſpicere directè præteritam, ſed præſentem irregularitatem, ut conſurgentem ex lege; quæ ex ſuppoſitione abrogatur. Vndè fieri poteſt ut abrogatâ lege quæ excommunicationem imponit, tollatur etiam excom-

municatio, ſi fiat abrogatio ſimpliciter & abſolutè, licet loquendo regulariter, id fieri debeat per abſolutionem, niſi fiat legis abrogatio per Papam. Dices ſecundò, debet aſſignari aliquod diſcrimen inter eos, qui jam deliquerunt, & pœnam incurrerunt ob tranſgreſſam legem, & inter eos, qui præfatam legem deinceps non ſervabunt. Sed alia nequit aſſignari quàm hæc, quod qui deinceps non ſervabunt non incurrent pœnam, qui autem violarunt illam pœnâ afficiuntur prius inflictâ. Reſpondeo differre qui contra legem peccarunt ante legem abrogatam fuerunt obſtricti irregularitate uſque ad abrogationem legis perfectam. At qui deinceps legem non ſervabunt nulli pœnæ ſubjicientur, cùm pœna delictum ſupponat, & delictum legem.

V. Papam poſſe defunctos excommunicare ſuſtinent Gloſſa & Panormitanus in cap. *Si quis*, de hæreticis, Ludovicus Romanus in ſingulari 725 & altera Gloſſa in cap. *Iudæi*, 2. de Iudæis. Tabiena verbo *excommunicatio*, 4. num. 1. Gabriel in 4. diſtict. 18. cap. 2. art. 2. concl. 3. coroll. 4. Richardus ibidem, art. 5. quæſt. 4. Vigolinus tabula 1. de cenſuris cap. 17. §. 2. num. 3. & cap. 19. At negāt poſſe Covarruvias in cap. *Alma Mater*, de ſentent. excommun. part. 1. §. 11. num. 8. Navarrus in Manuali cap. 27 num. 27. Sylveſter, Alphonſus à Caſtro, Sotus, noſter Corneyo tomo 2. in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de cenſuris diſp. 9. dub. 1. Probatur ex Matth cap. 18. verſ. 18. *Quodcumque ligaveris ſuper terram.* Quaſi diceret, Petre quem ligare poteris debet vitam mortalem in terrâ degere, at defuncti vel beati qui ſunt ſubtus terram in inferno, vel purgatorio nequeunt ligari. Nec verba illa *ſuper terram*, ſunt referenda ad ipſum, qui ligat, ſed ad eum qui ligatur, ut declaravit Gelaſius in cap. *ligatur*, 24. quæſt. 2. ob defectum juriſdictionis, quam Eccleſia non habet in defunctos, ſed dumtaxat in vivos. Secundò probatur, quia crimina morte extinguntur cap. *quorundam*, diſt. 23. & cap. *accuſatus*, §. *Si verò*, ad finem de hæreticis in 6. & l. 1. & 2. cap. *Si reus vel accuſatus mortuus fuerit*. Probatur 3 talis cenſura fertur in animam ſeparatam, vel in corpus non in animam: quia eſt jam extra forum Eccleſiæ militantis. Nec in corpus: quia eſt incapax rationis & emendationis, quæ eſt finis cenſuræ. Vndè ſi quis excõmunicetur à Papâ, ſub hac conditione, niſi intra octo dies ſatisfecerit creditori, & intra illud tempus moriatur non incurret excommunicationem, licet conditio nunquam impleatur, cùm talis excommunicatio intra illos octo dies non ligaverit, & poſtea ligare nequiverit ob incapacitatem ſubjecti. Si quis etiam mandaverit ſervo ut Clericum percutiat, & priuſquam ſervus mandatum exequatur, herus moriatur non incurret excommunicationẽ, quia non eſt ſubjectum capax, licet poſtea ſervus percutiat Clericum, & ſcelus ſit grave.

Dices primò cum Sayro lib. 18. num. 10. Sylveſtro, Suarez, verum eſſe de ſent. excommunicationis declaratoria, quam hæretici in vitâ incurrerant, ut cõſtat ex praxi inquiſitorum, qui defunctos hæreticos denunciare ſolent exhumando eorum cadavera ut crementur. Sed hæc ſolutio præfato textui accommodari nequit, quia tempore quinti Concilii generalis & D. Auguſtini, ex quibus Gratianus ſumpſit teſtimonia quæ in cap. fin. adducuntur. Nondum erant hæretici excommunicati ipſo jure ab Eccleſiâ, ſed excommunicandi, quia Lucius III. in cap. *ad abolendum*, de hæreticis, fuit primus qui contra hæreticos tulit ſententiam excommunicationis ipſo facto, & tamen ille Pontifex fuit multò poſterior Concilio & D. Auguſtino. Igitur diſpoſitio cap. *finalis*, intelligenda eſt de anathemate quod incurritur poſt mortem, non autem de declaratione præcedentis anathematis. Dices ſecundò cum Alphonſo à Caſtro ſupra & Avilâ 2. part. de cenſuris diſp. unicâ. dubio 8. ad 1. defunctos non præcipi eo textu excommunicari, ſed maledici, & execrari eo modo, quo hæreticos: Cùm igitur adjurare hæreſim eſt illam anathematiſare, ut VI.

conſtat

conſtat ex cap. *Ego Berengarius*, de conſecr. diſtinct. 2. Eo modo quo S. Petrus cœpit anathematiſare & jurare quia non noverat Chriſtum, & tamen non excommunicavit ſe ipſum. Quare melius reſpondet noſter Corneio admittens ibi eſſe ſermonem de excommunicatione, negans tamen illam eſſe directè latam in defunctos, aut complecti omnes effectus excõmunicationis, quia excommunicatio duo operatur, primum nè excommunicatus Eccleſiæ ſacramentis & ſuffragiis utatur. Secundum nè fideles offerant pro eo ſuffragia & Eccleſiaſticam ſepulturam concedant: præfata excommunicatio in defunctos lata non operatur primum effectum circa defunctos, ſed ſecundum, non in ipſos defunctos, ſed in vivos, quibus prohibet nè orent pro ejuſmodi defunctis, ut colligitur ex cap. *finalis*, 88. diſtinct. Hoc autem non eſt excommunicarè defunctos directè, quia nullâ cenſurâ ligantur, ſed dumtaxat prohibitio eſt vivis, quæ indirectè dici poteſt excommunicatio defunctorum.

VII. Dices ſecundò, excommunicati jam defuncti poſſunt abſolvì ab Eccleſiâ, ut patet ex cap. *A nobis*, 2. cap. *Sacris*, de ſentent. excommunicationis. Poſſunt igitur etiam de novo excommunicari, quia ad utrumque requiritur juriſdictio, & idem eſt ſubjectum abſolutionis & excommunicationis. Reſpondet Corneyo duo illa capita non eſſe intelligenda de abſolutione directè lata in defunctos, quia omnis cenſura, quâ dum viverent erant ligati ſolvitur per mortem: ſed eſſe intelligenda de abſolutione indirectâ, hoc eſt de facultate conceſsâ vivis, ut orent pro tali defuncto, quia licet excommunicatio ſit ablata per mortem quantùm ad perſonam ipſius defuncti, non eſt tamen in foro Eccleſiæ quoad actus, quibus vivi poſſunt cum eo communicare. Sicut ergò poteſt Papa abſolvere defunctos indirectè, ſic poteſt eos ligare, neutrum tamen poteſt directè. Dices tèrtiò, poteſt Papa concedere indulgentias defunctis, ita ut eis valeant etiam ex juſtitiâ, & non tantùm ex merâ Dei liberalitate, igitur poterit etiam defunctos excommunicare, quia uterque eſt actus juriſdictionis. Reſpondeo Papam concedere indulgentias per modum ſuffragii, ideſt applicando eis partem theſauri Eccleſiæ, undè fiat Deo ſolutio pro illorũ pœna, non verò per modum abſolutionis, liberando eos à purgatorio, propriâ etiã auctoritate miniſteriali. Sic poteſt Titius applicare ſatisfactionem ſuam alteri qui non ſit ſubditus ejus, quamvis nequeat eam auctoritativè abſolvere. Nec refert quod cõceſſio indulgẽtiæ ſit actus juriſdictionis, quia cùm vivis cõceditur eſt actus juriſdictionis nõ tantùm reſpectu theſauri Eccleſię applicati, ſed etiam reſpectu perſonarũ quibus applicatio fit. Cùm vero conceduntur defunctis, eſt actus juriſdictionis dumtaxat reſpectu theſauri applicati nõn autem perſonarum.

VIII. Dices quartò poteſt Papa imponere cenſuram ipſo facto incurrendam pro culpâ, quæ ſolùm in ipſa morte conſumetur, verbi causâ, pro finali impœnitentia. Igitur habet juriſdictionem in mortuos. Quidam conceſſo antecedente negant conſequentiam, quia ante inſtans mortis eſt tempus, vel inſtans, in quo jam homo nequit uti ratione, ut reſipiſcat, & Eccleſiæ obtemperet. Et cum tunc ſit jam conſummatâ contumaçia, incurritur cenſura. Hanc ſolutionem, Suarez ſuprà num 16. putat probabilem. Alii volunt eam incurri in ipſo inſtanti mortis, quod cum ſit terminus vitæ, ſpectat ad vitam ipſam, ſed melius reſpondet Corneyo negando antecedens, quia quamvis pro ejuſmodi peccatis Papa poſſit imponere aliquã pœnam, non tamen cenſuram, cùm quando incurritur nequeat eſſe medicinalis reſpectu delinquentis. Nec talis pœna fertur directè in delinquentem, ſed in alios, ratione illius prohibendo ſcilicet eis, nè offerant pro illo ſuffragia vel orationes. Et hoc ad terrorem publicum, & correctionem vivorum. Dices ultimò, Papa excommunicat eos, qui ſe occidunt; cap. *Placuit*, 23. quæſt. 5. & eos qui hæreticum inſtituunt hæredem cap.

finali,

finali, 24. quæſt. 2. cap. *Si quis Epiſcopus*, de hæreticis. At talis excommunicatio nequit incurri quamdiu illi vivunt, cùm delictum pro quo eſt impoſita nec dum ſit conſummatum, ut de eo qui ſe occidit patet, & de eo, qui hæreticum inſtituit hæredem, cùm teſtamentum non firmetur niſi morte teſtatoris. Reſpondeo ut ſupra quod conſtat ex cap. *placuit*, ſolùm præcipi vivis ut nullam pro ejuſmodi deſperatis faciant commemorationem in oblatione, nec deducant eorum cadavera ad tumulum cum pſalmis.

IX. Poteſt papa abſolvere cenſuras nutu & ſignis abſque ullâ pronunciatione verborum, ſi declaret ſe velle ſolo nutu, vel facto abſolvere. Ita Suarez diſput 7. ſect. 9. num. 14. Bonacina de abſolut. cenſurarũ diſput. 1. quæſt. 3. puncto 5. num. 6 Filliucius, & alii. Ratio prima eſt, quia abſolutio cenſuræ ad ſui eſſentiam non poſtulat verba. Secunda, quia ſedes Apoſtolica habet ſupremam poteſtatem abſolvendi non ſervatâ formâ juris communis.

CAPUT III.

De poteſtate Apoſtolicâ circa Leges.

I. Eſt poteſtas in Eccleſiâ ad ferendas leges per ſe, immediatè reſpicientes bonum animæ, ordinatæque ad finem ſupernaturalem æternum. Probatur primò ex Matthæi cap. 16. ex actis Apoſtolorum, & ex epiſtolis canonicis, quæ continent varia præcepta Apoſtolica, quamvis non exprimantur per vocem *Lex*. Poteſtas illa Petri & ſucceſſorũ eſt in univerſum mundum, in quem poteſt ferre leges. Ita Bellarminus lib. 1. de Pontifice. cap. 15. Bonacina, Azorius, Valentia, Vaſquez contra Waldenſes apud S. Antoninum, contra Marſiliũ de Paduâ, apud Pighium contra Ioannem Wiclef, ut patet ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. contra Lutherum, contra Philippum Melanchtonem & Calvinum. Probatur primò ex hiſtoriâ Elianâ, ubi teſte Ioanne 44. Patriarcha Ieroſolymitano lib. de inſtitutione Monachor. cap. 11. cap. 19. cap. 21. cap. 26. S. Propheta docuit filios prophetarum doctrinam vitæ Monaſticæ ſecundùm inſtitutionem per Deum illi traditam. Omiſſis variis teſtimoniis veteris teſtamenti, aliqua legis novæ loca expendamus, Matthæi cap. 16. verſ. 18. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Vatablus. *Quidquid alligaveris ſuper terram.* Mat. 16. verſ. 18 Cur non dicit *Quæcumque* ligaveris, ſed *quodcumque*? quia neutrum genus eſt univerſalius maſculino, & ſignificat ligamen votorum, juramentorum, peccatorum, cenſurarum & legum eſſe penes ſedẽ Apoſtolicam, quod ſpecialiter legem imponẽs liget, patet ex eodem Chriſto Matthæi cap. 23. verſ. 4. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum.* Mat. 23 verſ. 4. Vatablus *Colligant onera gravia, difficilique portatu.* Quid per onera gravia, quæ Phariſæi alligabant & imponebant humeris hominum? S. Chryſoſtomus homil. 43. in imperfecto, Origenes tract. 24 in Matthæum, Theophilactus in Matthæum; S. Auguſtinus ſerm. 9. de verbis Domini, S. Paſchaſius lib. 10. in Matthæum, S. Anſelmus, Haymo, Toſtatus, Lucas Burgenſis, Barradius, Maldonatus, Ianſenius, Cornelius, ex noſtris Guido Perpinianus, Sylveira, accipiunt legis mandata ſeu præcepta. Præfato igitur loco Chriſtus pollicetur Petro, ut quidquid ipſe ligaverit, ſeu quam præcipiendo obligationem Eccleſiæ impoſuerit, ipſe ratum habebit & ligatum habebit in cœlis, ita ut qui ipſi non obtemperarit, offenſam incurret juxta illud Lucæ cap. 10. verſ. 16. *Qui vos ſpernit me ſpernit.* Non minus clarè poteſtatem hanc leges ferendi expreſſit S. Petrus Actorum cap. 15. verſ. 28. ubi Gentiles ad fidem converſos ita affatur. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorũ, à ſuffocato & ſanguine & fornicatione, &c.* Act. 15. verſ. 28 Notat ibi S. Chryſoſtomus Apoſtolum

ſtolum Petrum novam legem condere. Nam abſtinentia à ſuffocato & ſanguine non eſt jure naturæ bona, vel mala, ſed indifferens: nec Chriſtus illam præcepit. Quod autem hæc lex Apoſtolica obligarit in conſcientia, ſaltem dum vigebat, probat Bellarminus ex eo quod Apoſtolus vocet illam onus. *Nihil ultra imponere oneris.* Secundò, quia ait eſſe neceſſariam, igitur & neceſſariò obſervanda erat, non autem liberè: quemadmodum hæretici volunt Eccleſiæ conſtitutiones eſſe neceſſariò obſervandas. Tertiò, quia S. Lucas eodem cap. 15. verſ. 41. vocat præcepta. *Præ-*
v. 41. *cipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.* Ex quibus Cornelius infert non tantùm Dei, ſed & hominum ſeu ſuperiorum præcepta ſervanda eſſe. Quarto, cap. 16. verſ. 4. de eodem Apoſtolo & Timotheo ejus diſcipulo
Act. 16. verſ. 4. ſcribit idem ſacer Hiſtoricus. *Cùm autem pertranſirent civitatem tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis.* Ibidem Cornelius. *Dogmata fidei ſed legum ideſt præcepta, &c.*
Chryſoſt. A fortiori Apoſtolorum Principis & ejus ſucceſſorum. Meritò S. Chryſoſtomus homil. 31. in acta. *Cum jejuniis fiunt ordinationes.* Et homil. 33. *Vide non ſimpliciter legem ferre, ſed itant dogma fiat fide dignum mittunt hos à ſe.* Infra. *Onus legem vocat.* Paulò poſt. *vide poſt Petrum Paulus loquitur, & nullus os ejus obturat: Iacobus fert, & non reſilit, illi erat principatus concreditus. Nihil Ioannes, nihil alii Apoſtoli loquuntur, ſed ſilent, & non indignantur, &c.* Et poſt multa explicans citata verba Apoſtolorum verticis. *Viſum Spiritui ſancto & nobis.* Subdit. *Vide brevem epiſtolam nihil abundans habere, neque epicheremata, neque ſyllogiſmos, ſed imperium. Erat enim legiſlatio Spiritus.*

II. Conſtat ex ſacris litteris collatam fuiſſe Apoſtolis poteſtatem condendi leges propriè dictas. Igitur à fortiori hæc poteſtas fuit penes Rom. Pontificem, cùm ſit ſupremus Eccleſiæ viſibilis Monarcha. Patet antecedens,
Mat 18. v. 18. Primò ex Matthæi cap. 18. verſ. 18. *Si non audieris eos, dic Eccleſiæ. Si autẽ Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Quaſi diceret, dic Eccleſiæ Prælatis, ac præcipuè ſupremo illius præſuli, apud quem eſt poteſtas ligandi præceptis, ac rebelles & contumaces ligandi cenſuris, aliiſque pœnis: ita ut ſenſus ſit. Qui privatam tuam correptionem neglexerit, defer ad Prælatum, quem ob ejus dignitatem & poteſtatem revereri debet, ac ei corripienti ſe ſubmittere atque morem gerere. Quod Chriſtus non intelligat totam congregationem fidelium toto orbe diffuſam patet. Debent igitur intelligi Eccleſiæ Præſules, cum loquatur de poteſtate Eccleſiæ collatâ. Idem antecedens probatur ex Ioannis cap. 20. verſ. 21. *Sicut miſit me* Ioan. 20
Pater & ego mitto vos. Verſ. 22. *Hæc* v. 21.
cùm dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: v. 22.
accipite Spiritum ſanctum. Verſ. 23. v. 23.
Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt. Et cap. 21. verſ. 15. & 16. *Paſce agnos meos.* verſ. 17. *Paſce oves meas.* Ideſt, licet omnes Apoſtoli habeant aliquam poteſtatem, aliquarũ ovium curam, tibi univerſarum ſollicitudinem ac regimen cõmitto, ut iis leges præſcribas, & earum tranſgreſſores, ſivè ſint agni, ideſt fideles, ſive oves, ideſt Prælati debitis pœnis afficias. S. Petrus Damianus ſerm. 26. hanc po- Petrus
teſtatẽ ponderans meritò exclamat. Dam.
O quàm potens dignitas? Petri judicia confirmat omnipotens, eſt in manu manus altiſſimi. Expende illa verba *Petri judicia confirmat omnipotens.* Idẽ infra. *Adeſt Petrus & ad ejus arbitrium orbis univerſus ſolvitur & ligatur, & præcedit Petri ſententia ſententiã Redemptoris: quia nõ quod Chriſtus, hoc ligat Petrus, ſed quod Petrus hoc ligat Chriſtus.* Ideſt quod Petrus præcipit, Chriſtus præcipit, in cujus rei cõfirmationem pollicetur Petro ſpecialem aſſiſtentiã non tantùm in rebus fidei decernendis, ſed etiam in bonis moribus præſcribendis. Lucæ cap. 22. verſ. 32. Luc. 22.
Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides v. 23.
tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Titus Boſtrenſis. *Eſto poſt hæc eorum Doctor & firmamentum, regulas & leges obſervandas præſcribe.* S. Ambroſius in pſalmum 43. explicãs

Zzz illa

Ambroſ. illa verba. *Dum Petri actus legimus, Petri præcepta cognoſcimus.* Idem antecedens probatur iis omnibus locis, quibus Chriſtiani monentur ab Apoſtolis Petro & Paulo obtemperare ſuis ſuperioribus. S. Petrus 1. epiſt. cap. 2. verſ. 13. S. Paulus Roman. cap. 13. verſ. 1. Hebr. cap. 13. verſ. 17. Tit. cap. 3, verſ. 1. S. Ignatius. Tandem idem antecedens cōfirmatur iis omnibus textibus, quibus Apoſtolus Paulus jubet obſervari mandata ſua & ſeniorum, 1. Corinth. cap. 4. verſ.
1. Corin. 4. v. 21. 21. *Quid vultis in virgâ veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis.* Quid per virgam intelligit? poteſtatem judiciariam plectendi peccatores. Vide S. Chryſoſtomum ibi. Idem cenſent S. Ambroſius, S. Anſelmus, & Theophilactus, imò S. Auguſtinus lib. 3. contra epiſtolas Parmeniani cap. 1. ait quod poteſtas ferendi leges, & plectendi delinquentes per virgam accipienda ſit. Id docet Vates Regius pſalmo 2. verſ. 9. *Reges eos in virga*
Pſal. 2. verſ. 9. Titelm. *ferrea.* Vide Titelmanum elucidantem. Idem pſalmo 22. verſ. 5. *Virga*
Pſal. 22 verſ. 5. *tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* S. Chryſoſtomus ibi per virgam
Chryſoſt. accipit legem. *Baculus intelligitur ipſa lex, quæ oſtendere novit peccata, gratiâ auferre peccata. Nam agnitio peccatorum cùm oſtenſa fuerit ſubſequitur correptio.* Quaſi diceret, hoc diſcrimen eſt inter legē & gratiam quod lex dirigat & oſtendat quomodò declarandum ſit malum & faciendū bonum, & deflectentes ad malum & peccatum corripiat: at gratia tollit peccata & juſtificat. Id probat egregiâ figurâ quam nobis ſubminiſtrat hiſtoria S. Eliſei lib. 4. Regum cap. 4.
l. 4. Reg. 4. v. 31. verſ. 31. ubi S. Eliſeus miſeratione commotus erga mulierem Sunamitidē hoſpitem, cujus filius obierat, jubet miniſtrum ſuum Giezi feſtinàre cum baculo ſuo, ut illum imponat cadaveri, ſi fortè velit Deus uti eo inſtrumēto ad miraculum, ſicut olim virga Moyſis, & nuper Eliæ pallio ad aperiendum Iordanem (inquit Salianus ad annum mundi 3143) At cùm nihil baculus profuiſſet, ipſe propheta Sunam uſque perrexit, & ingreſſus cœnaculum ſuum in quo defunctus jacebat, clauſit oſtium ſuper ſe & ſuper puerum, ut poſſet ſemotis arbitris puero incubare, & eum calefacere, quod conſecutus eſt ponendo os ſuum ſuper os ejus, atque inſpirando ſecundùm Septuaginta, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus. Sanctus Chryſoſtomus. Chryſoſt. *Giezi ille puer S. Eliſei, cùm mitteretur ad filium cujuſdam mulieris defunctum, baculum illi dedit S. Eliſeus, ut reſuſcitaret puerum, ſed non potuit illum reſuſcitare baculo, niſi ipſe veniret, & breviaret corpus ſuum, ut oculos ſuos ad infantis poneret oculos, os ad os, manus ad manus, pedes ad pedes projiciens ſe ſuper puerum mortuum, & reſuſcitavit eum. Quid oſtendebat in baculo, qui ſuſcitare non potuit, niſi legis oſtenſionem, & in Eliſeo ſignificabat Chriſti nativitatem qui ſe habuit minorare aſſumens quod non erat, non amittens quod erat. Vt ſuſcitaret mortuum, ideſt genus humanum quod acceperat ſententiâ primi hominis morte morieris. Nam baculus ſuſtentatio eſt ſenectutis. Et quia populus qui legem acceperat ſecundùm litteram intelligebat, & tremula membra in ipſo baculo incumbebant, quia littera occidit, Spiritus autem vivificat, in ſenectute mundi venit veritas, &c.* Eandem figuram juſtitiæ profert Regius Cantor pſalm. 44.
verſ. 8. *Virga directionis, virga* Pſal. 44 verſ. 8.
regni tui. Titelmannus ita elucidat. Titelm.
Sceptrum regni tui ſceptrum eſt rectitudinis, æquitatis, & juſtitiæ, &c. ſecundùm quam ut pater & paſtor bonus diriges & gubernabis in pace ſubjectos tibi populos. Quod hanc virgam regendi Eccleſiam, & corrigendi delinquentes habent ſucceſſores Petri & Apoſtolorum. Nec obſtat quod Chriſtus Matthæi cap. 10. verſ. 10. Lucæ cap. 9. verſ. 3. prohibeat Apoſtolis itinerantibus ferre *neque virgam neque peram.* Multi ex Græco, *neque virgas.* Matt. 10 v. 10.
Euthymius *neque baculum.* Nam idem Chriſtus Marci cap. 6. verſ. 8, *Præcepit eis ne quid tollerent in viâ, niſi virgam tantùm.* Marc. 6 verſ. 8. Quid per virgam apud Matthæum & Lucam intelligit? Sanctus Ambroſius lib. 10. in Lucam, Druthmarus in cap. 27. Matthæi, S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu

Evange-

Evangeliſtarum cap. 30. Beda, Albertus Magnus, & alii accipiunt corporis ſuſtentaculum vel ſignificat virga inſtrumentum ultionis. Hanc virgam negat Apoſtolis itinerantibus, cùm enim pacem eſſent evangeliſaturi, & injurias condonaturi eſſent prohibentur illis ultionis inſtrumenta, ſicut quia pecunia eſt diſſidiorum mater interdicitur illis pera. At apud Marcum virga ſignificat poteſtatem Apoſtolicam ratione cujus debebantur Apoſtolis neceſſaria ad victum, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. cap. 9. verſ. 14. *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere.* 1. Cor. 9. v. 14. Et hanc virgam concedit Chriſtus Apoſtolis, ita ut Epiſcopo ob virgam debeantur decimæ, ſicut Regi propter ſceptrum, Conſulibus propter faſces debentur tributa. Expendamus alia Apoſtoli Pauli teſtimonia 1. Corinth. cap. 11. verſ. 2. c. 11. v. 2 *Laudo vos* (inquit) *quod per omnia ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* 2. Corinth. cap. 13. verſ. 2. 2. Corin. 13. v. 2. *Prædico, quoniam ſi venero iterum non parcam.* Ideſt utar poteſtate collatâ dirigendi, corrigendi. S. Chryſoſtomus homil. 29. Chryſoſt. *Vide quo pacto eos quoque corrigat, aſſiduè nempè interminans ac plagas intentans.* 1. ad Theſſalonicenſes cap. 4. verſ. 1. 1. Theſſ. c. 4. v. 1. *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum IESUM.* Ideſt auctoritate mihi à Chriſto collatâ, 2. epiſt. cap. 2. verſ. 14. 2. ep. c. 2. v. 14. *State & tenete traditiones, quas à me accepiſtis, ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem.* Ex quibus verbis S. Chryſoſtomus Chryſoſt. infert multa eſſe præcepta Apoſtolica fide digna. *Quamobrē Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignā. Eſt traditio nihil quæras amplius.* c. 3. v. 14 Idem Apoſt. c. 3. v. 14. *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & nè commiſceamini cum illo.* Ambroſ. S. Ambroſius ibi. *Quem ſi epiſtolæ auctoritas non corrigit, notandum hunc nec converſandum cum eo præcipit, ut confuſus quod ab omnibus evitatur, ſubjiceret ſe præceptis Apoſtoli, &c. Nec ergo ultra præcepta Apoſtoli contemnenda.* Scribens Timotheo 1. epiſt. cap. 3. verſ. 2. prohibet ordinari bigamos. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe unius uxoris virum.* Et toto cap. 5. docet Epiſcopos quomodò agere debeant cùm ſenibus, juvenibus, puellis, quomodò providere viduis, quomodò honorandi ſint Præsbyteri & alii, qui laborant in verbo & doctrinâ, quomodò delinquentes corrigere. S. Chryſoſtomus ibi hom. 13. *Quid hoc ſibi vult? iſtanè Timotheo imperas. Iſta ſanè* (*inquit*) *per ipſum enim orbem alloquor univerſum. Sin verò iſta Timotheo præcipit, conſideret jam quiſque cujuſmodi debeat eſſe.*

III. Ad præfatos textus reſpondent Hæretici, præcipuè Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 10. ſect. 21. & 22. primò nullas planè leges propriè dictas fuiſſe ab Apoſtolis conditas, etiam dum prohibuerunt eſum carnium immolatorum idolis, ſed tantùm fuiſſe monita & conſilia obſervanda ob ſcandalum puſillorum, non autem ad reatum alicujus culpæ, ſeu peccati. Mens enim Chriſti & Apoſtolorum fuit abolere præſertim præcepta Legis Moſaicæ, ut patet Actorum cap. 15. verſ. 10. *Nunc ergò quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus. At inter præcepta legis Moſaicæ fuit lex de nō veſcendis carnibus immolatis delubris.* Ad hoc reſpondeo Chriſtum non voluiſſe abrogare legē Moſaicam ſed de facto eam abrogaſſe: cum iſtis tamē rectè cohæret, ut revocata fuerit lex de non edendis carnibus idolis conſecratis, ob cauſam juſtiſſimam, quæ ſcilicet eſus ejuſmodi carnium ſpeciem Ethnicæ ſuperſtitionis contineat, ut notat divus Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 6. ad 1. Nam nobiliſſima & præſtantiſſima ſacrificia apud eos fuerunt carnes animalis ſtrangulati & ſuffocati. Deindè lex iſta noſtris ſæculis eſt abrogata conſuetudine contrariâ, & quia nullum eſt periculum idololatriæ. Præterea Apoſtolus Paulus non permiſit ut Corinthii ederent carnes Diis immolatas, vel ſi permiſit, id egit diſpenſandò in lege latâ ab Apoſtolis, ſi tamen eo tempore hæc erat publicata Corinthi, de quâ re nō ſatis conſtat; licet certum ſit tunc temporis illam legem fuiſſe ab Apoſtolis conſtitutā. Potuit autē S. Paulus ratione Apoſt.

dignitatis, vel ex ſpeciali Dei revelatione ſibi factâ diſpenſare cum Corinthiis in ejuſmodi lege impertinentia eſponſionis Calvinianę etiã patet (quod nemo teneatur ad obſervantiã cõſiliorum & monitorum.) At primi Catholici fuerunt neceſſariò obſtricti ad abſtinendum à carnibus idolothycis, ut patet cap. 15. *Nihil ultra vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria.* Particula *oneris*, non ſignificat exhortationem vel conſilium. Item cõſtitutiones Apoſtolicæ Actorum cap. 16. vocantur mandata, præterea ex D. Auguſtino epiſt. 154. Tertuliano in apologetico cap. 9. & aliis, illa lex multis ſœculis viguit in Eccleſiâ.

IV. Multis argumentis conantur hæretici poteſtate legiſlativâ privare ſedem Apoſtolicam & Eccleſiam. Primò his verbis Chriſti Matthæi cap. 28, verſ. 20. *Docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Syriacus. *Docete eos ut ſervent quidquid præcepi vobis.* Reſpondeo primò nihil ex eo colligi, quia ab auctoritate negativâ argumentum nullum eſt. Secundò non additur particula excluſiva, quod tamen neceſſarium eſt ad hoc ut de ſolis præceptis intelligantur. Tertiò ideò Chriſtus nullam facit mentionẽ legum Apoſtolicarum, quia Apoſtoli nullas condiderant. Secundum argumentum eorum petitur ex Deuteronomii cap. 4. verſ. 2. *Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis, neque minuetis ex eo.* Reſpondet Cornelius quod ſi ita eſt peccatum contra hanc legem Ioſue, Prophetæ Chriſtus, Apoſtoli, qui multa libris Moyſis addiderunt. Primò Moyſes non ait *quæ ſcribo*, ſed *quæ loquor*. Vndè hæretici nequiter torquent hæc ad verbum Dei ſcriptum, ut excludant traditum, ſeu traditione acceptum, ſeu vivâ voce loquentis. Tertiò, ſi Moyſes id intendit quòd hæretici, igitur ſibi repugnat, Nam Numerorum cap. 17. verſ. 10. Præcipit ſub pœna mortis obediri decreto Sacerdotis & Pontificis. Quartò ſequeretur Cæſares, Reges, Principes & Magiſtratus peccare contra hanc Dei legem, quia multa addiderunt edicta Dei legibus & judiciis Quintò Moyſes hęc verba dixit

Mat. 28 verſ. 20.

Iudæis, non Chriſtianis, præcipitque enim obſervari Circumciſionem, & alia ſacra & ſacramenta veteris legis, & nihil eis addant, quare cùm ſit lex cæremonialis ſolos Iudæos obligat, non Chriſtianos: alioqui hæretici deberent circumcidi, edere Phaſe, geſtare fimbrias, &c. de quibus loquitur & legem edit Moyſes. Sextò, Calvinus fatetur Apoſtolos addidiſſe quoſdam ritus & cæremonias, ideòque novos addi poſſe. Imò ipſe & ſequaces novam Eccleſiam, ſpeciem, novos ritus, novos miniſtros, novam formam docendi, orandi, concionandi, regendi, miniſtrandi ſacramenta, &c. inſtituit. Miniſtri ſingulis annis in ſuis ſynodis novas conſtitutiones condunt, & addunt verbo Dei, Idem dicendum eſt ad illud cap. 12. verſ. 1. *Hæc ſunt præcepta atque judicia quæ facere debetis in terra.* Verſ. 33. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domine nec addas quidquam, nec minuas.* Senſus eſt, primò nihil addas vel detrahas numero denario præceptorum meorum Decalogi, ita ut ſint duodecim, Secundò vel non plus fiat quàm præceptum jubet, verbi causâ, non edantur duo agni, vel medius agnus in Paſchate. Nam multa præcepta cæremonialia addita fuiſſe teſtatur Deuteronomium cap. 17. ubi in omnibus dubiis permittitur refugium ad Sacerdotes levitici generis, & ad eum qui præfuerit in Iſrael omni tempore, ſtandumque judicio & decreto iſtius judicis in omnibus & ſingulis. Teſtatus hiſtoria Iudith cap. ultimo verſ. 31. Heſter. cap. 9. verſ. 19. lib. 1. Machabeorum cap. 4. verſ. 57. Quædam etiam judicialia addita fuiſſe patet ex hiſtoriâ Davidis lib. 1. Regum cap. 30 ubi Pſaltes novam legem edidit, ut æqua pars eſſet in bello deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas. Tertiò Moyſes prohibet fieri additionem quæ legem corrumperet, ſed non prohibet fieri additionem quæ perficiat opus perfectum, Quartò, S. Thomas lect. 2. & 3. ait prohiberi additionem legum contrariarum prioribus legibus. Quintò, ideo prohibet veteri legi quidquam addi, quia data eſt uni duntaxat populo,

populo, & ad certum tempus ſcilicet uſque ad Chriſti adventum, ſicque potuit facile determinare in ſpeciali omnia, ſicut fecit. At lex Evangelica eſt data toti mundo, & diverſis nationibus duratura uſque in finem mundi. Nequeunt enim diverſi populi in iiſdem legibus & ritibus convenire. Denique non prohibentur interpretationes & explicationes legis.

V. Inſtant ſecundò hæretici ac opponunt illud Iſaiæ cap. 33. verſ. 11. [Iſ. c. 33. v. 11.] *Dominus Iudex noſter, Dominus Legiſer noſter, Dominus Rex noſter.* Quaſi diceret cum S. Iacobo cap. 4. verſ. 12. *Vnus eſt legiſlator & judex qui poteſt perdere & ſalvare.* Reſpondeo ex eo quod Chriſtus ſit noſter ſupremus legiſlator non ſequi nō dari ullos alios legiſlatores ſubordinatos & dependentes à Chriſto. Licet fateamur ergò unum tantùm eſſe mediatorem & Redemptorem noſtrum, plures tamē admittimus mediatores & interceſſores ſubordinatos, licet admittamus Chriſtum eſſe judicem noſtrum tamen plures alios judices tum in rebus civilibus, tum Eccleſiaſticis & divinis agnoſcimus & experimur. Vt clarè colligitur ex lib. 2. Paralipomenon [2. Par. 19. v. 5.] cap. 19. verſ. 5. ubi piiſſimus Rex Ioſaphat. *Conſtituit judices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per ſingula loca, & præcipiens judicibus, videte ait quid faciatis, non enim hominis judicium exercetis, ſed Domini: & quodcumque judicaveritis in vos redundabit.* [Dionyſ.] Dionyſius. *Conſtituit judices populi habitantis in terrâ, vel terrenarum ac juniorum cauſarum: quia cauſæ majores pertinebant ad judices ſuperiores, &c. Actus veſtros, & verba, & ſententias diligenter penſate, nè devietis in aliquo. In judicando eſtis Vicarii judicis ſummi: ſic & Rex in regnando, & à Deo auctoritas & poteſtas judicatoria derivatur, ita quod Dei locum vicemque ſuppletis, ideò judices ſicut & principes Dii in ſcripturis vocantur, juxta illud in Exod. cap. 20. Diis non detrahes. & ſi juſtè judicaveritis habebitis præmium glorioſum à Deo, ſi injuſtè ſupplicium.*

VI. Vrgent tertiò adverſarii illud Iſaiæ cap. 9. verſ. 23. conqueritur Deus ex eo quod plerique deferant ſibi honorem debitum propter doctrinam & [Iſ. c. 29 v. 13.] mandata hominum. *Timuerunt me mandato hominum & doctrinis.* Reſpondeo Deum ibi conqueri, non quod honor perſolvatur mandatis & præceptis hominum, ſed quod non deferatur ſibi honor debitus. Ita enim habetur Matthæi cap. 15. verſ. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Tenetur enim quilibet noſtrum Deum colere, non tantùm ore ſed & corde. Secundò ibi Deus conqueritur de illis mādatis & præceptis hominum, quibus nullo modo promovetur cultus divinus, ſed tantùm utilitas vel commodum hominum, cujuſmodi erat illud mandatum Iudæorum de nō ſubveniendo Patri in neceſſitate conſtituto, eâ lege, quod ſacrificium fuerit Deo oblatum, cujus meminit Chriſtus eodem cap. 15. Matthæi verſ. 9. & de iſtis mandatis docet ibidem Chriſtus, quod non habeat ea grata & accepta. *Sine causâ (inquit) colunt me docentes mandata & doctrinas hominum.* Scilicet baptiſmata urceorum & calicum, Pontificia autem & Eccleſiaſtica mandata non dicuntur mandata hominum nec ſunt irreprehenſibilia, primò quia non pugnant cum præceptis divinis, ſecundò quia non ſunt inutilia, tertiò quia non anteponuntur, ſed poſtponuntur præceptis divinis.

VII. Denique opponunt textus ſcripturæ, quibus Chriſtiani dicuntur liberi. 1. Corinth. cap. 7. verſ. 21. *Servus vocatus es? non ſit tibi curæ, ſed ſi poteſt fieri liber, magis utere.* Verſ. 22. *Qui enim à Domino vocatus eſt ſervus libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.* Item 2. Corinth. cap. 3. verſ. 17. [2. Cor. 3. v. 17.] *Vbi Spiritus Domini ibi libertas.* Ad Galatas cap. 4. [Gal. c. 4 v. 31.] verſ. 31. *Itaque fratres non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, quâ libertate Chriſtus nos liberavit.* Tertullianus. *Manumiſit.* Cap. 5. verſ. 1. *State & nolite iterùm jugo ſervitutis contineri.* Vatablus. *Ne implicemini.* Eraſmus. *Ne illaqueamini,* Reſpondeo Chriſtum nos liberaſſe à ſervitute mortis, Oſeæ cap. 13. verſ. 14. *O mors ero mors tua morſus tuus ô inferne.* A ſervitute Diaboli

Coloſſ. cap. 1. verſ. 13. *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum in regnum filii dilectionis ſuæ.* A ſervitute peccati verſ. 18, *Liberati à peccato ſervi facti eſtis juſtitiæ, &c.* verſ. 19. *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſervi eſſetis peccati liberi fuiſtis juſtitiæ.* Non autem liberavit nos Chriſtus à ſervitute quâ ſubjicimur Sedi Apoſtolicæ, Epiſcopis, Regibus, &c. quandoquidem Chriſtus Matthæi cap. 5. v. 17. dicat. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere aut prophetas non veni ſolvere, ſed adimplere.* Pagninus. *Nè putetis, quod venerim ad deſtruendam legem, aut prophetas. Non veni ut deſtruam, ſed ut impleam.* Vt patet Lucæ cap. 2. verſ. 51. *Et erat ſubditus illis.* Syriacus *Et ſubjectus erat eis.* S. Ephrem de virtute cap. 5. *Erat ſubditus parentibus.* Beda. *Erat eis piâ diſpenſatione ſubjectus.* Addit S. Cyprianus ad Rogatianum, Chriſtum toto tempore vitæ ſuę debitum ſacerdotibus legis Moſaicæ honorem exhibuiſſe, licet ſciret eos eſſe ſacrilegos, & corruptiſſimos homines, eamque ſubmiſſionem commendat Iudæis Matthæi cap. 23. v. 2. *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis ſervate.* Syriacus. *Quidquid dicent vobis ut ſervetis, ſervate ac peragite.* Vatablus. *Omnia quæcumque juſſerint vos ſervare, ſervate & facite.* Origenes. *Audite & facite.* S. Hilarius. *Facite & obſervate.* Modò ſcilicet non ſint contraria legi divinæ & verę doctrinæ. S. Chryſoſtomus homil. 73. *Nè dogmata negligat, &c.* Idem habent Euthymius, Theophilactus, & alii communiter Interpretes.

Mat. 23 verſ. 2.

VIII. Concluſioni noſtræ favent Concilia, nam Canone 62. Apoſtolorum graviſſima pœna imponitur manducantibus ſanguinem & ſuffocatum, Clerici deponuntur, & laici excommunicantur. Concilium ſecundum Aurelianenſe canon. 19. & 20. id renovat non tantùm ob vitationem ſcandali, ſed ut abſtinerent ab immolatis. Concilium Gangrenſe canone 19. jubet excommunicari eos, qui legem jejunii quadrageſimalis, quatuor temporum, vigiliarum abſque neceſſitate ſolverint. Concilium Toletanum octavum canone 9. eos privat ſacrâ communione in Paſchate, & jubet toto anno à carnibus abſtinêre, qui jejunium quadrageſimæ violaverit non tantùm ex cōtemptu, ſed & ex intemperantiâ.

IX. Ex innumeris Patrum placitis aliqua producemus. S. Chryſoſtomus homil. 2. in Geneſim, docet jejunium quadrageſimale inducere ſtatus omnium non tantùm plebeorum, ſed etiam Magiſtratuum, & Cæſarum ad obedientiam. *Admiror & obſtupeſco jejunii vires & potentiam, &c.* Vndè S. Epiphanius hæreſi 75. recenſet Aërium inter hæreticos, quia admittebat quidem jejunium ad libitum, ſed non ex præcepto Eccleſiæ. Hanc jejunii præcepti meminit S. Leo ſerm. 3. de jejunio decimi menſis. *Pium agere non indictum, impium eſt negligere prædicatum.* S. Auguſtinus ſermone 62. de tempore. S. Ambroſius ſermone 25. S. Hieronymus epiſt. ad Marcellam de erroribus Montani idem aſſerunt. Quibus ſubſcribunt D. Thomas 1. 2. quæſt. 90. art. 3. & quæſt. 67. art. 15. Valentia, Vaſquez, Puteanus, Bonacina, Azorius, Bellarminus & alii. Ratio prima eſt, quia Sedes Apoſtolica habet publicam poteſtatem, juriſdictionem, & vim condendi leges, per illa verba *quodcumque ligaveris ſuper terram, &c.* Secunda, in Eccleſia reſidet poteſtas condendi leges, igitur talis poteſtas maximè reſidet penes Pontificem Romanum, cùm ipſe ſit caput Eccleſiæ. Tertia, quia Principes ſæculares poſſunt pro ſuo territorio ferre leges, igitur etiam Summus Pontifex pro totâ Eccleſiâ diſperſâ per orbem. Eâdem enim ratione leges ſunt neceſſariæ in Eccleſiâ ac in aliis Republicis, in quibus ideò leges præſcribuntur, ut benè vivant homines & ſecundùm rationem. Quæ rationes locum habere debęt in Eccleſiâ. Quamvis enim Chriſtiani per gratiam Chriſti ſint liberati à peccato, non tamen à concupiſcentiâ & paſſionibus, quæ ſemper rationi opponuntur.

Chryſoſt.

Nec

X. Nec refert quod Chriſtiani legem Evangelicam habeant, hæc enim eſt nimis univerſalis, indigetque magis determinatis ad dirigendas noſtras actiones, ſicut præter legem naturalem Reſpublica dirigitur particularibus Principum: ſic præcipitur ſumptio Euchariſtiæ, Lex Apoſtolica illā determinavit ante omnes cibos. Nec S. Chryſoſtomus lib. 2. de ſacerdotio ante medium nobis contradicit, dum comparat Pontificem cum paſtore ovium, & confert cum Magiſtratu ſæculari. In eo enim differunt paſtores ovium irrationalium & rationalium, quod illi verſentur circa morbos naturales ovium, & illas invitas ſanare poſſit. At ſi verſentur circa voluntarios morbos ovium nec invitas poſſit curare. Differt etiam poteſtas Eccleſiaſtica à ſæculari, quod hæc verſetur circa actiones externas, poſſitque hominem invitum cogere, Eccleſiaſtica autem poteſtas circa mores internos qui nequeunt invitè mutari. Non poteſt etiam ſacerdos corrigere pœnitentem invitum. Origenes etiam tract. 12. in Matthæum ad illa verba Matthæi cap. 20. *Reges gentiū dominantur eorum, vos autem non ſic*; (Mat. 20) *non adverſatur nobis, dum ait, ſicut omnia carnalia in neceſſitate ſunt poſita, non in voluntate, ſpiritualia autem in voluntate, non in neceſſitate: ſic & Principes ſpirituales Principatus eorum in dilectione ſubjectorum debet eſſe poſitus non in timore corporali.* Illis verbis non excludit à poteſtate Eccleſiaſticā vim coactivam, ſed tantùm illā officii ſui. Differt enim finis poteſtatis Eccleſiaſticæ à politicâ, quod illius finis ſit vita æterna, & pax tam interna quàm externa ſubditorum, undè inducit potius ad amorem virtutis, quàm timorem pœnæ, & ut ſubditi quietè vivant, ſivè id faciant volentes, ſivè inviti. Nec tertiò favent adverſariis S. Ambroſius lib. de Paradiſo (Ambroſ.) cap. 8. dicens *Peccatum eſt prævaricatio legis.* Et S. Auguſtinus lib. 22. cōtra Fauſtum cap. 27. inquiens. *Peccatum eſt dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei æternam.* Ex his enim non ſequitur trangreſſionem legis humanæ non eſſe peccatum. Nam omnis lex ſivè à Deo, ſivè ab homine detur, derivatur à lege æterna.

Diſputant nonnuli an Sedes Apoſtolica poſſit condere leges politicas, ſeu civiles, quæ totum orbem obligent. Negant Bellarminus lib. 5. de Pontifice cap. 2. & ſequentibus. Covarruvias, Molina, Suarez, Salas, & alii: affirmant Bartolus, Baldus, Panormitanus, Hieronymus, & alii apud Navarrum cap. Novit. de judiciis not. 3. art. 19. apud Salas. Covarruviam. Hanc contentionem aliis diſcutiendam relinquo. XI.

Quando forma præſcripta per legem Pontificiam vel aliam continet æquitatem naturalem neceſſariam ad valorem actus, ejus omiſſio reddit actum nullum & tunc non irritabitur actus ratione legis poſitivæ, ſed ratione legis naturalis quam poſitiva declarat. Quod ſi lex præſcribat formam & nihil dicat de irritatione, cēſetur irritare, quando forma præſcripta eſt talis, cui renunciare contrahens nequeat. Nam eo ipſo erit aliquid eſſentiale, nam eſſentiæ ſunt omninò immutabiles. Præterea lex præſcribens formam, cenſetur eam conſtituere ut neceſſariam ad valorē, quando ipſa lex inſtituit de novo eum actum. Quod ſi inſtitutum inveniat & addat formam, non videtur eam requirere, ut eſſentialem. Suarez id ſuſtineri poſſe exiſtimat, ſi ille qui præſcribit formam det ſimul poteſtatem ad faciendum illum actum, quæ poteſtas antea non erat, ut ſi Sedes Apoſtolica det alicui poteſtatem ad expediendum aliquod negotium, dicatque illi tali & tali modo expedies, videtur eo ipſo denotare formam eſſe eſſentialem, & confirmatur ex cap. *Cum dilecta*, de reſcriptis, ubi Pontifex hæc habet. *Propter quod proceſſum illorum contra noſtram formam reſcripti, ac iuris ordinem attentatam, irritam decernimus.* XII.

Papa decernere poteſt, ut lex non abrogetur, niſi per conſenſum expreſſum. Ratio eſt, quia in hac volitione nulla repugnantia occurrere poteſt. Si enim id decrevit per jus cōmune, nemo auderet dicere independenter XIII.

ab

ab eâ volitione expreſsâ poſſe legem revocari: ſi ergò Papa id poſtulet in inſtitutione particulari ſuæ legis abſque dubio ea nequit revocari, niſi per conſenſum expreſſum.

XIV. Papa non poteſt ſolvere legibus & conſtitutionibus Apoſtolorum, quæ ab ipſis, ut miniſtris Chriſti Domini, & vivis inſtrumentis Spiritus ſancti traditæ, vel conſtitutæ fuerunt, ut Baptiſma parvulorum, cultus & veneratio ſacrarum Imaginum, vivorum ſuffragia pro mortuis, invocatio Cælicolarum, perpetua Deiparæ virginitas, Symbolum fidei, & pleraque alia. Ita Azorius part. 1. inſtitut. Moralium lib. 5. cap. 15. quæſt. 4. Ratio eſt, quia ſunt juris divini, cujus auctor & conditor fuit Deus. Poteſt tamen relaxare ex juſtâ & debitâ causâ eorum vigorem, quæ Apoſtoli conſtituerunt, ut paſtores, præſides, & præfecti Eccleſiarum à Chriſto Domino delecti & creati, ſic multa ab Apoſtolo Paulo commemorantur, quæ mitigare poteſt, ut de homicidâ, ebrioſo, bigamo minimè ad ordines promovendo, de non eligendo neophyto, ut aliæ Apoſtolicæ traditiones. Cujuſmodi quadrageſimale jejunium ante Paſcha, continentia Sacerdotum, quorundam feſtorum dierum obſervantia, Dominicæ diei cultus, trina immerſio, eorum qui ſacro baptiſmate regenerantur, jejunium feriæ quartæ & ſextæ, abſtinentia à ſanguine & ſuffocato. Ita idem Azorius ſupra, de canone contra Apoſtolum relaxatur cap. *Præsbyter*, diſt. 82. & cap. *Lector*, diſt. 34. & ibi Gloſſa, Abbas, & alii. De criminoſis etiam ordinandis contrà eundē Apoſtolum cap. *At ſi Clerici*, de judic.

XV. Summus Pontif. diſpenſare poteſt ex causâ juſtâ in aliquibus, quæ ſunt jure naturæ vel divino ſcilicet in quibus admiſcetur aliquid obligationis humanæ. Ita Angelus verbo *Papa*, n. 4. Gutierez, Azorius, Sanchez, Bonacina, cum Decio, Panormitano, Felino, Navarro contra Clavem Regiam lib. 3. cap. 2. num. 12, & cap. 10. numer. 8. Suarem, Vaſquez. Ratio eſt, quia ſunt aliqua quorū materia pugnat cum ſalute, incolumitate, pace, & bono communi, mutato ſolito rerum curſu, eventu, variatis rerum circumſtantiis, & hæc mutabilia ſunt, quia non eſt credibile infinitam Dei Providentiam privare homines remedio ad ſalutem animarum conducente, maximè ubi agitur de bono communi quod præfertur particulari. Hac ratione debita olim pietas & obſervantia parentibus denegatur, quando ſunt patriæ proditores & hoſtes. Sontes interficiuntur, inducuntur bella, quibus pueri, infantes & cæteri innocentes plerumque trucidantur, inducuntur captivitates & ſervitutes, denegantur furioſo arma depoſita, promiſſa reſcinduntur, vota ſolvuntur, matrimonium ratum diſſolvitur: diſpenſat etiam in iis, quæ ſunt juris naturalis, & adverſantur bono ſpirituali. Ratio eſt quia ſpirituale bonum bono corporali antefertur, ſic quia Baptiſmus eſt ſimpliciter neceſſarius ad æternam ſalutem parvulorū, fit, ut parvulo de vitâ periclitante debeat Parochus cum propriæ vitæ corporalis periculo eum ſacro baptiſmate abluere. Sic dum ſævit peſtis debet Parochus, cui eſt animarum ſalus commiſſa propriæ vitæ jacturam facere ut ſuis ſubdiſis ſacramenta miniſtret. Sic medicus tenetur tempore peſtis ægrotos inviſere, curare etiam cum probabili ſuæ vitæ diſcrimine ob commune Reipublicæ bonum & commodum, quod privato anteponitur. Sic moriendum mihi eſt, ut alios in fide & religione Chriſtianâ cōtineam & confirmem, vel ut alios per ignorantiam errorem vel infirmitatē peccantes doceam, moneam, corrigam, quia eorum ſalus æterna carior & antiquior eſſe debet ſalute & vitâ meâ corporali. Quod verò ſummus Pontifex nequeat diſpenſare in iis, quæ ſunt de jure naturæ vel divino, nec ullam humanam obligationem habent admixtam. Ratio eſt, quia in primis principiis juris naturæ, aut in iis quæ proximè deducuntur ex primis principiis, aut in iis quæ ſpectāt ad ſubſtantiam ſacramentorum, aut in dogmatibus fidei, aut in ſacrificio, aut in aliis, quæ à Deo inſtituta ſunt non poteſt diſpenſare, ſic nequit diſ-

penſare in his, bonum eſt amplectendum, malum fugiendum, amanda & colenda virtus, caſtè ſive honeſtè vivendum, nemini nocendum, prudenter agendum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ratio eſt, quia generaliter continent materiam bonitatis vel pravitatis: quæ prorſus immutabilia ſunt, nec ullo loco, tempore, & rei eventu poſſunt mutari. Sic duo illa præcepta, ſcilicet debitus Dei amor & cultus diſpenſari nequeunt. Ratio eſt, quia cùm Deus ſit omnium rerum ſupremus Dominus, ſequitur eſſe amandum & colendum ante omnia, nec divinum amorem, cultum, honorem eſſe ulli alteri tribuendum, nec eſſe vanè jurandum per Deum. Cùmque in iis nunquam diſpenſatum fuerit, nec adſit ſufficiens cauſa propter quam in iis liceat diſpenſare, ſequitur Sedem Apoſtolicam carere poteſtate in iis diſpenſandi.

XVI. Poteſt ſummus Pontifex diſpenſare in iis quæ ſunt juris Canonici, ut ſunt Patrum & Conciliorum canones. Ita omnes communiter poſt Gloſſam in cap. *ubi periculum*, de elect. in 6. Abbatem in cap. *Significaſti*, de elect. Ioannem Andræam, & alios in idem cap. *Significaſti*, Almainum. Nec obſtat id quod ex cap. *Contra*, 25. quæſt. 1. ait Zoſimus *Contra ſtatuta Canonum nec hujus etiam ſedis eſt diſpenſare.* Et id quod habetur cap. *Sunt quidam*, cap. *Omne, quod ea, &c.* Illa enim ſignificant Papam non poſſe diſpenſare abſque juſtâ cauſâ. Nec obſtat ſecundò id quod refertur cap. *Non liceat papæ*, 12. quæſt. 2 his verbis. *Non liceat Papæ prædium aut rura Eccleſiæ alienare, ſed tantùm domos.* Dico enim quod alienatio rerum Eccleſiaſticarũ eſt quidem jure Canonico interdicta, ita tamen, ut ex juſtâ cauſâ res Eccleſiæ diſtrahi poſſint. Quare quando dicitur *Non liceat Papæ, &c.* intelligitur abſque cauſâ juſtâ, & gravi Eccleſiæ neceſſitate. Nec obſtat tertiò, opinio à Victoriâ in relect. de poteſtate Papæ & Concil. propoſ. 12. his verbis, *Si Concilium Generale legem aliquam ſtatuiſſet, quam indicaſſet relaxari non debere, nunquam licere Papæ eam relaxare, & lethaliter peccare diſpenſando ex quacumque cauſâ.* Sed Azorius & alii probabilius & veriùs exiſtimant oppoſitum, quibus ſubſcribit Bonacina. Ex quibus ſequitur Papam poſſe etiam ſecum in ſuis legibus diſpenſare. Ita D. Thomas 2. 2. quæſt. 185. art. 8. Suarez, Salas, Navarrus, Corduba, Bonacina, Sanchez, & alii. Ratio prima eſt, quia non eſt deterioris conditionis aliis. Secunda, quia talis diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, voluntariæ, & gratioſæ, actus verò ejuſmodi poteſt in ſeipſum exerceri. Tertia, quia homo ſecundùm diverſas rationes poteſt dici agens & patiens reſpectu ſuiipſius. Si enim ſpectetur ut ſubjectus legibus, eſt ſubditus ſibi ipſi ut legiſlatori: ſi ſpectetur ut diſpenſans, vel ut conditor legis, cenſetur ſuperior. Actus autem quo ſecum in propriâ lege diſpenſat, ſtrictè & propriè loquendo non eſt diſpenſatio. Ratio eſt, quia diſpenſatio propriè dicitur actus, quo quis in propriâ lege diſpenſat, vel proximè & immediatè eximit ab onere legis ſubditum legi. At Papa vel alius legiſlator non eſt directè & immediatè & quoad vim coactivam ſubditus legi, ſed benè quoad directivam. Ita Salas, Bonacina, Azorius.

XVII. Quando ea quæ leges & jura civilia præcipiunt per ſe bona, vel vetant per ſe mala in his nihil poteſt abrogare vel mutare Papa, non quia jus civile ea prohibet vel imperat, ſed quia ipſum jus naturæ ea præcipit, vel vetat. Aut ſunt bona vel mala ea tantùm ratione, quâ jure civili præcipiuntur vel vetantur, & hæc vel omninò vel ex parte diſſentiunt à jure canonico, vel aliquâ ratione adverſantur juri naturali ac divino; verbi cauſa, ſi lex civilis ſtatuat uſuram eſſe illicitam, vel ut poſſeſſor malæ fidei præſcribat, vel ut liceat alicui habere ſimul duas uxores. Vel nihil juri divino, naturali, vel canonico repugnant; ſi nihil repugnant, Sedes Apoſtolica non ſolet nec poteſt abſque juſtâ cauſâ tollere, abrogare, mutare, vel aliquid contra laicos ordinare. Ita Ioannes Andræas Roſella apud Sylveſtrũ verbo *Papa*, quæſt. 14.

Azorium. Quod ſi eæ leges & jura pugnent, Sedes Apoſtolica poteſt ea abrogare. Ita Azorius ſuprà. Ratio eſt, quia Laici nequeunt condere vel ferre leges & ſtatuta contra jus divinum, naturale, vel canonicum. Ita Azorius part. 1. lib. 5. cap. 13. & 14. & part. 2. lib. 4, cap. 18. Idque colligitur ex jure. Gloſſa in C. *Poſſeſſor*, de regula juris in 6. *Quando* (inquit) *contraria inveniuntur leges Imperatoria & Pontificia, ſi materia legis eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam.* Id videtur delineatum in veteri lege cùm lib. 4. Regum cap. 11. impia Athalia regnum occupaſſet, cultumque Baalis promovere contenderet ac divinæ legis ritus omninò abolere: Ioiadas Pontifex pertæſus impietatis & ſacrilegiorum Athaliæ, & accenſus zelo promulgandi legem Domini, & contrarias ac iniquas leges abrogandi conſilium init de cæde pravæ legiſlatoris ac novi legis inauguratione. verſ. 9. *Et fecerunt centuriones juxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.* Verſ. 18. *Ingreſſuſque omnis terræ templumque Baal, & deſtruxerunt aras ejus, & imagines contriverunt validè.*

XVIII Romanus Pontifex poteſt interpretari legem in rebus ambiguis, obſcuris & incertis. Ita Azorius part. 1. lib. 3. cap. 16. quæſt. 16. Ratio eſt, quia ſicut ſoli Principi conceſſum eſt condere leges. l. ultim. C. *de legibus*, ita interpretari ad ſolum principem ſpectat leges. cap. *Inter alias*, de ſentent. excommunicat. & Gloſſa in cap. *cõtra eum*, de reg. juris in 6. In manifeſtis autem & certis non eſt opus ullâ Principis declaratione. Quia colligitur & conſtat ſenſus ex verbis legis. Solius igitur Romani Pontificis eſt jus canonicum & divinum, ſicut Imperatorũ, Regum ac aliorum principum, ſuperiorem non agnoſcentium, nec habentium jus civile interpretari. Ita Azorius part. 1. lib. 5. cap. 16. q. 16. Probatur ex cap. *Per venerabilem qui filii ſunt legitimi*. Vide Tuſchum tomo ultimo littera I. con. 57. Covarruviam tomo 1. part. 227. num. 5. & part. 175. num. 11.

CAPUT IV.

Poteſtas Apoſtolica componendi Epiſcopos litigantes de præcedentiâ.

Quod Romana Sedes poſſit componere Epiſcopos diſputantes de primatu probat Azorius part. 2. lib. 3. cap. 36. variis hiſtoriis. Nam controverſiam inter Archiepiſcopum Bithuricenſem, Burdigalenſem, & Narbonenſem compoſuit Nicolaus II. vocans Archiepiſcopum Bithuricenſem Primatem, vel Patriarcham, hoc eſt primæ Sedis Epiſcopum, ita Albericus in rub. de ſtatu hominum, col. ult. Cardinalis Alexandr. in cap. *definimus*, diſtinct. 22. Boerius in additionibus ad tractat. de auctor. & præeminen. magni Conſil. part. 1. num. 14. & patet ex cap. ult. de majoritate & obedient. & cap. ult. de dilat. cap. *de dolo & contumacia*, cap. conqueſtus 9. quæſt. 3. ita ut Bituricenſis habeat ſub ſe quatuor Metropolitanos, ſcilicet Burdigalenſem, Auxitanum, Toloſanum, & undecim vel duodecim ſuffraganeos. Gregorius lib. 6. Regiſtri epiſt. 35. litem inter Lugdunenſem & Senonenſem Archiepiſcopos componit. Idem epiſt. 34. refert privilegium conceſſum Eccleſiæ Lugdunenſi ſuper quatuor Provincias Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem. & Senonenſem, ſuâque authoritate confirmat, quamvis S. Antoninus part. 1. tit. 6. cap. 25. §. 2. ſcribat S. Sabinianum fuiſſe miſſum in Galliam à S. Petro, fuiſſeque primum Epiſcopum Senonenſem, ac Primatem Galliæ conſtitutum. Poſt magnam difficultatem inter Arelatenſem & Viennenſem Archiepiſcopos, Zozymus Papa privilegia Eccleſiæ Arelatenſi conceſſa voluit eſſe ſalva & integra, declaravitque irrita, quæ in Concilio Taurinenſi ante viginti circiter annos, cùm in eo Concilio Narbonenſis ſecunda Provincia ſubdita fuerit Epiſcopo Maſſilienſi, & tamen 1.

Zozimus Papa voluit eſſe ſubjectas Arelatenſi Viennenſem provinciam & Narbonenſem primam & ſecundam. Idem Zozimus ſtatuit ut Viennenſis & Narbonenſis provinciæ quę ſublatæ fuerant integræ reſtituantur Eccleſiæ Arelatenſi. Contra hoc Zozimi judicium Bonifacius immediatus ſucceſſor definivit ex auctoritate ſexti Canonis editi in Concilio Nicæno, ut unaquæque provincia habeat ſuum Metropolitanum, ejus epiſtola 3. extat tomo 1. Conciliorum ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſem, ubi præcipit ejus provinciæ Metropolim integram conſervari, nec ad Arelatenſis Epiſcopi jura ſpectare. Eodem tomo 1. Conciliorum extat etiam epiſtola 2. Cœleſtini Papæ ubi cap. 4. idem ſtatuit quod Bonifacius. Vtriuſque ſententiam ſecutus eſt Leo I. ut patet ex ejus epiſtolâ 87. ubi reprehendit Hilarium Epiſcopum, quia in Viennenſi & Narbonenſi provinciis contra decreta Patrum inſtituerat Epiſcopos. Epiſcopi Metropolis Arelatenſis ad Leonem papam legationem miſerunt rogantes ut ex more antiquo Viennenſis provincia ſubjiceretur Arelatenſi. Quibus reſpondet Leo papa: quamvis Leo & Symmachus Romani Pontifices definierint Arelatenſes Antiſtites propriâ auctoritate quaſi Metropolitanos nihil poteſtatis habere in provinciâ Viennenſi, tamen ſucceſſores ſcilicet Agapetus, Vigilius, Pelagius I. Gregorius I. commiſerunt vices ſuas Arelatenſi Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato per univerſam Galliam, ut patet ex ejus epiſtolâ ad Auxanium Epiſcopum Arelatenſem. Item ex aliâ ad univerſos Epiſcopos omnium Provinciarum Galliæ tempore Childeberti Regis, qui ex more antiquo conſecrabantur ab Arelatenſi Archiepiſcopo. Et ex alterâ ad Aurelianum Epiſcopum ſucceſſorem Auxanii. Vide epiſtolam Pelagii papæ Sapando Arelatenſi Epiſcopo, & aliam Childeberto Regi. Quæ omnia confirmat S. Gregorius Papa epiſtolâ ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem lib. 4. epiſt. 5. indict. 13. & epiſt. ſequenti ad univerſos Galliarum Epiſcopos. Nec obſtat quod Vrbanus II. in cap. *Artaldus* 8. quæſt. 3. dicat. *Artaldus Arelatenſis Epiſcopus, Narbonenſis Eccleſiæ ſuffraganeus.* Exiſtimat enim Ioannes Andræas in addit. ad ſpeculatorem de auctor. & uſu pallii corruptè legi *Arelatenſis*, & eſſe legendum *Electenſis* vel *Elatenſis*, qui eſt ſuffraganeus Narbonenſis Epiſcopi. Nec refert ſecundo quod Viennenſis Archiepiſcopus vocet ſe Primatem teſte Boerio ſuprà. Quia nihil in jure habetur, nec alius doctor eum Primatem aſſerit.

Cùm inter Piſanos & Genuenſes eſſet controverſia, Innocentius II. anno 1133. (ut referunt Sigonius lib. 11. de regno Italiæ, Platina) Piſas ſe contulit, & Genuenſem Epiſcopum (qui tunc Mediolanenſi ſubjectus erat) creavit Archiepiſcopum, eique Epiſcopos Corſicæ, Nebienſis, Marianenſis, Accienſis, Bobienſis ut ſuffraganeos ſubjecit. Piſanum etiam Epiſcopum Archiepiſcopum deſignavit, cui Alerienſem, Adiacenſem, Sagonenſem & Popolonenſem ſubjecit, cui Piſanus Præſul Primas nominatus eſt teſte Juſtiniano Epiſcopo Nebienſi lib. 2. de rebus geſtis Genuenſium, quia Vrbanus II. & Gelaſius II. ei jus conceſſerunt in cunctos Epiſcopos Corſicę. Quibus favet Gregorius VII. lib. 6. Regiſtri ad Landulphum Epiſcopum Piſanum quæ eſt 12. II.

Cùm inter Cantuarienſem Archiepiſcopum & Eboracenſem mota eſſet controverſia, ac Eboracenſis contenderet ſe auctoritatem habere quâ poſſit per totam Angliam ante ſe Crucis ſignum pręmittere tempore Guilielmi, ſive Wilielmi Regis Scotorum anno 1161. ut refert Leſlæus lib. 6. de rebus geſtis Scotorum. Sedes Apoſtolica miſit in Angliam Hugonem Cardinalem, qui univerſos Epiſcopos convocavit, & eos induxit ad obedientiam præſtandam Archiepiſcopo Eboracenſi. Idem Leſlæus lib. 8. narrat, quod anno 1474. dum in Scotia regnaret Iacobus II. Grahamus Epiſcopus Andreapolitanus exhibuit Romano Pontifici, quomodò Angli & Scoti ſe mutuò vexabant, nec tutus erat acceſſus Scotorum ad Archiepiſcopum III.

epiſcopum Eboracenſem in appellationibus, quâ re cognitâ Pontifex annuit ut Andreapolitanus Epiſcopus id juris & poteſtatis haberet, quod privilegium Apoſtolicum etiam Nobiles cum populo, ſummo cum gaudio exceperunt.

IV. Apud Sigonium lib. 8. de regno Italiæ anno 1047. Hieronymum Rubeum in hiſtoriâ Raven. anno 1040. ob difficultatem ortam inter Mediolanenſem, Ravennatenſem, & Aquileienſem de præcedentiâ & dignitate, Clemens Romæ inſtituit Concilium Epiſc. cui interfuerunt Herebertus Archiepiſc. Mediolanenſis, Hanfredus Ravennas, Eberardus Aquileienſis, in quo Laurentius Epiſc. Mediolanenſis primo loco ſedit, & ſubſcripſit ante Epiſcopum Ravennatem, Hanfredus verò litteras protulit Ioannis Pontificis, qui Symmacho ſucceſſerat, in quibus ſcriptum erat id Petri Archiepiſcopi Ravennatis modeſtiâ & ſubmiſſione conceſſum fuiſſe, & Ioannẽ ſanxiſſe ut abſente Cæſare dextram Ravennas, præſente ſiniſtram acciperet, cui decreto annuit Concilium. Ioannes Candidus in Commentariis Aquileienſibus lib. 4. in principio refert epiſtolam Leonis Papæ VIII. ad Rodoaldum Aquileienſem Patriarcham, quæ inter cætera hæc habet. *Et ut omnibus pateat Chriſtianis, &c.*

V. Quod controverſias etiam inter Epiſcopos Hiſpaniæ terminarit Romana ſedes teſtantur acta Vrbani II. Paſchalis II. Gelaſii II. qui litem inter Archiepiſcopos Bracharenſem, Toletanum, Tarraconenſem, Hiſpalenſem, & Compoſtellanum hoc modo terminarunt, Vt Toletanus in univerſas Hiſpaniæ Provincias & Eccleſias primatum obtineret. Quod & confirmavit Adrianus IV. Alexander III. per Hiacynthum Cardinalem Hiſpaniæ Legatum. Vide Marianam de rebus Hiſpaniæ lib, 9. cap. 19. Garziam Loayzam Archiepiſcopum Toletanum in collectione Conciliorum Hiſpalenſium. Conſtat ex epiſtolis Gregorii Magni lib. 1. regiſtri epiſt. 41. & lib. 4. epiſt. 9. & lib. 7. epiſt. 125. Leandrum Archiepiſcopum Hiſpalenſem vicem Sedis Apoſtolicæ per totam Hiſpaniam geſſiſſe. Vndè epiſt. 126. ad Leandrum Epiſcopum & Recaredum regem, vocat eum Epiſcopum Hiſpaniarum, fortè quia præerat toti Hiſpaniæ, quo titulo Concilii tertii Toletani præſes fuit. Ad finem cujus Concilii affixa eſt homilia, in quâ nomine totius Concilii, S. Leander Præſes grates Deo rependit, qui gentem Gothicam hæreſi Arianâ labefactatam ad veram fidem reduxerit. S. Iſidorus Leandri frater, & in Epiſcopatu Hiſpalenſi ſucceſſor eodem officio functus eſt, ut teſtatur S. Idelfonſus in additionibus ad chronicon S. Iſidori in præfatione. Ob eandem fortè rationem Branlius Epiſcopus Cæſaraugustanus lib. 1. ethimolog. vocat eum Epiſcoporum ſummum: In Concilio Toletano duodecimo dum regnaret Eruigius, Concilium conceſſit Archiepiſcopo Toletano facultatem creandi Epiſcopos per totã Hiſpaniam, & Galliam Narbonenſem, quæ tunc Gothorum Regibus ſubjecta erat, nè Eccleſiæ legitimis paſtoribus diu orbatæ aliquod damnum paterentur. Vrbanus II. ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanũ. *In totis* (inquit) *Hiſpaniarum regnis primatem privilegii noſtri ſanctione ſtatuimus, &c.* Quia Archiepiſcopus Tarraconenſis obtemperare recuſabat Bernardo Archiepiſcopo Toletano ut primati, Vrbanus ei ſcripſit, & ad obediendum induxit. Et Paſchalis II. Gelaſius II. apud Rodericũ lib, 6. cap. 18. ſucceſſores Vrbani Bernardum in primatu confirmarunt. Nec refert quod Caliſtus II. Eccleſiam Cõpoſtellanam eſſe voluit liberã à generali Cõcilio præfati Bernardi poteſtate, ut refert hiſtoria Compoſtellana: tamen Lucius II. diplomate ad Raymundum Archiepiſcopum Toletanum ſtatuit, *Vt per univerſa Hiſpaniæ regna primatus obtineat dignitatẽ.* Cùm tempore Alexandri III. iterùm contenderent Archiepiſcopus Toletanus, Compoſtellanus, & Bracharenſis de primatu. Hiacynthus Legatus Hiſpaniæ, Diaconus Cardinalis litem diſcuſſit, ac ſententiam in favorem Toetani pronunciavit. Rodericus Ximenes Archiepiſcopus Toletanus

tanus poſtea coram Innocentio III. probavit multis argumentis contra Archiepiſcopos Compoſtellanum, Bracharenſem, Tarraconenſem, Narbonenſem Toletanæ Eccleſiæ cōpetere primatum, quem Innocentius III. confirmavit, & Honorius III. Hiſpaniæ primatem & legatum Apoſtolicum conſtituit in cap. *coram*, de in integrum reſtit. refertur contentio quæ fuit inter Archiepiſcopũ Toletanum & Bracharenſem de primatu. Interprętes juris Pontificii, Alexandrinus in cap. *Cùm longè*, d. 63 ſpeculator in tit. de diſpenſ. §. *Sunt quoque nonnulli*. Albert. in Rub. ff. *de ſtatu hominum*, Felinus in Rub. de majorit. & obed. Primatum Hiſpaniæ Archiepiſcopo Toletano adſcribunt. Nec obſtat, quod nonnulli Epiſcopi Hiſpanici per privilegia Pōtificia fuerint aliquando exempti, ut Legionenſis, Ovietenſis, Compoſtellanus & Burgenſis. Nam Sedes Apoſtolica poteſt concedere privilegium ut aliquis Archiepiſcopus ſit immunis ac liber, ita ut Primas vel Patriarcha nullum jus in eum habeat, ſic privilegia Pontificia nonnullos eximunt à poteſtate Epiſcopi & Primatis in aliis ejuſmodi privilegia irritantur, vel temperantur. Sic Caliſtus II. exemit à poteſtate Archiepiſcopi Toletani Archiepiſcopum Compoſtellanum. Anaſtaſius Papa Pelagium Compoſtellanum in eodem privilegio confirmavit, ſed Alexander III. abrogavit. Nec obſtat ſecundo, quod quidam Archiepiſcopi Hiſpani reſtiterint Archiepiſcopo Toletano præcipienti, ut in eorum Diœceſibus vexillum Crucis erectum ante ſe deferretur. Hæc enim res facti eſt, non juris. Deindè licet inceperint reſiſtere, tamen multi Toletani Archiepiſcopi per totam Hiſpaniam Crucem ante ſe præmiſerunt. Plures contentiones Epiſcoporum à Sede Romanâ compoſitas refert Baronius ſparſim, Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 24. & alibi.

CAPUT V.

Poteſtas Apoſtolica circa Iuramenta.

I. Romano Pontifici reſervatur abſolutio juramentorum, quibus confirmantur ſtatuta Collegiorum, Academiarũ, bonorum Eccleſiaſticorũ, modò hęc ſtatuta à ſummo Pontif proveniant, item juramenta, quibus inſignes viri ſe obſtringunt, ut ſunt Cæſares, Reges, Duces, Marchiones, Comites, prætertim qui ſupremam juriſdictionem in temporalibus habent. Item Epiſcopi, ſuperiores Eccleſiarum Antiſtites, aliique Rom. Pont. proximè ſubjecti. Itẽ juramenta, quæ in rebus arduis & maximè dubiis interponuntur. Ita Abbas cap. *Quanto*, num. 7. *de jure jurando*, Sotus de juſtitiâ, quæſt. 1. art. 9. Sanchez, Reginaldus, Bonacina, Azorius. Item juramenta, quæ habent annexum votum Papæ reſervatum. Ita Sotus, Azorius, Bonacina, Sanchez, & alii locis citatis contra Tabienam verſ. *jurare*, quæſt. 20. Cùm ergò vota reſervata Romanæ Sedi ſint votum caſtitatis, votum Religionis, votum peregrinandi ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli; ad S. Iacobum Compoſtellanum, ad templum Hieroſolymitanũ, ſequitur juramentum habens annexum unum ex his votis non poſſe ab Epiſcopo, vel Prælato diſpenſari, niſi fortè juramentum ſit pœnale aut conditionale. Ita Azorius, ſuprà poſt Suarem lib. 8. de juramento.

II. Juramenta emiſſa à Religioſis in utilitatem tertii, & ab eo acceptata, & facta de licentiâ Prælatorum poſſunt à ſolo Papâ ob commune bonum regulariter relaxari, diſpenſari, vel commutari. Ita Sotus de juſtitiâ, quæſt. 1. art. 9. Portellus in dubiis Regul. verbo *Abbas*, num. 48. noſter Lezana tomo 3 quæſtion. Regul. verbo *juramentum*, num. 28. Ratio eſt, cùm enim per ejuſmodi juramenta jus ſit tertio acquiſitum, illud ſolus Papa propter bonum commune au-

ferre poteſt. Dixi *regulariter*, quia quando eſt turpitudo ex parte illius tertii, verbi causâ, quando quis jurando pollicitus eſt latroni volenti eum interficere, aliquam ſummã pecuniæ, ut mortem avertat, vel promiſit uſurario ſolvere uſuras, vel quando juramentum eſt extortum vi, metu, aut fraude, & generaliter quando jurans paſſus eſt injuriam ab eo, in cujus cõmodum emiſit juramentum, tunc non tantùm Papa, ſed etiam Epiſcopus poteſt in eo diſpenſare. Ita Toletus in ſumma lib. 4. cap. 20. Sanchez, Portellus, Lezana ſuprà. Item Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum, ita Sanchez ſuprà num. 29. & 30. Lezana contra Portellum loco citato. Ratio eſt, quia dicti Prælati habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos.

CAPUT VI.

Poteſtas Apoſtolica circa Vota.

I. SEdes Apoſtolica poteſt aliquando diſpenſare in voto ſolemni Caſtitatis vel Religionis. Ita Richardus in 4. diſtinct. 38. art. 9. quæſt. 1. ad 4. 5. & 6. S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Henricus, Paludanus, Sanchez, S. Antoninus, Major, Herveus, Cajetanus, Roſella, Navarrus, Valentia, Reginaldus, Sanchez, Guitierez de Matrimonio, Leſſius, Azorius, Bonacina, Barboſa de officio & poteſtate Epiſc. part. 2. alleg. 37. n. 1. Sylveſter, Franciſcus de Aranio, Covarruvias, Homobonus, Sanchez, Valerius Reginaldus Molfeſius, Emmanuel Henriquez, Ludovicus Lopez, Jacobus de Graffis, Filliucius, Ioannes Malderus, Layman, Lavorius, Alzedo, Vgolinus, Valerius Reginaldus, Cardoſius, Trullench, Franciſcus, Sayrus, Boſſi, Suarez contra Altiſiodorenſem in ſummâ libr. 3. tract. 28. cap. 1. quæſt. 2. Albertum, Tabienam, Armillam, & ex mente aliquorum contra D. Thomam 2. 2. quæſt. 888. art. 11. & Gloſſam in cap. *Cum ad Monaſterium*, de ſtatu Monachorum. Ratio prima eſt, quia poteſt diſpenſare in voto ſimplicis caſtitatis, igitur poteſt etiam in ſolemni, cùm ſolemnitas dependeat à conſtitutione Eccleſiaſticâ. Secunda poteſt in omnibus disjunctivè, igitur poteſt etiã conjunctivè. Tertia, de facto Sedes Apoſtolica diſpenſavit cum Juſtiniano Monacho poſt votum ſolemne profeſſionis, cùm enim omnes Juſtiniani ferro, vel morbo extincti eſſent, exceptis quibuſdam ſenibus ad ſobolem procreandam ineptis, & unus tantùm ſupereſſet adoleſcens nomine Nicolaus. Tunc Vitalis Dux Venetiarũ impetravit ab Alexandro III. Papâ vinculi Religioſi ſolutionem & tranſitum ad nuptias, eique ſic diſpenſato unicam filiam in uxorem dedit, ex quâ procreati ſunt ſex proles maſculæ, & tres femellæ. Raimirus Rex Arragoniæ monachalem ſtatum profeſſus eſt, cùm Pater abſque prole obiiſſet, auctoritate Papæ è Monaſterio eductus eſt, purpurâ & regio ſceptro inſignitus uxorem duxit, ex quâ filiam genuit. Caſimirus hujus nominis primus Rex Poloniæ, Cluniacenſis Monachus profeſſus, & Ordine Diaconatus initiatus, à voto & profeſſione Monaſticâ fuit abſolutus per Benedictum IX. vel Clementem II. & regno Poloniæ ſucceſſit more majorum, uxorem duxit, ac liberos procreavit. Conſtantia filia Rogerii Regis Siciliæ ferè quinquagenaria, conſenſu & indulgentiâ Cœleſtini III. è Monaſterio Panormitano educta, & voto virginitatis ſoluta nupſit Henrico VI. Clemens VII. multis Religioſis Equitibus profeſſis in Ordinibus Militaribus Calatravæ, & Alcantaræ conceſſit, ut ſi vellent uxores ducerent. Nec dicas cum Soto de juſtit. 7. quæſt. 4. art. 2. ſacros milites quamvis Religionem profeſſos, non eſſe verè ſimpliciter Religioſos: Licet enim id locum habeat in illis ſacris militibus, qui ſolum conjugalem caſtitatẽ profitentur, ut ſunt in Hiſpaniâ Milites S. Jacobi, Florentiæ Milites ſancti Stephani. Id verum non eſt in iis, qui ſimpliciter caſtitatem profitentur, cujuſmodi ſunt nunc ſacri Milites Hieroſolymitani, olim tales erant milites

Milites Calatravæ, & Alcantaræ, qui nunc caſtitatem conjugalem dumtaxat vovent. Cœterùm ſcribitur quod Ramirus fuerit Præfectus Cœnobii S. Facundi, & Abbas, poſtea Præſul Pampelonenſis, & poſt 40. annos exactos in Monaſterio Tomerienſi duxit uxorem ad ſuſcitandam ſobolem compulſus auctoritate Apoſtolicâ. S. Caſimirus etiam profeſſus eſt Regulam S. Benedicti, & Diaconus effectus, & tamen ad regnum evectus & matrimonio junctus, ut ſcribit Cromerus lib. 4. de origine & rebus geſtis Polonorum. Ex quo factum eſt, ut Polonis injunctum ſit, ut capitatim ſingulis annis exceptis Nobilibus, Equitibus, & in ſacris conſtitutis obolus unus in lucernam perpetuò in æde Sancti Petri arſuram pendatur, qui ideò nummus Sancti Petri nuncupatur. Vide plura tomo 1. tractat. 3. cap. 6. §. 14. num. 5. de conſtantiâ teſtantur Annales Siciliæ, & præcipuè Phazellus rerum Sicularum Scriptor. Item Diplomata & decreta Cœleſtini, quæ adhuc extant in Archivio Romano. Ratio cur Papa hac poteſtate polleat eſt, quia nihil impedit, quominus caſtitatis votum poſſit Apoſtolicâ auctoritate ſolvi, ſi adſit graviſſima cauſa, verbi causâ, ſalus totius regni, Regis vel Principis converſio ad fidem Catholicam. Primò non impedit traditio, quia ſimplex etiam votum conſiſtit in traditione, & tàmen auctoritate Apoſtolicâ relaxatur, præcipuè cùm rei, vel perſonæ traditionem poſſit Sedes Apoſtolica commutare in aliud bonum longè melius. Nec voti ſolemnitas impedit, cùm hæc ſit introductâ ſolâ Eccleſiæ inſtitutione. Nec vis & natura Religionis, quia licet ei per ſe conveniat caſtitas, tamen non impedit quominus Pontifex poſſit ex Monacho facere non Monachum. Quamvis ergò Monachus, dum talis eſt nequeat non eſſe aſtrictus voto caſtitatis: tamen poteſt fieri non Monachus. Nec etiam obſtat conſecratio, licet enim quod eſt ſemel conſecratum Deo, paſſim à jure in uſus communes verti nequeat ſtante formulâ conſecrationis, tamen poteſt, ob gravem cauſam amiſsâ formâ conſecrationis. Sic calix amittens formam cōſecrationis, vendi, emi, & locari poteſt ad uſus prophanos ob aliquam juſtam cauſam. Sic dum Religioſus permanet Religioſus, ita eſt ab uſu conjugii alienus, & nullâ humanâ etiam Pontificiâ poteſtate poſſit conjugio uti, quia uſus conjugio pugnat cum naturâ religionis. Et hoc eſt quod dicitur in cap. *Cùm ad Monaſterium*, de ſtatu Monachorum; ſed auctoritate Pontificiâ poteſt fieri ut Religioſus deſinat eſſe Religioſus ſi cōjungatur matrimonio, proles procreet, ſi ſubſit cauſa juſta. Nec obſtat quod Sacerdos ut poſt conſecratus nequeat non eſſe conſecratus, hoc enim ob characterem divinitus impreſſum & indelebilem. At Religioſus non eſt effectus Religioſus per ullum characterem, ſed per profeſſionem, & tria vota Religionis. Nec obſtat ſecundò id quod habetur in cap. *Cùm ad Monaſterium*, de ſtatu Monachorum, ubi dicitur, *Statui regulari adeò eſt annexa caſtitas, ut contra eam nec ſummus Pontifex valeat indulgere.* Reſpondent paſſim Doctores, hoc argumento tantùm concludi Monachum, quamdiu talis eſt, voto caſtitatis aſtringi, nec eſſe nec fieri poſſe, ut quis ſit Monachus vel Religioſus quin ſit voto caſtitatis devinctus. Aſſerimus autem ex Monacho fieri poſſe non Monachum auctoritate Apoſtolicâ. Quod ſi dicas matrimonium ratum non conſummatum ſolemni voto Religionis diſſolvi, nō autem ſolemne votum Religionis etiam auctoritate Apoſtolicâ ob duo incōmoda. Primum, quia ſequeretur aliquē poſſe habere duas uxores. Fingamus enim Titium poſt matrimoniū ratum non conſummatum tranſiiſſe ad Religionem, & deindè auctoritate Apoſtolicâ ob juſtas cauſas voto ſolemni Religionis ſoluto duxiſſe aliam uxorem priori ſuperſtite. Deindè ſi ſolemne votum Religionis nuptias tantùm contractas ſolvit ac dirimit. Igitur cùm votum poſſit ſolvi auctoritate Apoſtolicâ, eo ipſum papa poterit ſolvere & reſcindere matrimonium ratum, non conſummatum. Reſpondet Azorius primum incommodum

modum non ſequi. Quia quemadmodum matrimonium morte naturali conjugis ſolvitur, qui, ſi vivente adhuc conjuge revocaretur ad vitam poſſet inire aliud Matrimonium, quia primum Matrimonium eſſet planè ſolutum: ſic Matrimonium ratum, nondum perfectum dirimitur per profeſſionem Religioſam. Quod ſi poſtea ex Monacho fiat non Monachus, poterit ex cauſis auctoritate Apoſtolicâ iterùm Matrimonio jungi, cùm primum Matrimonium planè deſierit. De Matrimonii rati ſolutione aliàs diſſeruimus. Nec iterùm dico quod ex altiori vitæ ſtatu ad inferiorem (cujuſmodi eſt Matrimonium) reſpectu Religionis deſcendere non liceat, id tamen fieri poteſt auctoritate Apoſtolicâ ob bonum regni ac Reipublicæ privato commodo præferendum. Quod ſi objicias id repugnare D. Thomæ 2. 2. quæſt. 88. art. 11. per totum. Reſpondet Azorius oppoſitũ docuiſſe in 4. diſtinct. 38. quæſtiuncul. 1. art. 4. ad 3. Reſpondent ſecundò Paludanus & Cajetanus mentem ſancti Thomæ eſſe, non poſſe fieri Apoſtolicâ auctoritate ut aliquis ſit Religioſus. & matrimonio utatur, quia caſtitas eſt Religioni intrinſeca, ſed poteſt quis à Papâ ſolvi Matrimonio & ſic liber nuptias & Matrimonium contrahere.

15. Votum Paupertatis poteſt ab Apoſtolicâ Sede relaxari. Ita Sotus de juſtitia. 10. quæſt. 5. art. 7. apud Azorium. Ratio eſt, quia poteſt ſolvere votum caſtitatis, igitur & paupertatis. Quod confirmatur ex 18. quæſt. 1. cap. *Statutum eſt, ut Monachus, quem electio canonica à jugo regulæ, & Monachalis profeſſionis abſolvit, & ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum fecit, velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem poſtea vendicandi poteſtatem habeat.* Quibus verbis innuitur quod Monachus factus Epiſcopus à jugo regulæ & Monaſticæ profeſſionis abſolvitur. Secundò, habere ut legitimum hæredem ius adeundi paternam hæreditatem, & eam ſibi vendicandi. Tertiò Apoſtolus ad Hebræos cap. ultimo docet quod qui altari ſervit habet ius vivendi ex altari. Igitur Religioſus ad Epiſcopatum promotus habet ius poſtulandi ac recipiendi portionem ſibi debitam. Quartò, Iure communi ſancitum eſt ut Clerici reſidentes, qui interſunt divinis officiis, acquirunt ius & dominium fructuum. Igitur Religioſus ad Epiſcopatum evectus, ſi reſideat, & ſuo munere fungatur, fructus facit ſuos. Vndè ſic nomine & iure annuos reditus exigit & percipit, litem movet in reſuentes, eoſque reditus cõſervat. Quintò, Cardinalis in Clement. 2. §. *Sed & tales*, de vitâ & honeſt. Cleric. Navarrus commun. 2. *de regularibus*, num 2. Docent Religioſum ad Beneficium vel dignitatem provectum poſſe tam latè & amplè fructus diſtribuere & expendere, quàm Clericus ſæcularis, & ideò Monachus factus Epiſcopus voto paupertatis abſolvitur, quia paupertas repugnat muneri Epiſcopali: nam Epiſcopus reditus percipit, vt ſe alat, pauperibus eroget, & in alios pios vſus convertat, ſicut aliis obſervantiæ regulis ſolvitur, quia repugnant muneri, poteſtatui, gradui & dignitati paſtorali. Et ſi hæ rationes ſint probabiles, & Papa poſſit Religioſum abſolvere à voto paupertatis, tamen noſter Lezana tomo 1. quæſtion. reg. cap. 17. num. 5. negat Religioſum ad Epiſcopatum vel Cardinalatum, &c. aſſumptum voto paupertatis de facto propriè ſolvi vel diſpenſari. Primò, quia manet verè Religioſus ſicut antea. Votum autem eſſentiale ſtatus Religioſi eſt paupertas, cap. *Cùm ad Monaſterium*, in fin. de ſtatu Monachorum. Secundò, quia ex D. Thomâ 2. 2 quæſt. 88. art. 11. ad 4. & quæſt. 185. art. 8. Henriquez. Cùm aſſumuntur non diſpenſantur in præfato voto. Tertiò, ad præfatas dignitates evectis non datur dominium bonorum Eccleſiaſticorum, ſed dumtaxat adminiſtratio Apoſtolicâ ſede annuente, quod non repugnat voto paupertatis, vt aſſerit Leſſius lib. 2. de iuſtitiâ cap. 40. dub. 14. Vndè quæ Religioſus creatus Epiſcopus acquirit non ſibi ſed Eccleſiæ cui præficitur. Ita Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 6. num. 8. Lezana ſuprà. Quod

etiam

etiam de acquiſitis jure hæreditatis. Suarez tomo 4. de Relig tractat. 8. lib. 3 cap. 16. num. 15. Vndè probabile exiſtimant Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 13. Lezana ſuprà. Quod ea quæ Religioſus Epiſcopus prodigè & ſuperfluè conſumit teneatur reſtituere; vel curari reſtitui omni meliori modo Eccleſiæ, cui erant acquiſita. Ratio eſt quia adminiſtratio bonorum Epiſcopatus, quam habet eſt tantùm ad bonos & honeſtos vſus, nec poteſt teſtari abſque facultate Apoſtolicâ (inquit Lezana) quia quidquid in Epiſcopatu acquirit, ſuæ Eccleſiæ acquirit, cum ſolâ libera adminiſtratione, quæ morte terminatur. Poteſt tamen Religioſus creatus Epiſcopus diſponere inter vivos de redditibus ſui Epiſcopatus, eo modo, quo Epiſcopus ſæcularis. Ita Molina tomo 2. de juſtitiâ diſp. 276. verſ. *Religioſus*, in comment. Leſſius, Lezana ſuprà num. 6. Ratio eſt quia licet Religioſus Epiſcopus careat vero dominio illorum redituum (quidquid ſit) an etiam Epiſcopus ſæcularis illud non habeat, habet tamen liberam adminiſtrationem illorum in vſus honeſtos Vndè uterque poteſt diſponere de illis ad moderatam ſui & familiæ ſuſtentationem ſecundùm decentiam ſtatus ad eleemoſynas, aliaque pia opera, imò ea expendere licitè ſubſtrahendo de ſuâ competente ſuſtentatione. Ita Sanchez libr. 6. in Decal. cap. 6. num. 14, Navarrus de redit. Eccleſ. quæſt. 1. Lezana ſuprà. Ratio eſt, quia juſtè præſumitur Eccleſiam illi concedere talem licentiam.

III. * Poteſt Religioſus Apoſt. auctoritate ſolemni voto obedientię ſolvi. Ratio eſt, quia votum obedientię, eſt tam intrinſecū religioni, quàm votum caſtitatis, cap. *Cùm ad Monaſterium*, de ſtatu Monach. Si igitur hoc poteſt, poterit & illud. Nihilominus Religioſus ad gradum Epiſcopalem evectus non abſolvitur à voto obedientiæ, ſed eximitur à ſuperiorum regularium poteſtate, & immediatè ſubjicitur Sedi Apoſtolicæ: ita ut ultra generalem obedientiam debitam Sedi Apoſtolicæ ab omnibus fidelibus, item ultra obligationem quam alii Cardinales, Epiſcopi & Abbates habent ad illi obtemperandum, tenentur ex vi voti obedientiæ emiſſi in profeſſione ſpecialem obedientiam exhibere Sedi Apoſtolicæ. Ita Suarez tomo 2. de Relig. tract. de voto lib. 6. Azorius, Henriquez, Lezana ſuprà num. 3. & cap. 4. num. 31. Ratio, Religioſum votum eſt primò Papæ, quia eſt ſupremus omnium Religionum Generalis: eo quod omnis poteſtas juriſdictionis Generalium derivatur à Sede Apoſtolicâ, ſicque Religioſi per votum obedientiæ ſubduntur Romano Pōtifici, eique obedire tenentur. Accipe verba D. Thomæ 2. 2. quæſt. 186. art. 5. ad 3. *Etſi à Diœceſanis Epiſcopis totaliter vel ex parte ſunt exempti, obligant tamen ad obediendum Pontifici, non ſolum in his, quæ ſunt cōmunia aliis, ſed etiam in his quæ ſpecialiter pertinent ad diſciplinā Religionis.* Vide etiam Bannez 2, 2. quæſt. 10. art. 11. dubio 6. Idem aſſerunt noſtri Thomas à Jeſu tractat. 3. de viſit. regul. cap. 17. num. 7, Lezana tomo 1. quæſtion. regular. cap. 4. num. 32. de ſacra Congregatione Cardinalium ſuper Regulares ſpecialiter inſtituta à Xiſto V. & aliis Pōtificibus pro regimine Regularium. Quare Sedes Apoſtolica & Prælatus Regularis oppoſita præciperent, ex vi voti obedientiæ parendum eſt potius illi quàm huic. Ita D. Thomas in 2. diſtinct. 44. in expoſit. litter. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 1. numer. 10. Lezana ſuprà. Ratio eſt, quia juriſdictio Prælati Regularis derivatur à Papâ, & Generalis exemptus ab obedientia Prælatorum inferiorum manet per votum obedientiæ ſubditus Sedi Apoſtolicæ. Ita Valentia 2. 2. diſp. 10, quæſt. 3. puncto 8, Arragonius 2. 2. quæſt. 88. Lezana ſuprà num. 33. Ratio eſt, quia non eximitur ab ejus obedientiâ, nec voto emiſſo. Hinc ſummus Pont. poteſt eximere quemcumque Religioſum ab obedientiâ Prælatorum inferiorum, & ſibi reſervare. Ita Suarez tomo 4. de Relig. tract. 8, cap. 11. num. 7. & 8, Lezana ſuprà.

Ratio eſt, quia hoc modo utitur jure ſupremi Prælati Religionum. Id tamen facere non debet abſque juſtâ cauſâ. Ratio eſt, quia hoc eſſet potius in deſtructionem, quàm in ædificationem.

IV. Votum de non procurandâ dignitate vel Prælaturâ extra ordinem relaxari non poteſt niſi à Sede Apoſtolicâ. Ita Theſaurus in praxi part. 2. verbo *Religioſus*, cap. 4. num. 13. noſter Lezana tomo 4. quæſtion. regul. verbo *Tranſeuntes Regulares*, num. 14. & verbo *Votum*, num. 10. Probatur ex conſtitutione Vrbani VIII. datâ anno 1635. quâ ſtatuitur quod Regulares, qui ex ſuo inſtituto votum habent ſeu juramentum de non procurandâ vel acceptandâ dignitate aut ſuperioritate extra ſuam Religionem, quod votum ſeu juramentum ex conſtitutione ejuſdem Vrbani anno 1643. die 26. Februarii motu proprio relaxari ſeu diſpenſari nequit, niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente: ita ut illâ facultate careant quicumque ſuperiores, Nuncii Apoſtolici, Legati à latere, nonobſtantibus quibuſcumque aliis privilegiis, vel indultis.

V. Cœterùm quamvis quinque vota de quibus ſuprà, ſint Papæ reſervata, tamen eorum diſpenſatio eſt penes Epiſcopos. Primò quandò eſt morale dubium de valore voti, ſive ſit dubium juris, ſive facti, ſive ſit negativum propter conjecturas, quæ non ſufficiunt ad determinandum judicium, ſive ſit poſitivum ex opinionibus cõtrariis probabilibus. Ita Cardinalis de Lugo de ſacram. Pœnitent. diſput. 20. ſect. 2. num. 22. Suarez ſuprà num. 26. num. 6. Sanchez ſuprà, num. 26. noſter Lezana ſuprà verbo *Votum*. num. 12. Quod verum eſt, licet illud dubium non ſufficiat ad excuſandum voventẽ à voti obligatione. Ratio eſt, quia cum reſervatio & diſpenſatio ſit odioſa reſtringenda eſt ad certos caſus. Addũt Lugo, Sanchez, Lezana, quod poſtea compertâ voti certitudine, non ſit recurrendum ad ſedem Apoſtolicam pro diſpenſatione. Ratio eſt, quia eſt jam legitimè impetrata. Nõ eſt neceſſarius recurſus ad Papam, quoties vota ſunt metu emiſſa per injuriam incuſſo ad illa extorquenda. Ita Angelus in ſummâ verbo *Votum*, Sanchez, Henriquez, Leſſius, Diana, Lezana ſuprà num. 12. Probatur primo ex cap. *Veniens*; *qui Clerici*, *vel voventes*. Secundò, quia id involuntarium ſecundùm quid repertum in talibus votis non quomodocumque, ſed per injuriam minuit notabiliter rationem voluntarii, & voti, proindèque Pontifex non cẽſetur reſervare ejuſmodi vota. Addunt ſecundò Navarrus in Manuali cap. 12. num. 76. Ledeſma in ſummâ tomo 2. tract. 10. cap. 8. Leſſius de juſtitiâ cap. 40. num. 125. 126. & 127. Suarez tomo 4. de Religione, tract. 10. lib. cap. 26. num. 9. Fagundez in 2. præceptum Decalogi, lib. 2. cap. 42. num. 28. Diana part. 6. tract. 6. reſolut. 50. Lezana ſupra, pro voto caſtitatis & religionis. Quod ſi immineat magnum incontinentiæ periculum, neque ſit facilis aditus ad Sedem Apoſtolicam, vel Legatum ob paupertatem, vel aliam cauſam jure optimo credi poſſe non eſſe mentem Pontificis velle in tali caſu ſibi reſervare hæc vota. Ratio eſt, quia non eſt veriſimile velle, ut animæ laqueis irretitæ verſentur in tanto periculo. Bonacina de legibus diſp. 4. quæſt. 2. puncto 7. §. 4. numer. 15. Lezana ſuprà. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 16. poſt Sylveſtrum, Navarrum, Reginaldum, Suarez, Sanchez, & alios limitant, ut hæc diſpenſatio conceſſa ab Epiſcopo ſolùm ſit quatenus illud periculum poſtulat, & eo durante. Ratio eſt, quia eſt illi tantùm conceſſa pro tali neceſſitate. Vndè contra votum peccabunt ii, cum quibus ob dictas rationes Epiſcopus diſpenſavit in voto continentiæ, vel ut matrimonium contrahere, vel ut contracto uti poſſint. Peccabunt (inquam) ſi extra matrimonium fornicentur, vel eo ſoluto ad aliud tranſeant abſque novâ diſpenſatione Apoſtolicâ. Eodem modo philoſophandum eſt de triplici peregrinatione

natione Pontifici reſervatâ, in quo urgeret neceſſitas diſpenſationis, nec ob inopiam vel aliam cauſam Pontifex poſſet adiri, aut ejus legatus. Ita Suarez, Ledeſma, Lezana ſuprà. Idem concludunt Henriquez, Sylveſter, Suarez, Diana, Sanchez, Lezana ſupra. Si occurrat periculum alicujus magni ſcandali, vel damni tertiæ perſonæ. Sayrus lib. 6. cap. 11, num. 62. Azorius, noſter Lezana ſuprà num. 13. Subdunt quod quando materia votorum deficit à naturâ materiæ reſervatæ, tunc Epiſcopus in illis poteſt diſpenſare. Vt quando tota materia, quæ promiſſa eſt per votum non eſt reſervata, verbi causâ, ſi quis voveat disjunctivè caſtitatem vel jejunium. Ratio eſt, quia cum alternativis electio debitoris, & ſatisfaciat præſtando alterutram disjunctionis partem juxta regulam, *de alternativis regulis juris in 6.* Ideò ejuſmodi votum non præcisè obligat ad rem reſervatam, ac proindè non eſt reſervatum. Deindè ſi animus voventis tantùm fuit ſe obligandi ſub veniali, vel ſub nullâ obligatione, Candidus tomo 2. diſquiſ. moral. diſquiſ. 25. art. 8. dubio 1, Bonacina ſuprà, num. 21. Sanchez ſuprà, num. 47. cenſent ejuſmodi vota non eſſe perfecta, ſed imperfecta, & conſequenter non eſſe reſervata Papæ.

VI. Prætereà ſi votum non ſit abſolutum, ſed conditionale conditione de futuro, modo conditio non ſit adimpleta, cujuſmodi eſt hoc votum, *Si ex morbo convaluero, voveo me religioſum fore.* Non eſt reſervatum Pontifici. Ita Toletus in ſummâ lib. 4. cap. 18 Sayrus ſuprà, num. 77. Candidus ſuprà, artic. 7. dubio. 1. Arragonius 2. 2. quæſt. 88. num. 12, Lezana ſuprà. Ratio eſt, quia vota Papæ reſervata ſunt perfecta, cum reſervatio ſit odioſa, & conſequenter non extendenda ad votum imperfectum, quale eſt votum non impletione, quod nō obliget ante illius eventum. Dixi *conditione de futuro:* Quia Epiſcopus nequit diſpenſare in voto facto ſub conditione de præſenti aut de præterito. Ita Bonacina ſuprà num, 17. Sanchez ſuprà, num. 88. Suarez ſuprà num. 23. Candidus ſuprà & Lezana. Ratio eſt quia ejuſmodi conditio non ſuſpendit conſenſum, nec efficit votum conditionale. Dixi etiam *modò conditio ſit adimpleta.* Ratio eſt quia ſecundùm Suarem ſuprà cap. 22. num. 23. Sayrum, Lezanam, Reginaldum lib. 18. num. 336. contra Sanchez ſuprà num. 99. & lib. 8. de Matrimon. diſput. 10. numer. 13. Dianam part. 3. tract. 5. reſol. 25. & alios. Adimpletâ conditione votum cenſetur abſolutum, & non minùs obligat, quàm ſi factum fuiſſet abſque illa. Votum etiam non eſt reſervatum ſedi Apoſtolicæ, quando eſt pœnale, cujuſmodi eſt. *Si Fornicatus fuero, voveo in pœnam me religionem ingreſſurum.* Ita Lezana ſuprà. Ratio eſt quia cum reſervatio ſit odioſa, ac nimis reſtringenda, hæc vota debent cenſeri reſervata quando ſunt ſimpliciter rei reſervatæ, ut religionis, &c. At vota pœnalia non ejuſmodi. Quia cum votum ſit actus Religionis, quo quis Deo in ejus cultum offert rem ſibi gratam, & acceptam id ſimpliciter & perfectè dicetur tale, quod ex vera & directa rei promiſſæ voluntate oritur. Sed in votis pœnalibus conditionalibus nullus eſt affectus, nulla voluntas directa rei promiſſæ in pœnam: imò potiùs voluntas hanc ſibi proponit ut odioſam, nec vult eam. Sed potius proponit cavere ejus obligationem. Vide Reginaldum ſuprà numer 337. Ledeſma ſuprà cap 8: Sayrum ſuprà, num. 72. & 73, Medinam in inſtruc. Confeſſ. cap. 14. §. 6, Arriagonum ſuprà qui diſſerunt de caſu, quo commiſſa ſit talis culpa, ideòque contracta obligatio pœnæ. Plures alias limitationes & exceptiones recenſet noſter Lezana ſuprà, num. 13. 14. 15. 16. 17, Bonacina ſuprà, de voto, §. 4. num. 12. & 13.

CAPUT VII.

Alia Sedis Apoſtolicæ Iura perſtringuntur.

I. MEritò diximus S. Prophetam eſſe idæam Romani Pontificis. Tantæ enim ſunt utriuſque dotes, tam ampla eſt utriuſq; auctoritas ut vix poſſint multis voluminibus explicari. quare illâ analogiâ omiſsâ reliquas Apoſt. poteſtatis praxes breviter ac compendioſè referemus. Poteſt ob certas cauſas Cæſares & Reges ſceptro privare, id fusè probat Bellarminus lib. 1. & 2. de tranſlatione Imperii Romani. Weſſenlingius de ſummâ poteſtate Romani Pontificis cap. 12. Patet exemplo Samuelis, qui creavit Saulem Regem, eumque publicè depoſuit ac ſubſtituit Davidem. Exemplo S. Eliæ, qui diverſos creavit. Poteſt Romanus Pontifex multa irritare, ut patet in Beneficiis, quæ reſcindit collata poſt violatum interdictum, ita cap. *tanta*, de exceſſibus Prælat. Poteſt prius obtenta auferre, ita cap. *per principalē*, 9. quæſt. 3. Gloſſa ibi cap. *in memoriam*, diſt. 9 &c. Beneficia reſervantur Sedi Apoſtolicæ dum vacat ſedes Epiſcopalis, ita Vgolinus de poteſtate Epiſc. cap. 50. §. 2. num. 2. Azorius, Aloyſius, Barboſa, Caſtro Palao, Flaminius, Pius V. in bullâ *Sanctiſſimus*. Poteſt conferre vacantia ob crimen hæreſis, quæcumque & qualiacumque ſint, ita Pius V. in bullâ quæ incipit, *Cùm ex Apoſtolatus*, tom. 2. bullarii novi, Vgolinus ſuprà, Aloyſius Riccius, Nicolaus Garcias, Azorius, Barboſa, & alii. Beneficia collata perſonis prohibitis ob genus ſuum, crimen Apoſtaſiæ à fide, ſpectant ad novam proviſionē Sedis Apoſtolicæ, ita Gregorius XIII. in bullâ quæ incipit *Eccleſiis*, apud Azorium, Mantica deciſ. 158. num. 1. Vgolinus. Eidem Sedi reſervantur ipſo jure Beneficia recepta in confidentiam, ita Pius IV. conſtit. *Romanus Pontifex*, apud Navarrum, Pius V. conſtit. *intolerabilis* apud Azorium, Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 57. Vgolinus, Piacius, & alii. Poteſt Papa cōferre beneficia vacantiā ob non publicatas reſignationes, ita Gregorius XIII. conſtit. *Humano vix judicio*. Quaranta in ſummâ Bullarii, verbo *Benefic. reſign.* Gonzalez, Flaminius, & alii. Beneficia parochialia collata non reſervatâ formâ Concilii ſeſſ. 24 de reform. cap. 18. reſervantur Papæ, ita Pius V. conſtit. *in conferendis*, Barboſa ſuprà, & alii. Si intra tempus à jure præſcriptum collatores negligentes fuerint conferre beneficium, collatio devolvetur ad Sedem Apoſtolicam, Barboſa ſupra, n. 44. & 45. Vgolinus Zerola, Placeſius, & alii. Beneficia conſiſtentia in Vrbe, Papæ reſervantur, Barboſa ſupra num. 51. Æneas de Falconibus, Gonzales, Moneta. Ratio eſt, quia Papa eſt Epiſcopus Romanus cap. *Si quis*. Reliquit tamen Eccleſiis titularibus Cardinalium in Vrbe reſidentium collationem Beneficiorum vacantiū. Probatur ex cap, *His quæ*. Vbi fusè Abbas, Felinus, Antonius Batrius. Reſervantur etiam Papæ Beneficia collata à Cardinalibus vigore ſuorū indultorum, ſi proviſi intra ſex menſes proviſionis factæ non impetrarint novas proviſiones, nec ſolverint jura Cameræ Apoſtolicæ, & aliis debita hujus intuitu. Ita Barboſa ſupra num. 52. Gonzales. Si quis Beneficiatus offendat, ſeu injuriet litigantes in Curiâ Romanâ, eorumque Judices, Advocatos, Procuratores, teſtes, vel Notarios ejus beneficia reſervadtur diſpoſitioni Apoſtolicæ. Ita Alexander VI. conſtit. *in eminentiâ*, Barboſa ſup. num. 55. Rota, Puteus, Gonzales. Poteſt Papa conferre beneficia eorum, qui ſe exponunt examini pro aliis, vel offerunt annuas penſiones pro conſequendis, vel impetrant beneficia cum intentione illa reſignandi. Ita Paulus IV. conſtit. *inter cæteras*, Barboſa ſup. num. 56. Gonzales. Beneficia vacant Sedi Apoſtolicæ ob non delationem habitus Clericalis. Ita Xiſtus V. conſtit. 92. Sede Apoſtolicâ vacante ceſſant regulæ reſervatoriæ, ita ut omnes menſes ſint ordinarii, poſſuntque

Epiſcopi

Epiſcopi tanquam ad jus commune redeuntes providere de beneficiis vacantibus. Ita Antonius Maſſobrius in praxi habendi concurſum reg. 7. dubio 43. Gonzales, Barboſa ſup. num. 63. Quot modis vacent Beneficia, vide Canoniſtas.

II. Poteſt Papa invitis Abbate & Monachis aliquem Religioſum cœnobio evocatum, & aſſumptum certæ Eccleſiæ præficere, vel Epiſcopo, vel Principi adjutorem vel ſocium aſſignare, vel apud ſe retinere. Ita cap. *Principalem*. 9. quæſt, 2. Navarrus comm. 2. de regul. Selva. Poteſt Sedes Apoſt. aliquos eximere à jure & poteſtate Epiſcoporum. Ita Gloſſa *Communi conſenſu recepta*, cap. *Frater*, 16. quæſt. 1. cap. 1. de privileg. in 6. Item Eiſpcopos à poteſtate Archiepiſcopi, cap. *Frater*, 16. q. 1. Omnes maiores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam deferuntur. Quæ cauſæ majores ſunt quæſtiones ſpectantes ad articulos fidei intelligendos, ad libros Canonicos diſcernendos, ad ſenſum ſacrarum litterarum declarandum, & approbandum, ad interpretanda dubia, vel obſcura in controverſiis fidei, in jure Canonico vel Divino, ad declarandum quæ ſpectant ad Sacramentorum materiam, formam, & miniſtrum, & alia ejuſmodi, 24. quæſt. 1. cap. *Quoties*. Poteſt Papa aliquos legitimis natalibus reſtituere quoad ea, quæ concernunt ſpiritualia, cap. *Per venerabilem, qui filii ſunt legitimi*. Poteſt reſtituere eos, qui ſolemni ritu ſunt privati gradu Clericali. Gloſſa in cap. *ideò*, 2. quæſt. & cap. *ex tuâ* § ult. *de Clericis non reſidentibus*. Poteſt promovere ad tres Ordines Eccleſiaſticos eum, qui nõdum pervenit ad legitimam ætatem, cap. *Cum in cunctis*, de elect. vel eos qui ſunt bigami, cap. 1. *de bigamis*. Ita definitivè judicat, ut ab ejus ſententiâ non detur appellatio, cap. *Cuncta per mundum*, 9. quæſt. 3. Poteſt profeſſionem religioſam irritare, ſeu ſtatuere nè rata & firma ſit, ſi certa formula non ſervetur, vel emittatur ante annos ætatis à ſacris Canonibus præfixos. Ita cap. *Admoilrũ*, cap. *Significatum*, cap. *Quia in inſulis*, de regul. Poteſt ſupplere, quod in contractibus defuit, cap. *Illa quotidiana*, de elect. & cap. 1. de tranſact. Quod intelligendum eſt, quando aliquid omiſſum eſt, quod ius Canonicum requirit & poſtulat. Remittit pœnas contractas ob ſimoniam in Ordinibus & Beneficiis, cap. *Quia Simoniacus*, 1. quæſt, 1. Admittere poteſt renunciationem Epiſcoporũ, aliorumque inferiorum, qui ſunt exempti ab ordinariis. Ita cap. *Si Abbatem*, de elect. in 6. Poteſt relaxare, commutare, interpretari jusjurandũ in rebus & perſonis alicujus momenti. Ita cap. *Venerabilem*, §. *eos*, de elect. Nemo poteſt à vinculo anathematis ſolvere, quem Sedes Apoſtolica illaqueavit. Ita cap. *Inferior*, diſtinct. 21. Et *Cùm inferior de major. & obed.*

III. Quem Romanus pontifex prudẽs ac ſciens ſalutat, ab omni vinculo interdicti & anathematis ſolvit. Clement. *Si ſummus*, de ſentent. excommun. Nemo poteſt abſolvere ab excommunicatione cujus abſolutionẽ jus canonicum Romanæ ſedi reſervavit, cap. *Nuper*, de ſentent. excommun. Nemo poteſt tollere irregularitatem contractam ob notabile impedimentum corporis vel animæ, vel ob natalium vitium, vel ob infamiam aut crimen manifeſtum atque notorium, vulgò diſpoſitione dignam, & adulterio gravius. Ita cap. *Si Clerici*, de judiciis, & ibi Doctores cum Gloſsâ. Quare ſola Sedes Apoſtolica poteſt diſpenſare cum eo qui ſciens bis ſacrum Ordinem ſuſcepit. Ita cap. *Saluberrimam*, 1, quæſt. 7. vel bis Sacramentum Baptiſmatis, vel Confirmationis ſuſcepit. Ita cap. *Eos*, cap. *Quibus*, de conſecrat. diſt. 4. vel propter homicidium, aut amputationem membri humani. Ita cap. *Miror*, cap. *Si quis viduam*, diſt. 50. Nemo poteſt dirimere cauſam, vel de eâ ſententiam ferre, ſi per appellationem, vel aliâ ratione ad Sedem Apoſtolicam ſit delata, ſolus Romanus Pontifex interpretatur ea, quæ dubia ſunt in reſcriptis Pontificiis, vel mandatis Apoſtolicis. Ita cap. *Paſtoralis*, de fide inſtrument. cap.

Cùm veniſſes. de judiciis, cap. de confirmat. Poteſt uni & eidem Clerico conferre Beneficia, quæ jure dicuntur incompatibilia. Cujuſmodi ſunt Beneficia ſimilia ſub eodem tecto, ſeu conſtituta in eâdem Eccleſiâ. Ita paſſim Canoniſtæ in cap. *Litteras*, de conceſſ. præbend. ut ſunt duæ Parochiales, vel beneficia curam animarum habentia, vel dignitatem. Ita Abbas in cap. *de Multa*, de præbend. num. 19. Duæ Cathedrales. Ita Doctores in cap. *Dudum*, de elect. Item ea in quibus jure, privilegio vel conſuetudine debet quis reſidere, vel cōmorari. Ita Concilium Tridentinū ſeſſ. 7. cap. 3. his verbis, *Inferiora beneficia, &c.* & cap. 4. Sacra Congregatio declaravit duos Canonicatus poſſe retineri ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. Vide Gonzales ad reg. 8. Cancellariæ, Gloſſa 15. num 16. Nicolaum Garciā de benef. part. 11. cap. 5. num. 79. & ſeq. Farinacium in recollect. deciſ. 608. 609, & alios. Poteſt Papa conferre jus ad beneficiū vacaturum, cap. *Nulla*, de conceſſ. præben. cap. *Licet*, de præbend. in 6, Poteſt in Beneficiis annuas penſiones conſtituere, & conſtitutas transferre, vel jus concedere eas redimendi, Barboſa part. 3. alleg. 50. num. 24. & alii. Poteſt etiam Papa ea beneficia conferre, quorum unum ſufficit ad ſuſtentationem Clerici ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 17. Vide Azorium part. 2. lib. 4, cap. 20. Item poteſt renunciationem Beneficii gratiâ alterius factam admittere. Ita cap. *Deliberatione*, §. *Prohibemus*, de officio legat. lib. 6. Flaminius de reſignat. lib. 2. Poteſt Beneficium ad certum tempus non in perpetuum conferre, Ita Azorius ſup. Barboſa alleg. citatâ num. 25. & probatur ex cap. *Paſtoralis*, 7. quæſt. 1. Gloſſa verbo *Perpetui*, in cap. unicum de Capellis Monach. in 6.

IV. Poteſt ſummus Pontifex conferre ſacros Ordines extra tempora. Ita cap. *Conſultationi*, Rebuffus in praxi benef. part. 2. tit, *de Clericis ad ſacros Ordines*. Quaranta, Vgolinus, Aloyſius Riccius, Henriquez, Barboſa ſup. part, 2. alleg. 17. num. 4. Imò & Epiſcopi annuente Papâ, ita Auctores citati cum Molfeſio, Homobono, Majolo. Poteſt papa conferre Ordines quolibet anni tempore, ita Salzedo ad Bernardum cap. 26. Rebuffus, Barboſa ſup. Poteſt diſpenſare ut quis extra tempora poſſit ordinari ab aliquo Epiſcopo. Ita Rebuffus ſup. Solus papa poteſt dare facultatem, ut quis eodem die duobus ſacris Ordinibus initietur. Ita Lezana tomo 1. quæſt. regul. cap. 14. num. 14. Miranda, & ita ſtatuitur in Concil. Trident. ſeſſ. 33. cap. 13. Ordinatus à papâ nequit ab alio ad ſuperiores ordines promoveri ſine ipſius cōſenſu. Ita Doctores in cap. *Cùm in diſtribuendis*, de temp. ord. Azorius tamen notat id ex eo capite non colligi, cùm ibi agatur de Subdiacono Romanæ Eccleſiæ ſubjecto ratione Beneficii vel domicilii. Solus papa die ſuę conſecrationis poteſt conferre Ordines. Ita cap. *Quod ſicut*, §. *Præterea*, de elect. Azorius & alii. Solus papa poteſt concedere Abbatibus uſum inſignium Epiſcopaliū ut mitræ, baculi, annuli. Ita Lezana tomo 3. quæſtion. regul. verbo *Baculus*, num. 3. Barboſa in collect. bull. verbo *Baculus*, Ioannes Maria verbo *Baculus*.

Romanus pontifex poteſt quædam jura & bona Eccleſiaſtica laicis conferre, ut decimas, partes fructuum, ex beneficiis Eccleſiaſticis ex causâ rationabili, Regibus & principibus addicere. Ita Azorius. Item poteſt cōcedere privilegium ut beneficia in Eccleſiis ſuæ ditionis ſita, poſſint cōferri per obitum Beneficiariis deſtituta. Sic Adrianus indulſit Carolo Magno, Leo X. Franciſco I. Regi Galliæ. De hoc indulto Regis Galliæ ſcribunt Petrus Gregorius, Rebuffus, Guilhelmus Benedictus, Renatus Chopinus, Boetius, Epo, Barboſa. Regibus Hiſpaniæ, & Luſitaniæ permittitur etiā jus nominandi ad Eccleſias Cathedrales, cap. *Cùm long.*, cap. *Principali*. Quoad Germaniam, notant Barboſa de off. & poteſt. Epiſc. p. 1. tract. 1. cap. 3. num, 28. Iulius Lavorius, Rodericus à Cunchâ, Layman, Azorius, veterem morem eligendi Epiſcopos per Canonicos Ecclesiæ V.

cleſiæ Cathedralis adhuc vigere, quam conſuetudinem noſtra Civitas Leodienus ſervat. Sic modernus Epiſcopus Maximilianus Henricus ex Bavarorum auguſtiſsimâ proſapiâ oriundus nominatus, deſignatus & electus, & à ſede Apoſtolicâ confirmatus eſt, quem Deus ſoſpitem ſervet. Quâ in re Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. cap. 1. nihil innovandum dixit, ſed dumtaxat hortatur eos qui gaudent jure electionis, ut promoveant probos, idoneos, ac digniores, ſeclusis precibus, & humano affectu. Hanc Epiſcopi electionem faciendam eſſe à Canonicis intra tres menſes affirmat Azorius ex cap. *Ne pro defectu*, de elect. cap. *Poſtquam*, diſtinct. 50. cap. *Obeuntibus*, diſtinct. 63, qui dies incipiunt computari à die quâ innotuit Canonicis vacatio Eccleſiæ. Ita Innocentius, Azorius, & alii, in cap. *Ne pro defectu*, de elect. Vnde falsa eſt Lutheri, Calvini, & aliorum ſectatorum doctrina, aſſerentium quod electio Epiſcopi ad populum jure divino ſpectet. De hoc alibi.

VI. Sedis Apoſtolicæ eſt confirmare Concilium Generale, ejus conſtitiones probare, vel improbare, aut interpretari. Patet ex dictis ſupra, ubi pag. 385, diximus Abbates & Generales ferre ſuffragium deciſivũ ex conſuetudine, pag. 39. n. 12, negavimus ferre ſcilicet ex jure, nam ordinariè adſunt tantùm ut Conſiliarii, ut diximus pag. 386. num. 1. Poteſt ſolus Papa abſolvere incendiarios publico vinculo excommunicationis illigatos. Ita cap. *Conqueſti*, cap. *Tua*, de ſentent. excommun. Poteſt dare facultatem ut novitius eligatur in Abbatem. Ita cap. *Officii*, de elect. Poteſt permittere ut qui majoris excommunicationis vinculo innodatus ſacros Ordines ſciens ſuſcepit, poſſit ſuo munere fungi. Ita cap. *Cum illorum*, de ſentent. excomm. Poteſt etiam Monacho apoſtatæ, qui in apoſtaſiâ ordinem ſuſcepit, dare facultatem ut miniſtret in ordine ſuſcepto. Ita cap. ultim. de apoſtatis. Poteſt de Religioſis è Monaſterio egreſſis ad audiendas leges vel medicinam permittere ut ad Ordines promoveantur. Ita cap *Non magnopere*. Idem reſolvitur de Clericis ſæcularibus dignitatem vel beneficium parochiale habentibus. Ita cap. *Super ſpecula*.

VII. Pontifex poteſt eximere aliquem à ſolutione decimæ partis fructuum, cap. *Ex parte*, cap. *ſuggeſtum eſt*. Si compoſitio fiat inter Clericos & Laicos, ut decimæ ſolvantur minus, vel ut de aliquibus rebus non præſtentur, non valebit, niſi approbetur à Papâ, vel magno temporis intervallo ſit firmata, puta 30. annorum. Ita Barboſa de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 21. poſt Rotam & Monetam, abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu non licet Clericis etiam primæ tonſuræ ſeu minorum Ordinum non conjugatis, gabellas imponere. Ita Barboſa alleg. 13. Marſellus Vulpe, Ciarlinus, Maſcardus, Alderamus, Molina, Malderus, Leſſius, & alii. Maximè ob reparationem murorum, pontium, viarum, &c. licet bona laicorum non ſufficiant: niſi ſit tanta neceſſitas & pietas, quod abſque periculo, vel ſcandalo nequeat recurri ad Sedem Apoſtolicam, tunc enim ſufficit conſenſus Epiſcopi cum Clericis. Ita Barboſa ſuprà, Toletus, Azorius, Sylveſter, Ledeſma, Gregorius, Lanſell Gallus, Duardus, Homobonus, Cevallos, & alii. Quia verò hæc materia eſt periculoſa, Rota in una Brundiſiana varias conditiones addidit, quæ omnia non intelliguntur de Clericis negotiatoribus, ut fusè Authores apud Barboſam ſupr. Quomodò à fortiori eximantur Regulares & præcipuè Mendicantes. Vide Lezanam tomo 3. quæſtion. regul. verbo. *Gabella*, quoad Regulares, & verbo *Immunitas Eccleſiaſtica*, etiamſi urgeat neceſſitas bellum inferendi vel reſiſtendi Turcæ, & aliis Chriſtianæ Religionis hoſtibus. Ita Mare magnum Carmelitarum. Et de hoc alibi fuſius. Solus Papa poteſt condere Canones generales. Ita cap. *Ideò permittente*, Azorius in Clemen. Romanæ ſedi 20. caſus reſervantur, in conſtitutionibus quæ extravagantes nuncupantur, qui videri poſſunt apud

apud Azorium. Multa etiam in communibus regulis Cancellariæ. Item in aliis cõſtitutionibus, quæ needum redactæ ſunt ad jus commune, ſed ſparſæ, ſpecialiter quoad Religioſos, vide Barboſam. Huc tantùm referã, quod ſolus Pontifex poteſt profeſſionem irritam facere: ideſt ſtatuere nè rata & firma ſit, ſi emittatur ante certos ætatis annos, aut certa formula minimè ſervata. Ita communiter Doctores in cap. *Ad noſtram*, cap. *Significavit*, cap. *Quia in Inſulis*. Papa poteſt concedere, & de facto conceſſit Abbatibus, & Superioribus Religioſorum Mendicantium, & communicationem cum illis habentibus, facultatem benedicendi ornamenta Eccleſiæ, in quibus Chriſma non intervenit. Ita Leo X. & Innocentius VIII. apud Caſſarubium verbo *Benedicere Eccleſiaſtica*, Iulius II. apud Peirinis tomo 1. Privileg. Minim. & alii apud noſtrum Lezanam tomo 3. verbo *Benedicere*.

CAPUT VIII.

Quæ diſpenſatio irregularitatum Caſus & Cenſuræ Sedi Apoſtolicæ reſervantur.

I. CUm primus & principalis fructus irregularitatis ſit impedimentum ſuſcipiendi Ordines, cap. *Curandum*, cap. *Si cujus uxorem*, diſt. 34. & cap. ult. de temp. ordin. Poteſt papa diſpenſare de facto in defectu corporis, qui impedit uſum & exercitium congruum Ordinis. Ita Bordonus reſol. 11. Lezana tomo 3. verbo *irregularitas*, num. 12. Irregularitas ex defectu ætatis poteſt à papâ tolli. Ita Graffius 1. part. deciſ. lib. 4. cap. 27. numer. 22. Navarrus, Lezana ſupr. Et imò nonnulli Epiſcopi ex privilegio. Papa poteſt diſpenſare in irregularitate contractâ ex ſervitute. Ita Lezana ſupra, num. 28. Toletus in ſummâ lib. 1. cap. 17. Papa poteſt diſpenſare pro Ordinum ſuſceptione, vel uſu cum bigamis bigamiâ reali vel interpretativâ. Ita Bonacina de cenſuris diſp. 7. quæſt. 2. part. 5. num. 14. Navarrus, Sanchez, Toletus, Henriquez, Valentia, Filliucius. Et ex noſtris Corneyo de cenſuris diſp. 7. de irregul. diſp. 10. Lezana tomo 3. verbo *Bigamis*, num. 4. Poſſunt Clerici & Regulares ex diſpenſatione Papæ pugnare in bello juſto, mutilare, & occidere. Ita Bannez 2. 2. quæſt. 40. ar. 2. dubio. 4. Candidus tomo 1. diſq. moral. diſq. 17. numer. 14. Lezana tomo 3. verbo. *Bellum*, num. 11. Poteſt Papa tollere irregularitatem contractam ex publicâ reiteratione Baptiſmi, Ita Lezana ſupra num 44. Poteſt papa abſolvere irregularitatem contractam ob indebitam Ordinum ſuſceptionem, Lezana ſupra num. 58. Sayrus & alii, patet ex cap. 1. de ſentent excomm. in 6. Poteſt tollere irregularitatem contractam ab eo qui ſcienter & ſolemniter exercuit Ordinem quem non habet. Ita Lezana & Sayrus ſup. Poteſt diſpenſare cum irregularitate contractâ ob publicam hæreſim. Ita Lezana ſupra, num. 62. Poteſt tollere irregularitatem contractam à filiis hæreticorũ, &c. Ita Lezana ſup. num. 63. Poteſt tollere irregularitatem cõtractam ob homicidium, mutilationem membrorum, injuſtè factam. Ita Lezana ſupr. num. 69. Suarez, Toletus. Poteſt Papa diſpenſare in gradibus conſanguinitatis 2. 3. & 4. cùm in his matrimonium non ſit irritum jure naturę poteſt, ſaltem ex juſtâ causâ. Ita Bonacina de impedimentis Matrimonii & eorum diſpenſatione, quæſt. 3. part. 5. §. 1. num. 14. & tract. de legibus, quæſt. 3. part. 2. cum Clavi Regiâ, Suarez, & aliis.

Multæ ſunt excommunicationes Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, ita ut ſicut lib. 3. Reg. cap. 17. ſterilitas, & fertilitas, ſeu ros ab Eliâ claves cœli habente, pendebãt, ita inflictio & abſolutio caſuum & cenſurarũ à Papâ dependet. In Bullâ Cœnę Dñi ſunt 20. quas referunt & explicant ex noſtris Corneyo de excommunicatione diſp. 1. dub. 3. Lezana tom. 3. quæſt. regul. verbo *Bulla Cœnæ*, n. 2. qui aſſerunt illas non eſſe ab homine, II.

ſed

ſed à jure. Primus caſus contra hæreticos & eorum fautores à fide apoſtatas, ideſt ad Iudaiſmum, vel Mahometiſmum tranſeuntes ſchiſmaticos. Item eos qui libros hæreſim continentes ſcienter legunt vel retinent, imprimunt, ſeu quomodolibet defendunt, ex quavis causâ publicè, vel occultè, quovis ingenio vel colore. 2. Contra appellantes ad Concilium generale 3. Contra Piratas, Curſarios, latrunculos maritimos, qui excurrunt mare Pontificium. 4. Contra occupantes bona Chriſtianorum naufragantium. 5. Contra imponentes nova pedagia ſeu gabellas prӕterquam in caſibus ſibi à jure ſeu ex ſpeciali ſedis Apoſtol. licentiâ permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi vel augeri prohibita exigunt. 6. Contra falſarios litterarum Apoſtolicarum, falsò fabricantes litteras Apoſt. falsò ſignantes ſupplicationes ejuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu vice Cancellarii, aut vices gerentium prædictorum. 7. Contra eos qui ad Turcas & alios Chriſtiani nominis hoſtes, vel hæreticos nominatim declaratos tranſmittunt equos, arma, &c. quibus Catholicos impugnant, &c. illiſque auxilium, cōſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. 8. Contra impedientes ſeu invadentes eos qui adducunt victualia, ſeu alia ad uſum Curiæ Rom. vel prohibent, impediunt nè adducantur. 9. Contra eos qui ad ſedem Apoſtolicam occaſione alicujus negotii ſive ſpiritualis, ſive temporalis tractandi cum Papâ vel ejus miniſtris, vel ad ſacram Congregationem regularium, vel aliam ſimilem, vel recedentes ab eâdem ſuâ, vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam à ſede Apoſtolicâ, vel ejus judicibus, non habentes illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia contra morantes in eâdem Curiâ audent perpetrare. 10. Contra eos qui interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, capiunt, ſeu deprædantur Romipetas, ſeu venientes ad Vrbem (etiam ſi Sedes Apoſtolica non eſſet) causâ devotionis, peregrinationis, causâ viſitandi Eccleſias, & lucrandas Indulgentias, & in eâ Vrbe morantes, vel ab ipsâ recedentes: & in his dantes auxilium, conſilium vel favorem. 11. Contra interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos conſecratos, Sedis Apoſt. Legatos, vel Nuncios, aut eos a ſuis Diœceſibus, territoriis, terris dominiis ejicientes: necnon ea mandantes vel rata habentes, ſeu præſtantes auxilium, conſilium, vel favorem. Imò ſecundùm Dianam part. 5 tract. 2. reſol. 8. qui inſultum faciunt in domum Cardinalis animo illum injuriandi. Iuxta Alterium de cenſ. tom. 1. lib. 5. diſp. 12. cap. 6. qui cum poſſint non impediunt talem iniuriam. Vno verbo, qui percutiūt perſonas Eccleſiaſticas in dignitate conſtitutas. 12. Contrà percutientes, vel ſpoliantes eos, qui in Curiâ Romanâ cauſas agunt occaſione earundem cauſarum. 13. Contra appellantes ad laicam poteſtatem in cauſis Eccleſiaſticis ad impediendam executionem litterarum Apoſtolicarum. 14. Contra eos qui cauſas ſpirituales prætextu litterarum Apoſtolicarum ad ſe evocant ut illarum executionem impediant. 15. Contra perſonas ſæculares trahentes ad ſua tribunalia perſonas Eccleſiaſticas. 16. Contra impedientes Prelatos Eccleſiaſticos nè utantur ſuâ juriſdictione. 16. Contra uſurpantes juriſdictionem vel fructus ſpectantes ad perſonas Eccleſiaſticas ratione Beneficiorum. 18. Contra imponentes collectas, decimas, tallias, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Papæ ſpeciali & expreſsâ licentiâ imponunt, & diverſis etiā exquiſitis modis exigunt, vel ſic impoſita etiam dantibus & concedentibus recipiunt, necnon qui per ſe, vel alios directè vel indirectè prædicta

facere, exequi & procurare, aut in iiſdem auxilium, conſilium, vel favorē præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis aut ſtatus, &c. 19 Cōtra quoſcumque Magiſtratus, Judices, Notarios, Scribas, Executores, &c. quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, capiendo, banniendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecificâ, & expreſsâ ſedis Apoſtolicæ licentiâ, &c. 20. Contra eos qui per ſe vel alios, directè vel indirectè, ſub quocumque titulo vel colore invadere, deſtruere, occupare, vel detinere præſumpſerint terras ad dominiū temporale Papæ ſpectantes.

III. Alias excommunicationes extra bullam Cœnæ reſervatas papæ referut Summiſtæ. Prima eſt contra eos qui inferunt manus violentas in Clericos. Ita Bonacina de cenſ. diſp. 2. quæſt. 4. part. 5. Emmanuel Sa, Toletus, Iacobus de Graffiis, Navarrus, Filliucius, Suarez, Barboſa. Secunda. contra habentes penes ſe litteras falſas Pontificis vel aliorū Officialium. Ita Sayrus de cenſ. lib. 3. cap. 10. num. 4. Filliucius, Farinacius, Lavorius, Bonacina, Aloyſius, Antonius de Couzā, Vivaldus, Zerola, Gambara. Addunt Farinacius, Antonius & Barboſa de offic. & poteſtat. Epiſ. part. 3. alleg. 50. num. 83. etiam procedere in fautoribus & defenſoribus falſariorum litterarum Apoſtolicarum, 3. Contra eum, qui excommunicatus à Delegato Papæ per annum inſordeſcit in excommunicatione. Ita Barboſa ſuprà num. 87. Filliucius, Lavorius, Rainerus, Bonacina, Sayrus, Suarez. Probatur ex cap. *Quærenti*, de off. de leg. Itē contra Clericos ſciēnter admittentes ad divina officia & ſacramenta excommunicatos à Papâ, in his cum illis communicando. Ita Barboſa ſuprà, num. 88. Bonacina Filliucius, Lavorius, Rainerus, Sayrus, Navarus, Gambara, Suarez, Toletus. Probatur ex cap. *Significaſti*, de ſentent. excommunicationis, ad quam incurrendam quinque requirunt Covarruvias in cap. *Alma*, part. 1. quæſt. 6. num. 4. Bonacina, Valerius Reginaldus, Paulus Comitolus, Clarus, Coninck. Item contra incendiarios excommunicatos & publicatos. Ita Farrinacius in praxi crimin. part. 3. quæſt. 10. num. 15. Gambara, Filliucius, Clarus, Navarrus, Lavorius, Raynerus, Toletus, Suārez. Probatur ex cap. *Tua nos*. 6. Solus Papa poteſt abſolvere excommunicatos ob Eccleſiæ fractionem cum ſpoliatione poſt denunciationem. Ita Suarez diſput. 22. ſect. 2. num. 4. Toletus, Filiucius, Navarrus, Gambara, Bonacina, Raynerus, Clarus. Probatur ex cap. *Conqueſti*. Addunt Azonus p. 1. lib. 9. cap. 27. quæſt. 12. Valerius, Reginaldus, Emmanuel, Bonacina, nomine Eccleſiarum hic etiam intelligi Monaſteria, Hoſpitalia, & alia loca pia. Suarez ſupra num. 11. exiſtimat etiam excommunicationem incurri ab eo qui infringit ſeu ſpoliat ſacriſtiam licet non ſit conjuncta Eccleſiæ. 7. Qui eligunt in Senatorem vel in aliud officium Gubernationis urbis Romæ, Cæſarem, Regem, Principem, Ducem Marchionem, Comitem, &c. vel alium potentiâ aut poteſtate inſignem, vel fratrem aut filiū ejus, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. Ita Barboſa ſuprà, num. 91. Memoriale Clericorum. Probatur ex cap. *fundamenta*, de elect. in 6. Notant Barboſa jam cit. Lavorius, Rainerus, Bonacina, Filliucius. Hanc excommunicationem vix eſſe in uſu, quia Senator à Papâ eligitur. 8. Contra habentes dominia temporalia, qui prohibent ſubditis nē quidquam vendant perſonis Eccleſiaſticis nec molant eorum frumentum, vel coquant panem. Ita Barboſa ſuprà, num. 93. Rainerus, Sayrus, Navarrus, Suarez. Probatur ex cap. *finali*, de immunitate in 6. 9. A ſolo Papâ abſolvi poſſunt qui dant facultatem vexandi, capiendi, interficiendi perſonas ſeu eorum res, quia tulerunt ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti. Ita Filliucius tract. 14. num. 54. & 60. Bonacina, Rainerus, Lavorius, Henriquez.

Probatur

Probatur ex cap. *Quicumque.* Quomodò id intelligendum ſit explicant Barboſa num. 31. Suarez. 10. Inquiſitores ſi crimen hæreſis alicui falsò imponant, vel innocentes infament incurrunt excommunicationem papæ reſervatam. Ita Navarrus cap.27. num. 100. Sayrus, Gambara, Covarruvias, Rainerus, Suarez, Toletus, Memoriale Clericorum. 11. Religioſi incurrunt excommunicationē Papæ reſervatam, qui non præmiſsâ licentiâ parochi miniſtrãt ſacramentum Extremæ Vnctionis, vel Matrimonia ſolemniter benedicunt. Ita Gambara de caſ. reſervatis, cap. 7. num. 3. Alterius, Bonacina, Lavorius, Filliucius, Barboſa, Rainerus, Zerola, Paulus Comitolus, Ludovicus Miranda, Henriquez, Azorius, Emmanuel, Sylveſter, noſter Lezana tomo 1. quæſt. regul. cap.9. num.31. qui cum Soto, Mirandâ, Barboſâ, excipiunt caſum neceſſitatis & abſentiam parochi, vel quando præſumitur licentia interpretativa parochi, tunc enim non incurritur excōmunicatio, Caſarubius verbo *excommunicatio*, §.6. refert quod Sixtus IV. conceſſit Fratribus Minoribus facultatem miniſtrandi Sacramentum Extremæ-Vnctionis & Euchariſtiæ illis quorum Confeſſiones exceperunt, quando eorum Paſtores malitioſè vel ſine causâ rationabili negant vel differunt illa adminiſtrare. Leo X. hoc indultum modificavit ex eodem Caſarubio §.10. ait ut ejuſmodi denegatio facta ſine legitimâ causâ per Paſtores probetur teſtimonio vicinorum, declareturq; requiſitio facta coram Notario publico. Addit noſter Lezana poſt Naldum & alios, quod inſtante mortis articulo poſſit Religioſus vel alius Sacerdos miniſtrare Sacramenta. Ratio eſt quia veriſimile eſt quod Eccleſia pia mater id velit ob fidelium utilitatem. 12. Excommunicantur Clerici & Religioſi violantes conſtitutionem, quæ prohibet nè quempiam inducant ad vovendum, jurandum, promittendum quod ſepulturam eligent in eorum Eccleſiis, vel electam non mutabunt. Ita Barboſa ſuprà num 10. Toletus, Suarez, Rainerus, Bonacina & alii. Probatur ex Clement. *Cupientes*. Quam cenſuram non incurrit Religioſus unius Eccleſiæ inducēs ad jurandum, &c. quod eliget ſepulturam in aliâ Eccleſiâ. Ita Navarrus cap. 27. num. 103. Barboſa, Bonacina. Item prædictâ pœnâ non incurritur contra inducentes. Ita Portellus *in dubiis regul.* verbo *Sepulturâ*. in addit Rodriguez, Paſgaligus, noſter Lezana tomo 4. verbo *Sepultura*, num. 7. Ratio eſt, quia conſtitutio loquitur dumtaxat de inducentibus ad vovendum, jurandum, promittendum, &c. Nec enim incurritur ab iis qui teſtamento, vel codicillo inducunt ad eligendam ſepulturam. Ita noſter Lezana ſuprà, Theſaurus, & alii. Ratio eſt, quia hoc non eſt votum, juramentum. Nec qui inducunt ad electionem ſepulturæ cum obligatione irrevocabili. Ita Lezana ſup. Paſqualigus, & alii. Addunt Lezana ſup. Portellus, Barboſa, Rodriguez præfatam cenſuram incurri ab iis, qui modo præfato inducunt ſecuto voto, juramento promiſſione, licet non ſecuto effectu. 13. Contra Dominos temporales & quoſcumque, qui quomodolibet cogunt aliquem celebrare divina in loco interdicto, & curant per precones convocare populum ad illa audienda, & hos vel illos conducunt ad illa audienda, vel prohibent, nè publici excommunicati vel interdicti, hac de re moniti per illos, qui ſacrum celebrant, templo egrediantur. Similiter ipſi nominatim moniti, cùm ſint excommunicati non exeuntes contrahunt excommunicationem reſervatam papæ. Ita Sanchez de matrimonio lib. 4. diſput. 4. num. 8. Navarrus cap. 27. num. 104. Suarez, Toletus, Sanchez, Memoriale Clericorū, Barboſa, Homobonus, Rainerus, Filliucius, Lavorius, Bonacina, Gambara. Probatur ex Clementinâ *Gravis*. An Mendicantes qui tempore interdicti admittunt in ſuas Eccleſias, Tertiarios, Confratres, familiares, procuratoreſque ſuos. Vide noſtrum Lezanam tomo 1. quæſtion. regul. cap. 9. num. 29. cap. 21. n. 19. & 20

& 20. & tomo 2. cap. 1. numer. 21. cap. 14. num. 36. cap. 15. num. 36. cap. 16. num. 12. num. 23. num. 27. cap. 17. num. 6 tomo 3, verbo *Bulla Cruciatæ*, num. 14. & 15. verbo *Cenſura Eccleſ.* verbo *Ceſſatio à Divinis.* 14. Contra eos qui defunctorum cadavera exinterant in fruſta; concidunt, elixant, carnes ab oſſibus ſeparant, ut oſſa transferant in ſepulturā diſtantem, niſi hoc fieret in terris infidelium, ut oſſa deferantur in terras fidelium. Ita Filliucius tract. 15. numer. 72. verſ. 3. & num. 77. Gambara, Bonacina, Barboſa, Lavorius, Theſaurus, Toletus, Suarez, noſter Lezana tomo 4. qq. regul. verbo *Sepultura*, num. 21. Notant Navarrus cap. 27, num. 101. Barboſa hanc cenſuram non incurri ab eo qui hoc præſtat, nè cadaver fœteat, nec qui facit anatomiam. Nec (inquiunt Navarrus conſil. 54. de ſentent. excomm.) qui illam mandant, conſulunt, conſentiunt, &c. Præfata non intelliguntur de corporibus, quæ poſita ſunt in aliquâ Eccleſiâ vel ſacello per modum depoſiti. Ita Lezana verbo *Sepultura*, num. 21. Villabodos & alii. 15. Contra eos, qui committunt Simoniam pro ingreſſu religionis, pro ordine, vel beneficio ſuſcipiendo, pro collatione & traditione poſſeſſionis beneficii. Noſter Lezana tomo 1. qq. regul. cap. 24. num. 30. 31. & 32. cap. 25. num. 5. & tomo 4. verbo *Simonia*, num. 5. Filliucius, Gambara, Bonacina, Rainerus, Sayrus, Memoriale Clericorum. Non tamen committunt ſimoniam, & cenſuram incurrunt qui aliquid accipiunt ad ſuſtentanda onera temporalia quæ religio ſuſcipit cum ingrediente vel dotem ipſius. Ita D. Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 4. Navarrus in Manueli cap. 27. numer. 106. Lezana tomo 1. quæſt. regul. cap. 24. num. 30. 31. & 32. cap. 25. num. 5. tomo 4. verbo *Simonia*, num. 5. tomo 3. verbo *Dos Monialium*, & verbo *Moniales*, numer. 3. Suarez, Portellus, Candidus, Bonacina. Ratio cur poſſit aliquid exigi pro ſuſtentatione perſonæ receptæ, eſt, ut vita communis exactius obſervetur. Nam Concilium Tridentinū ſeſſ. 25 cap. 3. definit. *In Monaſteriis & domibus tam virorum, quàm* Concilii Trident. *mulierum bona immobilia poſſidentibus vel non poſſidentibus is tantùm numerus conſtituatur, ac in poſterùm conſervetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex Conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.* Idem ſtatuit Pius V. in Bullâ *Cura paſtoralis*, de Monialibus. Et decernitur cap. ûnico. Idem de Monaſteriis utriuſque ſexus fuit determinatum in Concilio Arelatenſi 4. cap. 8. & Moguntino cap. 19. Paulus V. in Bullâ *Sanctiſſimus* Præcipiens Superioribus Religioſorum ſub pœnâ graviſſimâ, ut attento introitu & expenſis in quolibet Conventu numerus Fratrum præfigatur, qui commodè poſſit ſuſtentari. Idem ſtatuit Congregatio Concilii ſub Vrbano VIII. Ratio eſt (inquit noſter Lezana tomo. 1. cap. 6. num. 10.) nè Religioſi cogantur vitam communem deſerere, vel plura Miſſarum ſtipendia accipere, quàm ea quibus ſatisfacere poſſint, vel ſœcularibus commiſceri, ac nimium incumbere temporalibus comparandis. Vndè Thomas à Jeſu in cap. *Non dicatis*, Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 23. Lezana ſupr. aſſerunt indubiè hoc præceptum obligare ſub peccato mortali. 16. Prohibetur ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiç Papç reſervatç nè Religioſi Mendicantes tranſeant ad quācumq; aliam religionē, niſi Carthuſianam. Ita Lezana tomo 1. qq. regul cap. 22. num. 61. & tomo 4. verbo *Tranſitus*, num. 5. Filliucius, Gambara, Sayrus. Memoriale Clericorum, Aldrete, Lavorius, Bonacina, Azorius, Barboſa de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 105. Suarez. Probatur ex extravag. *Viam ambitioſæ*, & ex Bullâ Eugenii IV. *Regularem vitam*. Idem prohibent Pius IV. & Pius V. de Societate JESV. ut notant Suarez, Lezana. Noſtris PP. Diſcalceatis interdicitur tranſitus ad quemcumque aliā à Paulo V. & ab eodem, Clericis Regularibus qui miniſtrant infirmis: Vide Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 7. Bonacinam de clauſura, quæſt. 2.

Mirandam. 17. Qui Eccleſiaſticas immunitates, vel interdictũ à papâ inflictũ violant vel cõſpirant in perſonã, vel ſtatum Sedis Apoſtolicæ, vel offendunt Epiſcopum, vel alium Prælatum Eccleſiæ, incurrunt excommunicationem reſervatam Papæ. Ità Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 50. num. 106. Filliucius, Gambara, Probatur ex extrav. *Si Dominici*. 18. Contra Magiſtros excludentes fratres à ſtudio Pariſienſi. Ita Alexander IV. 19. Contra eos qui componunt vel habent libros famoſos, vel in vulgus emittunt verſus, cantilenas in infamiam, detractionem, vel vituperium Ordinis Prædicatorum, vel Minorum. S. Antoninus part. 3. tit. 24. cap. 70. Cajetanus, Filliucius Rainerus, Lavorius. Item aſſerentes quod FF. Prædicatores & Minores non ſint in ſtatu perfectionis, nec liceat eis quærere eleemoſynam, vel prædicare, nec audire confeſſiones de licentiâ Pontificis, abſque licentiâ inferiorum Prælatorum. Ita Navarrus cap. 27. num. 109. S. Antoninus. Quæ non eſt revocata per nuperrimam declarationem Alexandri VII. ſtatuentis ut nullus Regularis concionetur, vel confeſſiones audiat, niſi præhabito Epiſcopi conſenſu. Excommunicantur etiam judices ſuſcipiẽtes querelas FF. Prædicatorum, aut de illis cognoſcentes. Barboſa ſupr. alleg. 5. num. 105. Item contra eos, qui in ſuis Monaſteriis & Eccleſiis detinent apoſtatas illius Ordinis & non dejiciunt, quando eis denunciatum fuerit. Ita Barboſa ſuprà, Bonacina, S. Antoninus. Item contra quemcumq; principem laicum qui impedit reformationem FF. Minorum Conventualium, vel procurantem ejuſdẽ factæ mutationem. Ita Barboſa ſuprà. Item contra FF. Ordinis S. Auguſtini, qui prætextu arctioris regulæ tranſeunt ad alium Ordinis ſtatum ſine licentiâ Generalis. Barboſa ſupr. Memoriale Clericorum. Item contra eos, qui reformationem noſtri Ordinis impedire ſatagunt. Ita Pius II. in mari magno Carmelitarum.

IV. Excommunicationi Papali ſubjiciuntur Minores de Obſervantiâ, ſubornantes in electionibus, vel procurantes favorem ad obtinendum officium in religione Barboſa ſuprà, alleg. 50. num 105. Filliucius. Bonacina. Probatur ex Bulla Pii V. in bullâ *Paſtoralis*. Item Clauſtrales recipientes vel dantes habitum ſuæ Religionis Fratribus Minimis profeſſis abſque licentiâ Papæ. Ita Filliucius tract. 15. num. 197. Bonacina, Barboſa. Patet ex extrav. Iulii II. *Virtute conſpicuis*, Leonis X. in Bullâ. *Quamvis*, Paulus in bullâ *Sincera*. Contra Tertiarios, Eremitas, Mulieres, & Religioſos alios geſtantes habitum Minimorum. Ita Barboſa ſup. Bonacina, Lavorius, Filliucius. Probatur ex Leone X. in bullâ *Licet alios*. Item FF. Prædicatores qui recipiunt FF. Minores. Barboſa ſuprà, Bonacina, Filliucius, Lavorius. Patet ex bullâ Alexandri IV. *Qui nos*. Item moleſtantes FF. Sanctiſſimæ Trinitatis in eleemoſynis colligendis. Barboſa ſup. Lavorius. Probatur ex Clementis VII. bullâ *Gratum Deo*. Facientes violentiam in Eccleſiis Ordinis Ciſtercienſis, Barboſa ſuprà, & Lavorius. Patet ex bullâ Clementis IV. *Ne propter*. Contra eos qui impediunt nè quis non legitimè impeditus ingrediatur Religionem S. Benedicti, vel qui præſumit aliquam injuriam vel moleſtiam irrogare Monaſteriis vel Monachis. Ita Barboſa ſup. Rainerus, Vivaldus, Filliucius. Probatur ex Iulii II. bullâ *Etſi*. Item Religioſi exeuntes ultrà mare ſine licentiâ ſuorum Superiorum in ſcriptis. Barboſa ſuprà, Lavorius, Filliucius, Bonacina. Patet ex extrav. Ioannis XXII. *Ad noſtram*. Contra eos qui bona Cardinalium in Conclave exiſtentium, vel ad Papatum evectorum diripiunt. Ita Barboſa ſup. Rainerus, Bonacina, Lavorius, Memoriale Clericorum. Probatur ex decreto Concilii Conſtant. *Omnis ætas*.

V. Excommunicantur, qui in Curiâ Romanâ dant, accipiunt, vel promittunt aliquid ad obtinendam in ejuſtitiam vel gratiam. Ita Quaranta in ſummâ bullarii, Bonacina, Navarrus, Vigilius, Boccacius, Filliucius

 Molina

Molina, Malderus & alii. Patet ex extrav. Bonifacii VIII. & conſtitut. Gregorii XIII. *Ab ipſo Pontificatu.* Excommunicatur is, qui proviſus de Eccleſiâ vel Monaſterio, dum vacat Sedes Apoſtolica etiam proviſionum nominatoribus aliquid dederit, promiſerit, vel promiſſum ſolverit. Ita Barboſa ſuprà, part. 3. alleg. 50. numer. 113. Iacobus de Graffiis, Gambara, Filliucius, Bonacina, Lavorius, Memoriale Clericorum. Probatur ex conſtit. Gregorii XI. *Sollicitè.* Item Eccleſiaſticus, qui traxerit alium Eccleſiaſticum ad forum laicale. Item Laicus qui favorem, conſilium, auxilium in eâ re dederit. Ita Navarrus in Manuali cap. 27. n. 71. Lavorius, Gambarupta, Barboſa, Memoriale Clericorum. Item Laicus qui relegaverit, aut proſcripſerit, vel proſcriptionem ſcripſerit. Ita Barboſa ſupra, num. 114. Gambarupta, Filliucius. Patet ex Vrbani VI. conſtit. *Quia ſicut.* Item miniſtri ſedis Apoſtolicæ, & omnes officiales, etiam Epiſcopali dignitate inſigniti, ſeu quocumque officio fungentes, qui in terris Eccleſiaſticis accipiunt munera præter eſculenta, & poculenta, quæ biduo poſſunt conſumi. Ita Barboſa ſupr. num. 116. Bonacina, Gambarupta citans Paulum II. Item illi, qui ſe fingunt nepotes, familiares, commenſales, aſſiſtentes Cardinalis, ut litteræ Apoſtolicæ gratis expediantur. Ita Barboſa ſup. num. 118. Lavorius, Filliucius, Gambarupta, Rainerus, Memoriale Clericorum. Patet ex Innocentii VIII. conſtit. *Inhærendo.* Item qui auferunt de Eccleſiâ, vel locis ſacris lapides, vel alia ornamenta, vel qui auxilium, vel favorē præſtant auferenti, ſervanti, vel retinenti. Barboſa ſuprà, num. 117. Rainerus, Bonacina, Lavorius, Memoriale Clericorum. Probatur ex Xiſto IV. conſtit. 3.

VI. Item qui in prædicatione annunciant miracula falſa, vel prophetias non deſumptas ex ſcripturâ, vel qui Prælatis Eccleſiæ ſcandaloſè detrahunt Barboſa ſup. num. 119. Rainerus, Bonacina, Filliucius, Memoriale Clericorum, Gambarupta. Patet ex Concilio. Lateranenſi ſeſſ. 9. ſeu 11. *Supernæ.* Item contra certantes in duello, dantes campum, auxilium. Ita Ciarlinus controverſ. for. lib. 1. cap. 114. num. 2. Barboſa, Gambarupta, Filliucius, Bonacina. Patet ex Pii IV. bullâ *Ex qua*, Gregorii XIII. *Ad tollendam*, Concilium Tridentinum extendit ad ſpectatores ſeſſ. 25. cap. 19. & Clemens VIII. *Illius vices*, apud Quarantam & alios. Item contra eos, qui ut beneficium impetrent ſe examini ſupponunt pro alio, vel annuas penſiones offerunt, vel beneficia impetrant pro aliis, ut ab iis aliquid conſequantur, vel pro ſe ipſis, ut poſtea reſignent aliis cum penſione. Ita Barboſa ſuprà num. 124. Filliucius, Rainerus, Lavorius. Plura ſuprà. Contra eos qui impediunt, vel perturbant in officio ſanctæ Inquiſitionis Epiſcopos, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis. Barboſa ſuprà, qui probat ex Iulio II. Pio V. & ampliat. Item contra eos, qui occultant, retinent, ſciunt, nec manifeſtant raptores librorum, ſcripturarū Cameræ Apoſtolicæ. Barboſa ſuprà, num. 122. Rainerus, Bonacina, Memoriale Clericorum, Filliucius. Patet ex bullâ Julii III. *Sicut.* Xiſti V. *Non ſine.* Item qui ſciunt & non revelant jocalia & alia bona ſpectantia ad ſedem Apoſtolicam. Barboſa ſup. Patet ex Pio IV. conſtit. *Paſtoralis.* Item Miniſtri Cameræ Apoſtolicæ qui fideliter & integrè non reddunt rationes. Barboſa ſuprà, Lavorius, Filliucius, & conſtit. Pauli III. *Cum ſicut.* Item, qui vivente Papâ tractant de novo eligendo: item eorum complices & fautores. Barboſa ſuprà, numer. 126. Bonacina, Lavorius, Rainerus, Filliucius. Probatur ex Pauli IV. conſtit. *Cùm ſecundùm.* Vide ejus ampliationes apud Azorium part. 3. lib. 11. cap. 20. Barboſam, Bonacinam, Filliucium, Lavorium, Rainerum.

VII. Item qui faciunt jura illicita, vel inducunt ad obſervandas ordinationes & ſtatuta contraria decretis Cōcilii Tridentini. Barboſa ſuprà, num. 159. Bonacina, Lavorius, Rainerus, Memoriale Clericorum. Probatur

ex

ex bullá Gregorii XIII. *Inter Apoſtolicos*. Item qui abſque licentia Apoſtolicâ aſportarit in provinciam Mediolanenſem ſacras Reliquias, vel qui aliquam eorum particulam conceſſerit, dederit, vel acceperit. Barboſa ſup. num. 158. Gambarupta, Lavorius. Patet ex Gregorii XIII. conſtitut. *Pontificia*. Item qui extrahunt reos è locis ſacris, niſi in caſibus cõceſſis à Gregorio XIV. conſtit. *Cum alias*, ſeu abſque licentiá Ordinarii. Barboſa ſupr. num. 167. Filliucius, Duardus, Naldus, Vgolinus, Lavorius, Boſſi. Patet ex cap. *Definivit*, cap. *Frater*, cap. *Iunior*, cap. *Quiſquis*. Item contra Monachum Ciſtercienſem perpetrantem aliquid contra cõſtitutionem Gregorii XII. *Vniverſi*. Ita Barboſa ſup num. 156. Lavorius.

VIII. Item ſubſtrahentes, moventes libros, & monumenta quæcumque ex bibliothecis Carmelitarum ſive impreſſa, ſive manuſcripta ibidem exiſtentia. Barboſa ſup. num. 161. Lavorius. Patet ex cõſtit. Clementis VIII. *Ad tuenda*. *Quoties* (inquiunt Vrbanus VIII. Innocentius X. in conſtit. ſtrictioris obſervantiæ, *) in conventibus pro quibus habetur privilegium libros extrahendi è bibliotheca, aliquis fratrum librum tollit extra ſilam, tenetur ſub pœná gravi nomẽ ſuum cum libri nomine annotare in chartá communi ad hoc per Bibliothecarium præparata.* Item FF. Prædicatores, qui ad effectum conſequendi Generalatum pro ſe vel pro aliis recurrunt ad favorem extra religionem, vel quærunt illum obtinere aliis viis & modis illegitimis. Barboſa ſuprà. num. 162. Lavorius. Patet conſtitut. Pauli V. *Admonemus*. Item Religioſi S. Franciſci de Obſervantiâ qui ſpretis ſuperioribus ſuis cõfugiunt & appellant ad tribunalia ſæcularia. Barboſa ſup. num. 154. Lavorius, Bonifacius VIII. & Xiſtus IV. idem ſtatuerunt de omnibus Franciſcanis. Pro Auguſtinianis Julius II. pro fratribus & ſororibus S. Dominici Xiſtus IV. & Clemens VIII. pro Carmelitis, apud Lezanam tomo 1. qq. reg. cap. 9. num. 4. & tomo 3. verbo *Appellare*. Item contra Eremitam S. Auguſtini Congregationis Lombardiæ nolentem parere conſtitutioni Gregorii XIII. *Pro noſtri*. Vide Barboſam num. 155. Lavorium. Item impugnantes vel contradicentes inſtituto Societatis JESV Barboſa ſup. numer. 160. Filliucius, Lavorius, Bonacina, Rainerus, Emmanuel, Patet ex conſtit. Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*. Item mulieres ingredientes Monaſteria Regularium etiam mendicantium. Barboſa alleg. 50 numer. 135. alleg. 102. n. 85. Ita Pius V. apud Quarantam, Bonacinam. Eandem cenſuram incurrunt id permittentes ſub prætextu facultatis cõceſſę Barboſa alleg. 102. num. 56. Lezana tomo 3, qq. regul. verb. *Clauſura*, num. 3. Item contra Monialem egredientem clauſurá extra caſus permiſſos à jure, & dantes facultatem exeundi, comitantes & receptantes. Ita Lezana num. 5. Navarrus, Barboſa, Bonacina, Miranda, Sanchez Tamburinus, Azorius. Vide exceptiones apud Barboſam alleg. 102. n. 50. Item excommunicantur qui ingrediuntur monaſteria Monialium, & poſſunt ad peccatum incitare. Ita Quaranta verbo *Monaſteria Monialium*. Franciſcus Campanile, Bonacina, Miranda, Barboſa, Vgolinus, Armandarez, Avila, Tuſchus, Azorius, Emmanuel, De lá Cruz. Lezana tomo 1. c. 25. n. 24. Probatur ex Conc. Trid ſeſſ. 25 c. 5. quod etiam Moniales nequeant ullũ admittere cujuſcumque conditionis vel ſexus ſit. Vide Lezanam ſup. Suarez. Sanchez.

Item FF. Franciſci de Obſervantiâ IX. qui in electione miniſtri Generalis, Provincialis, Cuſtodis pro ſe vel pro alio ſubornaverint, qui ſubornatus eſt qui ſubornantem non detulerit, qui pro hac re favorem extra religionem procuraverit. Barboſa alleg. 50. n. 148. Lavorius, Gambarupta. Patet ex conſtitut. Pii V. Item ii qui depinxerint vel aliquo colore infecerint agnos Dei. Ita Azorius tomo 1. lib. 9. cap. 9. Barboſa ſuprà, Gambarupta, Sanchez, Facundez, item qui venales exponunt: ita citati auctores ex conſtitut. Gregorii XIII. *Statuimus, &c.* Notat Azorius ſuprà, quod

quod vendere, emere agnos Dei ratione benedictionis ſit ſymmoniacū. Quia eſt emere rem ſacram, nō verò emere ratione materiæ vel expenſarum, quæ ſiunt in apparandis & poliendis. Ita Lezana tomo 3. qq. regul. verbo *Agnus Dei*, num. 3. Sanchez, Bonacina. Quia calices, patenæ, campanæ, &c. conſecratæ ſic vendi poſſunt. Addit Lezana, qui particulam agnus Dei venderet vel annulum vel thecā (in quâ includitur) charius eſſet Symmoniacus. Quia illa materia parva nullius ferè eſt pretii. Item ii qui edunt commentaria, gloſſas, annotationes & ſcholia ad interpretationē Concilii Tridentini. Ita Suarez tom. 5. diſp. 23. ſect. 3. Emmanuel, Henriquez, Franciſcus Leo, Bonacina, Homobonus, Reginaldus, Filliucius, Barboſa, Lavorius, Rainerus. Probatur ex conſtit. Pii IV. Notant ſuprà Barboſa, Filliucius, Sayrus Doctores non delinquere dum interpretantur decreta Concilii occaſione doctrinæ de quâ diſſerunt. Item procuratores, ſcriptores, correctores, & alii officiarii Pœnitentiariæ Romanæ qui aliquid accipiunt etiam ſpontè oblatū ſive pro expeditione celeritatis, ſive pro alio extraordinario labore. Ita Sayrus lib. 3. cap. 31. Rainerus, Memoriale Clericorum, Barboſa, Bonacina, Lavorius. Patet ex Pio V. in bullâ *In omnibus*. Bonacina & Filliucius notant ejuſmodi officiales incurrere excōmunicationem dum percipiunt fructus & emolumenta officii quod non exercent. Item Confeſſarii ſæculares & regulares quibuſcumque privilegiis & indultis ſuffulti, qui præſumunt abſolvere à caſibus clarè vel dubiè in bullâ Cœnæ contentis, vel ab aliis caſibus papalibus vel epiſcopalibus in decreto Congregationis Epiſcoporum & regulariū contentis de mandato Clementis VIII. apud Quarantam verbo *Caſus reſervatus*. Ita Barboſa ſup. n. 171. Rainerus. Item qui aſſerunt confeſſionem & abſolutionem ſacramentalem poſſe fieri inter abſentes per litteras. Ita Molfeſius in ſummâ Theologiæ Moralis tract. 7. c. 5. n. 54. Coriolanus, Barboſa, Lavorius, Filliucius. Item Cōfeſſarii, qui ex privilegio Sixti IV. commutant aliquod ex his quinque votis peregrinationis ad urbem vel Jeroſolymitanā, vel Compoſtellanā, vel Religionis. Ita Navarrus cap. 27. num. 105. Lavorius, Memoriale Clericorum, Rainerus, Sayrus, Sotus, noſter Lezana tom. 4. qq. regul. verbo *Votum*, num. 10. & alii. Probatur ex extrav. *Etſi Dominici*.

X. Item Regulares, qui ex inſulis Philippinis & aliis partibus Indiarum commeant ad Japonias Regiones. Ita Barboſa ſup. n. 166. Lavorius. Patet ex bulla Clemētis VIII. *Onerosa*, & Pauli V. Sedis Apoſtolicæ. Item Superiores Religionū non parentes bullæ Pauli V. *Rom. Pontifex*, quâ præcipit ut Religioſi ſuſpecti de hæreſi denuntientur Inquiſitoribus: ita ut pro ipſorum Religioſorum ſuperioribus non ſit amplius præventioni locus. Ita Lezana tomo 3. qq. reg. verbo *Accuſare & accuſator*, n. 7. & verbo *hæreſis*, n. 5. Barboſa, Memoriale Clericorū. Probatur primò ex bullâ Pauli V. *Rom. Pontifex*. Secundò, ex decreto Cardinalium inquiſitorum apud Peirinis tomo 2, privil. Minim. in conſtit. 9. Pauli V, n. 25. Cujus circumſtantias refert Lezana. Item qui litteras vel ſcripturas cujuſvis generis, vel nuntium vel ſignum ad eos qui ſunt in conclavi mittunt, & ècontra qui è conclavi ſcribunt ad eos qui foris ſunt, licet ſint Cardinales. Ita Barboſa ſup. n. 129. Rainerus, Memoriale Clericorum, Gambarupta, Bonacina, Filliucius. Probatur ex cōſtit. Pii IV. *In eligendis*. Item Camerales qui aliorum ſuffragia, vel ſuam aut aliorum ſententiam in plenâ Camerâ apertam foris patefecerint, vel alicui indicaverint. Ita Barboſa infra num. 175. Rainerus. Patet ex conſtitut. Pii IV. *Cum inter*. Item Clerici, Nuntii, officiales & quicumque eorum miniſtri Cameræ Apoſtolicæ, qui in cauſis, negotiis, expeditionibus, juxta propriam eorum tribunalis naturam non ſpectantibus quoquo modo ſe intromittere præſumunt etiam prætextu privilegii, indulti, conſuetudinis, vel quaſi profeſſionis. Ita Barboſa ſupr. n. 174. Et

patet ex conſtit. Pii IV. Item auditor Cameræ Apoſtolicæ, Vicarius, Gubernator Vrbis, & quicumque alii quâvis authoritate fulgentes, qui vigore facultatum & authoritatum illis conceſſarum, præter id quod hactenus obſervatum fuit aliquid innovant. Ita Barboſa ſuprà num. 173. Bonacina. Patet ex bullâ Pii IV. *Cùm ſicut accepimus*. Item Nuncius Apoſtolicus qui litteras cōmendatitias quovis modo ambierit, à principibus ad quos mittitur causâ dignitatis, vel gradus obtinendi, eorum ſtudio & favore pro ſe vel conſanguineis ſuis. Ita Barboſa ſuprà num. 134. Bonacina, Memoriale Clericorum. Patet ex bullâ Pauli IV. *Etſi Romanum*. Item Gubernatores locorum ſtatus Eccleſiæ qui etiam ad breve tempus permiſerint ferre arma tribus palmis breviora. Ita Barboſa ſuprà num. 140. Patet ex Pio V. *Cùm vices*. Item qui ex partibus infidelium deferunt alumen ad partes fidelium. Ita Memoriale Clericorum cap. 9. excommun. 28. Filliucius tract. 15. num. 95. verſ. 8. & num. 115. Bonacina, Barboſa, Rainerus, Lavorius, ex Pio IV. conſtitut. *Apoſtolicæ ſervitutis*.

XI. Item quiſquis oppidum vel locum vacantem, Romanæ Eccleſiæ in feudum dederit, vel aliquo modo egerit de dando in feudum. Ita Filliucius tractat. 15. num. 95. & num. 119. Gambarupta, Barboſa, Memoriale Clericorum, Rainerus. Probatur ex Pii V. bullâ *Admonet*. Gregorii XIII. *Inter cætera*. Qui ſcit & non revelat Papæ, ſi fuerit in Curiâ, (vel Ordinario loci, vel Ordinario viciniori authorem, adminiſtratorem, vel conſcium conjurationis, criminis commiſſi vel cōmittendi in Cardinalem. Item fautores, receptatores, vel occultatores, ſive cognoverint ex renuntiatione, ſive per interpoſitam perſonam, ſive per litteras, ſive aliis ſignis. Quod ſi crimen necdum ſit perpetratum tenentur ſub eâdem excommunicatione ſtatim revelare ipſi Cardinali. Ita Barboſa ſuprà, num. 176. Lavorius, Rainerus, Filliucius. Patet ex bullâ Pii V. *Infælicis ſæculi*. Item Cardinales contravenientes bullæ Gregorii XV. *Æterni*, circa electionem Papæ, quam excommunicationem latæ ſententiæ reſervatam papæ incurrunt novem modis. Vide bullam. Item Gubernator & Officiarius ſtatus Eccleſiaſtici revocans aliquem homicidam vel exulem ab exilio, vel ei faciens ſalvum conductum, etiam ad unum diem vel noctem. Item cives Romani qui tales exules ſubditos Sedi Apoſtolicæ receptauerint. Item qui ulciſcendæ injuriæ causâ armatos receptaverit, vel aluerit, vel turbam eo fine excitaverit. Ita Barboſa ſuprà num. 143. quod probat ex Pio V. Item Princeps vel Baro in regno Neapolitano, qui receptaverit, protexerit, vel auxilium, conſilium, vel favorem, quovis colore dedit homicidæ, vel exuli Romanæ Eccleſiæ. Ita Barboſa ſuprà num. 145. Gambarupta. Patet ex diplomate Pii V. Barboſa ait hanc cenſuram extendi ad Eccleſiaſticos ſæculares, vel regulares, recipientes in regno Neapolitano bannitos, viarum graſſatores. Patet ex Pio V, apud Quarantam, verbo *Bannitorum fautores*. Item Canonici, Beneficiati, & Clerici Baſilicæ S. Petri de urbe, ingredientes ipſam Baſilicam abſque habitu quem ſolent geſtare in Choro. Ita Barboſa num. 179. Patet ex conſtit. Nicolai III. & V. Eugenii IV. & Pauli V. & conſtit. dictæ Baſilicæ. Item qui impediunt executionem litterarum ſacræ Pœnitentiariæ. Ita Barboſa ſuprà num. 180. Filliucius, Bonacina. Patet ex conſtit. Julii III. *Rationi congruit*. Item accedentes ad ſanctū Sepulchrum causâ devotionis ſine facultate Apoſtolicâ. Ita Navarrus cap. 27. num. 109. Barboſa, Filliucius, S. Antoninus, Bonacina, Suarez. Item qui convertunt in proprios uſus per vim vel ſuppoſitas perſonas bona Eccleſiæ. Ita Barboſa ſuprà num. 150. Memoriale Clericorum, Aloyſius Riccius, Lavorius, Sayrus, Salzedo, Vgolinus, Franciſcus Leo, Octavius Glorioſus. Patet

ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 12, qui Eccleſias vel Eccleſiaſtica beneficia palam vel occultè retinent vel recipiunt in confidentiam. Ita Navarrus cap. 23. num. 10. Rainerus, Lavorius, Barboſa, Bonacina, Leſſius, Azorius. Patet ex Pio IV. *Romanus Pontifex*. Pio V. *Intollerabilis*. Item qui de Eccleſiarũ dignitatibus, canonicatibus, præbendis vacantibus diſponunt, vel in communem uſum convertunt, de his juramentum præſtare ordinant, vel impediunt poſſeſſionem ei, qui talia præſtare noluerit. Ita Navarrus cap. 27 n. 150. Quoſmas Philiarchus, Filliucius, Sayrus. Probatur ex Conſtit. Pii V. *Durum nimis*. Rainerus notat hanc excommunicationem non tollere conſuetudines, quibus imponitur onus beneficio, non beneficiato ut fructus beneficii vacantis cedant in utilitatem fabricæ vel ſacriſtiæ, vel alterius loci pii: non verò in utilitatem menſæ Epiſcopalis vel Capitularis, vel ſingulorum. Item quicumque dominus Sedi Apoſtolicæ ſubjectus, frumentum, fruges, ultra uſum ſibi familiæque ſuæ neceſſarium emerit. Ita Barboſa ſupra num. 146. ex Conſtit. Pii V. Item quicumque Epiſcopus ſeu Patronus tam Eccleſiaſticus quàm Laicus, qui ſuſpenſus à collatione, vel præſentatione contulerit beneficium, præſentarit, vel inſtituerit. Ita Barboſa ſupra numer. 147. Filliucius, Lavorius, Suarez, Memoriale Clericorum. Patet ex Pio V. *Quanta Dei Eccleſiæ*. Item Præſidentes & Officiales Montium Pietatis ſtatus Eccleſiaſtici, qui pecunias quomodolibet ſpectantes ad dictos Montes præſumunt convertere in alias quàm in pauperum uſus. Ita Barboſa ſupra num. 169. Lavorius, Memoriale Clericorum. Patet ex bullâ Pauli V. *Oneroſa Paſtoralis*. Barboſa citatus, & Bonacina extendunt hanc cenſuram ad eos, qui in Concionibus vel diſputationibus impugnant Montem Pietatis. Patet ex bullâ Leonis X. *Inter multiplices*. Item Judices & alii quovis nomine nuncupati vel privilegio muniti, licet ſint Cardinales, qui in obligationibus in forma Cameræ, & illarum executione, aut in aliis cauſis ad officium auditoris Cameræ Apoſt. ſpectantibus ſe intromittere quomodolibet, aut ipſummet auditorem, ejusq; locũ tenentes ſuper præmiſſis præſumunt moleſtare. Ita Barboſa ſupra n. 172. Rainerus ex bullâ Pii IV. *Ad eximiæ*.

XII. Qui captivos apud Turcas, poſtquam illos cœperint non permittunt liberè abire cum ſuis conjugibus, liberis & bonis. Ita Filliucius tractat. 15, num. 95. Bonacina, Barboſa, Rainerus, Memoriale Clericorum. Ex conſtit. Pii V. Qui extra ſtatum S.R. Eccleſiæ quovis modo aſportarint frumenta, animalia, fruges, legumina, Barboſa ſupra num. 153. Rainerus, Memoriale Clericorum, juxta Conſtit. Gregorii XIII. *Non ſine gravi*. Item qui in urbes, oppida, loca Sedi Apoſtolicæ ſubjecta aſportarint ſal externum. Ita Barboſa ſupra numer. 152. Gambarupta, ex bullâ Gregorii XIII. *Ex incumbente*. Vide aliquas exceptiones apud eundem Barboſam & alios. Item quicumque Clerici Epiſcopi inferioris de parochiali Eccleſiâ proviſi qui non ſervant juramentum de reſidendo intra tempus præſcriptum. Item illi, in quorum favorem præfata beneficia reſignantur, ſeu dimittuntur, & qui ad id præſtant auxilium. Ita Barboſa ſupra n. 132, Filliucius, Bonacina, Memoriale Clericorum, Rainerus, Sayrus. Patet ex Pii IV. Conſtitut. *Multiplices curas*. Item illi, qui faciunt collectas & cavalcatus armatorum. Barboſa ſupra num. 164, Lavorius, ex Alexandro VI. *Inter multiplices*, & Xiſti V, in bullâ *Dum procommuni*. Vide alias cenſuras apud Chapeavillum de caſibus reſervatis part. 1. cap. 1. & alios, à quibus omnibus Sedis Apoſtolicæ reſervantis extra mortis articulũ quod nemo abſolvere queat, tenent multi Auctores: à quibus tamen in Jubileo poſſit dari abſolutio, pendet ex tenore bullæ. Noſter Urbanus ab aſcenſione in ſuâ Theologiâ morali tract. 2. reg. 8, notat quod excõmunicationes expreſſas in bullâ Cœnæ Domini poſſit abſolvere quilibet ſacerdos approbatus modò

modò nõ ſit aliàs ab Epiſcopis reſervati. Ratio eſt, quia juxta communẽ Gallorum opinionem bulla Cœnæ non eſt recepta in Galliâ: imò tam acriter ei repugnarunt Principes & Status Galliæ, ut legati Apoſtolici miſſi ad eam promulgandam vitæ diſcrimen incurrerint, honoriſque jacturam fecerint teſte Bocchelio in decretis Eccleſiæ Gallicanæ lib. 2. tit. 16. cap. 2, ubi refert arreſtum circa annum 1580. quo prohibetur illius promulgatio, quia (inquit) eſt contraria & deſtructiva privilegiorũ Eccleſiæ Gallicanæ. An reculantes peccaverint, nec nè, fides (inquit P. Vrbanus) ſit penes Auctores. Hanc oppoſitionem tolerat ſedes Apoſtolica ob pacem communem, quæ ſæpè facit, ut quod de facto poſſet acceptari, fiat impoſſibile moraliter ſi nimis repugnetur. Ita Filliucius tomo 1. tract. 11. cap. 1. q. 5. Puteanus, Valetus, Becanus part. 2. tract. 3. cap. 6. quæſt. 8. ſed Diana part. 1. tract. de legibus reſolut. 1. ſ. *Vndè*. Et ipſe Puteanus exiſtimãt oppoſitum eſſe magis probabile. Primò quia in illâ bullâ præcipitur univerſis ordinariis & Prælatis in virtute S. obedientiæ, ut eam publicent ſemel in anno, vel pluries in ſuis Eccleſiis ubi major populi concurſus eſt ad divina. Secundò quia intendit papa, ut recipiatur in toto orbe Chriſtiano & obſervetur, quod clarè patefacit ex iteratâ publicatione ejuſdẽ ſingulis annis feriâ 5. Cœnæ Domini coram Pontifice, & totâ Curiâ Romanâ, & tam ſollicita cura, ut tranſumptum apud omnes Prælatos & Confeſſarios reſervetur. Præterea hæc bulla edita eſt ad animarum ſalutem, Chriſtianæ Reipublicæ bonũ, libertatem Eccleſiaſticam, auctoritatem Apoſtolicam, & unitatẽ Chriſtianam fovendam (inquiunt noſter Lezana tomo 3. qq. regul. verb. *Bulla Cœnæ*, n. 59. Inſuper bullâ Cœnæ papa derogat quibuſcumque privilegiis etiam per viam contractus aut remunerationis, & quavis causâ conceſſis, conſuetudinibus immemorabilibus, præſcriptionibus longiſſimis, *Nonobſtantibus, &c.* Quæ derogatio damnat & reprobat uſus & mores aliquarum regionum, quæ contrarii ſunt libertati Eccleſiaſticæ, & ſanctitati Eccleſiæ. Vndè inquit Diana ſup. & tract. de immunit. Eccleſ. reſol. 6. Binsfeldius in cõment. de injuriis & damno dato cap. 7. Sayrus, Vgolinus, Mainardus, Duardus, & alii contra facientes incidunt in cenſuras hujus bullæ. Id tamen nimis durum videtur quod tot Principes Catholici & Magiſtratus erga Eccleſiam Romanã devotiſſimi has cenſuras paſſim incurrant, quare concludunt hac bullâ non derogari eorum privilegiis obtentis per modum remunerationis, per viam contractus, vel inveteratã conſuetudinem. Ita Malderus part. 2. q. 9. art 4. Salgado, Filliucius, Carolus de Graſſaliis, Bannez, Pelantius, Ioann. à Cruce, Portellus, Fagundez Decianus Zanardus, Octavianus, Cathcranus, Becanus ſupra. Ex noſtris Antonius Boinus Epiſcopus, Vrbanus ab Aſcenſione, quorum alii de regno Galliæ, alii de Hiſpaniæ, Luſitaniæ, de Germaniâ, Venetiis, Sabaudiâ ſcripſerunt. Vide quid Chapeavillus part. 3. de geſtis pontificum Leodienſium in Erneſto Bavariæ Duce, octuageſimo nono Epiſcopo Leodienſi cap. 9. ſcribat de receptione Concilii Tridentini anno 1588. publicati per Franciſcum Epiſcopum Vercellenſem Nuncium Apoſtolicũ. XIII.

Dicam cum noſtro Lezana tom. 3. qq. regul. verbo *Bulla Cœnæ*, Navarro, Bellarmino, Maldero, in hac graviſſimâ causâ me nolle ferre judiciũ, ſed hanc rem remittendam eſſe judicio Sedis Apoſt. Subjiciam tamen in favorem Principum & Magiſtratuũ Catholicorum hanc Cajetani excuſationem in ſummâ verbo *Excommunicatio*, cap. 31, loquentis de quadã excommunicatione bullæ Cœnæ. *Nota quod, tam ſtatuarii, quàm alii excuſantur ab excommunicationis cenſurâ, ſi purâ mente & recto animo, nolentes aliquid contra Eccleſiæ libertatem ſtatuere aut ſuſtinere conſulunt Doctores reputatos, ſeu committunt examen Doctoribus hujuſmodi, & certificati ab illis quod nihil eſt contra Eccleſiæ libertatem, ſtatuunt, ſcribunt, &c, aliquid*

quod in veritate eſſet contra libertatem Eccleſiæ, quia agunt ex ignorantiâ pluſ-quam probabili, & nec apud Deum, nec apud Eccleſiam agunt contra Eccleſiæ libertatem, quia fecerunt quantum in ſe eſt, quod viros probos decet. Et exo cuſantur non ſolùm à tanto, ſed etiam à toto. Quam reſolutionem approbat Suarez tomo 5. in 3. part. diſp. 21. ſect. 2. num, 105. Quæ ratiocinatio non debet intelligi de Religioſis in ordine ad ſeipſos. Nam Bullã Cœnæ & Concilium Tridentinum debent amplecti humiliter, cùm ejuſmodi acceptatio fundetur in voto obedientiæ, & neceſſariò reſpectu Papæ immediata & independens ſit ſubjectio ab aliis, nec poſſit illa prejudicare ulli regnicollarum ſive Germaniæ, ſive Galliæ, ſive Hiſpaniæ, &c. Plura apud Summiſtas. Nam de ampliſſimâ poteſtate ſpirituali Romani Pontificis, Chriſti Vicarii effari licet, quod olim de S. Eliſeo ſancti Eliæ ſucceſſore pronunciavit Siracides Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 13, *Et* Ecl. 48.
potentia nemo vicit illum, nec ſuperauit v. 13.
illum verbum aliquod. Syrus. *Et non dominata fuit illi omnis caro.* Vatablus. *Nulla res ſuperavit illum.* Concludam igitur: quod ſi quid gravioris momenti vel ignorantiâ noſtrâ (cujus ſatis conſcii ſumus) vel negligentiâ erratum eſt, vel per imprudentiam irrepſit, id totum arbitrio et cenſuræ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ committo. Quod ſi quid laude dignum appareat, illud offero Deo, Virgini Matri, ſancto Eliæ Protoparenti, ac hujus Operis exemplari.

FINIS.

INDEX

INDEX

LOCORVM

SACRÆ SCRIPTVRÆ

Quæ in hoc Volumine ſpecialiter elucidantur.

P. Paginam. N. Numerum marginalem denotat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Cap. 1. *Verſ.* 6. FAciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã. pag. 470. num. 2.

Cap. 3. *Verſ.* 23. Emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis. pag. 510. num. 3.

Cap. 4 *Verſ.* 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. p. 23. n.10.

verſ. 26. Enos cœpit invocare nomen Domini. p.396. n.5.

Cap. 6. *Verſ.* 4. Gigantes autem erãt ſuper terram in diebus illis. Poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filios hominum, &c. p.511. n.4.

Cap. 17. *verſ.* 3. Cecidit Abram pronus, &c. p. 388. n.7.

Verſ. 5. Nec ultra vocabitur nomẽ tuum Abram, ſed vocabitur Abraham, &c.

Cap. 39. *Verſ.* 10. Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, &c. p. 360. n.31.

Exodus.

Cap. 4. *Verſ.* 16. IPſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum in aurem ejus. p.296.

Cap. 18. *Verſ.* 12. Venerunt Aaron & omnes ſeniores Iſrael ut comederent panem cum eo coram Deo. pag. 292. n. 1.

Verſ. 22. Quidquid majus erit referant ad te, & ipſi minora tantummodò judicent. p.294. n.2.

Cap. 31. *Verſ.* 2. Ecce vocavi ex nomine Beſeleel filium viri filii Hur de tribu Juda. p. 112. n. 11.

Verſ. 6. Dediquе ei ſocium Ooliab filium Achiſamech filii Dan, & in corde, &c. p.112. n. 11.

Leviticus.

Cap. 1. *Verſ.* 6. OFferent filii Aaron ſacerdotes ſanguinem ejus fundentes per altaris circuitum quod eſt ante oſtium tabernaculi, detractâque pelle hoſtiæ artus in fruſta concident. p.392. n.1.

Verſ. 17. Et ſubjicient in altari ignẽ ſtrue lignorum ante compoſita. pag. 395 n.4.

Cap. 25. *verſ.* 18. Facite præcepta mea, & judicia cuſtodite, & implete ea, &c. p.425. n.3.

cap. 11. *Verſ.* 12. Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet nutrix infantulum, &c. p.259. n.8.

Verſ. 16. Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, &c. p.293. n.2.

Cap. 23 *Verſ.* 9. De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo illum. p.21. n.8.

Cap. 27. *verſ.* 21. Pro hac ſi quid agendum erit Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. p. 296.

Deuteronomium.

Cap. 6, *verſ.* 7. TE elegit Dominus Deus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. p.485, n.7.

Cap. 11. *verſ.* 16. Cavete nè fortè decipiatur cor veſtrum, & recedatis à Domino, ſerviatisque diis alienis, & adoretis eos. p. 425. n.3.

Cap. 16. *verſ.* 18. Judices & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi. p.292. n. 1.

Cap. 17. *verſ.* 8. Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, &c. p.432. n.2.

verſ. 12. Qui autem ſuperbierit, &c. p. 296. n.1.

verſ. 18. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine &c. p.293, n.3.

Accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus. p.293. n.3.

Cap. 19. *verſ.* 3. Sternens diligenter viam, & in tres partes, &c. pag. 41. num. 6.

Liber 1. Regum.

Cap. 3. *verſ.* 19. DOminus erat cum eo & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. p.480. n.9.

Cap. 30, *verſ.* 4. Levaverunt David & omnes, qui erant cum eo voces ſuas. p.128. n. 10.

Lib. 2.

Cap. 5. *verſ.* 2. Tu paſces populum meum Iſrael. p,98. n.1.

Lib. 3.

Cap. 2. *verſ.* 19. Sedit ſuper thronum ſuum, poſitusque eſt thronus matri ejus, &c. p. 102. n.3.

Cap. 8. Non cecidit nè unus quidē ſermo ex omnibus bonis, quæ locutus eſt per Moyſem. p. 480. n.3. & reliquos textus à cap. 17, hujus lib. uſque ad 13, lib. 4. Vide in indice anteriori.

Liber 1. Paralipomenon.

Cap. 9. *verſ.* 30. FIlii autem Sacerdotum, &c. p,297. n. 3.

Cap. 16. *verſ.* 40. Iuxta omnia quæ ſcripta ſunt in lege Domini, quam præcepit Iſraeli, p.297. n.3,

Lib. 2.

Cap. 8. *verſ.* 18. Miſit autem ei Hiram per manus ſervorum ſuorum naves & nautas gnaros maris, &c. pag. 485. n. 7.

Cap. 19. verſ. 4. Habitavit ergò Ioſaphat. p. 292. n,1.

verſ. 8. In Jeruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Levitas & Sacerdotes, &c. p. 293, n.2.

verſ. 10. Omnem cauſam quæ venerit ad vos, &c. ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, p. 292. n.1.

verſ. 11. Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent præſidebit. pag. 15, num. 9.

Eſther.

Cap. 1. *verſ.* 13. INterrogavit Sapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant. p. 9, n. 10,

Job.

Cap. 19. *verſ.* 9. SPoliavit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo. p. 19.

Cap. 33. *verſ.* 37. Reſpiciet homines & dicet peccavi. p.497 n. 10,

Pſalmi.

Pſal. 2, *verſ.* 9. REges eos in virgâ ferreâ, &c. p. 98, n.2,

verſ. 10. Et nunc Reges intelligite, &c. p,295. n. 1,

Pſal. 8, *verſ.* 8. Omnia ſubjeciſti, &c. p, 511,

Pſal. 9. *verſ.* 15. Qui exaltas me de portis mortis ut annunciem, &c, p. 47. n. 2.

Pſal. 13. *verſ.* 2. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt, &c. p.522, num. 17,

Pſal. 13. *verſ.* 2 Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt,&c. pag.522 num, 17.

Pſal. 18, *v.* 5. In omnem terram exivit ſonus eorum, &c. p.147.n.10 p.117. n.9.

verſ. 6. In ſole poſuit tabernaculũ ſuum, &c. p.238. n.2.

verſ. 9. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, pag. 212. num. 1.

Pſal. 17. *v.* 4. Laudans invocabo Dominum, &c. p. 396. n.5.

Pſal. 19 *v.* 1. Exaudiat te Dominus, protegat te nomen Dei Iacob. p. 405. n.2.

*Pſal.*21. *v*17. Circumdederant canes multi, p.395. n.5.

Pſal. 22. *v.* 1. Dominus regit me & nihil mihi deerit, &c. p.49. n.1.

Pſal. 33. *v.*12. Venite filii audite me, &c. p.320. n.3.

Pſal. 35. *v.*7. Homines & jumenta ſalvabis Domine, &c. pag. 376, num. 3.

verſ. 7. Virga directionis, pag.98. num. 2.

Pſal. 44. *v.* 8. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea unxit te Deus, &c. p.317. n.8.

verſ. 17. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram p. 10.n.1. p.30, n,1, p.113. p.121. n.5.

verſ, 18. Memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione & generationem propterea populi cõfitebuntur tibi. p.21, n.2.

*Pſal.*48. *v.*12. Vocaverant nomina ſua in terris ſuis. p. 151. n.5.

Pſal. 71. *v.*14. Et erit firmamentum in terrâ in ſummis montium. p,21, num. 2.

Pſal, 77. *v.* 70. Elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum, de poſt fœtantes accepit eum, p.49. n. 1.

verſ. 71, Paſcere Iacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam. p, 49. n.1.

verſ. 72. Et pavit eos in innocentia. p. 49. n. 1.

Pſal. 81. *v,*1. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, &c. pag, 28. num, 4. pag. 38.

verſ. 6. Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes. pag. 28. num. 4. p. 38.

Pſal. 86 Fundamenta ejus in montibus ſanctis. p.117. n.19.

Pſal. 88. Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum, &c. p. 411.

verſ. 29. In æternum ſervabo illi miſericordiam, & teſtamentum meũ fidele ipſi. p.513. n 6.

Pſal. 96. *v.* 5. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, p.389.

Pſal. 101. *v.*3. In quacumque die invocavero te velociter exaudi me. p.158. n.6.

*Pſal.*109, *v.*1, Sede à dextris meis, p,105, n. 15.

Pſal. 118. *v.* 10. Revela oculos meos, p.312.

verſ. 34. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, p,312.

verſ. 135. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum. p.312.

Pſal. 132. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. p.401.n,2,

*Pſal.*138. *v.*21. Nonne qui oderant te oderam, &c. p.295, n,1,

Proverb.

Cap. 6, *verſ.*23. MAndatum lucerna eſt, & lex lux, pag, 312, num, 2,

Cap. 8. *v.* 1. Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocẽ, p, 21. n, 8.

*verſ.*21. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, &c, p. 470, n. 2.

*Cap.*11. *v.* 14. Vbi non eſt gubernator, populus corruet. pag. 385. num. 3.

Cap. 24, *v,* 30, Per agrum homines pigri tranſivi, & vineam viri ſtulti, et ecce, etc. p, 516. n, 6,

Eccleſiaſtes.

Cap. 5, *verſ.* 3. SI quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis et ſtulta promiſſio, p,523, n,9,

Cap. 9, *verſ.* 1, Neſcit homo an amore an odio ſit dignus, pag, 500, num, 4,

*Cap.*10

Cap. 10. *v.* 18. In pigritiis humiliabitur, contignatio, &c. pag. 519. num. 11.

Cap. 12. *v.* 11. Verbo Sapientum ſicut ſtimuli. 294. n. 3.

Cantica.

Cap. 1. *verſ.* 5. POſuerunt me cuſtodem in vineis, p. 516. n. 6.

verſ. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea, p. 412. n. 3.

Cap. 2. *v.* 2. Ordinavit in me charitatem, p. 513. n. 8.

verſ. 13. Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. p. 516. n. 6.

verſ. 15. Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas. p. 510. n. 6. p. 519. n. 6.

Cap. 3. *v.* 4. Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, &c. p. 258. n. 8.

Cap. 5. *v.* 11. Caput ejus aurum optimum. p. 24.

Cap. 6 *v.* 18. Vna eſt columba mea perfecta mea. p. 22. n. 9.

Cap. 7. *v.* 5. Caput tuum ut Carmelus. p. 24. n. 1.

Cap. 8. *v.* 6. Fortis eſt ut mors dilectio tua. p. 291. n. 4.

Sapientia.

Cap. 8. *Verſ.* 3. GEneroſitatem ipſius glorificat coutuberium habens, p. 519. n. 12.

Cap. 14, *verſ.* 11. Creaturæ Dei in odium factæ ſunt. pag. 511. num. 4.

Eccleſiaſticus.

Cap. 44. *verſ.* 1. LAudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſuâ. p. 492. num. 3. p. 504. n. 1.

verſ. 15. Sapientiam ipſorum narrent populi. p. 493. n. 4.

Cap. 48. *v.* 1. Surrexit Elias quaſi ignis, &c. pag. 104. n. 7. p. 165. n. 9. p. 445. n. 3. p. 505. n. 1.

verſ. 2. Qui induxit in populos famem. p. 504. n. 1.

verſ. 3. Verbo Domini continuit cælum. 504. n. 1.

verſ. 4. Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis. p. 504. n. 1.

verſ. 8. Qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis ſucceſſores poſt te. p. 187. n. 4.

verſ. 9. Qui receptus eſt in turbine ignis in curru equorum igneorum, p. 505. n. 1.

verſ. 12. Nos vitâ vivimus tantùm, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum. pag. 504. num. 1.

verſ. 13. Elias in turbine tectus eſt & in Eliſeo completus eſt ſpiritus ejus. p. 505. n. 1.

verſ. 14. Et mortuum prophetavit corpus ejus. p. 506. n. 4.

Iſaias.

Cap. 1. *verſ.* 1. VIſio Iſaiæ. *verſ.* 2. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam locutus eſt, &c. p. 480. n. 3.

verſ. 10. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri. pag. 150. num. 1.

verſ. 19. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. pag. 425.

Cap. 2. *v.* 12. *v.* 16. Dies Domini ſuper omne quod, &c. pag. 492. num. 3.

Cap. 3. *verſ.* 9. Agnitio vultus eorum reſpondit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, p. 150. num. 1.

Cap. 4. *v.* 1. Et apprehendent ſeptem mulieres virum unum, &c. tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos. p. 396. n. 5.

Cap. 5. *Verſ.* 1. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, p. 517. num. 8.

Verſ. 5. Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ, p. 518. num. 9.

cap. 8. *Verſ.* 18. Cum dixerint ad vos quærite à Pythoniſſis & divinis, qui ſtrident, &c. pag. 315. num. 3.

verſ. 20. Nunquid populus ea quires à Deo ſuo pro vivis, & ad legem

legem magis & ad teſtimonium, p. 312. n 3.

*Cap.*21. *Verſ.*9, Sculptilia Deorum eorum contrita ſunt, pag. 357. num. 4.

Cap. 22. *v.*15. Vade & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo. p.298. n 1.

*Cap.*40. *v.* 11. Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, &c. p.258. n.8.

*Cap.*41. *v.*23. Annunciate quæ ſunt in futurũ, & ſcitis, quia Dii eſtis vos. p. 480. n,3.

*Cap.*52. *v.* 15. Quibus non eſt narratum de eo videbunt &c. p.143 n.4.

Cap. 54. *verſ.* 12. Ponam jaſpidem propugnacula ejus. p.311. n.16.

Verſ. 17. Omnem linguam reſiſtentem tibi, in judicio judicabis, pag. 311. n.16.

Cap. 55. *v.* 11. Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. p.480. n. 3,

Cap. 60. *v.*14 Venient ad te curvi filii eorum, qui te humiliaverunt, p.164. n.15.

Ieremias.

Cap. 1, *Verſ.*8. NE timeas à facie eorum, quia tecum ego ſum, ut eruam te. p. 47.

Verſ. 19. Et bellabunt adverſum te, & non prævalebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, ut liberem te, p. 47.

Cap. 2. *v* 1. Induxi vos in terram Carmeli, ut apprehenderetis fructus ejus. p. 13. n, 1.

Cap. 3. *Verſ.* 3. *Verſ.*4, Polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum, &c. p, 425.

Cap. 31. *Verſ.* 33. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum, p.320. n.3.

Thren.

Cap. 4, *verſ.*6. ET major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, pag. 150. num. 1.

Ezechiel.

Cap. 13. *Verſ.*4. QVaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael erãt, p. 519, n. 10.

Verſ. 16, Vident vana, & divinant mendacium, &c. p.519. n.10.

Cap. 16. *v.* 49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, &c. p. 150. n. 1.

Cap. 28. *verſ.* 15. In deliciis Paradiſi Dei tui fuiſti, &c. pag. 511. num. 8.

Cap. 34. *v.* 2. Væ paſtoribus Iſrael, &c. p. 98. n. 1.

Verſ. 5. Diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet paſtor, &c. p.385. num. 3.

Verſ. 20. Ecce ego ipſe judico inter pecus pingue & macilentum, pag. 98. n. 2.

Daniel.

Cap. 2. *Verſ.* 44. SVſcitabit Deus cœli regnum quod non diſſipabitur. p.25. n. 2.

Jonas.

Cap. 3. *verſ.*9 QVis ſcit ſi convertatur & agnoſçat Deus. pag. 500. n. 4.

Aggæus.

Cap. 2. *verſ.* 12. INterroga Sacerdotes, legem, &c. p.293, n.3.

Zacharias.

Cap, 4. *verſ.* 3. DVæ olivæ ſuper illud ; una à dextris lampadis, & una à ſiniſtris ejus. p. 170. num. 1,

Malachias.

Cap. 2. *verſ.*7. LAbia Sacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus. p.244. num. 2.

Liber 1. Machabæorum.

Cap. 2. *verſ.* 49. ET appropinquaverũt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis ſuis. Nunc confortata eſt ſuperbia & caſtigatio, &c. p. 493. n. 5.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Cap. 1. *verſ*, 1. LIber generationis filii David, filii Abraham, pag. 520. n. 2.

Cap. 2. *v.* 3, Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, &c. pag. 294, num. 3.

verſ. 23. Veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetam. Quoniam Nazareus vocabitur. p. 470. n. 3.

Cap. 3 *v.* 17. Hic eſt filius meus, pag. 313. n. 4.

Cap. 5. *v.* 14. Vos eſtis lux mundi, p. 38. p. 369. n. 1. p 126. n. 16.

Cap. 10. *v*, 2. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, p, 118. p. 459, n, 3.

verſ. 17 Tradent enim vos in cõciliis & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, &c. p. 293. n. 3.

verſ. 24, non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, &c. p. 412. n. 3.

Cap. 13. *v*, 11. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum, &c. pag. 316. num. 1.

verſ. 36. Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri, p. 316. n. 8.

Cap, 14. *v.* 26. Et videntes eum ſuper mare ambulantem turbati ſunt p 325, n, 2.

verſ 29, Ait, veni. Et deſcendens Petrus de navicula ambulabat ſuper aquã ut veniret ad Jeſum. p. 225. n 2.

Cap. 15. *v* 28. Mulier magna eſt fides tua. p. 323. n. 7.

Cap. 16. *v.* 16. Tu es Chriſtus filius Dei vivi. p. 128. p. 498. n. 10. p. 459. num. 7.

verſ. 17. Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, &c. p. 6 p. 402. n. 2. p. 499. n. 1.

verſ. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, pag. 2. p. 17. p. 20. n. 1. p. 40. n. 4. p. 44. n. 9. p. 46. n. 3. p 128. p. 433. n. 3. p. 431. n. 6. p. 458 n. 3. p, 244. n. 1, p. 414. n. 4. p. 415. n. 6. p 455. n. 1. p. 273. n. 1. p. 186. n. 1. p. 135 p. 338.

Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. p 47. n 4 p. 456. n 2.

verſ. 19. Et tibi dabo claves regni cælorum p. 48. n. 6. p. 245. n. 3. p. 297. n. 1. p. 51. n. 1.

Et quodcumque ligaveris ſuper erit ligatum et in cœlis, p. 48. n. 6.

verſ. 21. Oportet ire Jeroſolymã, et multa pati,

Et aſſumens eum, Petrus cœpit increpare, p 18. n. 3.

Cap. 17. *verſ.* 3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes et Elias cum eo loquentes. p. 150, n. 1. p. 105. n. 10,

Verſ. 4. Reſpondens Petrus, dixit ad Ieſum. Domine bonum eſt nos hic eſſe, etc p. 105. n. 10,

v. 26. Da eis pro me, et pro te. p. 129.

Cap. 18. *v.* 15. Si peccaverit in te frater, etc. p. 416. n. 2.

verſ. 16. Si autem te non audierit. etc. p. 416. n. 2.

verſ. 17. Si Eccleſiam non audierit etc. p. 298. n. 2.

verſ. 18. Quæcumque alligaveritis ſuper terram. etc. p, 415. n. 2. p. 6.

verſ. 20. Vbi ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, etc. p. 376. n. 2. p. 456.

Cap. 19. *v.* 17. Ecce nos reliquimus omnia, p. 469. n, 3.

Cap. 20. *v.* 17. Ecce aſcendimus Ieroſolymam, et filius hominis tradetur, etc. *v.* 20. Tunc acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedei, etc. p. 17.

Verſ, 28. Sicut filius hominis nõ venit miniſtrari, ſed miniſtrare. p. 18, n. 3

Cap, 21.

verſ. 12. Viri Iſraelitæ quid miramini, &c. p.141. n. 3.

Cap. 4. *v.* 8. Tunc repletus Spiritu ſancto, Petrus dixit, pag. 141. num. 3.

Cap. 5. *v.* 2. Anania cur tentavit, &c. p. 459. n.3.

Cap. 6. *v.* 2. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt: non eſt æquum, &c. p.380. n.13.

Cap. 7. *v.* 55. Ecce video cœlos apertos, &c. p.106. n.15.

Cap. 8. *v.* 14. Cùm audiſſent Apoſtoli, &c. p.416. n.3.

verſ. 18. Cùm audiſſet autem Simon, p.317. n.2.

Cap. 9. *v.* 1. Saulus adhuc ſpirans minarum, p.52. n.2.

verſ. 15. Vas electionis eſt mihi, ut, &c. p.52. n.2.

verſ. 17. Abiit Ananias, & introivit in domum, p.532. n.4.

verſ. 24. Cùm autem veniſſet Ieruſalem. p.52. n.2. p.56. n.1.

verſ. 27. Barnabas autem apprehenſum duxit ad Apoſtolos, pag. 53. num. 2.

Cap. 10. *v.* 41. Hunc Deus ſuſcitavit tertiâ die, & dedit manifeſtum, &c. p. 317. n.1.

Cap. 13. *v.* 2. Miniſtrantibus autem Domino, & jejunantibus, p. 54. num. 4.

verſ. 10. Dii facti ſunt ſimiles hominibus. p.103. n.7.

Cap. 14. *v.* 1. Factum eſt Iconii, ut ſimul introirent in Synagogam Iudæorum, &c. p.141. n.4.

Cap. 15. *v.* 2. Et ſtatuerunt, ut aſcenderent Paulus & Barnabas p.105. n.13.

verſ. 5. Surrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorum. p.19. n.5.

verſ. 6. Convenerunt Apoſtoli, p. 387.

verſ. 7. Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus, &c. p.479. n. 1. p.56. n.7. n.8. p.130. n.10. p.147. n.10. p.433. n.6.

verſ. 12. Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum, p. 456. n.1.

verſ. 13. Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus, &c. p.456. n.1.

verſ. 14. Simon narravit quemadmodum primùm Deus viſitavit, &c. p.456. n.1.

verſ. 22. Placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſiâ eligere viros ex eis, p.56. n. 9.

verſ. 28. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, p.458. n.1.

verſ. 36. Poſt aliquos dies dixit ad Barnabam Paulus. Revertentes viſitemus, &c. p.56. n.10.

verſ. 41. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.

Cap. 16. v. 4. Cùm autem pertranſirent civitates tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant in Ieroſolymis. p.5. n. 1.

Cap. 17. *v.* 34. Quidam viri adhærentes ei crediderunt. p. 103. n.7.

Cap. 18. *v.* 1. Poſt hæc egreſſus ab Athenis venit Corinthum, pag. 143. num. 6.

verſ. 21. Nos neque litteras accepimus, p. 141. n.4.

verſ. 24. Iudæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens devenit Epheſum, potens in ſcripturis, p.143. n. 6.

Cap. 19. *v.* 21. His autem expletis propoſuit Paulus in Spiritu, &c. p.148. n.1.

Cap. 20. *v.* 26. Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, pag 6. pag. 15. n. 8. p.20. n.6. p. 317. n. 2. p.456. n. 1. p. 458. n.1.

Cap. 22. Ego ſum vir Iudæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſtâ Civitate ſecus pedes Gamaliel, eruditus juxta veritatem paternæ legis, etc. pag. 479. num. 3.

Cap. 23. *v.* 11. Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus, ait conſtans eſto, etc. p.140. n.2.

Cap. 26. *v.* 28. Agrippa ad Paulum in modico ſuades me Chriſtianum fieri. p.104. n.7.

Cap. 28. *v.* 16. Cùm autem veniſſemus Romam permiſſum eſt Paulo manere ſibimet, cuſtodiente ſe

milite, pag. 57. num, 2.

verſ. 17. Poſt tertium diem convocavit primos Iudæorum, p. 57, n. 2.

Roman.

Cap. 1. *verſ.* 8. Gratias ago Deo meo per Ieſum-Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo. pag. 141.

verſ. 9. Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio, &c. p. 113.

verſ. 11. Deſidero vos videre, ut aliquid impertiar vobis gratiæ, ad confirmandos vos. p. 141. p. 148.

verſ. 14. Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum p. 142. n. 2.

Cap. 3. *v.* 3. Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt. p. 138.

Cap. 5 *v.* 12. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, &c. pag. 470. n. 2,

cap. 8. *verſ.* 30, Quos prædeſtinavit hos & vocavit, &c. pag. 375. num. 1.

Cap. 9. *v.* 13. Major ſerviet minori, p. 104. n. 7.

Cap. 10. *v*, 5. Quomodo prædicabunt niſi mittantur. p. 317. n. 2.

Cap. 12. *verſ.* 1, Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, &c. p. 525.

verſ. 5. Multi unum corpus ſumus, p. 419. n, 1.

verſ. 6. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, &c. pag. 322, num. 7.

verſ. 10. Honore invicem prævenientes, p. 108. n. 2.

Cap. 13. *v.* 4. Non ſine causâ gladium portant p. 15. n. 10.

verſ. 13. Sicut in die honeſtè ambulemus non in commeſſationibus, &c, p. 104, n, 7.

Cap. 15. *v.* 18. Nòn enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus, p. 143. n, 5.

verſ, 20. Si autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus. p. 142. num. 4. pag. 57, num. 11.

Cap, 16. *v.* 3. Salutate Priſcam & Aquilam, p. 143. n. 6.

verſ. 25, Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum, &c. p, 144. n. 7.

1. Corinth.

Cap. 1. *Verſ.* 1. Paulus vocatus Apoſtolus Ieſu-Chriſti, &c. pag. 375. num. 1.

Verſ. 10. Obſecro vos fratres, &c. ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententiâ. p. 490, n. 12.

Verſ 12. Unuſquiſque veſtrum dicit: Ego ſum Pauli, ego verò Cephæ. p. 113.

Cap. 3. *v.* 4. Ego quidem ſum Pauli: alius autem, ego Appollo. p. 320. n. 3.

verſ. 11. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, p, 38.

verſ. 12. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, etc, p. 314. n. 6.

Cap. 4. *v.* 15. In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui, pag. 15. p. 321. n. 4.

verſ. 21 Quid vultis in virga veniam ad vos? p. 111.

Cap. 5. *v.* 20. Pro Chriſto legatione fungimur, p. 15. n. 4.

Cap. 6. *v.* 16. Si evangelizavero nō eſt mihi gloria. p, 100.

Cap 12, *verſ.* 8. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, etc. p. 317. n. 8.

verſ. 12. Sicut enim corpus unum eſt. p 334. n, 7.

verſ. 22. Multò magis membra, quæ videntur corporis, etc. pag. 21. num. 8.

verſ. 28. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, p. 11. n. 2. p. 39, n, 2. p. 316. num. 11.

Verſ. 29. Nunquid omnes Apoſtoli, p. 318. n. 3.

Cap. 13. *verſ.* 2. Si habuero prophetiam, et noverim, etc. pag. 291, num, 4.

verſ. 3. Charitas omnia ſuffert, p. 513. n. 6.

*Cap.*21, *v.*33, Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, &c. p. 513. n.6. p.519. n.11,

verſ. 43. Auferetur à vobis regnum, &c. p.521. n.14.

*Cap.*23. *v.*3. Super cathedram, &c. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite, &c. p. 317. num. 2.

*verſ.*9. *v.*10. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram, &c. Nec vocemini Magiſtri, p.320.

verſ. 34. Ecce ego mitto ad vos prophetas & ſapientes, &c. p. 174. num. 1.

Cap. 26. *v.* 17. Et accipiens calicem, p.117. n.2,

Cœnantibus autem eis, pag. 52. n. 1.

Cap. 28. *v,* 19. Docete omnes gentes baptiſantes eos, &c. pag. 52, num, 1.

Marcus.

Cap. 1, *verſ.*29. VEnerunt in domum Simonis, p.75. n.1.

Cap. 3. *v.* 16. Et impoſuit Simoni nomen Petrus, p.4. n. 1.

verſ. 13, Vocavit ad ſe, quos voluit, & venerunt ad eum, & fecit ut eſſent duodecim cum illo, &c. p.14. num. 1.

Cap. 7. *v.*18. Quare non intelligitis, p.316 n.8.

*Cap.*13. *v,*22. Surgent pſeudo-Chriſti & pſeudo-prophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos, &c. p. 398.

*Cap.*14. *v.*21. Erat autem hora tertia, p.308. n.3.

*Cap.*16. *v.* 13. Euntes ergò docete, &c. p.19. n.4,

verſ. 19. Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei, &c. p.102. n.4 p.106. n.15,

Lucas.

*Cap.*2. *verſ.*1. EXiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis, p.41. n.6,

verſ. 47. Stupebant autem omnes qui eum audiebant ſuper prudentiâ, & reſponſis ejus, pag. 479. num. 3.

Cap. 5. *v.* 7. Et annuerunt ſociis, qui erant in aliâ navi, ut venirent, p.112. n.11.

verſ. 10. Similiter autem Jacobū & Joannem. p.112 n.11.

*Cap.*9. *v.* 22. Oportet filium hominis multa pati, &c. p.17. n. 2.

Cap. 10. *v,* 16. Qui vos audit, me audit, p. 316. n.2. p.322, n.6.

Cap. 12. *v.* 41. Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? p. 460.

*Cap.*13. *v.*6. Venit quærens fructum in illâ, & non invenit. p.519. n. 10,

Cap. 15. *v,* 5. Et cùm invenerit eam imponit in humeros p.258. n.8,

*Cap.*17. *v.* 5. Domine adauge nobis fidem, p.323. n.7.

Cap. 18. *v.* 34. Et ipſi horum nihil intellexerunt. p.316.

Cap. 22. *v.* 25. Reges gentium dominantur eorum. p. 18, n. 3.

verſ. 32. Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, p. 252, p.253, n.3. p,281. n,6, p.466. n.7, p, 490, n. 12, p. 40. n.4, p.51, n.2, p,52, p. 83, p,90, p, 28. n,10, p,142, n,10,

Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos. p. 112. n,2, p,265, n,14 p, 433, n,6, p, 434, n, 6, p, 455. n, 1, p, 458, n, 3,

Cap, 24, *v.* 34. Surrexit verè & apparuit Simoni, p.129, n,10,

Joannes.

Cap. 1. *verſ.*4 ET vita erat lux hominum pag. 38.

*verſ.*6, ut teſtimonium perhiberet de lumine. p.221, n,4.

verſ. 8. erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, &c. p.38.

verſ. 14. Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, p. 55. n. 1.

Plenum gratiæ & veritatis, p.499. num.1.

verſ. 29, Ecce Agnus Dei, &c. p. 313. n.4.

verſ. 34. Ego vidi & teſtimonium perhibui, p,313. n. 4.

*verſ.*44. Tu es Simon tu vocaberis Cephas, p.86. n.16.

Cap. 3, *v,*5, Niſi quis renatus fuerit p,529, n.2.

Cap. 5. *v.* 34. Ego teſtimonium ab homine non accipio, pag. 321, num. 4.

verſ. 39. Scrutamini ſcripturas, p.313. n.4. p.432. n.1.

verſ. 44. Quomodò poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis p.313. n.5. p.321. n.5.

Cap. 6. *v.* 45. Eſt ſcriptum in prophetis, & erunt omnes docibiles Dei, p.320. n.3.

verſ. 68. Reſpondit ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus, pag. 460. n.3.

Cap. 7, *v.* 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina &c. p. 321, n.4.

Cap. 8. *v.* 12, Ego ſum mundi, p 38.

Cap. 10. *v.* 3. Oves vocem ejus audiunt, p. 322. n.6.

Alienum autem non ſequuntur. *Ibid.*

verſ 14 Ego ſum paſtor bonus, p. 38. & 223 n.6.

verſ. 16. Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, p.412. n.4 p.50. num, 4.

verſ. 17. Fiet unum ovile & unus paſtor. p.299. n.3.

Cap. 12. *v.* 2. Turba quæ ſtabat & audiebat, &c. p.322. n,5.

Cap. 12. *v.* 12. Ex principibus multi crediderunt in eum. pag. 291. num 4.

Cap. 13. *v.* 16. Non eſt ſervus major domino ſuo, p.416, n.3.

Cap. 15. *v.* 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, pag. 291. num. 4.

Cap. 16. *v.* 13, Cùm autem venerit Spiritus, &c. p. 463 n. 1.

Cap. 17. *v.* 1. Nunc clarifica me, p.106. n,15.

verſ. 11. Pater ſancte ſerva eos, &c. p.252. n.1.

Cap. 19. *v.* 14. Erat Paraſceve, &c. p.360. n. 11.

Cap. 20, *v.* 4. Et ille alius præcucurrit citius Petro, pag. 104. num. 7.

Cap. 20, *v.* 21. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, pag. 461. n. 1. p.19. num, 4.

verſ. 23, Quorum remiſeritis peccata, &c. pag, 416, num. 1. pag. 19. num. 4.

Cap. 21, *v.* 7. Simon Petrus cùm audiviſſet, quia Ieſus eſt, &c. p. 525. n.2. p.371. n.1.

verſ. 8. Alii autem navigio venerunt. p.5 5. n. 2.

verſ. 17. Paſce oves meas, p. 412. p. 414. p.421. p.455. p. 458. num. 9. p.6, p.15. p.240. n.9. p.262. num. 14. p.49. n.1. p.50. n.2. p.97. n. 1. p. 280. n,3. p.299 n. 3.

Amas me plus his, p.50. n.2. p.98, n.2. p. 280. n.5.

Tu ſcis Domine, quia amo te, p. 55. n.1.

verſ. 19, Cùm autem ſenueris, p.168. n.18,

verſ. 22, Quid ad te tu me ſequere, p, 152, n,12,

Acta Apoſtolorum.

Cap. 1. *verſ.* 8, ERitis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, &c, p,321, n,4,

verſ. 15. Exurgens Petrus in medio fratrum, &c, p,6, p,401, n,2, p,433 n, 8 p,129 n,10,

verſ. 16, Viri fratres oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David, pag,6, p,29, n, 6,

verſ. 21, Oportet ergò ex his viris, qui nobiſcum ſunt, etc, p, 6, p, 470, num, 2.

verſ. 23, Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, etc. et Matthiam, p,6,

verſ, 24, Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende, etc, p, 433. num, 5,

Cap. 2, *v,* 3, Seditque ſupra ſingulos eorum, etc, p,4,

verſ, 14, Stans Petrus cum undecim levavit vocem ſuam, pag, 140 pag, 141. pag, 128, pag, 129, pag. 159, num, 3,

verſ. 39, Vobis eſt repromiſſio, et filiis veſtris p,375, n 1,

verſ, 41. Qui ergo receperunt, &c. p.529, n,2.

Cap. 3, *v,* 6, In nomine Ieſu-Chriſti Nazareni ſurge et ambula pag, 129,

*Cap.*14. *v.* 34. Mulieres in Eccleſiâ taceant p. 318. n. 4.

Cap. 15. *v.*27. Vos eſtis corpus Chriſti, p. 318. n. 3,

2. Epiſt. ad Corinth.

*Cap.*4. *verſ.*5. NOn noſmetipſos prædicamus, etc. p.15.

Cap,5. *v.* 20. Pro quo legatione fungimur, p,120. n 2,

*Cap.*11, *v.*28, Sollicitudo omnium Eccleſiarum. p,41. n.6, p. 97, n, 1.

*Cap.*12, *v*, 2. Scio hominem, etc. pag. 105. n.14,

*verſ.*10, Propter quod placeo mihi in infirmitatibus. p. 98,

verſ. 11. Nihil minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, p. 98.

verſ. 12. Signa autem Apoſtolatus mei facta ſunt, etc. pag. 98,

Galat.

Cap. 1. *verſ.* 1. PAulus Apoſtolus, non ab hominibus,&c. p.104.n.8.

*Verſ.*8, Licet vos aut Angelus, pag. 388. n,6.

*verſ.*18, Veni Ieroſolymam videre Petrum, &c, p.113, p,148. n.2. p.117. num. 8.

*Cap.*2. *v.*6, Qui videbant eſſe aliquid nihil contulerunt, p,55. n.3,

verſ. 11, Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, p. 96, n. 1 p,125. n. 5,

verſ. 14. Cùm vidiſſem, quod non rectè ambularent ad veritatem Evãgelii, dixi Cephæ coram omnibus, p. 96. n, 1.

Cap. 5, *v.*9. Manifeſta ſunt opera carnis, p. 336. n. 2,

Epheſ.

Cap. 2. *verſ.*19, NOn eſtis hoſpites & advenæ: ſed eſtis cives ſanctorum, &c, p. 117.

*verſ.*20, Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum,&c, p.318.

Cap. 3. *v.*3. Quoniam ſecundùm revelationem, p.470 n.4.

*Cap.*4. *v.*2, Sollicit ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. p.39. n. 3.

*verſ.*4, Vnum corpus, p.434. n,7.

verſ. 7. Vnicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti p 40. n.4.

Cap. 4. *v.*11. Et ipſe dedit quoſdã quidem Apoſtolos, &c. p, 12. n.4. p.. 299. n.3. p.527. p.533. n.4. p 385. n.3.

Philipp.

Cap. 2. *verſ*,6. QVi cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, p,106. num. 15.

Theſſalon. 1.

Cap. 1. *verſ.*5, EVangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone, &c. p.314. n.5.

Coloſſ.

Cap. 2. *verſ* 18, NEmo vos ſeducat, &c. p.434. n.8.

verſ,19, Et non tenens caput: ex quo totum corpus, &c, p,434, n. 8,

1. Timoth.

Cap. 1, *verſ* 19. QVam quidam repellentes, p. 336. n.3.

Cap. 5. *v.* 1. Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrẽ, p.321. n,4.

2. Timoth.

Cap. 4. *verſ.*15. ECcleſia Dei vivi columna & firmamentũ veritatis. p.456. n.3. p.458. n.2. p.459. n.3.

Cap. 4. *v.*16. In mea primâ defenſione nemo mihi affuit, p,144. n.8.

Tit.

Cap. 1. *verſ* 5. HVjus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt corrigas & conſtituas per civitates præsbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, p. 4, n, 1,

Cap. 10. *v.* 3. Hæreticum hominẽ poſt unam & ſecundam correptionem devita, p.282. n.7.

Hebræ

Cap. 1, *verſ* 1. MVltifariam, multisq́ue modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, &c. p.319 n. 3.

Cap,7. *v*,7, Sine ullâ contradictione, p,14.n.8,

Cap.8. *v*.3. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, &c. p.29.

Cap, 11. *v*. 35. Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos p.334. n.1.

Cap,13. *v*.17. Obedite præpoſitis veſtris, p.317. n, 2,

1. Petri.

Cap. 2. *verſ*.13. SVbjecti eſtote, etc, pag.15. num. 10.

verſ.25. Eratis ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem et Epiſcopum animarum veſtrarum, p. 38. p 51, n.4,

Cap,4.*v*.14, Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, p.291.n.4.

Cap. 5. *v*. 1. Seniores ergò qui in vobis ſunt obſecro conſenior et teſtis Chriſti. p, 20, n.6,

verſ. 13, Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone, p,53, n 6, p,131, n,2, p,142, n,2,

2. Petr.

Cap, 1. *v*. 19. HAbemus firmiorem ſermonem, etc. p.312,

verſ. 21, Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia, p, 323, n,17,

Cap.13 *v*.16. In quibus quædam difficilia intellectu, quæ indocti et inſtabiles depravant, etc. p.471. n. 4.

Apocalipſis.

Cap. 3. *verſ* 7. HÆc dicit ſanctus & verus, qui habet clavem David, &c. p.298. n 1.

Cap.5. *v*. 9. Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo ex omni tribu,&c.p.186 num. 2.

Cap.11.*v*.3. Dabo duobus teſtibus, p. 170. n.1.

verſ.4 Sunt duæ olivæ,&c.p,165. n.9. p.170.

verſ.5. Si quis voluerit eis nocere ignis exiet de ore eorum, &c. p.149. n 1.

verſ.8. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnę, &c. p. 150, num.1.

verſ.9. Videbunt de tribubus, &c. corpora eorum per tres dies, p. 163. n. 3.

verſ.12. Et audierunt vocem magnam de cœlo, p, 163. n.3.

Cap.13.*v*.13. Et fecit ſigna magna ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram, p.338, n.9.

Cap, 21. *v*.14. Et murus civitatis habens fundamenta 12. & in ipſis 12, nomina 12. Apoſtolorum agni, p.401. n.9. p.418. n,3.

INDEX

INDEX

VERBORVM ET RERVM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

P. Paginam. N. Numerum marginalem denotat.

A

ABbates in Conciliis habent ſuffragium deciſivum ex conſuetudine. pag. 385. num. 2.

Abſolutio Papalis fieri poteſt nutu, ſignis, pag. 548. n. 9.

Achab miſerrimè periit, p. 37. n. 3.

Africa agnoſcit ſucceſſionem Romanorũ Pontificum, p. 204.

Ambitio eſt cauſa ſchiſmatis, pag. 326. num. 5.

Anglia agnoſcit ſucceſſionem Romanorũ Pontificum. p. 204.

Anglia eſt Eccleſiæ Romanæ feudataria, p. 223.

Anaſtaſius papa non fuit hæreticus, pag. 344. n. 7.

Apoſtoli ſunt membra Eccleſiæ, Petrus caput, p. 22. n. 9.

Apoſtoli fuerunt pares Petro in Apoſtolatu, non in juriſdictione, pag. 421. n. 5.

Apoſtoli ſunt Petro inferiores poſt datam præfecturam Petro, pag 20. num 7. num. 8. num 9.

Apoſtoli præcedunt Prophetas, pag. 12. num. 4.

Appellatio in cauſâ Eccleſiaſticâ non fit ad Cæſarem vel populum, p. 7. n. 8.

Appellatio in cauſâ Eccleſiaſticâ fit ad Sedem Apoſtolicam. p. 8. n. 8.

Ariſtocratia pernicioſa, p. 16. n. 1.

Articulis fidei à Papâ propoſitis ut credantur credere debemus, pag. 271. n. 23.

Auctores non convenientes in ſupputatione temporis non deſtruunt veritatem rei, p. 170. n. 2.

Auctoritate SS. Petri & Pauli quomodò papa definit, pag. 120. num. 9. p. 149. num. 2.

S. Auguſtinus non eſt infallibilis, p. 483. num. 4.

B

BAcconius Carmelita docet ex profeſſo Petrum eſſe unicum Chriſti vicarium, p. 88. n. 14.

Bamberga Romanæ Eccleſiæ tributaria pag. 230

Bambergenſis Monaſterii privilegium à Caliſto II. p. 68. n. 12.

Bambergenſis Eccleſia à Papa conſecratur, p. 230.

Baptiſmus S. Ioannis non fuit Sacramentum, p. 526.

S. Barnabas cur diſputat cum Paulo, p. 56. n. 10.

Baſilienſe Concilium cur diſſolutum, pag. 367, n. 44.

Bavaria Romanum Pontificem ut Petri ſucceſſorem agnoſcit, p. 229.

Beatificatio quid, & quomodò differt à canonizatione, p. 491. n. 1. p. 502. n. 13.

Belgium Romanum pontificem ut Petri ſucceſſorem agnoſcit, p. 231.

Benedictus XIII. non fuit hæreticus, pag. 366. n. 43.

C

CAlumnia quàm pernicioſa, pag. 360. num. 32.

Calumnia ſanctos non deprimit, ſed elevat, p. 643. n. 39

Ea quæ ſunt juris Canonici poteſt Papa diſpenſare, p. 557. n. 1.

Pro canonizatione expenduntur miracula præcipuè poſt mortem edita, p. 506. n. 4.

Pro Canonizando regulari præter miracula virtutes etiam heroicæ neceſſariæ, pag. 507. n. 5.

Canonizatio quid ſit? pag. 491. num. 1.

Canonizandi ſolemnis ritus à quo introductus, p. 494. n. 9.

Canonizationis finis p. 495.

Cardinalium collegium non deſtruit ſtatum Monarchicum papæ, p. 43. n. 9.

Cardinalis officium, p. 44. n. 9.

Cardinales eligentes Pontificem non dant ei poteſtatem, p. 44. n. 10.

Cardinales quomodò eligunt papam, p. 242. n. 11.

Cardinales habent in Conciliis ſuffragium deciſiuum ex conſuetudine. p. 385. n. 2.

Carmelitici ordinis regimen eſt monarchicum mixtum, pag. 3. num. 2. pag. 45. num. 3.
Carolus Magnus non præfuit ulli Concilio, p. 383 n. 5.
Catechumeni non ſunt ſubjecti papæ, p. 530. n. 3.
Nullus Certus eſt quod ſit in gratiâ, p. 500. num. 4.
Chriſma nequit conſecrari niſi ab Epiſcopo, p. 533, n. 5.
Chriſtus eſt fundamentum Eccleſiæ, Epiſcoporum paſtor, doctor juſtitiæ, pag. 38.
Cœleſtinus papa non fuit hæreticus, pag. 341. n 5.
Concilia œcumenica cæli inſtinctu convocantur, p. 384.
Concilia œcumenica non celebrantur abſque Apoſtolicâ auctoritate, p. 261. n. 10. p. 376. n. 2.
Concilio ante definitionem præponderat mens privati, p. 387. n. 5. & 6
Conciliorum utilitas, p 398. n. 11.
Concilium accedente papæ aſſenſu eſt infallibile p. 502. n. 3.
Concilium generale fit ad melius eſſe, p. 422. n. 8.
Concilium generale nequit canonizare abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ, p. 503. n. 16.
Confirmatio poteſt conferri ab Abbate, & ſimplici ſacerdote ex delegatione papæ, p. 531. n. 1.
Conſignatio ſignificat curationem energumeni, p. 533. n. 4.
Conſecratio fuit facta à Chriſto ſub utraque ſpecie, p. 368 n. 14.
Correctio duplex, p. 96, n. 1. p. 97, n. 1. p 208. n. 2.
S. Cyrillus Alexandrinus fidei & Deiparæ defenſor, p. 78. n. 5.

D

DAnia Romanum pontificem ut Petri ſucceſſorem agnoſcit, p. 224.
Democraticum regimen eſt omnium infimum, p. 5. n. 2.
Democraticum regimen eſt noxium, *Ibidem.*
Deus unus, p. 31. n. 4.
Dei regimen eſt monarchicum, pag. 25. num. 1.
Deus ſolus orbem regit, pag. 3. num, 1.
Dextera non ſemper denotat præcedentiam, p. 104.
Doctores & Clerici habent in conciliis ſuffragium conſultivum, p. 385. num. 2. p. 387. n. 2.

E

ECcleſiæ regimen in veteri teſtamento erat mixtum, pag. 3. num. 3. pag. 566. num. 5.
Eccleſia novi teſtamenti non regitur democraticè, p. 4.
Eccleſia eſt regnum, pag. 25. num. 2. p. 27. num. 2.
Eccleſia eſt arca Noe, p. 26. n. 3.
Eccleſia eſt navis, p. 27. n. 2.
Eccleſia militans collata cum triumphante, p. 28. n. 4.
Eccleſia dicitur corpus Chriſti non petri, pag. 38.
Eccleſia non regitur Ariſtocraticè à ſæcularibus, p. 9 n. 1.
Eccleſiæ regimen non eſt Ariſtocraticū Eccleſiaſticum, p. 16. n. 1.
Eccleſia una, p. 22. n. 9.
Eccleſiæ regimen monarchicum, p. 24. num. 1.
in Eccleſiâ ſunt diverſi gradus, pag. 29. num. 4.
Eccleſia non eſt multiceps, pag. 45. num. 1.
Eccleſia Romana inexpugnabilis, p. 47. num. 4.
Eccleſia non eſſet ſancta ſi non daretur ſucceſſio Romanorum pontificum, p. 337. num 3.
Eccleſia æquè eget capite viſibili ac tempore Apoſtolorum, p. 239. n. 6.
Eccleſiam hanc eſſe veram eſt de fide, p. 271. n. 25.
Eccleſiæ particulares Romanę ſubjiciuntur, p. 369. n. 1.
Eccleſia cum papâ habent majorem auctoritatem extenſivè quàm ſolus papa, pag. 419. n. 1.
Eccleſia poteſt ferre leges, p. 548.
S. Elias quando raptus, p. 165. n. 1.
S. Elias ſol, p. 257. n. 7.
S. Eliæ ſanctitas, p. 336. n. 1. & 2.
SS. Elias & Eliſeus fuerunt jure divino præfecti regimini Monaſtico veteris legis, p. 243.
S. Elias conſtantiſſimus, pag. 402. num. 3.
Epiſcopus aliquando poteſt in votis papæ reſervatis diſpenſare. p. 566. n. 5.
Epiſcopi per Apoſtolos intelliguntur, p. 12. n. 3.
Nullus Epiſcopus fuit legitimè depoſitus à populo, p. 5. n. 1.
Epiſcopi ſunt potentiores principibus, p. 11. n. 2.
Epiſcopi ſunt oves Papæ, fideles ſunt agni, p. 49. n. 1.
Epiſcoporum electiones indigent ſedis Apoſtolicæ confirmatione, pag. 198. num. 1.

Epiſcopi oppreſſi recurrunt Romam, p. 208.

Epiſcopi non ſunt ſucceſſores Petri, p. 242.

Epiſcopi in Conciliis habent ordinariè & de jure ſuffragium deciſivum, p. 385. n. 2. & 3. p. 485.

Epiſcopi repræſentant ſuam Eccleſiam, p. 387. n. 3.

Epiſcopus olim poterat canonizare pro ſuâ provinciâ, p. 494. n. 7.

Epiſcopos litigantes de præcedentiâ poteſt Papa componere, p. 558. n. 1.

Epiſcopus eſt miniſter ordinarius in ſuâ Diœceſi, p. 530. n. 4.

Epiſcopus poteſt diſpenſare in jejunio ante communionem, p. 534. n. 3.

Epiſcopus poteſt committere ſacerdoti benedictionem Altarium, pag. 535. num. 3.

Euchariſtia vocatur ſacramentum Chriſti, p. 58. n. 3.

Eugenius IV. non fuit hæreticus, p. 366. num. 44.

Excommunicari nequit Papa, pag. 544. num. 1.

Excommunicari nequeunt defuncti, p. 546. n. 5.

Quæ Excommunicationes ſint Papæ reſervatæ, p. 572. n. 2.

Extremæ-Vnctionis oleum nequit à ſimplici ſacerdote benedici, p. 537. n. 1.

F

Fides eſt porta Cœleſtium beneficiorum, p. 289. n. 1.

Fides inconcuſſa papæ ejus & Eccleſiæ ſanctitatem denotat, p. 290. n. 3.

Qui majorem habent Fidem nequeunt interpretari ſcripturam, vel decidere controverſias fidei. p. 322. n. 7.

Fides fundata in privatâ revelatione non differt à communi, p. 249.

Fœlix II. non fuit Arianus, pag. 341. num. 4.

Francofurtenſe Concilium in quo eſt legitimum, p. 382. n. 5.

Fridericus Imperator condemnatus ab Innocentio IV. p. 70. n. 13.

G

Gallia Petri ſucceſſionem aſſerit, pag. 213.

Gelaſius papa non fuit hæreticus, p. 343. num. 6.

Generales Ordinum Religioſorum habent ex conſuetudine ſuffragium deciſivum in Conciliis, p. 485. n. 2.

Generalis Ordinis Religioſi eſt infra Capitulum Generale, p. 421. n. 7.

Germania agnoſcit ſucceſſionem Romanorum Pontificum. p. 209.

Germania Catholica quantis bonis ſpiritualibus & temporalibus affluit, pag. 212. num. 6.

Gregorius III. non fuit hæreticus, p. 354. num. 24.

Gregorius VII. fuit probus, pag. 358. num. 29.

H

HÆreſes à Papâ reprimuntur, p. 261. num. 12.

S. Henricus ſanctorum faſtis adſcriptus, p. 69. n. 12.

Henricus IV. Imperator fuit juſtè excommunicatus à Gregorio VII. p. 362. n. 36.

Hibernia ſucceſſionem Rom. Pontificum agnoſcit, p. 223. n. 3.

Hibernia & Britannia ex quo fidem Chriſtianam ſuſceperunt carent animalibus venenoſis, p. 223.

Hiſpania ſucceſſionem Rom. Pont. agnoſcit, p. 217.

Hungaria Rom. Pont. ſucceſſionem agnoſcit. p. 224.

In Hungaria Rex Ludovicus multa templa ædificavit, p. 224. n. 3.

I

S. JAcobus S. Petri ſententiam ſequitur, p. 20. n. 5.

Imperator non debet præſidere Concilio, p. 379. n. 4.

Imperatores Conciliis ſubſcripſerunt non definiendo, ſed conſentiendo, p. 386. n. 2. p. 391. n. 12.

Imperator eſt quaſi luna, p. 257. n. 7.

Imperator non jubet, ſed rogat Pontificẽ, p. 260. n. 10.

Imperatores non depoſuerunt, nec potuerunt deponere Pontificem, p. 287. n. 4.

Imperator olim non præſidebat Concilio, p. 7. n. 8.

Imperium jam exiguum, p. 379. n. 4.

Infallibilitas & regula fidei non tantùm eſt in Petro, ſed etiam in Romano Pontifice, p. 266. n. 16.

Infallibilitas Papæ in Canonizatione Sanctorum, p. 266. n. 17.

Infallibilitati Apoſtolicæ non officit præmiſſum examen miraculorum, p. 504. n. 1.

Innocentius VIII. non fuit hæreticus, p. 367. n. 45.

Ioannes XXII. non fuit hæreticus, p. 364. num. 4.

Ioannes XXIII. non erravit, p. 366. num. 42.

Irregularitas jure humano introducta poteſt à papâ diſpenſari. p. 545. n. 3.

Quæ Irregularitates Papæ reſervatæ pag. 573. n. 1.
Italia Rom. Pont. ſucceſſionem agnoſcit, p. 233.
Iuramentorum abſolutionem quibus confirmantur ſtatuta Collegiorum poteſt papa ſibi reſervare, p. 561. n. 1.
Item quibus Magnates temporales ſe obſtrinxerunt. p. 561. n. 1.
Item quæ Religioſi emiſerunt. p. 561. n. 2
Iuſtinianus Imperator Roman. Eccleſiæ adhærens fuit fœlix, infœlix autem cum ab eâ receſſit, p. 37.
Ius quomodò differt à facto, pag. 469. num. 2.

L

Leodium venit Innocentius II. papa, p. 371.
Leges poſſunt ferri ab Eccleſiâ, p. 548. num. 1.
Poſſunt condi à papâ, p. 548. n. 2.
Poteſt Papa decernere, ut Lex non abrogetur, niſi per conſenſum expreſſum, p. 555 num. 3.
Papa nequit ſolvere Leges Apoſtolicas, latas ab Apoſtolis ut Chriſti miniſtri., ſeu inſtrumentis, p. 556. n. 14.
Papa poteſt ex juſtâ causâ diſpenſare in iis quæ ſunt jure naturæ vel divino, in quibus admiſcetur aliquid obligationis humanæ, p. 556. n. 15.
Papa poteſt diſpenſare in Legibus, quæ ex iure Canonico procedunt, p. 556. n. 16.
In Lege Civili præcipiente per ſe bonum, & prohibente per ſe malum, nequit papa diſpenſare p. 557. n. 17.
Legem in rebus ambiguis & dubiis poteſt Papa interpretari, p. 558 n. 18.
Leges ab Apoſtolis conditę fuerunt, pag. 551. n. 3.
Libertas Chriſtiana qualis? pag. 553. num. 7.
Lotharius cogitur per Sedem Apoſtolicam relinquere pellicem, & recipere uxorem legitimam, p. 55.
Idem Lumen propoſitionis particularis ac univerſalis. p. 272. n. 26.
Luſitania ſucceſſionem Petri agnoſcit, p. 218.

M

Marcellinus papa non fuit hæreticus, pag. 339. n. 2.
Martinus I. non fuit hæreticus, pag. 354. num. 23.
Mathildis pia, pag. 361. n 34.
Matrimonium ratum non conſummatum poteſt Papa diſpenſare, pag. 540. num. 4.
Matrimonium ratum non diſſolvitur per ſuſceptionem Ordinis, p. 542. n. 6.
Diſſolvitur per profeſſionem ſolemnem non jure divino, ſed humano, pag. 542. num. 5.
Matrimonium ratum diſſolvitur per vota Tertiariorum collegialiter viventium ſub regimine Prælati, p. 543. n. 8.
In impedimentis impedientibus, quæ ſolo jure Eccleſiaſtico impediunt, ſi talia perſeverant poteſt Papa diſpenſare, pag. 543. n. 10.
Impedimenta ſolo jure Eccleſiaſtico dirimentia, non verò jure naturali poſſunt à Papâ diſpenſari, p. 544. n. 9.
Monarchicum regimen eſt aliis nobilius, p. 5, n. 2 p. 34. n. 1.
Moyſes fuit Sacerdos, p. 13. n. 5.
Mulieres quomodò non debent loqui in Eccleſiâ, p. 318. n. 4.

N

Nicolaus I. non fuit hæreticus, p. 355. num. 25.

O

Oratio juncta bonæ vitæ multis utilis, p. 408. n. 6.
Ordo Epiſcopalis nequit à ſimplici ſacerdote conferri, p. 534. n. 3.
Ordines tam majores quàm minores poſſunt Apoſtolicâ diſpenſatione adminiſtrari à ſimplici ſacerdote, p. 538. n. 12.
Orientales reddunt Romano Pontifici rationem ſuarum actionum, pag. 261. num. 11.
Orientales Epiſcopi recurrunt ad Romanum Pontificem in negotiis fidei & morum, p. 200. n. 1.
Oſtienſis Epiſcopus conſecrat Papam, p. 141, n. 7.

P

Pallium datur magnis Prælatis; pag. 373.
Pallium accipientes quid jurant, pag. 374. n. 3.
Papalis dignitas reliquis ſublimior, pag. 1.
Papæ regimen monarchicum teſtatur honor ei à ſupremis principibus exhibitus, pag. 35. n. 1. p. 264. n. 15.
Cur Papa non dicitur Epiſcopus univerſalis, p. 20. n. 6 p. 246.
Papa eſt mons, pag. 24. num. 1. p. 40. num. 3.
Papa eſt aurum optimum, pag. 24. num. 4.

Papa eſt ſol, p. 257. n. 7.
Papa eſt ſponſus Eccleſiæ, pag. 29. num. 4.
Papa eſt caput Vicariale reſpectu Chriſti, p. 38. n. 1.
Cur Papa priuſquam veritatem fidei decidat, præmittit Conſilium, vel inquiſitionem Doctorum, p. 43. n. 8.
Papa quomodò ſit ſucceſſor SS. Petri & Pauli, p. 113. n. 3.
Paparum ſucceſſio, p. 185. n. 1.
Papa præſidet in Conciliis Generalibus, p. 240. p. 380.
Papam eſſe vicarium Chriſti & Petri ſucceſſorem eſt certum divinâ certitudine, pag. 244. n. 1.
Papa eſt quaſi Mater, pag. 258. num. 7.
Papa eſt paſtor, p. 258. n. 8.
Papa eſt ob Eccleſiæ utilitatem, p. 257. num. 6.
Papa eſt fundamentum & petra Eccleſiæ, p. 259. n. 9.
Cur Papam ita Magnates honorant, pag. 265. n. 15.
Papæ electio Canonica undè colligitur, p. 269. n. 19.
Papæ moderni decreta ſunt immediatè de fide, ſicut ea, quæ à S. Petro prodierunt, p. 271. n. 7.
Poteſt à Papâ deſignari modus eligendi ſucceſſorem, p. 275. n. 1.
Papa poteſt deſignare ſucceſſorem, pag. 275, n. 3.
Papam poteſt quis ſe eligere ex compromiſſo, p. 277. n. 5.
Papa poteſt ſe pontificatui abdicare abſque Cardinalium conſenſu, pag. 278. num. 1.
Papa poteſt invitus deponi, pag. 279. num. 4.
Papa nequit deponi ob peccatum ſcandaloſum & notorium, pag. 280. num. 1, p. 282. n. 8.
Papa poteſt deponi ob hæreſim, p. 281. num 6.
Si Papa ſit à tyranno carceribus perpetuis addictus alius ſubſtitui nequit, pag. 283. num. 9.
Papa hæreticus non eſt jure divino depoſitus, ſed deponendus ab Eccleſiâ, pag. 284. num. 1.
Si certò non conſtet de Canonicâ electione Papæ eſt deponendus, pag. 288. num. 7.
Papa eſt judex controverſiarum fidei, p. 292.
Papæ ſanctitas relucet dum non permittit ſchiſmata, p. 324. n. 1.
Papa nullam docet hæreſim, pag. 33. p. 237. p. 339.
Papa nequit diſpenſare ut una ſpecies abſque alterâ conſecretur, p. 367. n. 45.
Papa errare poteſt cum aliquid docet, ut privata perſona, pag. 408. n. 7. pag. 423. num. 3.
Papa poteſt errare in particularibus quæſtionibus facti, pag. 408. num. 8. pag. 423. num. 3.
Papa nequit errare in decretis fidei & morum, quæ tanquam Papa proponit Eccleſiæ, ſaltem quoad id præſtat cum Concilio Generali, pag. 409. num. 9. pag. 423. num. 3.
Papa nequit abuti poteſtate ad deſtructionem, quoad ea quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, p. 420. n. 2.
Papa eſt infallibilis extra Concilium in decretis fidei, p. 421. & ſeq.
Papa eſt infallibilis in decretis morum, p. 462.
Papa etiam ut perſona particularis nequit pertinaciter falſum contra fidem credere, p. 481. n. 2.
Papa ſolus poteſt Canonizare pro totâ Eccleſiâ, p. 494. n. 7. p. 502. n. 14.
Papa in Canonizatione ſanctorum nequit errare, p. 495.
Papa nequit ulli committere munus Canonizationis, p. 502. n. 15.
Papa nequit errare in approbandis Religionibus, p. 507. n. 1.
Papæ ſanctitas non minuitur dum Ordines Religioſos extinguit, p. 507. n. 1.
Papa nequit inſtituere ſacramenta, pag. 526.
Papa nequit immutare materiam, formam & miniſterium Sacramentorum, p. 526.
Papæ ſubſunt hæretici, apoſtatæ à fide, ſchiſmatici, p 528 n. 1.
Papæ non ſubſunt infideles non baptizati, p. 528. n. 2.
Papa eſt ordinarius miniſter baptiſmi in totâ Eccleſiâ, p. 530. n. 4.
Papa poteſt deſignare ſacerdotem ad confirmandum, p. 533. n. 4.
Papa nequit deſignare ſacerdotem ad cōficiendum Chriſma, p. 533. n. 4.
Papa poteſt diſpenſare in præcepto annuæ confeſſionis. p. 535. n. 4.
Papa poteſt diſpenſare cum ſacerdote ut matrimonium contrahat, p. 539. n. 6.
Papa poteſt componere Epiſcopos litigantes de præcedentiâ: Gallos, pag. 558. num. 1. Italos, p. 558. n. 2. & 4. Anglos, p. 558. n. 3. Hiſpanos, p. 558. n. 4.
Papalis poteſtatis variæ praxes, p. 558. & ſeq.
Parochi baptizant ex officio, p. 531. num. 4.
S. Paulus licet S. Petro doctior, non tamen illo ſuperior, pag. 19. num. 4. pag. 23. num. 11.
S. Paulus non eſt S. Petri Collega, pag. 51. num. 1.

S. Paulus quomodò reſtitit Petro, pag. 96.
Cur S. Paulus pingitur dexter S. Petro, pag. 101. n. 1.
S. Paulus capite damnatus, pag. 156. num. 5.
S. Paulus Romæ ſepultus, p. 167.
In quo S. Paulus eſt par S. Petro, pag. 8. p. 11. n. 17. p. 119. n. 1. p. 137. p. 110. n. 10. n. 11. n. 12.
Soli Petro ex Apoſtolis poteſtas Monarchica data eſt, p. 48. n. 7.
S. Petri Cathedra extat Romæ, pag. 55. num. 6.
S. Petri prærogativæ, pag. 127. num 10.
S. Petrus ſedit Romæ, p. 130.
S. Petrus prius venit Romam quàm Paulus, p. 148. n. 1.
S. Petrus obiit Romæ, p. 149. n. 1.
S Petrus & S. Paulus eodem die Martyres, p. 151. n. 6.
S. Petrus Crucifixus, p. 154. n. 1.
S. Petrus Romæ ſepultus, pag. 156. num, 5.
S. Petrus venit Romam, pag. 171. num. 5.
S. Petrus in fide conſtantiſſimus, p. 339. num. 1.
Polonia in Roman. Pontif. ſucceſſionem agnoſcit, p. 219.
Polonia diademate Regio à Pontifice Romano donata, p. 219.
Prælati Patres vocantur, pag. 13. n. 5.
Princeps ſupremus dicitur Deus, p. 28. num, 1.
Principes ſunt filii Romani Pontificis, pag. 13.
Privati homines non ſunt judices controverſiarum, p. 312. p. 316, n. 1.
Prophetiæ derivatio, p. 323.
Prophetiæ definitio, p. 323.

R

Religioſus Ordo approbandus eſt à Romano Pont. p, 507.
Cur Religioſi Ordines extinguntur, p. 510. n. 2.
Religioſus Ordo diſſolutus quibus ſimilis p. 516. & ſeq.
Religioſus Ordo per quid diſſolvitur, p. 524. n. 20.
Religioſus Ordo per quid in obſervantiâ continetur, p. 524. n. 20.
Religioſi in die Paſchæ poſſunt miniſtrare Euchariſtiã advenis & peregrinis, p. 534.
Quando poſſunt tempore interdicti celebrare miſſam ſubmiſsè, p. 534. n. 2.
Poſſunt ſuis domeſticis ſæcularibus viaticum miniſtrare, p. 534. n. 2.
Reges non ſunt judices controverſiarum, p. 295.
Regimen quotuplex, p. 2. n. 1.
Cur Roma vocatur Babylon, p. 55. n. 6. p. 142. n. 2.
Romanus Epiſcopus eſt de jure conjunctus cum papatu, p. 178. n. 1.
Ruſſia cognoſcit Rom. Pont. ut Petri ſucceſſorem, p. 226.

S.

Sacerdotes quàntùm honorandi, p. 13.
Sacerdos non eſt miniſter ordinarius Confirmationis, p. 48. n. 12.
Sacerdos delegatus à papâ non debet confirmare niſi urgente neceſsitate, pag. 532. num 3.
Sacramenta ſolus Chriſtus inſtituit, p. 527.
Sacramenta alia potuit Chriſtus inſtituere, p. 527 n. 1.
De neceſſitate Salutis fideles ſubſunt huic papæ, p. 263. n. 14.
Sancti calumniis obnoxii, pag. 360. num. 12.
Sancti poſſunt in hac vitâ beatificari & canonizari, p. 491. n. 2.
Schiſmata non permittuntur ad avertendam monſtruoſitatem, p. 325. n. 3.
Schiſmatum numerus, p. 329.
Scotia agnoſcit Rom. Pont. ſucceſſionem p. 222.
Scriptura nequit ſolvere controverſiam fidei, p. 313. n. 4.
Senſus ab auctore intentus quis? p. 469. num. 1.
Servitus duplex, p. 15. n. 10.
Stephanus VI. non fuit hæreticus, p. 356. num, 26.
Succeſſio Romanorũ Pontificum, p. 265. num. 15.
Suecia teſtatur Rom. Pontificem eſſe ſucceſſorem Petri, p. 225. n. 2.
Sylveſter II. non fuit hæreticus, p. 357. num. 28.
Symbolum in miſſâ cantatur ad inſtantiã Henrici Cæſaris. p. 229.

T

Trecenſe Concilium celebrat Papa, pag. 216. n. 4.
Theodoricus Rex temerè celebrat Concilium, p. 73. n. 1.
Thomas Waldenſis ex profeſſo probat S. Petrum eſſe ſolum Chriſti Vicarium, p. 85. n. 14. Probat S. Petrum ſediſſe Romæ, pag. 138.

V

Vandalia agnoſcit Romanum Pontificẽ ut Petri ſucceſſorem, p. 226. n. 11

Wiclef

Wiclef damnatus in Concilio Conſtantienſi, p 74. n.4. Eſt ſimilis duobus Herodibus, p 85. n. 14.

Victor Papa non defecit à fide, p. 339. num. 2.

Vigilius Papa non fuit hæreticus, p. 344. num. 8.

Virga ſymbolum regiminis, p. 550.

In Voto Caſtitatis & Religionis quomodò Papa poteſt diſpenſare. p. 562. n. 1.

Vota in Religione ſolemniter quomodò poſſit relaxare, p. 564. n. 2. & ſeq.

Votum Religioſi procurandi dignitates extra ordinem ſolus papa poteſt diſpenſare, p. 566. n. 4.

Z

Zepherinus Papa non defecit à fide, p. 339. n. 2.

FINIS.

Errata Paginarum.

Pag. 16. Ariminienſi *lege* Ariminenſi. *p.* 16. regimen Ariſtocraticum *l.* regimen eſſet Ariſtoc. *p.* 82. Randens *l.* Randeus. *p.* 168. ornamentum audiamus *l.* ornamentum Thomam Waldenſem audiamus, *p.* 219. coluerit *l.* coluit. *p.* 224. narrat *l.* & narrat. *p.* 289. eos *l.* de eis. *p.* 321. ſed *l.* &. *p.* 337. Iaachaz *l.* Ioachaz, *p.* 383. univerſam *l.* urſam. *p.* 385. diſperſi *l.* diſperſæ, *p.* 385. ſubdatur *l.* ſubditur. *p.* 389. Crmelus *l.* Carmelus, *p.* 424. ac per *l.* ac dum per. *p.* 442. PPul *l.* Epiri. *p.* 451 politiam Chriſtus *l.* per politiam inſtituit Chriſtus. *p.* 451. tenendum eſt ſummo *l.* tenendum eſt, quod uni ac ſummo. *p.* 449. ſi Pontifex poſſet *l.* ſi Pontifex errare poſſet.

Errata Marginalia.

Pag. 30, *v.* 19. lege *v.* 17, p 49. *cap.* 16. l. *cap.* 81. p. 49. *Benard.* l. *Bernard*, p. 60. *Presbyt.* l. *Papa* p. 64. *Vigilus* l. *Vigilius*, p. 90. *cap.* 14. l. *cap.* 11. p. 134. *Tonn.* l. *Toron*, p. 159. *cap.* 12. l. *cap.* 21. p. 170. 3 l. 6. p. 450. *de Allaro* l. *de Alliaco*, p. 513. *v.* 14. l. 33. p. 516. *v.* 7. l. *v.* 15. p. 529. *lib.* 3. l. *lib.* 4.

Digitized by Google

Digitized by Google